





Cont[ventu]s Cracoviensis Proprie Biblio=
thecae acquisivit hunc Librum Illustr[issimu]s
Pater C. Makowski ad usum
Concessit, ~~et q[uo]d [illegible]~~
~~respondeat futura [illegible]~~

Ita est Fr. S. Rau[illegible]

[illegible]

FR

Mgr Fr Illustr[issimu]s Simonis
Makowski [illegible]

M

M

THEOLOGIA CHRISTIANA.

AVCTORE

M. SIMONE STANI-
SLAO MAKOWSKI,
SACRÆ THEOLOGIÆ
DOCTORE,

In Vniuersitate Cracouiensi luci
publicæ porrecta.



CRACOVIÆ,

In Officina ALBERTI GORECKI, S. R. M.
Nec non Almæ Vniuersitatis Cracouiensis
Typog. Anno Dñi M. DC. LXXXII.

IN STEMMA
PERILLVSTRIS ET REVERENDISSIMI
DOMINI.



GEmmea Craciacæ ſunt ornamenta Cathedræ,
Quæ rutilante ſinu, fert diadema triplex.
Hîc etiam per quam ſtirps ROZDRAŻEVIA Vernat,
Punicei floris, purpura terna rubet.
An quia cum virtus, & gloria ſanguinis alti,
Floribus his dignum, quæreret ipſa locum;
Hîc voluit, triplices vti geſtat ſtemma coronæ,
Ternas in gemmis, depoſuiſſe ROSAS.

PERILLVSTRI,
ET REVERENDISSIMO DOMINO,

D. STANISLAO
COMITI à ROZDRAZEW

ROZDRAZEWSKI,

Cuſtodi Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis, Scholaſtico Vislicienſi, Præpoſito Ilženſi, Sacræ Regiæ Maieſtatis Secretario,

DOMINO & PATRONO FAVENTISSIMO.



Ltiorem rebus humanis omnibus, cæloſq; ipſos, & origine, & dignitate ſua attingentem, rerum Diuinarum Sapientiam, nemo indignius tractat; quàm qui eam alijs non communicat, PERILLVSTRIS, & REVERENDISSIME DOMINE. Nulla quippe iniuria maior, quàm naturam tanti boni; quod in vſus alienos maximè diffundi cupit, contra eius cæleſtem genium continere velle; portionemque Diuinitatis nobiliſſimam arcano ignobili celare. Indignamur ſæpè atris nubibus, cùm nobis lampadem mundi auream, fontemque luminis eripiunt ſolem: ingrata nobis ſunt terræ viſcera, cùm ſaxis ingentibus clauſa, pretioſas metallorum occultant fodinas: Oceani profundum graue nobis eſt, cùm immenſa vndarum mole, & conchas ſepelit, & margaritas. Sol animorum, intelligentiæ aurifodina, pretioſus donorum cæleſtium vnio, rerum Diuinarum ſcientia, cùm in luce publica verſari, & prominere debeat; ſi cortina & nube ſilentij tenetur, quis eam occultantibus iure non ſuccenſeat? quis dignitatem eius ſic inhonorari permittat? quandoquidem iuxta Caſſiodorum, ſcientia omnis, quantò magis

)(Diuina

Diuina per violentiam non aufertur, antiquitate non corrumpitur, absconsione minuitur, communicatione multiplicatur. Reuelari eam, non abscondi voluit, ipse etiam, qui illam condidit, & effudit supra omnia opera sua Deus: quando ex abysso, increatâ sapientiâ, tot nobis eius lumina, in lege primùm scripta, mox & in lege gratiæ, mirum in modum communicauit: quando eius arcana multifariam, multisq; modis Patribus olim in Prophetis; nouissimè in Filio suo vnigenito, per quem fecit & seculum, ita nobis locutus est, vt vniuersæ mundi sapientiæ, in Verbo Incarnato, stuporem, & silentium imponeret. Erat quippè in illo lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quâ sub nube humanitatis, radios immensæ Diuinitatis, non abscondit: quando æterni Patris sapientia, incipiens primùm facere, & docere; mox in omnes lumen reuelatæ fidei, ita diffudit, vt in vltimis terræ partibus nemo esset, qui se ab eius calore absconderet; aut quem lux ista, quæ posuit in sole tabernaculum suum, non illuminaret. Lumen hoc de lumine, cõmunicauit deinceps Apostolis suis, & Ecclesiæ Doctoribus, Theologiæ Christianæ claritudinem illam, quæ infidelium tenebras, hæreses, & Schismata omnia vicit, quâ in libris, & monumentis Scriptorum Ecclesiasticorum, in Celeberrimis orbis Christiani Vniuersitatibus, Cathedrisq; publicis, splendidè & gloriosè coruscat. Et hæc profectò Theologiæ Christianæ communicatio, quæ ex dono cælestis sapientiæ venit, quæ Doctores, & Professores publicos maximè decet, animum mihi addidit, vt eam rerum Diuinarum scientiam, quam pliblicè profiteor; censuerim quoq; secuturæ ætati relinquendam, vt si quid fortè â calamo meo, proficuũ bono publico dari possit, id sub Amplissimo nomine Tuo, PERILLVSTRIS, & REVERENDISSIME DOMINE, euulgatum bonis ingenijs, Theologicum studium amantibus inseruiat. Ita enim existimaui semper, vitam quidem nostram, breui spatio definitam esse, sed extendi eam posse in æuum longiùs, si monumentis literarum ea vsui publico consignemus; quæ â Deo fonte bonorum omnium, in nos deriuata; tantò naturæ rerum cælestium viciniora sunt, quantò se magis in alios diffundunt, ac velut eruditum

eruditum quoddam patrimonium, ad posteros transmittuntur. Nec verò sacrum hoc Theologiæ Christianæ depositum, gratiori sinu excipi potuit; quàm Tuo PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, in quo gratissimæ magni Sanguinis Tui ROSÆ, cum summa virtutum suaueolentia, â tot seculis vernant, totaq; gratiarum venustas consedisse videtur; cùm inter Prælatos Ecclesiæ, & inter ILLVSTRISSIMÆ Domûs TVÆ decora, flos ipse lectissimus, & omnigenæ pietatis, illibatæ virtutis, omnisq; humanissimæ gratiæ, Rosa sis. Purpuram sanguinis Tui verè roseam, totque Principum, Antistitum, & Senatorum nominibus verè augustam, non est mihi animus cum omni splendore suo prosequi; cùm hic labor ad Oratorum panegyres, & exquisitos calamos spectet. Decora tamen antiquissimæ, Domus Tuæ, & coronamenta gloriæ, liceat hîc saltem velut rosas spargere, & pulcherrimas ex ijs delibare. Origo quippè Majorum Tuorum splendidissima, Principum Majoris Poloniæ sanguis; non tantùm in BOSNONE Principe, augustas Regum Poloniæ purpuras; sed Diuorum quoq; consanguineos nexus, in Fratre vterino, Sanctissimi Præsulis, & Martyris D. ADALBERTI attigit; cùm relictam BOSNONIS Viduam, COMITVM LIBICENSIVM, Magno in BOHEMIA sanguini, connubialia vincula junxêre; cujus quidem in Bohemia Familiæ tantus splendor extitit, vt supra alios omnes, honorum, ac opum amplitudine, facilè emineret; cùm quartam propè Bohemiæ partem possedisset. Subsecuta deinde secula, viderunt Bosnonis stirpem, Principum titulo, in COMITVM â ROZDRAZEW mutato, continua serie efflorescentem, cùm omnem deinceps ætatem, ILLVSTRISSIMA ROZDRAZEVIORVM prosapia, magnis Heroibus, & meritis coronasset. Floruit in illa, vt priscos æui remotioris Heroas omittam, STANISLAVS COMES â ROZDRAZEW, CASTELLANVS ROGOSINENSIS, Vir magni animi, & oris eloquentissimi; cuius Nestoream facundiam, ipsa etiam Augusta Imperialis Majestas, Viennæ stupuit; cùm in legationis munere, & in obsequio Patriæ, vltimum etiam spiritum

 ritum

ritum Viennæ posuisset. Floruit etiam inter Gallica lilieta, IOANNES COMES à ROZDRAZEW ELIZABETHÆ ex Domo Austriaca Galliarum REGINÆ, supremus Aulæ Præfectus; qui summâ prudentiâ, & dexteritate, munus hoc administrans, cùm Viennam cum Regina Galliæ venisset, ROSAS in BOHEMIA ROZDRAZEVIAS feliciter plantauit, ductâ in Vxorem Baronissâ Poppliensi, ex ILLVSTRI ŁOBKOVICIORVM familia, ibiq; cum diu floruisset, busta etiam sua, in hereditaria ciuitate Blatna posuit; viuitq; adhuc eius inter Bohemos, in IGNATIO COMITE à ROZDRAZEW, nomen & fama superstes. At verò non verbis, sed rosis ipsis dicendus esset, HIERONYMVS COMES à ROZDRAZEW, EPISCOPVS VLADISLAVIENSIS, norma & gemma Præsulum, virtutumq; omnium amussis; qui in patria cùm omnium amores meruisset, etiam Romam sub tempus magni Iubilei, Anno Domini 1660. veniens, à CLEMENTE VIII, Pontifice Maximo humanissimè acceptus, tantam apud eum virtutis suæ æstimationem meruit, vt nisi mors eum Romæ præuenisset, Cardinalitiâ Purpurâ, post GEORGIVM CARDINALEM RADIVILLVM, à Pontifice ornari destinatus, Purpurati Ecclesiæ Senatus numerum, haud dubiè adauxisset. Assurgit omnis ætas, sacro quoq; nomini, REVERENDISSIMI olim IOANNIS COMITIS à ROZDRAZEW, Heredis in Nowe-Miasto, SVFFRAGANEI Vladislauiensis, qui prout in Ecclesia Dei magno virtutum splendore præluxit; ita de sapientiæ Studio quàm optimè mereri voluit; cùm eius insignem munificentiam, restaurata ab eo Academia Posnaniensis, & amplissimè dotata, nec non & Studium Theologicum, in Conuentu Patrum Prædicatorum, Posnaniæ erectum, immortali memoria coronet. Numerat inter Decios, Scipionesque Polonos, Mars ipse Sarmaticus, CHRYSTOPHORVM COMITEM à ROZDRAZEW, Præfectum Łanciciensem, Gallicis, Germanicisq; bellis, ad summam militaris gloriæ amplitudinem erectum, cuius heroica virtus, Regnante STEPHANO BATHOREO REGE

GE Poloniæ, fortissimo ad Zawolociam pro patria contra Moschos occasu, æternum sibi trophæum consignauit. Magnus in Curuli Senatoria viuet æternùm, ADAMVS COMES à ROZDRAZEW, SVCCAMERARIVS primùm, CASTELLANVS deinde Posnaniensis, cui patria nostra debet, quòd in bello Chotinensi contra Osmanum Turcarum Imperatorem, sub SIGISMVNDO III. REGE Poloniæ, formidandis Otthomanicæ potentiæ viribus non succubuerit; cùm eam maximo sumptu collectis militum legionibus, tantus patriæ defensor obarmasset. Conseruauit Libertatem Polonam, & patrias leges, vindex earum acerrimus, HIERONYMVS COMES à ROZDRAZEW, Dominus, & Heres in Staw, CASTELLANVS MEDERECENSIS, qui in Senatu ore liber, & animo magnus; in castris quoq; fortis & inuictus, nihil gloriosius æstimauit; quàm quod in militum cohortes pro patria impendit. Æmulatus est virtutem eius, plenus heroico spiritu IOANNES COMES à ROZDRAZEW, Heres in Krotoszyn, INCISOR REGNI, CAPITANEVS ODALANOVIENSIS, ad Chotinum contra Turcas, & in Prussia contra Suecos, Patriæ defensor maximus, pro qua milites hastatos, maximis impensis, ceu murum inexpugnabilem opposuit. Immortalem quoque ad posteros feret præcelsa animi Virtus IACOBVM COMITEM à ROZDRAZEW, CASTELLANVM primo Calissiensem, PALATINVM postea Ino-Vladislauiensem, Senatorem Patriæ gratissimum, qui in maximis Reipublicæ periculis, contra Cosacos, & Scythas, ad Pilawce, Zborow, & Beresteczko, hastatis Patriam cohortibus juuit, bellumq; illud formidandum, ne acriùs serperet, magna fortitudine, & sumptibus planè heroicis repressit. Porrò supra tumulum tuum hyacinthi, & rosæ æternùm vernabunt, HYACINTHE COMES à ROZDRAZEW, S.R.M. Colonelle; quem cùm externa militia, inter summos bellatores experta fuisset, Patria quoque Hectorem inuictum suspexit; cui in obsequium cum mille ducentis militibus deditus, post opus illud in Zbarasiensi obsidione inauditum, ceu victima tandem, etiam fortissimam

tiſſimam animam tuam Leuartouiæ conſecraſti. Ibit inter hæc nomina, auro, cedriſque iam inſcripta, conſanguineum quoquè trabeis Regalibus nomen, IOANNIS COMITIS in ROZDRAZEW, CASTELLANI MEDERECENSIS, CAPITANEI ODALANOVIENSIS, cuius celſitudinem virtutis, par quoquè gloria ſecuta, etiam ad poſteros tranſijt in exemplum. Coronat inſuper tot ſeculorum decus hoc immortale, ipſe virtutum, & elogiorum corona maxima, CHRYSTOPHORVS COMES à ROZDRAZEW SVBDAPIFER Poſnanienſis, Parens Tuus, PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, tanto Majorum ſanguine, & faſtis perennibus dignus: in quo quantum ſumma virtus, magnitudo animi, conſilij grauitas, amor Patriæ, mira erga omnes comitas, & humanitas excelluerit, ſatis in Te ipſo legitur. Loqueris parentem filius oraculo gloriæ tuæ, & virtutes eius exprimis ad amuſſim; nec tantùm roſas eius paternas animo cultiſſimo circumfers: ſed illud etiam præſtantibus factis exprimere, pulcherrimum ducis; quidquid ſplendidiſſimæ Domus Tuæ, conſanguineo nexu iuncti, ILLVSTRISSIMI OPALINSCII, KOSTCÆ, RADZIEIOWII, LESZCZYNSCII, CZARKOWSCII, BVZENSCII, GRZYMVLTOWSCII, GEMBICII, ZEBRYDOVII, KRETKOWSCII, PRZEREMSCII, WĘZYCII, SMOGVLECCII, TARŁOVII, in ſumma tot meritorum gloria aſſecuti ſunt. Non potuit quippè magna indoles tua, à tanto ſanguine ducta, nobiliſſimo animo ceſſare; donec Te dignum tanto natalium ſplendore oſtenderet: cumq; Diuino cælitùs inſtinctu, ad Aras, Regaleq; ſacerdotium vocaretur; cultui, & elegantiam literarum, virtutum quoq; apparatum omnem adiunxit. Inſeruit Te Perauguſto Capitulo Cracouienſi, eximiæ pietatis zelus, animiq; Tui præcellens integritas, & moderatio, atq; illa candidiſſimi pectoris gratia; quæ Te fecit Prælatum, SERENISSIMIS Poloniæ Regibus, Magnis Antiſtitibus, Senatui, Proceribuſq; Regni, omnibus deniq; gratioſum, & amabilem; quorum de Te honorificos, & amabiles

ſenſus,

ſenſus, ipſa etiam ILLVSTRISSIMI, & REVERENDISSIMI DOMINI IOANNIS de Małachowice MAŁACHOWSKI, Epiſcopi Cracouienſis, DVCIS Seueriæ, candidiſſima faſcia, dilectione Tui, & æſtimatione præcipuâ coronat. Dignæ ſiquidem virtutes Tuæ ſunt, vt ceu roſæ omnibus gratiſsimæ fiant; quarum in Eccleſia Dei odor ſuauiſsimus, in Aris, Templiſq; Diuinis adornandis, liberalis munificentia; in operibus miſericordiæ benigniſsima charitas, dulcem animi fragrantiam ſpirant. Has proinde inter roſas, Theologicam hanc operam meam depono, Tuoq; ampliſsimo nomini dedico, vt gratioſior omnibus, dulci Tuo inuitamento prodeat, atque vt officioſiſsimi cultus erga Te mei ſymbolum, in hoc monumento, Roſis tuis coronato perennet. Quod ego dum luci publicæ conſigno, & à Te humaniſsimè ſuſcipiendum confido, Majeſtatem Diuinam precor; vt longæua ætate, & continuis in Eccleſia Dei honorum incrementis, ampliſsima Dignitas Tua, & nominis gloria, vſq; ad immarceſcibilem virtutum Tuarum coronam, magis ac magis effloreſcat.

PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMÆ

CELSITVDINIS VESTRÆ,

humillimus Exorator.

M. SIMON STANISLAVS MAKOWSKI,
S. Theologiæ Doctor,
mppa.

APPRO-

APPROBATIO
SACRÆ FACVLTATIS THEOLOGICÆ.

THeologiam Christianam, immo verè Catholicam: nam ad mentem Angelici Doctoris, Diui Thomæ Aquinatis, non minùs elaboratè, quàm clarè, & eruditè conscriptam, à Perillustri & Adm Rñdo Domino, SIMONE STANISLAO MAKOWSKI, Sacræ Theologiæ in Alma Vniuersitate nostra Cracouiensi, Doctore & Professore, Ecclesiæ Collegiatæ, Sancti Floriani ad Crac: Custode, Sacræ Regiæ Maiestatis Secretario, accuratiùs lustrauimus, & omnia Fidei Catholicæ consona deprehendimus, ideoq; testimomnium tam præstanti operi damus, quòd luce publicâ dignum sit omnino, vt pote multam eruditionem Sacram comprehendens, in grande Orthodoxorum emolumentum ac ædificationem.

M. ALBERTVS DĄBROWSKI, S. Th. Doctor,
Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani, Decanus, Collegij
Maioris Senior Pater.

M. IOANNES RADZKI, S. Th. Doctor
& Professor, Theologicæ facultatis Decanus,
Canonicus Cath: Cracouiensis.

THEOLOGIA CHRISTIANA,

In Scriptura Sacra, Concilijs, Sanctis Patribus, & primarijs Doctoribus Scholasticis fundata, ac methodo perquàm facili usitatâ famosissimis Vniuersitatibus conscripta, luciq; publicæ in celeberrima Vniuersitate Cracouiensi ad vsum porrecta.

CVm nulla res magis Deo placeat, quàm de ipso, & Sanctissimis eius mysterijs sermonem facere; adeò vt & S. Ioannes non aliam ob causam inter Euangelistas, nomen Theologi assecutus sit, nisi quòd instar aquilæ ad Christi diuinitatem, ipsiusq; Incarnationem indagandam cæteris altiùs euolârit. Et S. Gregorius Nazianzenus ob eiusdem argumenti tractationem cognomen Theologi obtinuit. Proinde cùm Theologia nihil aliud sit, nisi sermo de DEO, aut diuinus: & DEVS enim increatâ Theologiâ seipsum comprehendit; & homines atq; Angeli per Theologiam creatam DEVM cognoscunt: meritò ad eius explanationem accedimus, vt potè Ecclesiæ Sanctæ summè vtilem. Nam vt dicit Magister Sententiarum in prooemio, per hanc scitur, quemadmodùm fides Catholica opituletur, & aduersùs impios defendatur: quoniam Theologi est, fidelem esse, tradere doctrinam sanam, & eos, qui sanam non habent, redarguere. Vniuersam igitur Theologiam in tres partes diuidimus, singulas in suos tractatus partiendo, & vnicuiq; tractatui quæstionem ex ipsomet erutam apponendo, quò faciliùs, qui methodum Academicam ignorant, modum scribendarum quæstionum concipiant.

PARS I.
THEOLOGIÆ.

I. Pars Theologiæ apud Sanctum Thomam habet quæstiones 119.

PRimam partem S. Thomas 119. quæstionib' circumscripsit, quæ à nobis facilitatis causâ septem tractatibus comprehendetur. *Primo* erit de DEO secundùm essentiã, & eius attributa. *Secundus* de visione DEI. *Tertius* de scientia DEI. *Quartus* de voluntate DEI. *Quintus* de prædestinatione, & reprobatione. *Sextus* de mysterio Trinitatis. *Septimus* de Angelis; priùs tamen quibusdam præmissis, ex quibus natura Theologiæ faciliùs innotescat.

DISPVTATIO PROOEMIALIS
De natura Theologiæ.

QVemadmodùm cuiuslibet scientiæ natura, & qualitates inuestigari solent, discurrendo per omnes rationes conueniendi superiores, & inferiores, vsq; dum veniatur ad proximam, & vltimæ differentiæ vicinam; ita & Theologiæ omnium scientiarum supremæ natura inuestiganda est.

QVÆSTIO I.
An Theologia sit verè & propriè scientia.

Theologiæ definitio. SVppono I. Theologiam sic cõmuniter definiri: *Est scientia de ente diuino, prout substat reuelationi diuinæ, seu lumini.* Porrò Theologia secundùm vocis etymon, idem est, quod ratio, seu consideratio, seu sermo de Deo, & rebus diuinis, Auctore D. Augustino lib. 8 de ciuit. cap. I. Cùm autem de Deo, & reb⁹ diuinis, sermo, siue consideratio, dupliciter fieri possit. *Primò* per discursum naturalem: *Secundò*, per lumen diuinæ reuelationis; ideò Theologia diuiditur in naturalem, & hæc est metaphysica: & supernaturalem, ac Christianam, & hæc ex principijs reuelatis suas conclusiones deducit, vocaturq; *Sacra doctrina.* Præterea Theologia propriè sumpta, alia est increata, vti est in Deo; alia creata, qualis reperitur in creaturis rationalibus, vt in Angelis, & hominibus.

Theologiæ viatorum diuisio. Suppono *præterea*, Theologiã creatam, aliam esse eorum, qui sunt in patria, & hæc ex principijs clarè ac per Dei visionem manifestatis, easdem veritates, & conclusiones deducit. Iam vero Theologia viatorum diuiditur in *acquisitam*, quæ studio, & diligentiâ humanâ acquiritur: ac *infusam*, quæ à Deo ipso immediatè infunditur, & talis etat in Prophetis, alijsq; Sanctis immediatè à Deo edoctis. Insuper Theologia diuiditur adhuc in *positiuam*, quæ sacras literas, & mysteria fidei fusè & oratoriè exponit; ac in *Scholasticam*, quæ methodo artificiosâ, ac syllogisticè de Deo, & rebus diuinis notitiam tradit. Quæstio igitur præsens procedit de Theologia viatorum, qualis est in nobis, prout videlicet comprehendit habitum principiorum, & conclusionum, an sit verè scientia.

ARTICVLVS I.
Resoluitur Quæstio.

COnclusio. Theologia viatorum est verè, & propriè scientia. Ita S. Thomas I. p. q. I. ar. 2. & in I. sent. dist. I. q. I. ar. 4. & opus. 70. q. 2 ar. 2. Est contra quosdam Neotericos, oppositum sentientes. *Theologia viatorum est vera scientia.* *Probatur I.* quia scriptura Sacra Theologiam Christianam absolutè vocat scientiam, vt I. ad Corint. 13. Sapien. 10 Michææ 2. &c. Idemq; docet S. Augustinus 14. de Trinit. ergo Theologia, quæ est in viatoribus, est verè, & propriè scientia.

Probatio secunda. Probatur II. authoritate Sancti Thomæ I. p. q. I. ar. 2. vbi in corpore sic loquitur: *Sciendum est, quòd duplex est scientiarũ genus: quædam enim sunt, quæ procedunt ex principijs notis lumine naturali intellectus, vt Arithmetica, Geometria, & huiusmodi: quædã verò sunt, quæ procedunt ex principijs notis lumine superioris scientiæ, sicut Perspectiua procedit ex principijs notificatis per Geometriam, & Musica ex principijs per Arithmeticam notis: & hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principijs notis lumine superioris scientiæ, quæ est scientia Dei, & Beatorum.*

Probatio tertia. Probatur III. *ratione.* Scire, est rem per causam cognoscere, ex I. Poster. cap. 2. Sed Theologia viatorum multa per causas cognoscit, vt constabit ex infra dicendis: estque de necessarijs etiam in existendo, & non solùm in essendo, v. g. de Deo. *Insuper*, est virtus intellectualis, & non pertinet ad vllam ex quinque ab Aristotele assignatis, 6. Ethic. cap. 3. & 4. præter scientiam, aut sapientiam: ergo Theologia viatorum est verè, & propriè scientia. *Minor quoad vltimum patet*: in primis enim Theologia cùm sit discursiua, non potest pertinere ad habitum primorum principiorum, qui veritates immediatè, & sine discursu attingit. Nõ etiam ad prudentiam, aut artem, cùm non versetur circa agibilia, aut factibilia: ergo solùm pertinere potest ad scientiam, aut sapientiam. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Theologia viatorum est subalternata scientiæ Dei, & Beatorum. Corollarium I. Theologia Christiana viatorum, est propriè subalternata scientiæ Dei, & Beatorum. Ita S. Thomas citatus, asserens Theologiam eo modo se habere ad scientiam Dei, & Beatorũ, quo se habet Perspectiua ad Geometriam, & Musica ad Arithmeticã. Sed Perspectiua propriè subalternatur Geometriæ, & Musica Arithmeticæ: ergo & Theologia viatorũ scientiæ Dei, & Beatorum subalternatur. Præsertim cùm non minùs principia nostræ Theologiæ, depẽdeant à scientia Dei, & Beatorum, quàm principia Perspectiuæ, & Musicæ, à Geometria, & Arithmeticâ, siquidem articuli fidei, qui sunt principia nostræ Theologiæ, notificantur, & manifestantur in scientia Dei, ac Beatorum: sicut principia Perspectiuæ, & Musicæ demonstrãtur, & notificantur in Geometria, & Arithmeticâ.

Theologia viatorum per discursum acquisita, manet in patria. Corollarium II. Theologia, quæ à viatoribus per discursum acquiritur, remanet in patria. *Ratio*: quia omnis scientia subalternata, ex se, & ex natura sua postulat cõiungi cum subalternante, eiq; continuari. Sed Theologia quæ à viatoribus per discursum acquiritur, est subalternata scientiæ Dei, ac Beatorum: ergo ex se, & ex natura sua postulat ei coniungi, & cõtinuari, atq; sic remanet in patria. *Maior* ab omnibus admittitur. *Minor* etiam ex præcedenti corollatio constat. *Præterea*, dona Spiritus Sancti, quæ sunt in nobis viatorib⁹, v. g. donum Sapientiæ, & Scientiæ, remanent in patria. Auctore D. Thoma I. 2. qu. 68. art. 6. ergo & Theologia quæ est in nobis viatoribus, remanet in patria, cùm per se, & ex natura sua postulet regulari per lumen gloriæ, & scientiam beatam, cui subalternatur. Et hoc expressè docet S. Hieronymus in epistola ad Paulinum his verbis: *Talem scientiam discamus in terris, quæ nobiscum perseueret in cœlis.* Et Sanctus Chrysosthomus in cap. 13. I. ad Corint. ita scribens: *Non abolebitur scientia* (puta in patria) *sed desinet esse non perfecta.*

Theologia viatorum est vna scientia. Corollarium III. Theologia, quæ est in viatoribus, est vna scientia. *Ratio*: quia vnitas potentiæ, & habitus, consideratur secundùm obiectum non materialiter sumptum; sed secundum rationem formalem obiecti consideratum. Sed Theologia viatorum considerat aliqua, secundum quod sunt diuinitùs reuelata; omnia autẽ quæ sunt diuinitùs reuelabilia, communicãt in vna ratione huius scientiæ: ergo Theologia viatorum est vna scientia.

Corollarium IV. Qui in hac vita Theologiam didicerunt, (cæteris paribus) plura cognoscent in patria extra Verbum, per proprias species, hic in via proprio labore, & studio comparatas, quàm alij hac scientiã carentes. *Ratio*: quia vt iam ostensum est, habitus Theologiæ in via acquisitus, remanet in patria, seq; extendit ad ea omnia clarè

clarè videnda, quæ in via obscurè cognoscebat. Vnde in Beatis triplex erit scientia: *vna perfectè supernaturalis*, nimirum visio beatifica, per quam Beati cognoscunt in Deo quædam principia, vt *Deum esse immutabilem, omnipotentem, &c.* in illisq; veritates, quæ se habent per modum conclusionum, vt *Deum esse æternũ, creaturas esse possibiles, &c.* quas vnico, & simplicissimo intuitu vident, virtute luminis gloriæ. Et ideò talis scientia, non est formaliter discursiua, sed solùm eminenter, & virtualiter, vocaturq; à Theologis *Scientia Beata*. Altera est *Theologia nostras*, quam hîc in via acquirimus, & hæc est formaliter discursiua: nam ex principijs lumine gloriæ cognitis, in Deoq; manifestatis, per discursum, & lumen naturale, intellectus deducit conclusiones, quas per proprias species cognoscit extra Verbum. Atq; sic lumen gloriæ non concurrit immediatè ad assensum earum, sed mediante lumine naturali intellectus, discurrentis & ratiocinantis circa principia clarè cognita, ac in Verbo manifestata. Quocirca talis scientia non est perfectè, & entitatiuè supernaturalis; sed imperfectè solùm, & radicaliter, seu præsuppositiuè. *Tertia est* scientia purè naturalis, quam Beati habent de rebus naturalibus per principia lumine naturali nota: & hæc est multiplex specie, iuxta diuersitatem specificam obiectorum, circa quæ versatur, remanetq; etiam in dæmonibus.

In Beatis triplex scientia.

Corollarium V. Theologia viatorum non solùm remanet, in patria ad ornatum, verùm etiam ad exercitium. *Ratio*: quia illi habitus remanent in patria non tantùm ad ornatum, sed etiam ad exercitium quorum exercitium non est incompossibile cum statu beatitudinis. Sed discurrere, & per lumen naturale intellectus, ex articulis fidei clarè visis, ac in Verbo manifestatis, conclusiones inferre, non repugnat statui beatitudinis, vt constabit inferius. Ergo Theologia viatorum remanet in patria, non tantum ad ornatum, sed etiam ad exercitium.

Theologia viatorum remanet in patria etiã ad exercitium.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obijcitur I. *Contra conclusionem*. De ratione veræ scientiæ est euidentia. Sed hanc Theologia viatorum non habet: ergo non est verè, & propriè scientia. *Minor patet*: quia Theologia viatorum caret euidentia suorum principiorum. *Respondetur distinguendo maiorem*. De ratione veræ scientiæ est euidentia actualis, aut radicalis, *conceditur*: sola actualis, *negatur*: & similiter distinctâ minore, *negatur consequentia*. Licet ergo scientia subalternans, debeat habere euidentiam formalem, seu actualem suorum principiorum; ad rationem tamen scientiæ subalternatæ, cuiusmodi est Theologia, sufficit euidentia radicalis, aut aptitudinalis, id est, sufficit, quòd ex se, & ex natura sua postulet coniungi cum subalternante, in taliq; coniunctione habere euidẽtiam actualem suorum principiorũ. Theologia itaq; est verè scientia, quamuis prout est in nobis viatoribus, per accidens, & ratione subiecti, careat euidentiâ actuali principiorum: quia per se, & ex natura sua, postulat coniungi cum scientia Dei, ac Beatorum, cui subalternatur, atq; in tali coniunctione habere euidentiam actualem suorum principiorum; licet prout est in nobis, ob defectum actualis euidentiæ, non habeat modum, nec statũ perfectæ scientiæ; quemadmodùm puer etiamsi sit substantialiter homo; cùm tamen careat vsu rationis, & exercitio libertatis, non reputatur esse perfectus homo.

Obiectio prima & eius solutio.

Obijcitur II. De singularibus, & contingentibus, non potest dari scientia. Sed Theologia ast de singularibus, v. g. de Christo, de B. Virgine, estq; de contingentibus, vt de actibus humanis, de peccato, de merito, de iustificatione, &c. quæ sunt actiones liberæ, & contingentes: ergo non est scientia. *Respondetur distinguendo maiorem*, De singularibus, & contingentibus, non potest dari scientia naturalis, *conceditur*: scientia reuelata, seu procedens ex fide, ac diuina reuelatione, vti est Theologia, *negatur*. Cuius disparitatis *hæc est ratio*: quia scientia purè naturalis, dependet à lumine naturali primorum, principiorum, quæ versantur solùm circa vniuersalia, & necessaria; at verò scientia supernaturalis, & reuelata, dependet à lumine supernaturali fidei, diuinæq; reuelationis, extendentis se etiam ad singularia, & cõtingentia, quæ vt subsunt tali lumini, sunt necessaria necessitate saltem infallibilitatis, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 1. ar. 3.

Obiectio secunda.

Solutio eiusdem.

Obijcitur III. Theologia, & Fides, circa eandem veritatem possunt versari: ergo Theologia non est verè, & propriè scientia. *Consequentia patet*: quia de eadem veritate non potest simul esse fides, & scientia. *Antecedens etiam manifestum*. v. g. ista veritas, *Christus habet humanam voluntatem*, cognoscitur per fidem, quia est definita ab Ecclesia; & simul cognoscitur per Theologiam, tanquàm conclusio legitimè deducta ex illo fidei principio: *Christus est perfectus homo ex anima rationali, & humanâ carne subsistens*: ergo habet humanam voluntatem. *Respondetur negando Antecedens*: nam ex probabiliori sententiâ, quoniam intelligentia est habitus principiorum; scientia verò conclusionum, ideò non potest esse de eadem veritate, & obiecto, licet vtraq; habeat claritatem, & euidentiam. Vnde cùm fides sit habitus principiorum Theologiæ, & ipsa Theologia habitus conclusionum; ideò de eadem veritate, & obiecto, esse non possunt, licet vtraq; sit obscura. Posset etiam responderi, *concesso antecedente, negando consequentiam, eiusq; probationem distinguendo*. De eadem veritate non potest simul esse fides, & scientia clara, *conceditur*: scientia obscura, cuiusmodi est Theologia, *negatur*: nihil enim repugnat, quòd de eadem veritate sit fides, quæ est de immediatè reuelatis; & simul Theologia, quæ est de reuelatis mediatè, ac virtualiter in principijs fide diuina creditis.

Obiectio tertia.

Solutio eiusdem.

Obijcitur IV. *contra corollarium primum*. Ad veram subalternationem requiritur etiam conditio hæc, quòd scientia subalternata contrahat obiectum subalternantis per aliquam differentiam accidentalem, ratione cuius habeat nouam scibilitatem, sitq; radix nouarum proprietatum. Sic Perspectiua addit differentiã visibilis supra quantitatem continuam, quæ est obiectum Geometriæ: similiter musica addit differentiam accidentalem sonori, supra quantitatem discretam, quæ est obiectum Arithmeticæ. Sed Theologia viatorum non addit talem differentiam accidentalem supra obiectum scientiæ Dei, ac beatorum: ergo non est illi propriè subalternata. *Respondetur I. cum Capreolo negando minorem*: Theologia enim viatorum, addit supra obiectum scientiæ Dei, ac Beatorum: hanc differentiam accidentalem, scilicet reuelabilitatem obscuram, virtualem saltem, & mediatam, per quam distinguitur à fide & scientiâ beatâ. Vel vt alij volunt, addit ineuidentiã negatiuam: nam obiectũ scientiæ Dei, ac beatorũ, est euidens positiuè: cùm postulet ab intrinseco euidentiam, & claritatẽ; iam verò obiectũ fidei, est ineuides positiuè, quia ab intrinseco postulat obscuritatem, & ineuidentiã; obiectũ autem Theologiæ est ineuidens solùm negatiuè, cùm Theologia secundùm se, & ex natura sua non postulet obscuritatem, ac inuidentiam;

Obiectio quarta.

Solutio eiusdem prima.

tiam; quemadmodum fides, sed eam tantùm per accidens adiunctam habeat, nimirùm ratione status, & subiecti, in quo reperitur, & in quo per accidens dependet à fide, gerente vices scientiæ beatæ.

Solutio secunda.

Respondetur secundo, hanc conditionem requiri quidem essentialiter, & indispensabiliter in scientijs ordinis naturalis, ad veram subalternationem, cæterùm in Theologia necessariam non esse: quia cùm eius obiectum sit infinitum, & illimitatum, sine additione alicuius differentiæ accidentalis, plures habet modos cognoscibilitatis, ac scibilitatis, ratione quorum potest diuersas scientias terminare, cognoscíq; per vnam scientiam omninò supernaturalem, cuiusmodi est scientia beatorum; & per aliam naturalem, quæ per discursum, & lumen naturale intellectûs, ex principijs illius supernaturalis conclusiones deducat, talem autem esse Theologiam viatorum dicetur inferiùs. *Præterea*, quia in scientijs naturalibus, & quæ versantur circa obiectum finitum, ac limitatum, additio differentiæ accidentalis supra obiectum subalternantis, tendit tanquàm in finem ad saluandam dependentiam illam principiorum, vt explicat Caietanus 1 p q. 1. ar 2. Nam ideò requiritur, vt scientia subalternata contrahat obiectum subalternantis, per differentiam accidentalem: quia si obiectum esset omninò diuersum, non posset dependere à subalternante in principijs, & similiter si esset obiectum omninò idem. In primo enim casu essent diuersa omninò principia; in secundo autem prorsùs eadem. Iam verò in Theologia nostra, talis dependentia optimè subsistit sine tali conditione, scilicet sine additione alicuius differentiæ accidentalis, & sine illa, vera & propria ratio subalternantis saluatur.

Obiectiu quinta.

Obijcitur V. Scientia subalternans deb[illegible] demonstratiuè probare principia scientiæ subalternatæ. Sed scientia Dei, & beatorum, non demonstrat principia Theologiæ nostræ: ergo non est subalternans respectu illius. *Maior est Aristrtelis 1. Poster. Minor etiam patet*: quia principia Theologiæ, sunt articuli fidei, qui sunt indemonstrabiles, neque possunt probari per causam.

Solutio eiusdem prima.

Respondetur 1. concedendo maiorem de scientijs discursiuis, cuiusmodi sunt scientiæ subalternantes ordinis naturalis; negando autem de scientijs subalternantibus non discursiuis, vti est scientia Dei, & beatorum. Vnde ad saluandam subalternationē Theologiæ nostræ, respectu scientiæ Dei, & beatorum, sufficit, quòd in illis articuli nostræ fidei notificentur, & claré cognoscantur; non est autem necessarium, quòd demōstrentur.

Solutio secunda.

Respondetur secundò, negando minorem: nam in scientia Dei, & Beatorum, demonstrantur plures articuli nostræ fidei, per naturam diuinam, tanquam per causam virtualem, seu rationem à priori diuinorum attributorum, v. g. quòd Deus sit trinus in personis, omnipotens, æternus, &c. Vnde licet scientia Dei, & beatorum, non sit formaliter discursiua; virtualiter tamen discurrit, quatenus vnico, & simplicissimo intuitu, videt effectus in causis, & conclusiones in principijs.

Obiectio sexta.

Obijcitur VI. Inter habitum primorum principiorum, & scientiam, non datur vera subalternatio. Sed scientia beata est habitus primorum principiorum, respectu Theologiæ nostræ: ergo inter Theologiam nostram, & scientiam beatam, non datur vera subalternatio. *Minor patet*: quia articuli fidei, qui sunt principia nostræ Theologiæ, manifestantur per lumen gloriæ, ac visionem beatam.

Solutio eiusdem.

Respondetur distinguendo maiorem. Inter habitum primorum principiorum præcisè sumptum, & scientiam, non datur vera subalternatio,

conceditur maior: quia ille habitus simul habet rationem scientiæ, *negatur maior*: & similiter distinctâ minore, *negatur consequentia*. Scientia enim beata, habet simul rationem scientiæ subalternantis, & habitus primorum principiorum, respectu Theologiæ nostræ: nam quatenùs vno & simplicissimo intuitu fertur in diuinam essentiam, & omnia, quæ in ea sunt formaliter, habet rationem habitus primorum principiorum; quatenus verò ita videt diuinam essentiam, & eius attributa, vt cognoscat vnum esse causam virtualem, & rationem à priori alterius, habet rationem scientiæ, & hoc modo ipsi sumptæ Theologia nostra propriè subalternatur.

Obiectio septima eiusq; solutio.

Obijcitur VII. *Contra Corollarium secundum.* S. Paulus 1. ad Cor. 13. dicit: *Linguæ cessabunt, & scientia destruetur*, puta in cœlo: ergo Theologia, quæ hîc per discursum à viatoribus acquiritur, non remanet in patria. *Respondetur distinguendo antecedens.* Scientia destruetur, quantum ad substantiam, *negatur antecedens*: quantum ad modum obscuritatis, aut ineuidentiæ, quem nunc habet, vel quantum ad modum operandi imperfectum, id est, per conuersionem ad phantasmata, & per species à sensibus acceptas, *conceditur*: nam vterq; hic modus cognoscendi in patria destruetur, quia tunc non erit ex necessitate conuersio ad phantasmata, sed ex electione.

Instantia contra responsionem.

Instabis, S. Paulus loco citato addit hæc verba: *Cùm autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est*: ergo scientia Theologica hîc per discursum acquisita, totaliter destruetur in patria etiam quoad substantiam. *Respondetur negando consequentiam*: nam vt ibidem declarat S. Paulus, ita destruetur, sicut imperfecta sapientia, & loquela paruulorum destruitur cum ætate, id est, non simpliciter, sed quantum ad imperfectionem, quia adulti meliùs sapiunt, & loquuntur. Vnde sensus dicti Apostolici est, quòd veniente perfecto, euacuetur imperfectum, quod ei opponitur; quemadmodùm fides, quæ est eorum, quæ non videntur, euacuatur adueniente visione. Verùm adueniente perfecto, non est necesse euacuari imperfectum, quod ei non opponitur. Sic quia imperfectio cognitionis vespertinæ, non opponitur perfectioni cognitionis matutinæ, ideo per eam non euacuatur. Cum ergo Theologia nostra non opponatur visioni beatæ, eò quod non importet ineuidentiam positiuam, vti fides, imò potius perficitur, & consummatur; sicut charitas, ac donum scientiæ, & sapientiæ, aliæq; virtutes, & dona, quæ non repugnant statui beatitudinis; ideò adueniente visione beatâ, non est necesse eam destrui quoad substantiam. Ita S. Thomas 1. p. q. 58. ar. 7. ad 3.

QVÆSTIO II.

An Theologia sit simul formaliter eminenter speculatiua, & practica.

SUppono I. Theologiam esse scientiam, & formam alterius ordinis, cùm omnes scientiæ naturales, sint ordinis naturalis, & inferioris; Theologia autem scientia ordinis supernaturalis, ac superioris, ideoq; eminenter continet sine aliqua diuisione, & imperfectione, quæ reperiuntur in omnibus scientijs inferioribus.

Tripliciter aliqua perfectio in aliquo potest contineri.

Porrò tripliciter aliqua perfectio potest contineri in aliquo. *Primò* formaliter tantùm, sicut rationalitas in homine. *Secundò*, eminenter tantùm, sicut calor in sole. *Tertiò*, formaliter simul, & eminenter, sicut sensitiuum, & vegetatiuum in anima rationali; iustitia, & misericordia in Deo.

Suppono *præterea*, habitum speculatiuum à practico per hoc differre, quòd speculatiuus sistat in sola

sola veritatis contemplatione; practicus autem ordinetur ad operationem, aut immediatè eam dirigendo, & regulando; quemadmodùm prudentia, & ars: saltem mediatè, & remotè, vt patet in synderesi, quæ est habitus practicus; & tamen non immediatè, verùm mediate prudentiâ dirigit operationem studiosam. Idem videre est in Ethica, quæ est scientia practica, cùm tradat regulas humanorum actuum in communi, quas prudentia naturalis applicat ad hoc, vel illud particulare factum.

Practicum & speculatiuum dupliciter cõsiderari possunt.

Suppono III. Practicum, & speculatiuum, dupliciter considerari posse. *Primò*, vt sunt differentiæ oppositæ, diuidentes habitus finitos, & inferioris ordinis, de quibus tractat Aristoteles 3. de Anima, tex. 49. & 2. Metaph. cap. 1. & 6. Ethic. cap. 2. Deinde possunt considerari, non vt sunt differentiæ determinatæ, & contrariæ, sed remotis imperfectionibus, quibus inter se opponũtur hoc modo, quo conueniunt scientiæ diuinæ. *Speculatiuum* enim, prout inferioris ordinis est, dicit perfectionē, nimirùm quòd ordinetur ad contemplationem; habet tamen adiunctam imperfectionem, scilicet quòd nullo modo sit regula operandi. Similiter *practicum*; dicit perfectionem, videlicet, quòd sit causa operis; esse autem causam effectiuam, dicit perfectionem: nihilominùs habet admixtam quãdam imperfectionem, nimirùm quòd nullo modo ordinetur ad contemplationem. Vnde practicum, & speculatiuum, possunt accipi, ablatis his imperfectionibus, ita vt non sint differentiæ mutuò se excludentes. In quo sensu omnis habitus, qui perfectè disponit ad opus; siue sit proxima regula operis, siue remota, est formaliter practicus, siue compatiatur secum rationem speculatiuam, siue eam excludat. Et similiter censendum est de habitu speculatiuo, quòd omnis ille habitus sit speculatiuus, qui per se disponit ad speculationem, siue sit proxima regula, siue remota. Dixi autem, *practicum & speculatiuum*, in prima consideratione, esse differentias oppositas essentialiter diuidentes habitus, seu scientias finitas: quia respectu scientiæ infinitæ, practicum, & speculatiuum, non sunt differentiæ essentiales.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Theologia est eminenter formaliter speculatiua simul & practica.

Conclusio. Theologia est eminenter formaliter speculatiua simul, & practica scientia. *Probatur 1.* Obiectum Theologiæ eminenter formaliter continet practicum, & speculatiuum: ergo & ipsa Theologia continet eminenter formaliter vtrumque, atq; sic est scientia speculatiua simul, & practica. *Consequentia patet*: quia habitus sapit naturam obiecti. *Antecedens probatur.* Obiectum Theologiæ est Deus, vt pertinet ad ordinem supernaturalem; Deus autem est primum speculabile, & operabile: cùm enim Deus sub ratione deitatis sit prima veritas, & vltimus finis, est etiam prima regula speculationis, & praxis, primumq; speculabile, & operabile, non physicè, sed moraliter, quatenùs nimirùm actibus nostris meritorijs, in ratione vltimi finis consequibilis est. Ergo obiectum Theologiæ eminenter formaliter continet speculatiuum, & practicum.

Probatur *secundò ratione*. Diuina Theologia, quæ est exemplar nostræ Theologiæ, est speculatiua simul, & practica: ergo etiam nostra Theologia est scientia speculatiua simul, & practica. *Consequentia patet*: quia nostra Theologia est quædam impressio, seu imago illius diuinæ scientiæ. *Antecedens verò est S. Thomæ*, 1. p. q. 1. ar. 4. *Licet*, inquit, *in Philosophicis alia sit doctrina practica*

practica, alia speculatiua; sacra tamen doctrina comprehendit sub se vtrumq;: sicut Deus eadem scientiâ cognoscit se, & ea, quæ facit. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Theologia magis est speculatiua quàm practica.

Corollarium I. Theologia magis est speculatiua, quàm practica. *Ratio*. quia vt docet S. Thomas proximè citatus, Theologia principaliùs agit de rebus diuinis; quàm de actibus humanis, de quibus agit, secundùm quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo consistit. *Præterea*, quia verum practicum, posterius est semper speculatiuo. Sed Theologia est speculatiua, & practica: ergo magis est speculatiua, vt potè priùs; quàm practica. *Maior patet*: quia verum eò est prius, quò est simplicius, magisq; abstractum. Sed verum speculatiuum est magis abstractum; quàm verum practicum, siquidem verum practicum concernit appetitum; speculatiuum autem minimè: ergo verum practicum est posterius speculatiuo.

Theologia non est formaliter speculatiua, nec practica.

Corollarium II. Theologia non est formaliter speculatiua, nec practica, sumendo speculatiuum, & practicum, vt sunt differentiæ scientiæ finitæ, & inferioris ordinis. Ita Caietanus 1. p. q. 1. ar. 4. & S. Thomas ibidem, ar. 3. vbi docet, quòd Theologia respectu scientiarum inferioris ordinis, habet se veluti sensus communis respectu sensuum aliorum. Sed nulla differentia inferiorum sensuum formaliter competit sensui communi: ergo etiam nulla differentia scientiæ inferioris ordinis formaliter competit Theologiæ nostræ. Et *ratio est*: quia Deus non est formaliter sapiens, si sapientia accipiatur pro sapientia inferioris ordinis, sed tantum eminenter sapiens, eò quòd sapientia hoc modo dicat imperfectionem. Sed esse speculatiuum, aut practicum, vt est differentia scientiæ inferioris, dicit intrinsecè imperfectionem: ergo non potest reperiri formaliter in scientia superioris ordinis, cuiusmodi est Theologia nostra. *Præterea*, sol v. g. est eminenter calidus, & non formaliter, eò quòd sit calidus per formam altioris ordinis, videlicet per lucem, quæ virtualiter, & eminenter continet calorem. Sed Theologia nostra est practica, & speculatiua, sumendo practicum, & speculatiuum, vt sunt differentiæ scientiæ inferioris ordinis, per formam altioris ordinis: ergo non est formaliter speculatiua, & practica.

Theologia demptis imperfectionibus, est formaliter speculatiua & practica.

Corollarium III. Sumendo speculatiuum, & practicum, demptis imperfectionibus, Theologia est speculatiua, & practica formaliter. Et certè, quòd sit formaliter speculatiua, conueniunt Theologi. Quòd verò sit practica formaliter, *ratio est*: quia intellectus humanus respectu diuersorum est formaliter practicus, & speculatiuus, vt docet S. Thomas 1. p. q. 79. ar. 11. ergo & Theologia est formaliter practica, & speculatiua, præsertim cùm sit superioris naturæ, & excellentioris ordinis. *Præterea*: quia practicum, & speculatiuum formaliter in dicta acceptione, conueniunt diuinæ scientiæ: ergo & Theologiæ nostræ. *Antecedens patet*: quia practicum importat, quòd sit causa, agens, & regula operationis ad extra; causa autem actiua dicit perfectionem simpliciter, atq; ideò potest Deo conuenire formaliter; quemadmodùm illi conuenit sciẽtia, & sapientia formaliter. *Consequentia etiam manifesta*: quia eadem est ratio de Theologia nostra, cùm sit quædam participatio diuinæ scientiæ.

Corollarium IV. Probabile tamen est, si speculatiuum sumatur, vt est differentia scientiæ finitæ, & inferioris ordinis, Theologiam

posse dici speculatiuam formaliter. Ad quod concipiendum, *sciendum est*, quòd speculatiuum, non excludat quamlibet regulam dirigentem ad opus, sed tantùm regulam proximam: similiter practicum solùm excludit proximam regulam speculationis. Vnde nihil prohibet, quominus scientia, quæ formaliter est speculatiua, etiam per se loquendo disponat ad operationem, dummodò non disponat proximè. *Ratio igitur corollarij est hæc*: quia Theologia est proxima regula dirigens ad speculationem diuinæ veritatis: ergo formaliter est speculatiua. *Consequentia patet*: quia speculatiuum, quod est differentia scientiæ, solùm excludit regulam Proximam operandi: ergo stat, Theologiam esse speculatiuam, quodq; remotè possit dirigere ad opus, dummodò proximè non dirigat. *Antecedens etiam facilè deducitur*: quia Theologia procedit modo resolutorio, scilicet definitione, & argumentatione; non procedit autem modo compositiuo: ergo est proxima regula operationis, scilicet dirigens ad speculationem diuinæ veritatis; non autem operis. *Consequentia patet*: quia vt obseruat M. Soto, qu. 4. prooemiali Logicæ, quòd scientia sit proxima regula operationis, inde prouenit, quia procedit modo resolutorio; quòd autem sit proxima regula operandi, oritur ex eo, quod procedat modo compositiuo.

Theologia nostra est eminenter practica.

Corollarium V. Cæterum loquendo de speculatiuo, & practico, vt sunt differentiæ scientiæ inferioris ordinis, Theologia nostra non est formaliter practica, sed eminenter. Ita S. Thomas 1. p. q. 1. ar. 4. vbi dicit: *Theologiam magis esse speculatiuam, quàm practicam*: quia nimirùm est formaliter speculatiua, & non est formaliter practica, eò quòd sit proxima regula speculationis; non sit autem proxima regula operis. Nam Theologiæ per se competit, dirigere ad opus morale, & practicum; non dirigit autem ad opus, vt proxima regula operandi, sed tanquam ratio superior includens rationem speculatiuam, & sic non est proxima regula operis, sed speculationis. Hoc autem inde colligitur, quia Deus est vltimus finis noster, secundùm quod est verum quoddam infinitum speculabile. Cum ergo Theologia versetur circa Deum, secundum quod est infinitum verum speculabile lumine diuino, consequens est Theologum respicere Deum secundùm illam rationem formalem, secundùm quam est finis vltimus; & ideo cùm ex fine sumatur tota ratio mediorum, Theologiæ ex obiecto proprio competit, dirigere voluntatem in ordine ad media vltimo fini proportionata, quæ sunt opera virtutum.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra conclusionem.* Si Theologia esset simul speculatiua, & practica, sequeretur quemlibet eius actum, esse quoq; speculatiuum, & practicum. Sed consequens falsum est: ergo & antecedens, *sequela patet*: quia in omni actu reperiri debet ratio formalis obiecti, & habitus. *Minor verò ostenditur*: nam ista conclusio Theologica, *in diuinis sunt quatuor relationes*, videtur esse merè speculatiua; hæc autem, *peccatum mortale priuat gratiâ, & charitate, inducitq; reatum pœnæ æternæ*, merè practica. Ergo falsum est, quemlibet actum Theologiæ, esse speculatiuum simul, & practicum.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando sequelam maioris: Sicut enim licet anima rationalis, sit eminenter formaliter vegetatiua, & sensitiua; nõ tamen quilibet eius actus, est vegetatiuus simul & sensitiuus; ita licet habitus Theologiæ, sit eminenter formaliter speculatiuus, & practicus; hinc tamen non sequitur, quemlibet eius actum, vtramque rationem habere, eò quòd non quilibet eius actus feratur ad omnia, quæ pertinent ad habitum. Licet ergo quilibet actus, debeat participare rationem formalem habitus; non est tamen necesse, quòd eam totaliter, & adæquatè participet: quia licet illa sit formaliter indiuisibilis; virtualiter tamen diuisibilis est, & vni actui inadæquatè conuenire potest.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. Theologia nullo modo est practica: ergo non est simul speculatiua, & practica. *Antecedens probatur.* Obiectum Theologiæ, non est à nobis operabile, cùm sit ipsemet Deus: ergo Theologia nullo modo est practica. *Consequentia patet*: quia prima conditio ad scientiam practicam necessaria est, quòd eius obiectum sit à nobis operabile.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando antecedens, cum sua probatione: Solùm enim in scientijs inferioribus, ad hoc, vt scientia sit practica, requiritur, quòd eius obiectum sit à nobis operabile, propterea, quòd eiusmodi scientiarum obiectum sit creatura, neq; sit vltimus finis. Iam verò in scientia Superiori, vti est Theologia, hæc conditio necessaria non est, eò quòd versetur circa vltimum finem actionum humanarũ; vltimus autem finis non possit esse actio humana: alioqui daretur processus in infinitum. Vnde satis est, quòd Theologia versetur circa assecutionem vltimi finis, dirigatq; operationem mediorum, quæ ad finem proportionata sunt, scilicet opera virtutum.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. Duæ differentiæ oppositæ, diuisiuæ alicuius generis, non possunt eidem speciei conuenire; quemadmodùm rationale, & irrationale eidem animali. Sed speculatiuum, & practicum, sunt differentiæ oppositæ, diuisiuæ scientiæ vt sic: ergo Theologiæ simul conuenire non possunt.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando minorem: nam speculatiuum, & practicum, non sunt differentiæ diuisiuæ scientiæ vt sic, & prout est genus supremum ad Theologiam, ac scientias naturales; sed tantùm scientiæ naturalis vt sic, & prout est genus subalternum ad omnes scientias naturales. Nam vt supra innui, speculatiuum, & practicum, habent se ad scientiam vt sic, sicut visiuum, & auditiuum ad sensum. Proinde sicut sensus vt sic, primò diuiditur in commune, & proprium; proprius autem subdiuiditur in visum, auditum, &c. Ita pariter scientia vt sic, diuiditur primò in infinitam, id est eam, quæ habet obiectum infinitum, vti est Theologia; & finitam quæ habet obiectum finitum, vti est scientia purè naturalis: & hæc subdiuiditur in speculatiuam & practicam. Vnde licet speculatiuum, & practicum, sint differentiæ essentiales, distinguentes scientias finitas, ideoq; in ipsis non possint adunari; respectu tamen scientiæ infinitæ, nõ sunt differentiæ essentiales, proinde in ea vniri, & coniungi possunt: nam quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt vnum in superioribus, obiectumq; infinitum potest simul esse, regula speculationis, & praxis, cùm simul sit prima veritas, & vltimus finis.

Instantia & eius solutio.

Instabis. Etiam Metaphysica considerat Deum; & tamen est purè speculatiua: ergo & Theologia licet consideret Deum, qui est prima veritas, & vltimus finis, non erit nisi purè speculatiua. *Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est*: quia metaphysica non considerat Deum sub ratione deitatis; quemadmodùm Theologia, verùm vt est ens abstrahens à materia intelligibili, neque illum considerat sub ratione vltimi finis, saltem formaliter, & directè, cùm non agat de medijs ad illum conducentibus; quemadmodùm Theolo-

Theologia. *Præterea*, quia Theologia reſpicit Deum ſub lumine ſupernaturali fidei, quæ eſt eminẽter formaliter ſpeculatiua, & practica; Metaphyſica verò attingit illum, vt cognoſcibilem ex creaturis, lumineq; naturali intellectus creati.

QVÆSTIO III.

An Theologia noſtra in cognoſcendo certa ſit.

Certitudo duplex eſt.

SUppono I. Certitudinem eſſe duplicem, *vnam obiectiuam*, quæ eſt firma & immutabilis determinatio obiecti: *alteram formalem*, ſeu ſubiectiuam, quæ eſt firma adhæſio intellectus ad verum. Et iſta adhuc duplex eſt, *vna impropria*, quæ oritur ex ſola motione, & imperio voluntatis, determinantis intellectum ad aſſentiendum alicui obiecto, vt fit in Hæreticis, qui non credunt ex motiuo diuinæ reuelationis, verum ex eo, quod iudicent vnum articulum fidei eſſe credibilem; alium verò non: & hæc non tàm certitudo dici debet; quàm potiùs pertinacia. *Altera eſt propria*, quæ oritur ex efficacia medij, aut ratione determinantis intellectum ad aſſentiendum veritati, & de iſta tantùm præſens quæſtio procedit.

Suppono *præterea*. Vnam ſciẽtiã alterâ dupliciter poſſe dici certiorem: *Primò quoad ſe*, quia nimirùm ex ſe, & ex natura ſua, habet firmiores cauſas ſuæ certitudinis. *Secundò quoad nos*, quando videlicet eius certitudo eſt magis cõnaturalis, & proportionata noſtro intellectui, magiſq; illum ſatiat, & quietat, quod tunc euenit, quando certitudo eſt coniuncta cum claritate, ac euidentiâ. Vnde aliud eſt, aliquam ſcientiam eſſe certiorem, *prout eſt in nobis*: nam ad hoc ſufficit, quòd talis ſcientia, vt recepta in intellectu noſtro, & quatenùs illum informat, maiorem illi tribuat certitudinem, & adhæſionem ad verũ. Aliud verò eſt, ſcientiam eſſe certiorem, *quoad nos*: quia ad hoc requiritur, quòd talis certitudo ſit magis connaturalis, & proportionata intellectui noſtro, magis eum ſatians, & quietans, magiſq; ab illo motus hæſitationis, & dubitationis propulſans.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Theologia noſtra in cognoſcendo certa eſt

COnclusio. Theologia noſtra prout argumentatur ex articulis fidei, fide diuina infuſa creditis, aut altero credito, altero euidenter noto, eſt in cognoſcendo certa. Ita S. Thomas in 3. diſt. 23. q. 2. a. 2. quæſtiunc. 5. ad 1. vbi docet ex firma adhæſione ad id, quod creditur, oriri certitudinem ſummam ex eo, quòd ratio formalis credendi ſit prima veritas. Idem docet 2. 2. q. 4. art 8. & q. 14. de verit. art. 1. ad 7. *Probatur*. Certitudo eſt firma adhæſio intellectus ad verum; vt verum eſt. Sed Theologia noſtra prout ex reuelatis fide diuinâ creditis, aut altero credito, altero euidenter noto concludit, firmiſſimè adhæret vero vt verum eſt: ergo habet certitudinem firmam, ac proinde eſt certa in cognoſcendo. *Minor probatur quoad primam partem*. Aſſenſus adhærens veritati firmitate primâ poſt fidem, eſt certiſſim⁹, ſiquidem poſt viſionem beatificã, nihil certius eſt fide diuinâ. Sed aſſenſus Theologicus procedens ex creditis fide diuinâ, adhæret veritati firmitate primâ poſt fidem: ergo concludit firmiſſimè. *Minor*. Aſſenſus Theologicus vt procedẽs ex creditis fide diuina, eſt aſſenſus firmiùs adhærens veritati; quàm vllus alius naturalis, etiam euidentiſſimus: ergo adhæret veritati firmitate primâ poſt fidem. *Antecedẽs*. Non eſt fortius motiuum ad firmiter adhærendum veritati, quàm quòd Deus dixerit, eò quòd impoſſibile ſit, ſub hoc motiuo cognoſcẽtem falli, vt docetur in tractatu de fide:

de fide: proinde propter hanc rationem formalem, mediatè, aut immediatè veritati adhærens, non poteſt immobiliùs illi adhærere, quantum ex ea parte obiecti formalis, & cauſæ cognitionis. Sed aſſenſus Theologicus vt procedẽs ex creditis fide diuina, innititur huic motiuo, *quia Deus dixit*: ergo aſſenſus Theologicus vt procedens ex creditis fide diuinâ, eſt aſſenſus firmiùs adhærens veritati; quàm vllus alius naturalis, etiam euidentiſſimus. *Probatur deinde minor, primi argumenti*. Omnis aſſenſus quomodòcunq; innixus reuelationi, eſt certiſſimus. Sed aſſenſus Theologicus ex vna præmiſſa fide diuina creditâ, alterâ euidenter notâ, innitur aliquomodò reuelatis: ergo eſt certiſſimus, proinde concludit firmiſſimè. Vnde in eiuſmodi ſyllogiſmis Theologicis, etiam contingens obiectum, ſummam infallibilitatem ſortitur, non quidem ab intrinſeco, & ex natura ſuâ; ſed tamen ab extrinſeco, nimirùm à reuelatione diuinâ. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Theologia eſt certior omnibus ſcientijs naturalibus.

Corollariũ I. Theologia non ſolùm eſt certa, verùm etiam certior quoad ſe, qualibet ſcientiâ, & habitu naturali, certitudine obiectiua. *Ratio*: quia illa ſcientia eſt certior certitudine obiectiuâ, quæ verſatur circa obiectum certum magiſq; immutabile, ac neceſſarium. Sed Deus, qui eſt obiectum Theologiæ, maiorem habet certitudinem, & immutabilitatem, ac neceſſitatem eſſendi; quàm omnia alia entia creata, quæ ſunt obiecta aliarum ſcientiarum, iuxta illud Iacobi 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*: ergo Theologia eſt certior certitudine obiectiuâ, omnibus alijs ſcientijs, & habitus ordinis naturalis.

Corollarium II. Theologia eſt certior omnibus ſcientijs naturalibus, etiam certitudine ſubiectiuâ. Ita S. Thomas 1. p. q. 1. ar. 5. & communis Theologorum ſentẽtia. *Ratio*: quia certitudo formalis, ſeu ſubiectiua, oritur ex efficacia, & infallibilitate medij determinantis intellectum ad aſſentiendum veritati. Sed medium cui Theologia innititur, & quo vtitur ad probandas veritates, quæ in ea demonſtrãtur, eſt magis certum, magiſq; infallibile, ac immutabile; quàm media ex quibus ſcientiæ naturales procedunt ad probandas ſuas concluſiones, cùm hæ vtantur medijs, ac principijs purè naturalibus; Theologia autem principijs reuelatis, ac fide diuina creditis, quæ maiorem habent certitudinem, ac infallibilitatem; quàm lumine purè naturali cognita, iuxta illud Lucæ 21. *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*. Ergo Theologia eſt certior ſcientijs naturalibus, certitudine etiam ſubiectiuâ. *Præterea*, quia certitudo ſupernaturalis, ſuperat, & tranſcendit, certitudinem totius naturæ. Sed certitudo Theologiæ, ſicut & fidei, cui innititur, eſt ſupernaturalis; certitudo autem ſcientiarum naturaliũ, eſt purè naturalis, & ſiſtit intra limites naturæ: ergo certitudo Theologiæ ſuperat omnem certitudinem naturalem.

Corollarium III. Theologia non ſolùm ſecundùm ſe, ſiue prout eſt in Deo, & Beatis, verùm etiam prout eſt in viatoribus, & prout informat intellectum humanum, inſtructum habitu fidei, certior eſt qualibet ſcientiâ, & habitu ordinis naturalis. *Ratio*: quia Theologia prout eſt etiam in nobis viatorib⁹, procedit ex principijs cognitis lumine ſupernaturali fidei; certitudo autem fidei cùm innitatur cauſæ omninò infallibili, ſcilicet reuelationi diuinæ, & motioni Spiritus Sancti, excedit omnem certitudinẽ ordinis naturalis. Ergo Theologia vt eſt etiam in nobis viatoribus, certior

certior est qualibet scientiâ naturali. *Præterea*, quia repugnat, vt causa formalis informet subiectum, & non communicet ei suum effectum formalem, cùm effectus formalis nihil aliud sit, nisi ipsa causa formalis, vt communicata subiecto. Sed assensus Theologiæ cùm innitatur diuinæ reuelationi formali, aut virtuali, est firmior, & certior quolibet assensu naturali: ergo etiam prout est in nobis viatoribus, & prout informat intellectum nostrũ, maiorem illi tribuit firmitatem, & certitudinem.

Theologia quoad nos minus est certa scientijs naturalibus, & habitu primorum principiorum.

Corollarium IV. Theologia minus est certa quoad nos, scientijs naturalibus, & habitu primorum principiorum. Ita S. Thomas citatus in responsione ad 1. vbi sic ait: *Ad primum dicendum, quòd nihil prohibet id, quod est certius secundùm naturam, esse quoad nos minùs certum, propter debilitatem intellectus nostri.* Et *ratio est*: quia illa certitudo dicitur maior quoad nos, quæ est magis connaturalis, & proportionata intellectui humano, & quæ magis illum satiat, ac quietat. Sed certitudo scientiarum naturalium, habitusq; primorum principiorum, cùm sit coniuncta cum euidentia, & claritate, sitq; magis connaturalis & proportionata intellectui humano, magisque illum satiet, & quietet; quam certitudo fidei, ac Theologiæ, quæ est coniuncta cum obscuritate, & ineuidentia; vnde prouenit, quòd fides indigeat piâ motione voluntatis, applicantis intellectum ad assentiendum veritatibus reuelatis, patiaturq; motus quosdã dubitationis indeliberatos; scientiæ verò naturales non item, & multò magis habitus primorum principiorum: ergo Theologia minùs est certa quoad nos, scientijs naturalibus, & habitu primorum principiorum.

Corollarium V. Theologia licet sit certa in cognoscendo, prout deducit conclusionem ex articulis fide diuinâ creditis; aut ex alterâ præmissâ naturaliter notâ, non est euidens. *Ratio primæ partis*: quia conclusio sequitur conditionẽ præmissarum, id est, ex euidentibus euidens, ex certis certa, ex obscuris intrinsecè obscura, iuxta communem Logicorum doctrinam. Sed conclusio Theologica ex vtraq; præmissa, creditâ fide diuinâ infusâ, procedit ex principijs intrinsecè obscuris: ergo est obscura & ineuidens. Nam implicat clarius, aut certiùs cognoscere conclusionem, propter connexionem eius cum præmissis; quàm ipsa principia: seu connexionem terminorum conclusionis inter se; quàm eorundem cũ medio in præmissis, iuxta illud axioma: *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* *Ratio etiam secundæ partis est*: quia conclusio sequitur debiliorem partem, quoad claritatem, & obscuritatem. Sed debilior est præmissa obscura, & ineuidens; quàm clara, & euidens naturalis: ergo illam conclusio sequitur.

Theologia prout deducit conclusionem ex articulis fide diuina creditis, nõ est euidens

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra corollarium I.* Intellectus noster in assensu primorum principiorum, & veritatũ naturalium, habet se per modum naturæ; in assensu autem Theologiæ liberè operatur, cùm talis assensus supponat determinationem, & piam motionem voluntatis, quæ est potentia libera, & defectibilis: ergo firmiùs assentitur primis principijs, & veritatibus naturalibus; quam reuelatis, de quibus agit Theologia & consequenter Theologia non est certior quoad se, quolibet habitu naturali. *Consequentia patet*: quia intellectus firmiùs, & immobiliùs operatur, quando operatur per modũ naturæ; quàm dum agit per modum liberi. *Respondetur concesso Antecedente, negatur consequentia. Eius probatio distinguitur.*

Solutio eiusdem.

Quando intellectus operatur per modum naturæ, firmiùs operatur, quàm dum agit per modum liberi, in rebus eiusdem ordinis, *conceditur*: in rebus diuersi ordinis, *negatur*. Nam Deus operans liberè, firmiùs operatur quolibet agente naturali, ac necessario. Similiter Spiritus Sanctus mouens, & applicans hominem ad actus supernaturales per auxilium gratiæ, firmiùs operatur, quàm natura impellens nos ad assentiendum primis principijs. Vnde licet assensus fidei supponat determinationem, & piã motionem voluntatis, quæ libera est, & defectibilis; quia tamen talis motio & applicatio est à Spiritu Sancto, mouente & applicante voluntatem per auxilium gratiæ, & aperiente cor hominis, vt credat veritatibus reuelatis, ideo assensus fidei certior est, & firmior assensu primorum principiorum.

Instantia & solutio eiusdem.

Instabis. Assensus fidei, aut Theologiæ, non excludit omnem motum dubitationis; assensus autem primorum principiorum, de quorum certitudine nemo dubitat, excludit: ergo assensus fidei, & Theologiæ, non est certior, & firmior assensu primorum principiorum. *Consequentia patet*: quia assensus non excludens omnem dubitationis motum, minùs est certus assensu, qui eum excludit. *Respondetur concesso antecedente, negatur cõsequentia. Eius probatio distinguitur.* Assensus non excludens omnem motum dubitationis, minus est certus, &c. Si illa dubitatio proueniat ex motiuo, & ratione formali obiecti, *conceditur*: si proueniat solùm ex debilitate intellectus cognoscẽtis, *negatur*. Iam verò motus dubitationis, qui sunt in homine fideli, aut Theologo, non procedunt ex motiuo, seu ratione formali fidei, aut Theologiæ; sed ex debilitate intellectus humani, qui non potest perfectè quiescere, nisi in obiecto viso, & clarè cognito. Ex hoc igitur, quòd fides, & Theologia, patiantur motus quosdam dubitationis indeliberatos, inferri solùm potest, illos habitus non esse certiores quoad nos, scientijs naturalibus, & habitibus primorum principiorum.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. Causa & ratio assentiendi alicui conclusioni, est certior illâ. Sed principia naturalia interdùm sunt causæ, & rationes assentiendi conclusionibus Theologicis, v. g. quando vna præmissa est de fide, & altera principium lumine naturæ notum. Ergo cõclusio Theologica non semper est notior, quouis principio, & veritate naturali. *Respondetur distinguendo maiorem.* Causa, & ratio adæquata assentiendi alicui conclusioni, est certior illâ, *conceditur maior*: causa & ratio inadæquata solùm, *negatur maior*: & similiter distinctâ minore, *negatur consequentia*. Iam verò præmissa naturalis, ad summum solùm est causa inadæquata respectu conclusionis Theologicæ; causa autem adæquata ipsius, est vtraq; præmissa simul sumpta, quæ sic est perfectior conclusione, cùm sola præmissa de fide, eam excedat.

Solutio eiusdem.

Instantia & solutio eiusdem.

Instabis. Conclusio in syllogismo sequitur debiliorem partem, vt dictum est in corollario quinto: ergo si vna ex præmissis non sit certior quacunq; veritate naturali, etiam conclusio non erit certior. *Respondetur, antecedens tunc solùm verum esse*, quãdo præmissæ sunt eiusdem ordinis, & æqualiter influunt in conclusionem; at verò in demonstratione Theologicâ, sola præmissa de fide, est per se causa conclusionis, in eamq; solam conclusio vltimò resoluitur; præmissa autem naturalis, solùm est conditio applicatiua, & explicatiua principij supernaturalis, ob defectum intellectus nostri requisita.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra corollarium IV.* Intellectus firmiùs adhæret veritatibus Theologicis per assen-

sus

ſus Theologicos; quàm per alios aſſenſus alijs veritatibus: ergo Theologia etiam quoad nos, eſt certior ſcientijs naturalibus. *Reſpondetur concesſo antecedente, negatur conſequentia;* ad maiorem enim certitudinem quoad nos, non ſufficit maior, & firmior adhæſio ad obiectum, ſed requiritur, quòd illa ſit magis connaturalis, & proportionata intellectui noſtro, magis illũ ſatiet, & quietet, magiſq; ab illo excludat motus dubitationis; hoc autem in Theologia noſtra locum non habet, ob defectum claritatis, & euidentiæ, quâ in ſtatu viæ caret.

Solutio eiuſdem.

Obijcitur IV. *Contra corollarium V.* Concluſio Theologica ex creditis fide diuina euidenter infertur: ergo eſt euidens. *Reſpondetur diſtinguendo antecedens.* Infertur euidenter euidentiâ veritatis, *negatur*: euidentiâ illationis, *conceditur*: abſolutè tamen non poteſt dici, euidens concluſio eſſe: nam etiam ex vna præmiſſa probabili, & alterâ certiſſimâ, per euidentem illationem, multæ concluſiones in Philoſophia deducuntur; quæ tamen ſemper probabiles cenſentur, non euidentes.

Obiectio quarta & ſolutio eiuſdem.

QVÆSTIO IV.

An Theologia ſit Sapientia.

SUppono, duplicem eſſe Sapientiam, *vnam infuſam*, quæ eſt donũ Spiritus S. & hæc importat rectitudinem quandam iudicij circa diuina conſpicienda, & conſulenda, ſecundùm quandam connaturalitatem ad res diuinas, procedentem ex charitate, quæ nos vnit Deo. *Alteram acquiſitam*, quæ ab Ariſtotele inter quinq; virtutes intellectuales ponitur, 6. Ethic. capit. 4. Cuius proprium eſt, iudicare de rebus per altiſſimam cauſam. Et de hac ſolum præſens quæſtio procedit. Porrò Sapientia acquiſita, eſt quædam ſcientia, in quantum habet id, quod eſt commune omnib⁹ ſcientijs, nimirùm vt ex proprijs cõcluſiones demonſtret; in quantũ autem habet aliquid propriũ ſupra alias ſcientias, videlicet quatenùs de omnibus iudicat, non ſolùm quantum ad concluſiones, verùm etiam quantum ad prima principia, iam habet rationem perfectioris virtutis; quàm ſcientia. Hinc ſcientia ſumpta pro habitu acquiſito per demonſtrationem, diuiditur in ſapientiam, & ſcientiam: ita vt ſapientia ſit ſcientia per cauſam altiſſimam; Scientia verò communiter dicta, & prout condiſtinguitur à ſapientia, ſit cognitio per cauſas inferiores.

Sapientia duplex eſt.

Suppono *præterea*. Sapientiam quæ eſt habitus acquiſitus per demonſtrationem, eſſe ſupra omnes ſcientias humanas, etiam ipſo intellectu, qui eſt habitus primorum principiorum, ſuperiorem. Quæ ſuperioritas in ſapientia humana non conſiſtit in hoc, quòd per eam aſſentiamur primis principijs, cùm hoc proprium ſit intellectûs, vt cognitis terminis immediatè aſſentiatur primis principijs. Neq; in hoc, quòd ſapientia demonſtret prima principia, cùm ſint indemonſtrabilia. Verùm in hoc conſiſtit, quòd per ſapientiam, v. g. per Metaphyſicam acquiſitam, homo ſit potens explicare prima principia, non tantùm aliarum ſcientiarum, ſed etiam ipſius Metaphyſicæ, illaq; defendere ab impugnatorib⁹, quòd nulli alteri ſcientiæ competit, cùm quælibet inferior ſcientia præſupponat ſua principia, neq; ad eam pertineat illa explicare, aut defendere, ſed hoc officium proprium ſit metaphyſicæ ex hac ratione. Quia metaphyſica habet pro obiecto ipſum ens, cuius cognitionem diſtinctam & perfectam, non per aliã ſcientiam acquirit homo, niſi per metaphyſicam: incipimus enim in noſtro diſcurſu à confuſa entis co-

Sapientia eſt ſupra omnes ſcientias humanas.

gnitio-

gnitione, paulatim per alias ſcientias perficitur noſtra cognitio circa quaſdam particulares rationes entis; in ſola autem metaphyſica, perfecta eius cognitio habetur, cùm hæc proprias entis paſſiones conſideret, & diſtinctionem ipſius eſſe ab eſſentia. Vnde ex hac ratione entis, quæ eſt maximè abſtracta à materia, inueniturq; eſſentialiter in primo ente, prouenit, quòd metaphyſica iudicet eo modo, quo poſſibile eſt alijs ſcientijs, & de earũ principijs, ac inſuper ad ſeipſam reuertatur, & circa ſua propria principia ſe exerceat, eò quòd terminos illius diſtinctius iam penetret, atq; ſic aliqualem illorum rationem poteſt reddere; id autem non pertinet ad habitum primorum principiorum.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

COncluſio. Theologia noſtra eſt verè, & propriè ſapientia. *Probatur.* Sacra Theologia eſt ſcientia per cauſam altiſſimam: ergo eſt ſapientia. *Conſequentia manifeſta habetur* ex definitione ſapientiæ in metaphyſica traditâ. *Antecedens probatur.* Sacra Theologia habet pro obiecto proprio ipſum Deum, vt conſtabit inferiùs, qui eſt maximè ens, & cauſa totius generis ſub ente. *Præterea* habet pro obiecto ipſum Deum, vt cognoſcibilem lumine ſuperioris ordinis: ergo Sacra Theologia eſt per cauſam altiſſimam.

Theologia eſt verè & propriè ſapientia.

Probatur *ſecundò*. Sacræ Theologiæ conueniunt omnes conditiones ſapientiæ: ergo Sacra Theologia eſt verè, & propriè ſapientia. *Antecedens probatur.* Prima *conditio* ſapiẽtiæ eſt ex 1. Metaph cap. 2. *Scire omniũ rerũ cauſas altiſſimas, difficillimas, certiſſimas,* & iuxta eas omnes alias ſcientias ad veritatẽ dirigere, eſſeq; ſupremam regulam omnium aliarum ſcientiarum. Sed Theologia noſtra habet hoc, ideoq; regina, ac Dea quædam ſcientiarum, & hæ illius ancillæ vocantur. *Altera conditio* ex 6. Ethic. cap. 7. eſt, non ſolùm ex principijs deducere aliqua, verùm etiam ipſa principia, ſi opus ſit, oſtenſiuè probare, explicare, ac contra proteruos defendere; hoc autem Theologiæ competere conſtabit inferiùs. *Tertia conditio eſt*, vt ſapientia ſit alius habitus ab intellectu, & ſcientia (non per excluſionem, & aliquam oppoſitionẽ, aut per additionem: nam ſapientia, & ſcientia non differunt tanquam duæ ſpecies oppoſitæ; ſed ſolùm tanquàm ſpecies perfectior, ab imperfectiori, intra idem genus) id eſt, vt ſit quædam ſcientia non tantùm concluſionum, ſed etiam principiorum. *Quarta conditio*, vt ſit gratiâ ſui ipſius, & propter ipſum ſcire. *Quinta*, vt ſciat propter quod, & non tantùm quid. Sed omnes iſtas conditiones Sacra Theologia habet: ergo eſt verè, & propriè ſapientia. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Conditiones ſapientiæ enumerantur.

Corollarium I. Sacra Theologia eſt ſapientia ſupra omnes humanas ſcientias, & ſapientias. *Ratio*: quia habet pro obiecto ipſum Deum, vt cognoſcibilem lumine ſuperioris ordinis, ita vt cognoſcantur de Deo etiam ea, quæ naturale lumen ſuperant.

Sacra Theologia eſt ſapientia ſupra omnes humanas ſapientias.

Corollarium II. Sacra Theologia verſatur non ſolùm circa concluſiones ex principijs fide diuina creditis deductas, ſed etiam circa ipſa principia. *Ratio*: quia Sacra Theologia non ſolùm infert concluſiones ex articulis fidei, verùm etiam illos explicat, oſtenditq; illorum credibilitatem, ac diſſoluit ſophiſmata, & argumenta contra articulos ab Hæreticis, & infidelibus propoſita: non quidem euidẽter poſitiuè, cùm hoc ſit impoſſibile: nam veritas myſteriorum fidei non poteſt euidenter oſtendi; ſed euidenter ſolùm negatiuè, ſcilicet

demon-

demonstrando, talia argumenta non euidenter conuincere, sed esse solubilia. v.g. dum Hæreticus contra mysterium SS. Trinitatis sic arguit. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Sed Pater & Filius sunt idem in essentia diuina: ergo identificantur inter se.* Theologia soluit euidenter negatiuè, concedendo in rebus finitis, & creatis, hoc axioma euidens esse; at verò in ente infinito, & fæcundo falli: quia hoc potest esse communicabile pluribus.

Theologia Sacra iudicat de principijs, & cōclusionibus omniũ scientiarum

Corollarium III. Theologia Sacra iudicat de principijs, & conclusionibus omnium aliarum scientiarum. Ita S. Thomas 1. p. q. 1. ar. 6. ad 2. vbi dicit: *Quidquid in alijs scientijs inuenitur, veritati huius scientiæ repugnans, totum ab ea condemnatur vt falsum.* Vnde dicitur 2. ad Corint. 10. *Consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem aduersùs scientiam Dei.* Et *ratio est:* quia veræ sapientiæ conuenit iudicare de omnibus iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 2. *Spiritualis homo iudicat omnia.* Vnde Theologia habet se veluti lydius lapis, ex cuius contactu verum a falso, purum ab impuro, & sincera doctrina à vitiata, atq; adulterata discernitur.

Corollarium IV. Sacra Theologia non solùm iudicat de principijs aliarum scientiarum, sed etiam illas ordinat ad finem. *Ratio:* quia proprium eius est ordinare ad finem, cuius est respicere ipsum finem. Sed Theologia respicit, seu considerat finem vltimum actionum humanarum, videlicet Deum, & beatitudinem: ergo illi cōpetit alias scientias ad eum finem dirigere, & ordinare.

Corollarium V. Licet sapientia Dei, & beatorum, eminenter formaliter contineat rationem intellectus, & scientiæ, vt constabit ex tractatu de scientia Dei; id tamen Theologiæ nostræ non competit. *Ratio:* quia hoc nulli sapientiæ purè humanæ, & acquisitæ potest conuenire. Hinc quando Aristoteles docet, sapientiam continere scientiam, & habitum primorum principiorum, hoc non debet intelligi de continentia formali, sed tantùm virtuali: illa enim dicitur vtrumq; habitum continere, eò quòd habeat duo officia omninò diuersa: in primis enim deducit cōclusiones ex primis principijs demonstrabilibus, & hoc est illi commune cum alijs scientijs. Deinde versatur circa prima principia multis modis. *primò*, explicando illa per terminos vniuersales: *secundò*, defendendo illa contra proteruos, & probando etiam per reductionem ad impossibile: *tertiò*, explicando proprietates illorum, v. g. quòd non possint demonstrari, quòd cōuincant intellectum, nec possint negari perceptis terminis.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra conclusionem.* Sapientia est maxima inter virtutes intellectuales, & altior, ac nobilior ipso etiam habitu primorum principiorum, vt docet Aristoteles 2. Metaph: cap. 1. Sed Theologia nostra non est maxima inter virtutes intellectuales, neq; altior, ac perfectior fide, quæ est habitus principiorum ipsius: ergo Theologia non est verè, & propriè sapientia. *Respondetur distinguendo maiorem:* Sapientia est maxima inter virtutes intellectuales, & altior, ac nobilior habitu primorum principiorum, simpliciter, *negatur:* secundùm quid, *conceditur:* quatenùs nimirùm ordinat, & iudicat de omnibus, etiam de primis principijs, non quidem ea demonstrando, sed explicando per terminos vniuersales, ac defendēdo cōtra proteruos. Et in hoc sensu *negatur minor:* sic enim Theologia nostra secundùm quid potest dici altior, ac nobilior fide, quatenùs eius articulos explicat, & defendit. Vnde S. Augustinus 14. de Trinit. cap. 1. de Theologia ita scribit: *Hæc est scientia, quâ fides saluberrima gignitur, nutritur, roboratur, & defenditur.*

Solutio eiusdem.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. Sapientia propriè consistit in pura contemplatione veritatis, vt docet Aristoteles 1. Metaph. cap. 2. sed Theologia nostra non consistit in sola contemplatione veritatis: quia vt constat ex supra dictis, est certo modo practica, ac dirigens actiones: ergo non est sapientia. *Respondetur*, maiorem solùm veram esse de humana sapientia, quæ propter suam limitationem, præcisè consistit in pura contemplatione veritatis. Et de hac loquitur Aristoteles loco citato. Cæterùm nostra Theologia, cum sit altioris ordinis, licet principaliter, & primariò consistat in contemplatione veritatis; secūdariò tamen etiam per se extenditur ad actiones, quibus homo dirigitur ad assecutionem perfectæ contemplationis primæ veritatis.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO V.

Quodnam sit obiectum Theologiæ.

Obiecti formalis duæ sunt rationes formales.

SUppono duplex esse obiectum, *vnum materiale, alterum formale.* Obiectum *materiale*, illud est, quod non per se, & ratione sui attingitur à scientia, sed ratione obiecti formalis; obiectum verò *formale*, illud est, quod per se, & ratione sui consideratur. Sic v. g. in potentia visiua, corpus est obiectum materiale, quia non percipitur ratione sui, sed ratione coloris, quo afficitur; iam verò ipse color dicitur obiectum formale, quia percipitur ratione sui. Porrò obiecti formalis duæ sunt rationes formales, vna dicitur *Quæ*, & hæc est ipsa res, quæ à potentia, aut scientia percipitur: altera *sub qua*, id est, quâ mediante ratio *quæ* in esse rei consideratur: v. g. in Theologia ratio formalis *quæ*, est *Deitas*; ratio verò formalis *sub qua*, est diuina reuelatio.

Circa obiectum itaq; Theologiæ, variæ sunt Authorum sententiæ. Durandus enim q. 5. Prologi, obiectum Theologiæ vult esse act⁹ meritorios. S. Bonauentura ibidem, q. 1. Christum, quatenus Deum, & hominem. Ægydius in 1. sent. q 3. Prologi, & quodlib. 3. q. 2. Deum vt præmiatorem. Hugo de S. Victore, de Sacramentis cap 2. Opus redemptionis. Iam verò Thomistæ, & communis Schola Theologorũ, pro obiecto Theologiæ, ponit Deum sub ratione Deitatis.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Deus sub ratione Deitatis est obiectum formale Theologiæ.

COnclusio. Obiectum formale, & specificatiuum Theologiæ, est Deus sub ratione Deitatis; obiectum verò materiale extensiuum, & terminatiuum, est omne reuelatum à Deo. *Probatur quoad primum.* Illud est obiectum formale, & specificatiuum alicuius scientiæ, cuius cognitio principaliter quæritur, & ad quod reducuntur cætera omnia, quæ in illa scientia considerantur. Sed in Theologia cognitio Dei per se primò quæritur & quæcũq; in ea cōsiderantur, reducuntur ad Deũ, sub ratione Deitatis: ergo De⁹ sub ratione Deitatis est obiectũ formale Theologiæ. *Minor probatur:* quia cùm Theologia ex vi nominis, sit consideratio de Deo, & rebus diuinis, sequitur cognitionem Dei esse id, quod per se primò in illa quæritur, & ad quod cætera omnia reducuntur. Nam quæcunque in Theologia considerantur, aut sunt ipsemet Deus, aut aliquid ad illum pertinens; vel per modum proprietatis, vt attributa: vel tanquàm effectus ab illo procedens, vt creaturæ, de quibus agitur in 1. p. vel tanquàm media ad ipsum conducentia, & ordinata, vt sunt actus humani,

humani, leges, gratia, virtutes, incarnatio, & Sacramenta, de quibus in ſecũda, & tertia parte Theologiæ diſputatur. Atq; ſic Deus ſub ratione Deitatis, eſt ratio formalis *qua* Theologiæ: quoniam Deus ſub ratione Deitatis, eſt id, quod per ſe primò à Theologia attingitur, & in ordine ad quod alia omnia conſiderantur.

Obiectum materiale Theologiæ eſt omne reuelatum à Deo.

Probatur *deinde concluſio quoad ſecundum.* Illud cenſetur eſſe obiectum materiale extenſiuum, & terminatiuum alicuius ſcientiæ, quod ſubeſt rationi eius formali *ſub qua*, & ad quod illa ſe extẽdit, & determinatur. Sed omne ens reuelatum à Deo, ſubeſt rationi formali *ſub qua* Theologiæ, videlicet reuelationi virtuali, & Theologia, ad illud poteſt ſe extendere, illudque contemplari ſub tali lumine diuinæ reuelationis, mediatæ, & virtualis: ergo omne reuelatum à Deo, eſt obiectum materiale extenſiuum, & terminatiuum Theologiæ noſtræ. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Ratio formalis ſub qua Theologiæ, eſt reuelatio virtualis.

Corollarium I. Ratio formalis *ſub qua* Theologiæ, eſt reuelatio virtualis, & mediata. Oſtenditur id euidenter: quia Theologia eſt habitus diſtinctus à fide, à Metaphyſica, ab alijſq; ſcientijs naturalibus, & quaſi medius inter illas. Sed non eſſet talis habitus, niſi haberet pro ratione formali *ſub qua*, reuelationem virtualem, & mediatam: ergo reuelatio virtualis, & mediata, eſt ratio formalis *ſub qua* Theologiæ. *Minor patet*: quia ſi ratio formalis *ſub qua* Theologiæ, eſſet reuelatio formalis, & immediata, tunc conueniret cum fide, quæ innititur diuinæ reuelationi immediatæ. Similiter ſi non dependeret à reuelatione virtuali, & procederet ex principijs ſolo lumine naturæ notis, non diſtingueretur à ſcientijs naturalibus, præſertim à metaphyſica, quæ reſpicit Deum, vt cognoſcibilem ex creaturis, & lumine naturali intellectus.

Opus meritorium, & ſalus hominis, non ſunt obiectum adæquatum Theologiæ.

Corollarium II. Neque opus meritorium, neq; ſalus hominis, nec quidpiam aliud huiuſmodi, eſt obiectum adæquatum Theologiæ. *Ratio*: quia omnia iſta prout conſiderantur à Theologo, ordinantur ad aliud: ergo cognitio Theologiæ non ſiſtit in illis, & conſequenter non ſunt obiectum adæquatum. *Antecedens manifeſtum*: omnia enim iſta conſiderantur, prout ſunt à Deo, & tendunt in Deum. *Præterea*, quando aliqua ſcientia conſiderat effectum, & cauſam, minùs principaliter conſiderat effectum. Sed Theologia conſiderat actum meritorium, & ſalutem noſtram, prout ſunt à Deo, ipſumq; Deum conſiderat, prout eſt cauſa illorum; ergo minùs principaliter conſiderat actum meritorium, & ſalutem noſtram, atq; ſic non poſſunt dici obiectum eius adæquatum. *Inſuper*, quia etiamſi nullus eſſet actus meritorius, nec ſalus hominis futura, poſſet adhuc ſaluari Theologia eiuſdem rationis, qualis nunc eſt. Sed in tali caſu non haberet prô obiecto meritorium actum, nec ſalutem humanam: ergo iſta non ſunt obiectum adæquatum Theologiæ. *Maior patet*: ſi enim Angelus v. g. aut homo, haberent fidem ſupernaturalem Dei in ſe, ex eaq; deducerent concluſiones, eſſet tunc Theologia noſtra, etiamſi Deus decreuiſſet, nullum eſſe meritum, nec ſalutem futuram. Hinc falsò docuit Durandus in 1. q. 5. Prologi ar. 2. Deum vt Saluatorem poſſe eſſe obiectum Theologiæ: *tum* quia eſſe Saluatorem ordinatur ad glorificationem: *tum* etiam, quia licet Deus non eſſet Saluator, aut præmiator, poſſet adhuc haberi Theologia de illo in ſe, eiuſdem ſpeciei, quæ nunc eſt.

Chriſtus non eſt obiectũ adæquatum Theologiæ.

Corollarium III. Chriſtus non eſt obiectum adæquatum Theologiæ. *Ratio*: quia Chriſtus non eſt obiectum

adæquatum ſcientiæ Beatorum: ergo neq; ſcientiæ noſtræ. *Antecedens patet*: quia beati per ſe primò cognoſcunt Deum; non autem Chriſtum, vt homo eſt. *Præterea*, quia multa tractãtur in Theologia, quæ non ordinantur ad Chriſtum, ſecundùm quod Deus, & homo eſt. v. g. Deum eſſe trinum, æternum, &c. Quæ ſolùm ſunt de Deo in ſe. *Inſuper*, quia Chriſtus quatenùs Deus, & homo ſimul, non poteſt terminare Theologiam formaliter: nam ſic obiectum Theologiæ eſſet complexum, & ratio multiplex. Cùm ergo non terminet quatenùs homo, nec quatenùs Deus, & homo ſimul, euidenter ſequitur, Chriſtum formaliter non eſſe obiectum Theologiæ.

Corollarium IV. Etiam Deus ſecundùm aliquod eius attributum, non eſt obiectum Theologiæ. *Ratio*: quia attributa comparantur ad Deum, tanquàm proprietates illi⁹: ergo Theologia quæ agit de Deo, non habet pro obiecto formali aliquod eius attributum; quemadmodùm ſcientia agens de homine, non poteſt habere pro obiecto formali paſſionem illius. *Præterea*, quia attributũ prædicatur, & probatur de Deo à Theologo: ergo non eſt obiecti illius ratio formalis. *Conſequentia patet*: quia ſubiectum, & ratio eius non eſt id, quod dicitur de alio, ſed id de quo proprietates demonſtrantur.

Theologia eſt vna ſcientia ſpecie atoma.

Corollarium V. Theologia noſtra non componitur ex pluribus habitibus partialibus, ſpecie diſtinctis, ſed eſt vna ſcientia ſpecie infimâ. Eſt ſententia cõmunis Theologorum contra quoſdam recentiores. *Ratio*: quia vnitas potentiæ, & habitus, non conſideratur ſecundùm obiectum materiale, & in eſſe entis ſpectatum, ſed ſecundùm quod ſubeſt eius rationi formali. Sic v. g. licet leo, homo, flos, arbor, &c. Specie inter ſe differãt; quia tamen conueniunt in vna ratione colorati, quæ eſt obiectum formale viſus, ideò vnum ſpecie atoma ſenſum ſpecificant. Sed omnia obiecta, quæ à Theologia conſiderantur, communicant in vna ratione formali: nam licet Theologia agat de Deo, de Angelis, de hominib⁹, de peccatis, alijſq; rebus pluſquàm ſpecie diuerſis; eas tamen non conſiderat, niſi ſecundùm quod ſubſtant diuinæ reuelationi. Ergo Theologia noſtra eſt ſcientia vna ſpecie infimâ. Licet autem in obiectis ſcientiarum naturalium ratio formalis *ſub qua*, deſumatur ex tali modo immaterialitatis, ſeu abſtractionis à materia, ſiue potiùs ex principijs illarum, prout ſubſunt tali, vel tali abſtractioni, quæ triplex à Philoſophis aſſignatur. *Vna à materia ſingulari*, quæ conuenit obiecto Phyſicæ: *altera à materia ſenſibili*, quæ conuenit Geometriæ, Arithmeticæ, alijſq; ſcientijs Mathematicis: tertia à materia intelligibili, quæ eſt propria Metaphyſicæ. At verò in obiecto Theologiæ, ratio formalis *ſub qua*, non eſt immaterialitas, ſed reuelatio virtualis, quæ eſt ratio ſuperior, ſub qua Theologia poteſt conſiderare ea, quæ in diuerſis ſcientijs Philoſophicis pertractantur. *Cuius ratio hæc eſt*, quia ſicut res non ſunt cognoſcibiles per fidem, eò quòd habeant talem, aut talem immaterialitatem, ſed quia ſunt à Deo reuelatæ; ita per Theologiam non ſunt ſcibiles, niſi quia ſunt reuelatæ mediatè; id eſt, quia deducuntur ex alijs rebus reuelatis; non autem quia ſubſunt tali aut tali abſtractioni à materia. Vnde cùm iſta reuelatio virtualis, ſit vnius ſimpliciſſimæ rationis; ideò omnia quæ in illa communicant, ſuntq; diuinitùs reuelata, ad vnam ſpecie ſcientiam, videlicet ad Theologiam ſpectant.

Abſtractio à materia triplex eſt.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra conclusionem.* Obiectum formale, & adæquatum scientiæ, debet prædicari de omnibus partibus illius, esseq; causa adæquata omnium proprietatum, quæ in ea demonstrantur. Sed Deus sub ratione Deitatis, non habet istas conditiones: ergo Deus sub hac ratione, non est obiectum Theologiæ. *Minor facilè deducitur*: quia Deus non prædicatur de Angelo, homine, alijsq; obiectis, de quibus tractat Theologia. Similiter Deus sub ratione Deitatis, non est causa innascibilitatis, quæ est v. g. in Patre: alioqui talis proprietas competeret cuilibet personæ diuinæ, in qua Deitas reperitur, atq; sic Filius, & Spiritus Sanctus essent innascibiles. *Respondetur negãdo maiorem. Eius prima probatio distinguitur*, Deus non prædicatur de Angelo, homine, &c. in recto, *conceditur*: in obliquo, *negatur*: illa enim de quibus in Theologia tractatur, aut sunt ipsemet Deus, aut aliquid Dei, scilicet eius proprietates, aut effect⁹, aut media ad ipsum conducentia. *Similiter secunda probatio distinguitur.* De⁹ sub ratione Deitatis, seu Deitas absolutè sumpta, nõ est causa innascibilitatis, *cõceditur*: Deitas, vt determinata ad personã Patris, & modificata per relationẽ paternitatis, non est causa, seu potius radix innascibilitatis, *negatur*. Obiectum igitur adæquatum scientiæ, debet prædicari de omnibus partibus illius, vel in recto, vel in obliquo. Similiter debet esse radix, & principium omniũ proprietatum, vel secundùm se, vel quatenus reperitur in particularibus speciebus determinatum. Sic ens mobile, vt determinatum ad corpora cœlestia, & elementaria, est causa proprietatum, quæ de elementis, & corporibus cœlestibus in Physica demonstrantur.

Solutio eiusdem.

Obijcitur II. *contra corollarium I.* Ratio formalis *sub qua* obiecti scientiæ, debet esse illi intrinseca. Sed reuelatio Dei virtualis, cùm fundetur in extrinseco Dei testimonio, non est quid intrinsecum obiecto Theologiæ: ergo non est eius ratio formalis *sub qua*. *Respondetur maiorem solùm veram esse* in scientijs naturalibus, quæ procedunt ex lumine naturali intellectus, & primorum principiorum, in quæ suas conclusiones resoluunt. At verò in Theologia fallit, cum hæc procedat ex articulis fidei, ac in extrinsecã Dei dicentis, seu testificantis authoritate fundetur, in ipsamq; vltimò suas conclusiones resoluat.

QVÆSTIO. VI.

An Theologia nostra sit argumentatiua.

SUppono, quòd sicut in alijs scientijs humanis dantur certa capita, & principia argumentorũ, quæ secundùm artem Dialecticam disponuntur? propter quod Aristoteles in Topicis, proposuit communes locos, ex quibus omnis argumentationis forma, ad omnem disputationem inueniretur; ita necesse est dari quosdam locos Theologiæ proprios, velut promptuaria quædam, ex quibus Theologus necessarias argumentationes ad confirmandam veritatem, & refellendam falsitatem facilè depromat. Vnde locus Theologic⁹ nihil aliud est, nisi sedes quædam, siue caput, vnde argumenta Theologica desumuntur.

Suppono *præterea*. Locos Theologicos decem numerari, ex quibus alij sunt necessarij, alij solùm probabiles, alij proprij, alij extranei, de quibus videatur M. Cano, lib. de locis Theologicis. *Primus igitur locus est scriptura Sacra*, ex qua sumitur irrefragabile argumentum à Theologo. *Secundus est traditio Apostolica*, quæ licet scripta non sit; est

Loci Theologici decem sunt.

est tamen doctrina, quæ ab ipso Christo, & Spiritu Sancto, per Apostolos de aure in aurem, vsque ad nos transiisse creditur; ideoq; huiusmodi traditiones, viuæ vocis oracula dici solent. *Tertius est auctoritas, & consuetudo Ecclesiæ*, quam in omnibus sequi oportet. *Quartus est* auctoritas conciliorum generalium approbatorum à Romano Pontifice. *Quintus est declaratio Romanorum Pontificum*, quorum summa authoritas est in Ecclesia Christi. Et isti quinq; loci faciunt probationem irrefragabilem, quia præbent principia certa de fide: & quidem primi duo, habent se tanquàm normã, & regula circa res fidei; alij verò tres, habent se tanquàm iudex, quo discernitur, quid sit tenendum de fide: propterea, quòd Ecclesia, concilia, & Pontifices habeant potestatem determinandi res fidei. *Sextus locus est auctoritas Sanctorum Patrum*, Ecclesiæ Doctorum. *Septimus auctoritas Theologorum Scholasticorum*, quibus adiungitur authoritas iuris Pontificij peritorũ. *Octauus est ratio naturalis*, quæ in omnibus disciplinis naturali lumine inuentis sese exercet. *Nonus est auctoritas Philosophorum naturalium*, quibus adiungitur authoritas Cæsarei iuris Consultorum, qui veram Philosophiam moralem profitentur. *Decimus est auctoritas humana historiæ*, siue per Auctores fide dignos scriptæ, siue maiorum relatione traditæ.

Suppono III. Habitum Theologiæ nostræ, licet extrinsecè, & obiectiuè, aut radicaliter, & originatiuè supernaturalis sit, eò quòd versetur circa obiectum supernaturale, dependeatq; ab habitu fidei, in quo tanquàm in semine, vel radice continetur; intrinsecè tamen, & secundùm suam entitatem, naturalem esse: siquidem acquiritur nostris actibus, quod habitui entitatiuè, & intrinsecè supernaturali repugnat, vt docet S. Thomas in Prologo senten: quæstione vnica; ar. 3. quæstiunc. 3. & 1. p. q. 1. ar. 6. ad 3.

Habitus Theologiæ est intrinsecè naturalis.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

COnclusio. Theologia nostra est argumentatiua. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, 2. ad Timoth: 3. *Omnis scriptura diuinitùs inspirata, vtilis est ad docendum, arguendum, corripiendum, erudiendum ad iustitiam.* Hinc Christus Dominus Theologorum omnium magister, frequenter legitur contra repugnantes suæ doctrinæ Pharisæos, argumentatus ex sacris literis. Nam tentantibus eum Pharisæis, an liceret homini dimittere vxorem suam, quacunq; ex causa, probabat matrimonium esse indissolubile, ex illo Genes. 2. *Non legistis, quia qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Vnde concludit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Similiter Matthæi 21. probans se esse Messiam, dixit eisdem Pharisæis: *Nunquàm legistis in scriptura, lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, &c.* Et iterùm ibidem: *Nunquam legistis, quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem.* Et cap. 22. ex illo Psalmi 109. *Dixit Dominus Domino meo*, probat messiam non esse purum hominem, neq; tantùm Filiũ Dauid, quoniam Dauid vocat ipsum Dominum, quod nomen Pharisæi concedebant esse proprium Dei. Et Lucæ 16. conuincit Pharisæos, licitum esse Sabbatho sine violatione Sabbathi spicas manibus confricare, vt esurientes reficiantur, his verbis: *Neq; hoc legistis, quod fecit Dauid, cùm esurisset ipse, & qui cum illo erant, quomodò intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit.* Idem constat de Apostolis, qui frequenter in scriptura leguntur argumen-

Probatio prima.

gumentati fuisse, vt 1. ad Corint. 15. S. Paulus probat futuram resurrectionem omnium mortuorum, ex eo, quia Christus resurrexit: cuius argumenti vis tota consistit in hoc, quòd non sit maior difficultas respectu Dei, in resuscitandis omnibus; quàm vno: ergo Theologia nostra est argumentatiua.

Probatio secunda.

Probatur *II. ratione.* Omnis habitus ex noto aliquid ignotum deducens, iuxta leges bonæ consequentiæ, est argumentatiuus. Sed Theologia nostra est talis habitus: multa enim de Deo, rebusq; diuinis ignota, ex notis deducit, vt ex vlteriori progressu patebit. Ergò Theologia nostra est argumentatiua. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Theologia nostra non argumentatur ad sua principia probanda

Corollarium I. Theologia nostra non argumentatur ad sua principia probanda, quæ sunt articuli fidei, efficaciter ac necessariò concludenda, neq; à priori, neq; ab effectu. Ita S. Thomas 1.p.q. 1. ar.8. *Ratio*: quia neq; aliæ scientiæ argumentantur ad sua principia probanda, si enim verè sunt principia ipsius scientiæ, non potest scientia illa ab alijs incipere: alias iam non essent principia scientiæ.

Corollarium II. Theologia nostra est argumentatiua contra negantes quædam principia, quando alia principia concedunt. *Ratio*: quia licet in alijs scientijs humanis, quæ sunt inferiores, non arguatur contra negantes quodlibet principium: nihilominus quæ suprema est inter illas, vt Metaphysica, argumentatur ex vno principio concesso contra illos, qui aliud negant. Ergo & Theologia nostra, cùm omnibus scientijs supereminent, simile officium præstat. Vnde quando Sacra Theologia argumentatur contra negantes quædam principia, si concedant alia, procedit interdùm non solùm probabiliter, verùm etiam necessariâ consequentiâ. v. g. aduersus Iudæos, qui admittunt vetus testamentum, fiunt argumenta necessaria ex suppositione veteris testamenti, quibus concluditur iam aduenisse Messiam, vetusq; testamentum ad impleuisse.

Theologiæ maximè proprium est, argumentari ex authoritate Sacræ Scripturæ.

Corollarium III. Theologiæ maximè proprium est, argumentari ex authoritate Sacræ Scripturæ. *Ratio*: quia principia Theologiæ habentur per reuelationem: ergo necesse est, vt credatur auctoritati eorum, quibus reuelatio facta est. Vnde sequitur, quòd Sacra doctrina authoritatib⁹ Sacræ Scripturæ vtatur propriè, tanquam ex necessitate argumento. Nihilominùs quando Sacra Theologia argumentatur ex principijs Sacræ Scripturæ, id est, ex vna, vel vtraque præmissâ reuelatâ, conclusiones Theologicæ, formaliter qua tales, non sunt de fide. *Ratio*: quia omne quod creditur fide diuina, debet immediatè, & formaliter à Deo reuelari; conclusiones autem Theologicæ, non sunt formaliter, & immediatè reuelatæ, sed tantùm virtualiter, & mediatè, cùm eius ratio formalis *sub qua*, non sit reuelatio formalis, & immediata, sed virtualis solùm, & mediata. *Dixi, formaliter qua tales sunt*: quia conclusiones Theologicæ materialiter consideratæ, possunt esse de fide: nam multæ propositiones determinatæ ab Ecclesia tanquàm de fide, possunt fieri conclusiones Theologicæ, vt patet in hac demonstratione Theologicâ: *Filius Dei naturalis, est consubstantialis Patri. Sed Christus est Filius Dei naturalis: ergo est consubstãtialis Patri.* Similiter in hac: *Qui est Deus & homo, habet diuinam, & humanam voluntatem. Sed Christus est Deus & homo: ergo habet diuinam, & humanam voluntatem.* Cæterùm, siquis negaret aliquam conclusionem Theologicam, quæ ex principijs reuelatis per euidentem consequentiam infertur, cuiusmodi est hæc: *Christus est risibilis*, censeretur Hæreticus

reticus esse: quia non censeretur negare bonitatem illationis, quæ lumine naturali euidens est, sed principium fidei, ex quo illa euidenter deducitur.

Theologia authoritatibus Doctorum Ecclesiæ vtitur solùm probabiliter.

Corollarium IV. Theologia nostra vtitur auctoritatibus Doctorum Ecclesiæ, quasi ex proprijs arguendo, sed probabiliter. *Ratio*: quia fides nostra, quæ versatur circa principia Theologiæ, innititur reuelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt: ergo auctoritatibus aliorum Doctorum non vtitur, necessariò concludendo intentum, ob hanc potissimùm rationem, quia illorum auctoritatem non potest reducere ad prima principia.

Corollarium V. Theologia nostra interdùm vtitur etiam ratione humanâ, & Philosophorum auctoritatibus, quasi extraneis argumentis, & probabilibus. *Ratio*: quia gratia non destruit, sed perficit naturam: & sic oportet, quòd ratio naturalis deseruiat fidei; quemadmodùm & naturalis inclinatio voluntatis, obsequitur voluntati.

Articvlvs II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima, & eiusdem solutio.

Obijcitur *I. contra conclusionem.* S. Ambrosius lib. 1. de fide, cap 5. dicit: *Tolle argumenta, vbi fides quæritur.* Sed in Theologia quæritur fides: ergo in Theologia argumenta non habent locum, & consequenter Theologia non est argumentatiua. *Respondetur*, S. Ambrosium hoc solùm velle, vt vbi fides quæritur, non adhibeantur argumenta, quæ se habeant tanquàm ratio credendi; non autem tanquàm ratio destruens argumenta falsa, quibus aliquid tentatur, vt discedat à fide, cuiusmodi argumenta passim in Theologia adhibentur.

Obiectio secunda.

Obijcitur *II. contra corollarium I.* Physicus potest incipere ab effectibus, quos per sensum percipit, ad ostendendum esse principia ipsorũ effectuum: ergo pariter in Theologia, possunt principia saltem à posteriori efficaciter probari. *Respondetur, transeat antecedens, negatur consequentia. Disparitas est*: quia effectus naturales, præsertim qui ad sensum patent, possunt sufficienter ostendere sua naturalia principia, cùm sit proportio inter effectus, & causam ipsorum, naturali lumine cognita. Iam verò respectu principiorum Theologiæ, quæ sunt de Deo, quatenùs est auctor gratiæ, supra totum naturæ ordinem, non sunt aliqui effectus nobis euidentes, qui proportionem habeant, & necessariam connexionẽ cum ipsis primis principijs. Atq; sic nec à posteriori possumus Theologiæ principia euidenter probare.

Solutio eiusdem.

Qvæstio.

De natura Theologiæ.

V. Theologia Christiana viatorum, verè, & propriè scientia, eminenter formaliter speculatiua, in cognoscendo certa; nec non vera sapientia: Obiectum formale ac specificatiuum habens Deum sub ratione Deitatis; naturale verò extensiuum, omne reuelatum à Deo: sit argumentatiua, nec ne?

Conclvsio I.

Theologia Christiana viatorum, est verè, & propriè scientia.

Corollaria.

I. Theologia Christiana viatorum, est vna scientia.

II. Theologia Christiana viatorum, est propriè subalternata scientiæ Dei, & beatorum.

III Theologia, quæ à viatoribus per discursum acquiritur, remanet in patria.

IV. Theologia viatorum non solùm remanet in patria ad ornatum, sed etiam ad exercitium.

V. Qui in hac vita Theologiam didicerunt, cæteris parib⁹, plura cognoscent in patria extra Verbum, per proprias species hîc in via acquisitas, & studio comparatas; quàm alij hac scientiâ carentes.

Conclvsio II.

Theologia viatorum est eminenter formaliter speculatiua simul, & practica scientia.

Corollaria.

I. Theologia magis est speculatiua, quàm practica.

II. Theologia non est formaliter speculatiua, nec practica, sumendo speculatiuum, & practicum, vt sunt differentiæ scientiæ finitæ, & inferioris ordinis.

III. Sumendo speculatiuum, & practicum, demptis imperfectionibus, Theologia est speculatiua, & practica formaliter.

IV. Probabile tamen est, si speculatiuum sumatur, vt est differentia scientiæ finitæ, & ordinis inferioris, Theologiam posse dici speculatiuam formaliter.

V. Cæterùm loquendo de speculatiuo, & practico, vt sunt differentiæ scientiæ inferioris, Theologia nostra non est formaliter practica, sed eminenter.

Conclvsio III.

Theologia nostra, prout argumentatur ex articulis fidei, fide diuinâ infusâ creditis, vel altero credito, altero euidenter noto, est in cognoscendo certa.

Corollaria.

I. Theologia non solùm est certa, sed etiam certior quoad se, qualibet scientiâ, & habitu naturali, certitudine obiectiuâ.

II. Theologia est certior omnibus scientijs naturalibus, etiam certitudine subiectiuâ.

III Theologia non solùm secundùm se, siue prout est in Deo, & beatis; verùm etiam prout est in viatoribus, & prout informat intellectum humanum instructum habitu fidei, est certior qualibet scientiâ, & habitu ordinis naturalis.

IV. Theologia minùs est certa quoad nos, scientijs naturalibus, & habitu primorum principiorum.

V. Theologia licet sit certa in cognoscendo, prout deducit conclusionem ex articulis fide diuina creditis; aut ex altera præmissa naturaliter notâ, non est euidens.

Conclvsio IV.

Theologia nostra est verè, & propriè dicta sapientia.

Corollaria.

I. Theologia est supra omnes humanas scientias, & sapientias.

II. Theologia versatur non solùm circa conclusiones ex principijs fide diuina creditis deductas, sed etiam circa ipsa pricipia.

III Theologia iudicat de principijs, & conclusionibus omnium aliarum scientiarum.

IV. Theologia non solùm iudicat de principijs aliarum scientiarum, sed etiam illas ordinat ad finem.

V. Licet sapientia Dei, & Beatorũ, eminenter formaliter contineat rationem intellectûs, & scientiæ; id tamen Theologiæ nostræ non competit.

Conclvsio V.

Obiectum formale & specificatiuum Theologiæ, est Deus sub ratione Deitatis; obiectum verò materiale extensiuum, & terminatiuum, est omne reuelatum à Deo.

Corollaria.

I. Ratio formalis sub qua *Theologiæ, est reuelatio virtualis, & mediata.*

II. Neq; opus meritorium, neq; salus hominis, nec quidquam aliud huiusmodi, est obiectum adæquatum Theologiæ.

III. Christus non est obiectum adæquatum Theologiæ.

IV. Eti-

IV. Etiam Deus secundùm aliquod eius attributum, non est obiectum adæquatum Theologiæ.

V. Theologia nostra non componitur ex pluribus habitibus Theologiæ partialibus, specie distinctis; sed est vna scientia specie infima.

Conclvsio VI.

Theologia nostra est argumentatiua.

Corollaria.

I. Theologia nostra non argumentatur ad sua principia probanda, quæ sunt articuli fidei, efficaciter ac necessariò concludendo, neq; à priori, neq; ab effectu.

II. Theologia nostra est argumentatiua contra negantes quædam principia, quando alia principia concedunt.

III. Theologiæ maximè proprium est, argumentari ex authoritate Sacræ scripturæ.

IV. Theologia nostra vtitur auctoritatibus aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi ex proprijs arguendo, sed probabiliter.

V. Theologia nostra interdùm vtitur etiam ratione humana, & Philosophorum authoritatibus, quasi extraneis argumentis, & probabilibus.

TRACTATVS I.

De Deo secundùm essentiam, & attributa.

POst explicatam naturam Theologiæ, de Deo, circa quem illa tanquam proprium obiectum versatur, agit S. Thomas 1. p. à quæstione 2. ad 12. totus autem hic tractatus constabit 4. disputationibus. *Prima*, erit de existentia Dei. *Secunda*, de natura & quidditate eius. *Tertia*, de attributis diuinis in communi. *Quarta*, de attributis diuinis in particulari.

DISPVTATIO I.

De existentia Dei.

QVamuis nulla scientia probet suum obiectum, quoad an est, sed illud præsupponat; quia tamen Theologia non solùm est scientia, verùm etiam sapientia; ideò ad eam pertinet, & reflectere se circa sua principia, ea defendendo, & & explicando; & probare Deum esse, non quidem ex proprijs, sed rationibus acceptis à metaphysica, quas corrigit, & perficit.

QVÆSTIO I.

An Deum esse sit per se notum.

SUppono *I. Per se notum*, illud dici, quod non cognoscitur per aliud, quia excludit medium cognitionis: vnde propositio *per se nota*, illa dicitur, cuius prædicatum includitur in ratione, & definitione subiecti. Et tales sunt essentia, & quidditas rei, quæ cùm nihil habeant priùs, per quod possint demonstrari, per se cognoscuntur. Est autem duplex propositio per se nota. *Vna* per se nota secundùm se tantùm, cuius prædicatum est de ratione subiecti; quidditas autem prædicati, ac subiecti, est nobis ignota; & ideò excludit medium connexionis suorum extremorum. Hinc eiusmodi propositiones vocantur *per se notæ secundùm se tantùm*: quia propter imperfectionem nostri intellectus, à nobis non cognoscitur immediatè connexio subiecti cum prædicato. *Altera propositio est per se nota*, & secundùm se, & quoad nos, cuius prædicatum est de ratione subiecti, estq; notum omnibus, quid sit prædicatum, & subiectum, vt sunt ens, non ens, totum, pars, &c. Hinc istæ propositiones: *omne totum est maius sua parte. Quodlibet est, aut non est*, dicuntur per se notæ, & secundùm se, & quoad nos: quia istos communissimos terminos, vtpotè prima demonstrationis principia, nemo ignorat.

Propositio per se nota duplex est.

Suppono *præterea*. Deum dupliciter considerari posse. *Primò*, sub quadam communitate, & confusione

Deus dupliciter considerari potest.

fuſione, nimirùm vt eſt beatitudo hominis, vel vt continetur ſub ratione boni vt ſic, *Secundò*, in particulari, ac ſub ratione primi entis, & quatenùs eſt natura quædam perfectiſſima, cauſaq; prima, & primum principium omnium aliarum rerum. Quando ergo quæritur, an Deum eſſe, ſit per ſe notum, non procedit quæſtio de propoſitione formali, quæ ſicut veritas formalis conſiſtit in ipſis mentis conceptibus, quibus attingitur vnio, ſeu connexio prædicati cum ſubiecto; ſed de propoſitione obiectiuâ, quæ eſt ipſa veritas obiecti, quæ concipitur, aut enuntiatur, vel ipſa vnio, ſeu connexio prædicati cum ſubiecto.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Deum eſſe, eſt per ſe notum ſecundùm ſe.

CONcluſio. Deum eſſe, eſt per ſe notum ſecundùm ſe. Ita S. Thomas 1. p. q. 2. ar. 1. S. Gregorius in moralibus ſupra Iob cap. 36. *Probatur concluſio.* Illa propoſitio eſt per ſe nota ſecundùm ſe, cui⁹ prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubiecti: ergo Deum eſſe, eſt per ſe notum ſecundùm ſe. *Minor patet*: quia cùm Deus ſit ens per eſſentiam, & actus purus; ideo exiſtentia eſt de conceptu quidditatiuo eſſentiæ diuinæ, imò neq; ratione ab illa diſtinguitur, vt inferiùs conſtabit. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Hæc propoſitio, *Deus eſt*, eſt de fide. Probatur ex illo ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt.* Et Exodi 7. *Ego ſum, qui ſum, & qui eſt miſit me ad vos.*

Corollarium II. Hæc propoſitio, *Deus eſt*, ſecundùm ſe, & ex natura rei, eſt nota per ſe, ac immediata. Eſt ſententia communis Doctorum contra Ariminenſem. *Ratio*: quia iſta propoſitio, *Deus eſt*, caret medio à priori, vnde non poteſt demonſtrari neq; per cauſam, neq; per rationẽ formalem à priori: ergo eſt per ſe nota, ex naturâ ſua, ac immediata.

Deum eſſe, non eſt notum per ſe quoad nos.

Corollarium III. Hæc propoſitio, *Deus eſt*, non eſt per ſe nota nobis, ſeu quoad nos. Ita S. Thomas ſupra citatus, & 1. contra Gentes cap. 11. & de veritate, q 10. ar. 12. & 3. contra Gentes, cap. 11. vbi dicit: *Sicut nobis eſt per ſe notum, quòd totum ſuâ parte ſit maius; ſic videntibus ipſam diuinam eſſentiam, per ſe notiſſimum eſt, Deum eſſe, ex hoc, quòd ſua eſſentia eſt ſuum eſſe. Sed quia eius eſſentiam videre non poſſumus, ad eius eſſe cognoſcendũ, non per ſeipſum, ſed per eius effectus peruenimus. Et ratio eſt*: quia propoſitio per ſe nota qnoad nos, cognoſcitur à nobis ſine vllo medio, ac diſcurſu, ex ſola terminorum apprehenſione. Sed Deum eſſe, non cognoſcimus hoc modo: ergo Deum eſſe, non eſt notum per ſe quoad nos. *Minor patet*: quia Deum eſſe, cognoſcimus mediatè, & per effectus ab illo productos, iuxta illud ad Rom. 1. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi*, pura ab homine, *per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas.* Et ad Hebr. 11. dicit S. Paulus: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt.* Quibus verbis manifeſtè inſinuat, Deum eſſe, non eſſe per ſe notum quoad nos, ſed neceſſariam eſſe reuelationem diuinam, per quam ſaltem ab ijs, qui ſunt tardioris ingenij, in notitiam eius veritatis deueniatur.

Corollarium IV. Si iſta propoſitio, *Deus eſt*, intelligatur de Deo, vt contento. Sub ratione communi beatitudinis, aut boni, vel veri ut ſic, eſt per ſe nota etiam quoad nos. Ita S. Thomas citatus in reſponſiòne ad 1. & 3. *Ratio eſt*: quia ſicut homo naturaliter, & ſine electione appetit bonum vt ſic, & beatitudinem in cõmuni; ita eam immediatè, & ſine vllo diſcurſu cognoſcit

gnoſcit Deum, vt contentum ſub ratione cõmuni beatitudinis. Cæterùm ſic cognoſcere Deum, non eſt, cognoſcere eum ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid; ſicut & homo à longè viſus, non, cognoſcitur ſimpliciter, & vt talis eſt, ſed ſecundùm quid, & ſub ratione communi corporis, aut viuentis.

Corollarium V. Hæc propoſitio, *Deus eſt*, tantam habet cum intellectu conſenſionem, vt etiam ſine diſcurſu ſaltem operoſo, cuilibet vtenti ratione, facilè appareat ſaltem probabilis, & credibilis, ipſis terminis perſpectis; cùm nihil videatur rationi magis conſentaneum; quàm dari aliquod ens perfectiſſimum, habens eſſe neceſſarium, quòd ſit omnium principium, & à quo cætera gubernantur. Et hac ratione rectè dicitur, Dei cognitionem eſſe inſcriptam cordibus hominum, inſitamq; eſſe mortalibus notitiam, quòd Deus ſit.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. Si iſta propoſitio, *Deus eſt*, eſſet per ſe nota, & per ſe pertineret ad habitum primorum principiorũ, ſequeretur etiam hanc propoſitionem, *Deus eſt trinus, & vnus*, eſſe per ſe notam. Sed conſequens falſum eſt; ergo & Antecedens. *Sequela probatur*: quia ſicut in illa propoſitione, *Deus eſt*, prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubiecti; ita & in hac, *Deus eſt trinus, & vnus*. Vnde ſicut illa propoſitio, *Deus eſt*, caret medio; ita & illa, *Deus eſt trinus, & vnus*.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur *negando ſequelam*. *Ad eius probationem dicitur*, diſparem eſſe rationem: nam in illa propoſitione, *Deus eſt*, quia prædicatum eſt quidem de intrinſeca ratione ſubiecti, eſtq; propoſitio carens medio, & per ſe nota ſecundùm ſe, ſed cadens ſub lumine naturali. Iam vero iſta propoſitio, *Deus eſt Trinus, & vnus*, eſt etiam immediata, & per ſe nota, ſed in ordine ad lumen ſupernaturale: quoniam in illo ordine, caret medio, eiuſque prædicatũ, eſt de intrinſeca ratione ſubiecti; ideoq; pertinet ad habitum primorum principiorum ordinis ſupernaturalis. Cæterùm non eſt propoſitio per ſe nota, & immediata, in ordine ad lumen naturale; quemadmodum illa ptopoſitio, *Deus eſt*.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur *II. contra corollarium tertium*. Illa propoſitio eſt per ſe nota, quoad nos, cui aſſentimur ſine vllo diſcurſu, auditis ſolis terminis. Sed huic propoſitioni, *Deus eſt*, aſſentimur ſine vllo diſcurſu, ex ſola apprehenſione terminorum: ergo iſta propoſitio eſt per ſe nota quoad nos. *Minor patet*: quia in hoc nomine *Deus*, intelligitur id, quo nihil maius, aut melius cogitari poteſt; tale autem ens concipitur neceſſario exiſtere: alioqui non eſſet melius omnibus, quæ cogitari poſſunt.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando minorem, & eius probationem: nam Antropomorphitæ, affigentes Deo membra humana, aſſerebant Deum eſſe corpus, quod non poteſt dici id, quo nihil melius cogitari poteſt.

QVÆSTIO II.

An ſit Theologicè demonſtrabile, Deum eſſe.

SUppono, præſentem quæſtionem non procedere de demonſtratione à priori, cùm nihil poſſit dari prius Deo, per quod ille tanquam per medium demonſtretur; ſed de demonſtratione à poſteriori, & per effectus, idq; non quomodocunq;, ſed theologicè, diſcurrendo ſcilicet ſaltem ex vna præmiſſa ſupernaturaliter creditâ. Circa quod.

Opinio prima.

Prima opinio fuit quorundam antiquorum Philosophorum, qui putabant, etiam à posteriori non posse demonstrari, Deum esse; sed tantùm ex diuina reuelatione id cognosci, solaq; fide certò credi, vt refert S. Thomas I. contra Gent. cap 12.

Opinio secunda.

Altera opinio fuit è numero Theologorum Petri Aliaci, qui I. sentent: dist. 3. q. 3. volens argumenta Aristotelis de existentia Dei 7. & 8. Physicorum, & II ac 12. Metaph. expugnare, asseruit, nullo modo naturaliter demonstrari posse. Verùm temerariè satis, & erroncè, vt potè contra communem Sanctorum Patrum, & Theologorum sententiam.

Opinio tertia.

Tertia opinio est Scoti, ibidem dist. 2 q. 2. affirmantis saltem quo ad nos, à priori posse demonstrari, Deum esse, ex eo nimirùm fundamento: quia est actus purus; ergo necessariò habet existentiam.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Deum esse solum à posteriori demonstrari potest.

CONclusio. Solùm à posteriori, & per effectus nobis notos, potest theologicè demonstrari, Deum esse. *Probatur I.* ex scriptura Sacra, ad Rom. I vbi dicitur: *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; virtus eius, & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles.* Et sapien: 13. *A magnitudine enim speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri*, id est, intellectu cognosci euidenter, vt exponit S. Gregor: 26. Moral. cap. 8. Et Iob 36. *Omnes homines vident eum, vnusquisq; procul.* Quibus verbis ostenditur, Deum ex effectibus posse euidenter cognosci. Et Ps. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Hinc sapien: 13. culpantur homines, nolentes Deum ex rebus creatis inuestigare. *Vani* inquit, *sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neq; operibus attendentes, agnouerunt, quis esset artifex.* Ergo Deum esse, solùm à posteriori, & per effectus nobis notos, theologicè demonstrabile est.

Probatio conclusionis secunda.

Probatur II. authoritate Sanctorum Patrum, in primis Basilij, qui in caput I. Isaiæ, explicans illud: *Cognouit bos possessorem suum.* Sic Deum loquentem introducit: *Isràël autem me non cognouit suũ creatorem, me non intellexit, qui cœlo enarrante innotesco, qui terrâ mariq; me exhibeo cognoscibilem, qui per solem, lunam, deniq; per omnem creaturam, nulli non palam significor.* Deinde S. Athanasij, qui oratione contra idola, post medium fusè ostendit, Deum ex anima cognosci posse, ita scribens: *Quòd si animæ magisterium non sufficit; est tamen illi facultas ex ÿs, quæ apparent, Dei cognitionem addiscere, rerum naturâ veluti literis per ordinem, & harmoniam dominum suum, conditoremq; indicante, & altissima voce protestante.* Tum S. Chrysosthomi, qui homil. 9. ad Populum Anthiochenum, ait: *Neq; Scytha, neq; Barbarus, neq; Indus, neq; Ægyptius, neq; vlla est gens, vel lingua, quæ hanc vocem omni tuba clariorem intelligere non possit.* Insuper S. Augustini, qui serm. 55. de verbis Domini, dicit: *Interroga mundum, interroga omnia, & vide, si non sensu suo tanquàm tibi respondent, Deus nos fecit, hæc & Philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognouerunt.* Ergo ex mente Sanctorũ Patrum, potest à posteriori theologicè demonstrari, Deum esse.

Probatio tertia.

Probatur III. *ratione.* Potest saltem ex vna præmissa de fide supernaturaliter creditâ, alterâ verò euidenti deduci, quòd Deus sit? ergo potest theologicè demonstrari, Deum esse. *Antecedens* probatur hoc

hoc syllogismo. Qui loquitur absolutè, vel qui loquitur se esse, est: cùm repugnet loqui sine existentia loquentis; quemadmodùm etiam negans se esse, eo ipso est. Sed Deus & absolutè loquitur, & se esse loquitur, vt constat ex illo Exodi I. *Ego sum, qui sum.* Ergo verum antecedens. *Minor* etiam est de fide. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

A priori demonstrari non potest Deum esse.

Corollarium I. A priori non potest demonstrari Deum esse. *Ratio*: quia cùm esse sit ipsamet essentia Dei, & fundamentum omnium attributorum diuinorum; ideò neq; vera causa, neq; ratio à priori etiam nostro modo intelligendi excogitari potest, per quam Deum esse, demonstretur.

Curollarium II. Falsum est, etiam quoad nos, posse à priori demonstrari, Deum esse ex eo, quòd sit actus purus. Est contra Scotum in I. senten. dist. 2 q 2. *Ratio*: quia nihil potest sumi tãquàm medium, quod conceptu cõfuso etiam quo ad nos, dici possit causâ existentiæ ipsius Dei: nam esse actum purum, quod videri posset habere se per modum causæ, respectu diuinæ existentiæ, non ita se habet, sicut totum respectu partis: quando enim dicimus actum purum, dicimus id, quod nullam dicit, aut inuoluit potentialitatẽ, seu quod dicit omnem perfectionem simpliciter, cuius quasi pars est existentia.

Existentia Dei nõ potest naturaliter de Deo demonstrari.

Corollarium III. Neq; communis actualis, neq; propria existentia Dei actualissima, potest de Deo absolutè sumpto, probari immediatè naturaliter, viâ primæ inquisitionis. *Ratio*: quia neq; à priori, neq; à posteriori, sic probari potest. *Non à priori:* alias Deus vtriusque existentiæ substaret causis. *Non etiam à posteriori*: quia Deus sub esse absoluto sumptus, nullius effectus est causa immediatè, sed tantùm mediate, sub esse respectiuo, v. g. primæ causæ, primi agentis, primi motoris, excellentissimi omnium, &c. Dixi immediatè, quia mediatè probari potest, nimirùm v. g. quòd primus motor, seu primũ agens in rerum natura sit, ex quo facilè est subsumere. Sed Deus est tale agens: ergo est. *Dixi naturaliter*: quia ex reuelatis potest probari. *Dixi viâ primæ inquisitionis*: quia suppositâ hac viâ, doctrinæ viâ, vtraq; existentia de Deo absolutè sumpto probari potest, vt patet in hoc syllogismo. *Omne ens est, sed Deus est ens: ergo est.* Et in hoc: *omne ens necessarium in existendo est actu. Sed Deus est ens necessarium in existendo: ergo est actu.* Quod vt meliùs intelligatur, *sciendum est*, duplicem Deo existentiam conuenire, *vnam* illi communem cum creatura, abstrahente in sua ratione ab esse possibili, & actuali contingenti: alteram illi soli propriam, nimirùm actualissimam, & summæ necessitatis.

Non est nobis demonstrabile per notitiam, quam beati habent, Deũ esse.

Corollarium IV. Deum esse, non est demonstrabile nobis per notitiam, quam habent beati; imò neq; ipsis beatis taliter demonstrabile est. *Ratio: tum*, quia beati simplici notitiâ feruntur in Deum existentem, siquidem notitiâ intuitiuâ cognoscunt eum esse. *Tum*, quia beati non cognoscunt, Deo existentiam conuenire per aliquid prius, etiam nostro modo concipiendi. *Tum*, quia nostra cognitio non potest dici demonstrabilis beatis: licet enim cognoscant nos, nonnisi abstractiuè, & ex effectibus nosse, Deum esse; id tamen non sufficit, vt nostra cognitio dicatur illis demonstrabilis per eam notitiam, quam ipsi habent, cùm idem sit obiectum cognitum per nostram notitiam, & beatorum.

Corollarium V. Si quis diceret, non esse demonstrabile secundùm artem Aristotelicam, Deum esse, non erraret in fide, sed solùm in Physica, aut Metaphysicâ; esset tamen id in fide temerarium. *Ratio*:

tio: quia esset contra communem Ecclesiæ assertionem.

Articvlvs II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima & eiusdem solutio.

OBijcitur *I. contra conclusionem.* Obiectum fidei non potest etiam à posteriori demonstrari. Sed Deum esse, pertinet ad obiectum fidei: ergo Deum esse, non potest etiam à posteriori demonstrari. *Respondetur negando minorem,* cum S. Thoma hîc q. 2. ar. 2. ad 1. Quippè Deum esse, & similia, non sunt articuli fidei, sed quædam præambula ad fidem, & ideò per rationem naturalem, sciri possunt, cùm fides præsupponat naturalem rationem; sicut gratia præsupponit naturam.

Instabis. Christianus Philosophus acquirendo scientiam, & demonstrationem de hac veritate, *Deus est*, non amittit fidem circa illam: ergo ista veritas per se pertinet ad obiectum fidei. *Consequentia manifesta. Antecedens probatur dupliciter. Primò*, quia si Christianus Philosophus amitteret fidem circa hanc veritatem, fieret infidelis, iuxta illud: *Qui peccat in vno, factus est omnium reus. Secundò*, quia si Philosophus Christianus, acquirendo scientiam, & demonstrationem de existentia Dei, amitteret fidem de illa, eo ipso post acquisitionem scientiæ, minorem haberet certitudinem de hac veritate, quàm antea, atq; sic acquirendo scientiam, fieret deterioris cōditionis: nam certitudo fidei, est maior certitudine scientiæ; quod tamen non videtur admittendum.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando Antecedens: nam habens demonstrationem de existentia Dei, hanc veritatem *Deus est*, non ampliùs cognoscit sub lumine obscuro diuinæ reuelationis, sed sub euidenti lumine primorum principiorum, & sic in illo circa dictam veritatem non remanet fides. *Ad primam Antecedentis probationem, negatur sequela:* solùm enim ille, qui amittit fidem alicuius articuli, per formalem dissensum, seu discredendo, fit infidelis; secùs censendum de illo, qui amittit fidem alicuius veritatis naturalis, quæ nonnisi per accidens ad fidem pertinet, acquirendo claram; & euidentem illius cognitionem, incompòssibilem eum fide, & reuelatione obscura. Hinc etiam beati, & comprehensores, licet per visionem beatificam amittant fidem de mysterijs obscurè reuelatis, per hoc non fiunt infideles. *Ad secundam probationem dicitur*, concedendo eum, qui demonstrationem, & scientiā acquirit de hac veritate, *Deus est*, minorem de illa certitudinem habere; quàm antea: non tamen ideò fieri deterioris conditionis, cùm melius sit habere scientiam; quàm fidem de illis obiectis, de quibus potest haberi. & quæ per accidens solùm pertinent ad fidem. Sic B. Virgo, & Apostoli, licet non habuerint fidem, sed claram, & intuitiuam notitiam humanitatis Christi, non erant deterioris conditionis; quàm nos, qui de illa solùm fidem, & cognitionem obscuram habemus. Et licet certitudo fidei sit maior, quàm scientiæ; hoc tamen non obest, quia illa certitudo minor, quæ est in scientia compensatur per euidentiam, quæ in fide locum non habet.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. Per effectus improportionatos non potest aliquid de causa demonstrari. Sed creaturæ sunt effectus Dei improportionati, cum Deus sit infinitus, & creaturæ finitæ: ergo Deum esse, non potest demonstrari per effectus nobis notos, videlicet per creaturas.

Solutio eiusdem.

Respondetur distinguendo maiorem. Per effectus improportionatos non potest demonstrari causa quantum ad quid est, *conceditur:* quantum ad an est, *negatur:* nam vt docet S. Thomas 1. p. q. 2. ar. 2. ad 3. per effectus

effectus improportionatos, non possumus habere perfectam cognitionem de causa, quantum ad essentiam, nihilominùs per quemcùnq; effectum siue proportionatum, siue improportionatum, possumus demonstrare causam esse, licet per illos non possimus perfectè eam secundùm essentiam cognoscere.

Instabis. Omnis demonstratio debet constare ex necessarijs; creaturæ autem non sunt necessariæ, sed contingentes, cùm possint esse, & non esse: ergo per creaturas non potest demonstrari, Deum esse. *Respondetur, concessâ secundâ parte antecedentis, negatur consequentia:* licet enim creaturæ sint contingentes, & possibiles esse, ac nō esse; nihilominùs dependentia, quam habent à Deo in existendo, & operando, est essentialis, ac necessaria in operando: quoniam omne ens per participationem, essentialiter pendet in essendo, & operando, ab ente per essentiam. Vnde ex tali dependentia creaturarum à Deo, in existendo, & ōperando, sumitur medium aptissimum, ac necessarium ad demonstrandum, Deum esse.

Instabis *præterea.* Effectus est extrinsecus causæ: ergo per illum non potest vllo modo demonstrari existentia causæ. *Respondetur negando consequentiam:* licet enim effectus sit extrinsecus causæ; est tamen ab illa productus, & essentialiter ab illa dependens; & ideò per talem effectum existentia causæ potest demonstrari. Cuius ratio hæc est, *in primis*, quia causa virtualiter est in effectu, cùm sit aliquid illius. *Deinde*, quia definitio effectus, est quodammodò descriptio causæ, vt patet in hoc syllogismo: *Quidquid respirat, habet pulmones. Sed homo respirat: ergo habet pulmones*, vbi id, quod est *respirare*, est quasi descriptio pulmonum, qui sunt Organa data ad respirandum. *Insuper*, quia effectus est aliquid notius causâ; ideoque potest illam manifestare, esseque modus sciendi.

Obiectio tertia.

Obijcitur *III. contra corollarium I.* cum Gabriele in 1. sent. dist. 3. q. 4. ar. 2. concl. 3. vbi docet, posse demonstrari à priori per notitiam, quam beati formant de Deo, *Deum esse:* ergo Dei existentia est à priori demonstrabilis.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando Antecedens, vt constat ex corollario quarto: nam medium, quod assumitur per modum causæ in demonstratione, debet cognosci esse causa ipsi demonstranti; scientia autem beatorum nobis planè extrinseca, non potest facere, vt cognoscamus causam ipsius existentiæ Dei: proinde non potest nobis esse medium, quo à priori demonstretur existentia de Deo. *Præterea*, quia visio beata est temporalis: ergo non potest se habere per modum causæ nostro modo concipiendi, quo à priori probetur Deum esse, siquidem existentia Dei est æterna.

Qvæstio III.

An possit dari ignorantia de Deo, quòd sit.

Via cognoscendi Deum naturaliter triplex est.

SUppono ex S. Dionysio, triplicem esse viam cognoscendi Deum naturaliter. *In primis*, viâ causalitatis, quando ab ipsis rebus naturalibus, ad primam causam effectricem cognoscendo progredimur. Et sic cognoscitur sempiterna virtus, quia cognoscuntur quædam prædicata propria Dei; quæ tamen ipsi comparatione creaturarū conueniunt, vt sunt *esse primam causam, esse creatorem sempiternum. Secundò*, viâ eminentiæ, seu excellentiæ & sic cognoscim' ipsam diuinitatem, cuius creaturæ non sunt perfecta similitudo, sed imperfecta, & quasi vestigium à perfectione, atq; ab esse diuino multum deficiens. *Tertiò*, viâ remotionis, seu negationis quando videlicet prædicata realia, & abso-

& abſoluta, quæ ſunt communia Deo, & creaturis, coarctamus ad Deum, omnem creaturarum imperfectionem ab illo remouendo. v. g. quando concipimus Deum eſſe ens quoddam, atq; ſubſtantiam infinitam, illimitatam, omninò ſimplicem, omnipotentem incomprehenſibilem: concipimus quoq; eum ſapientiam infinitam, bonum per eſſentiam, &c. Et tunc potiùs cognoſcimus de Deo, quid non ſit; quàm quid ſit. Vt docet S. Dionyſius, cap. 2. de cœleſti hierarchia his verbis: *Nonnunquàm diſſimilibus interpretationibus, quæ negant, ab eiſdem ſcripturis, laudibus diuina eſſentia ornatur, vt cùm eam, vt ita dicam, inuiſibilem dicunt, immenſam, atq; incomprehenſibilem: quæ quidem nō quid ſit, ſed quid non ſit, ſignificant. Hoc enim meâ quidem ſententiâ, magis propriè in ea dicitur.* Quæritur itaq; an creatura rationalis poſſit inueniri ita Deum ignorans, vt nullo penitùs ex his tribus modis eum cognoſcat.

Suppono *præterea*. Præſentem quæſtionem maximè procedere de ignorantia inuincibili, quæ nullo ſtudio, aut diligentiâ vinci, ac ſuperari poteſt, non verò de ignorantia vincibili, quæ adhibitâ diligentiâ morali, vinci, ac ſuperari poteſt, eò quòd hæc ſit voluntaria ſaltem indirectè, proinde culpabilis, iuxta illud Prophetæ: *Noluit intelligere, vt benè ageret.*

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Non poteſt dari ignorantia inuincibilis de exiſtentia Dei.

CONcluſio. Non poteſt dari ignorantia inuincibilis, & inculpabilis de exiſtentia Dei. *Probatur I. ex ſcriptura Sacra*, Iob 36. *Omnes homines vident eum, & vnuſquiſq; intuetur procul.* Et ſapien. 13. *Vani ſunt homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* Hinc S. Paulus ad Rom. 1. eos, qui Deum ignorant, dicit eſſe inexcuſabiles; quod tamen dici non poſſet, ſi inuincibiliter Deum ignorarent, cùm ignorantia inuincibilis excuſet à peccato, vt docet S. Auguſt: lib. 3. de libero arbitrio, cap. 15. illis verbis: *Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, ſed quòd negligis quærere, quod agnoſcis.* Ergo non poteſt dari ignorantia inuincibilis de exiſtentia Dei.

Probatur II. *ratione*. Ex communi Theologorum ſententia præcepta legis naturæ non poſſunt inuincibiliter ignorari: ergo neque Deus, qui eſt author, & finis talium præceptorum. Alioqui ſi homo inuincibiliter ignoraret Deum, nullum eius peccatum eſſet mortale, ſiquidem ratio, & malitia peccati mortalis petitur ex iniuria Dei; Deus autem non poteſt iniuriâ affici, niſi cognoſcatur.

Probatur III. Deus omnes, & ſingulos homines ad cognitionem ſui condidit, vireſq; copioſas ad id aſſequendum indidit: proinde non eſt credibile, eos, poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerint, relinqui ab ipſo ſine irritamento virium datarum, quibus aſſurgant in cognitionem veri Dei. Ergo non datur ignorantia inuincibilis Dei, quòd ſit. Et certè, ſi omne brutum recenter natum agnoſcit ſuum patrem ex inſtinctu naturæ, quomodò homo vbi cœperit vti ratione, Deum ſuum Patrem non agnoſcet. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Etiam rudes homines non habent inuincibilē ignorantiam de Deo.

Corollarium I. Etiam homines inculti, & agreſtes, ac in ſyluis, vel nemoribus enutriti, non habent inuincibilem ignorantiam de vero Deo, quòd ſit. Ita S. Gregor. lib. 17. moralium capt 3. vbi dicit: *Omnis homo eo ipſo, quòd rationalis eſt conditus, debet ex ratione colligere, eum qui ſe condidit, Deum eſſe.* Et S. Damaſcenus lib. 7. Orthodoxæ fidei, cap. 1. dicit: *Notitia Dei omnibus à natura eſt inſita, neq; id aliquis ratione vtens ignorare poteſt.*

Inſuper Tertullianus lib. 3. aduerſus Marcionem dicit: *Prima animæ rationalis dos, Dei notitia eſt.*

Corollarium II. Atheiſmus non habuit, nec potuit habere inuincibilem ignorantiam de veri Dei exiſtentia. Ita S. Hilarius lib. 11. de Trinit. vbi de Deo ita ſcribit: *Neq; mundo ignorabilis effici poteſt, quem Prophetia volumina conſignant, quem temporum quotidiè proficiens plenitudo teſtatur, quem Apoſtolorum, & Martyrum, per virtutum operationes loquuntur ſepulchra, quem poteſtas nominis ſui probat, quem inuidi ſpiritus profitentur, quem punitorum dæmonum reſonant mugitus, quem gentiles agnouerunt, quem tota natura prædicat, & quem omnes omnium populorum, conſenſus eſſe teſtantur.*

Atheiſmus solùm craſſam & vincibilē ignorantiam habuit de vero Deo.

Corollarium III. Atheiſmus solùm craſſam & vincibilem ignorantiam habuit de Deo vero, quòd ſit. *Ratio*: quia eiuſmodi ignorantia, adhibita morali diligentiâ facile vinci, & ſuperari poteſt. *In primis hac ratione, ex parte motus deſumptâ.* Datur vnus primus motor, omninò immobilis. Sed hic eſt Deꝰ. Ergo datur Deꝰ. *Maior eſt Ariſtotelis*, 7. & 8 Phyſicorum, & facilè patet: quia omne quod mouetur, ab alio mouetur; cùm autē in mouentibꝰ, & motis per ſe ſubordinatis, nō poſſit dari proceſſus in infinitū, omninò deueniendum eſt ad primum mouens immobile, quod iam à nullo moueatur, ſed immotum manens cuncta alia moueat. *Minor etiam manifeſta*: quia nomine Dei intelligitur id, quo nihil maius, aut melius excogitari poteſt. Sed primus motor omninò immobilis, talis eſt; cùm debeat eſſe actus purus, carens omni potentialitate: ergo eſt Deus.

Secunda ratio deſumitur ex ratione cauſæ efficientis in hunc modum. Prima cauſa efficiens eſt Deus. Sed datur vna cauſa prima efficiens: ergo datur Deus. *Maior patet*: quia prima cauſa illa dicitur, quæ eſt independens ab omni alia in cauſando, atq; adeò in eſſendo: quoniam cauſare, & operari, ſequitur ipſum eſſe; nihil autem aliud nomine Dei intelligitur, niſi aliquod ens, quod eſt à ſe, & independens à quocunq; alio: ergo prima cauſa efficiens eſt Deus.

Tertia *ratio ex contingenti, & neceſſario ſumpta, talis eſt*. Datur in rerum natura aliquod ens neceſſarium, de cuius ratione, & eſſentia eſt, quòd ſit, & exiſtat neceſſariò. Sed tale ens eſt Deus: ergo datur Deus. *Maior patet*: quia alias ſequeretur, omnia entia, quæ ſunt in rerum natura, eſſe contingentia, ac poſſibilia eſſe, & non eſſe, & conſequenter nullum ens de facto dari à parte rei, ſiquidem ea, quæ ex ſe, & ex ſua ratione ſpecifica, ac eſſentiali, poſſibilitatem tantùm habent ad exiſtendum, non poſſunt poni in rerum natura, neq; reduci de potentia in actum exiſtendi, niſi per ens aliquod neceſſarium, & cui per ſe ac ex natura ſua conueniat exiſtere. Talia autem ſunt contingentia, vnde contingens definiri ſolet, quod habet potentiam ad eſſendum, vel non eſſendum. *Minor etiam conſtat*: quia ens neceſſarium debet eſſe, à ſe, & improductum, ac independens, proinde Deus.

Quarta *ratio*, deſumitur ex varijs gradibus bonitatis, & perfectionis, qui inueniuntur in rebus, oſtendendo Deum eſſe primum, ac perfectiſſimum ens, & quòd ſit cæterorum cauſa. *Quinta tandem ratio*, deſumitur ex gubernatione rerum, ac neceſſitate vnius ſupremi gubernatoris, qui ſingulas creaturas in ſuos fines ordinet, & dirigat; hic autem non poteſt eſſe alius, niſi Deus. Et ex his quinq; rationibus facilè cognoſcūtur quinq; conditiones, ſeu attributa diuinitatis, quæ non poſſunt niſi ſoli Deo conueni-

Attributa diuinitatis, quæ ſoli Deo cōueniūt, quinq; ſunt.

conuenire: nam ex immobilitate cognoscitur attributum immutabilitatis, ex quo deducitur immensitas, & æternitas. *Deinde*, ex ratione causæ primæ efficientis, cognoscitur eius omnipotentia circa creaturas. *Præterea*, ex eo, quòd sit ens à se, ac necessarium, cognoscitur omnis perfectio, bonitas, immaterialitas, & ratio actus purissimi. *Vlteriùs ex eo*, quòd sit primum, & perfectissimum ens, cognoscitur eius simplicitas, ac eminentia, quòd nimirùm non sit corpus, nec in vllo prædicamento ponatur: quòd sit suum esse, quòd sit infinitus, vnus, &c. *Insuper* ex eo, quòd sit supremus gubernator rerum omnium, cognoscitur eius sapientia, prouidentia, amor, iustitia misericordia, aliæq; perfectiones, & attributa, quæ relucent in gubernatione huius vniuersi.

Gentiles & Pagani colentes plures Deos sunt inexcusabiles ab inquisitione, & cognitione vnius veri Dei.

Corollarium IV. Gentiles, & Pagani, innumerabilem deorum multitudinem adorantes, sunt inexcusabiles, quòd vnum verũ Deum non inquisiuerint, nec cognouerint. *Ratio* desumitur ex ipso instinctu naturali hominum, qui etiam in medijs gentilitatis erroribus, communi sermone Deum vnicum semper agnouerunt, vt probat Tertullianus lib. de testimonio animæ, vbi dicit: Ethnicos sæpè solitos dicere, *Deus videt*, *si Deus dederit*. Idem docet Lactantius lib. 2. institut. Christianarum cap. 1. vbi loquens de paganis, ita scribit: *Nam & cùm iurant, & cùm gratias agunt, non Deos multos, sed Deum nominant: adeò veritas ipsa cogente naturâ, etiam ab inuitis pectoribus erumpit.*

Corollarium V. Non tantùm regulariter, & per se, sed etiam per accidens, & extraordinariè, non potest dari in vllo homine ignorantia inuincibilis de Deo, quòd sit. *Ratio*: quia si homo inuincibiliter, & inculpabiliter posset ignorare verum Deum, posset quoq; inculpabiliter adorare Deum falsum, atq; sic ex ignorantia inuincibili, posset excusari à peccato idololatriæ, quod est summum absurdum.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio contra conclusionem.

OBijcitur *contra conclusionẽ, & primum eius corollarium*. Cognitio Dei non est nobis à natura insita, immediatè; quemadmodùm notitia primorum principiorum, sed habetur tantùm per ratiocinationem, ac discursum: ergo cùm plurimi sint homines inculti, & agrestes, ac prorsùs incapaces omnis demonstrationis, & discursus, saltem in illis potest dari ignorantia inuincibilis de existentia Dei. *Respondetur, concesso antecedente, negatur cõsequentia*: nam ad tollendam ignorantiam inuincibilem, non est necessaria cognitio euidens, & demonstratiua, sed sufficit coniecturalis, & probabilis, quæ haberi potest per relationem, aut instructionem aliorum. Vnde vt ignorantia Dei non sit inuincibilis, & inculpabilis, sufficit, quòd homini incidat aliqua cogitatio, & cognitio probabilis, quòd in hoc vniuerso ita perfectè disposito, sit supremus aliquis gubernator, cui sit parendum, sequendo bonum honestum, & dictamen rationis, qualiscunq; tandem ille sit: nam eo ipso tenetur inquirere quis ille sit, & qua ratione colendus. Quòd si id contempserit, non habebit ignorantiam inuincibilem, sed vincibilem.

Solutio eiusdem.

DISPVTATIO II.

De natura & quidditate Dei.

POst explicatam existentiam Dei, rectâ methodo procedẽdo, agendum est de ipsa natura, & quidditate Dei, eò quòd natura, & quidditas rei, sit fundamentum omnium, quæ in aliqua scientia docentur,

tur, sitq; ratio à priori, per quam proprietates de suo obiecto demonstrantur.

QVÆSTIO I.

Quodnam sit formale constitutiuum essentiæ, seu naturæ diuinæ.

SEnsus quæstionis est iste, per quidnam formaliter constituatur natura diuina, strictè sumpta, & vt est eminenti quodam modo radix diuinorum attributorum, à quibus virtualiter distinguitur. Sicut ergo licet personalitas in Deo, cum diuina natura, eiusq; attributis, realiter identificetur, inquirunt Theologi in Tractatu de Trinitate, per quid diuinæ personæ constituantur, num per relationes, an verò per origines. Ita licet omnia, quæ sunt in Deo, sint realiter idem, vbi non obuiat oppositio relationis: nihilominùs quia vnica, & simplicissima diuinitatis substantia, æquiualet varijs perfectionib⁹, quæ in rebus creatis realiter distinguuntur; inde fit, quòd in Deo cum fundamento in re concipiamus aliquam perfectionem, quæ se habeat per modum naturæ; alias verò, quæ habent rationem proprietatis, & attributi, & quæ secundùm modum nostrum concipiendi, ad diuinam naturam consequuntur, eamque veluti modificant, & trahunt ad aliam lineam. Propterea quod meritò inquiritur, per quidnam diuina natura, sub ratione naturæ, & vt eminenti quodam modo, est veluti radix, & ratio à priori, seu causa virtualis diuinorum attributorum, constituatur.

Natura in Deo dupliciter vsurpatur.

Suppono itaque in Deo naturam, siue essentiam dupliciter vsurpari. *Primò*, in lata significatione, quatenus nimirùm significat ipsam entitatem, & substantiam increatam Dei, quæ se habet per modum transcendentis, includiturq; in diuinis relationibus, & attributis, ad cum proportionaliter modum, quo ratio entis creati, ac finiti, imbibitur in omnibus differentijs, atque modis rerum creatarum. *Secundò*, rigorosè, & propriè quatenùs scilicet in Deo natura concipitur veluti radix, & ratio à priori diuinorum attributorum, à quibus virtualiter distinguitur, & in quibus sub hac ratione non concipitur, vt transcendentaliter inclusa.

Res dupliciter constituuntur.

Suppono *præterea*. Res dupliciter constitui, *primò* per compositionem, aut realem, sicut homo physicè constituitur ex corpore, & animâ: aut rationis cum fundamẽto in re, sicut homo metaphysicè componitur ex genere, & differentiâ. *Secundò*, per constitutionem purissimam, excludentem omnem compositionem, ac distinctionem extremorum, quæ constitutio à Theologis vocari solet, *per simplicitatem*, vt patet in diuinis personis, quæ constituuntur per relationes modo quodam purissimo, & libero ab omni compositione, tam physicâ; quàm metaphysicâ. Et in hoc sensu procedit quæstio de constitutiuo formali naturæ Diuinæ. Circa quod.

Opiniones quatuor.

Prima opinio adstruens distinctionem virtualem in Deo, inter essentiam diuinam sub conceptu essentiæ, & sub conceptu naturæ, vult sub priori ratione diuinitatem constitui per conceptum entis à se, aut substantiæ immaterialis, per essentiam. sub posteriori autẽ conceptu, vult eandem constitui per intelligere diuinum, quatenus habet pro obiecto essentiam diuinam, à se ratione distinctam. Hanc tenet Petrus Corneio Carmelita 1. p. q. 14. & aliqui ex recentioribus Thomistis.

Altera opinio censet, naturam diuinam constitui per infinitatem, seu per congregationem omnium perfectionum, quæ sunt in Deo.

Hanc

Hanc sequitur Scotus in 1. sent. dist. 3. q. 1. & Scotistæ.

Tertia opinio asserit, naturam, & quidditatem Dei, consistere in eo, quòd sit ens à se, & per essentiam. Hanc sequuntur Bannes, Capreolus, Ledesma, & alij.

Quarta opinio affirmat, naturam diuinam constitui per gradum intellectiuum, vt potè perfectissimum ex tribus, gui admittuntur naturas constituere, nimirùm esse, viuere, & intelligere. Alphonsus itaq; Curiel, & Philippus à SS. Trinitate, alijq; recentiores putant, naturam diuinam constitui per radicem intelligendi. Iam verò Nazarius, Gonzales, Salmanticenses, Ioannes à S. Thoma, & alij dicunt, naturam diuinã constitui per ipsum intelligere purissimum, & actualissimum, vt est per se subsistens in ordine intellectuali, & vltima huius ordinis actualitas.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Formale constitutiuum essentiæ diuinæ, est intelligere diuinum.

CONclusio. Formale constitutiuum essentiæ, seu naturæ diuinæ, est intelligere diuinũ, sub conceptu formali vltimæ actualitatis completæ, & per se subsistentis in genere intellectuali. *Probatur 1. authoritate S. Thomæ* 1. p. q. 18. ar. 2. ad 1. vbi dicit: *Sentire, & intelligere, & huiusmodi, quandoq; accipiuntur pro quibusdam operationibus; quandoq; autem pro ipso esse sic operantium.* Ergo iuxta S. Thomam, intelligere diuinũ non solum habet rationem operationis verùm etiam est ipsum esse, seu essentia Dei operantis, atq; sic est formale constitutiuum naturæ diuinæ strictè sumptæ, & vt est eminenti quodam modo radix diuinorum attributorum.

Probatur *II. ratione.* Constitutiuum naturæ diuinæ, debet pertinere ad gradum intelligendi, cùm ille sit perfectissimus ex tribus naturarum constitutiuis, vt dictum est in opinione quarta. Sed nihil aliud ex ijs, quæ pertinent ad talem gradum, potest formaliter constituere naturam diuinam, præter ipsum intelligere purissimum, actualissimum, & per se subsistens. Ergo est formale constitutiuum naturæ diuinæ. *Minor ostenditur.* Ad gradum intellectiuum in Deo, pertinet *primò*, ratio substantiæ immaterialis per essentiam, & radicaliter intellectiuæ. *Deinde*, vis proxima intelligendi, seu intellect⁹ proximè intellectiuus. *Præterea* species: *insuper* ipsum intelligere, vt habet rationem operationis, & prout concipitur vt quædam emanatio à principio intelligente. *Demùm*, ipsum intelligere, vt est actus purissimus, & per se subsistens in ordine intellectuali. Sed nullum ex his præter vltimum, potest habere formaliter rationem essentiæ, seu naturæ in Deo: ergo nihil ex ijs, quæ pertinent ad talem gradũ, potest formaliter constituere naturam diuinam, præter idsum intelligere purissimum, actualissimum, & per se subsistens. *Minor patet*: quia *ratio substantiæ immaterialis*, & radicaliter intellectiuæ, sicut & vis proxima intelligendi, non exprimunt, summam actualitatem in Deo, neq; ab illo excludãt omnem vmbram, & vestigiũ potentialitatis, sed concipiuntur per modum actus primi, proximi, vel radicalis. Item *species intelligibilis* concipitur per modum principij complentis, & fæcundantis in actu primo potentiam ad intelligendum. Similiter intelligere sub conceptu, & formalitate operationis, supponit aliquid prius in Deo, secundùm nostrum modum concipiendi: ergo cùm natura diuina debeat consistui per modum actus purissimi, esseq; id, quod primò concipitur in Deo, ista omnia non constituunt naturam diuinam formaliter, sed ipsummet intelligere purissimum, actualissimum, & per se subsistens, quod exprimit summam illius ordinis perfectionem, & actualitatem, estq; id, quod primò in Deo concipitur. Nam nomine Dei concipimus intelligentiam purissimam, & actualissimam, quæ semper sit in actu secundo intelligendi, & à qua excludatur omnis vmbra, omneq; vestigium potentialitatis, ac defectus. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Natura diuinã non constituitur formaliter per infinitatem.

Corollarium I. Natura diuina non constituitur formaliter per infinitatem, aut per aggregationem omnium perfectionum, quæ sunt in Deo. Est contra secundam opinionem. *Ratio primi*: quia infinitas in Deo non importat naturam, sed potiùs modum naturæ: ergo illam non constituit. *Antecedens manifestum*: tum quia infinitas solùm importat modum habendi aliquam perfectionem sine termino, & fine. *Tum*, quia infinitas habet se respectu Dei; sicut finitas respectu creaturæ, quæ in creatura non est natura, sed modus naturæ. *Tum* quia infinitas in Deo est quid transcẽdens, & commune relationibus, atq; attributis: omnia enim quæ sunt in Deo, sunt infinita. *Tum* quia infinitas est à priori demonstrabilis de Deo, vnde S. Thomas 1. p. q. 7. probat Deum esse infinitum ex eo, quia esse diuinum nõ est receptum in aliquo, sed per se subsistens; at verò natura diuina non est demonstrabilis per aliquam rationem à priori, imò potiùs est ratio à priori, per quam omnia attributa demonstrantur.

Ratio *etiam secundi est*: quia si ad constitutionem diuinæ naturæ, concurrerent omnes perfectiones simpliciter simplices, illaq; formaliter cõsisteret in cumulo omnium perfectionum, quæ sunt in Deo, tunc æq; benè concurreret ad constitutionem diuinæ naturæ, *velle* quàm *intelligere*. Hoc autem dici non potest, *tum*, quia voluntas cùm sit inclinatio consequens ad naturam, non potest eam constituere, sed omninò debet eam supponere constitutam. *Tum*, quia si *velle* diuinum concurreret ad constitutionem diuinæ naturæ; sicut *intelligere*, Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis, diuinam naturam reciperet, sicut Verbum, & sic eius processio non minùs esset generatio; quàm productio Verbi, quòd fidei repugnat.

Natura diuina strictè sumpta nõ constituitur per esse à se.

Corollarium II. Natura diuina strictè sumpta, vt est eminenti quodam modo radix diuinorum attributorum, non constituitur per *esse à se*, seu per rationem entis increati, ac per essentiam; sed solùm natura diuina latè sumpta, & vt dicit ipsam substantiam, ac entitatem increatam Dei, communem naturæ, relationibus, & attributis, in illisq; transcendentaliter inclusa. Est contra tertiam opinionem. *Ratio primi*: tum quia *esse à se*; siue ratio entis increati, ac per essentiam, inuenitur in omni attributo, & persona diuina, in omniq; eo, quod diuinum est; quemadmodùm ratio entis creati, & per participationem, includitur in omni eo, quod creatum est. Et sic non potest in Deo discernere id, quod est natura, ab eo, quod est attributum, aut persona, aut operatio; cùm tamen in sententia Philosophorum, idem sit constitutiuum, & distinctiuum rei. *Tum*, quia natura diuina formaliter constituitur per gradum intellectiuum: ergo non per rationem entis à se, ac per essentiam. *Consequentia manifesta: Antecedens etiam patet*: quia natura diuina constitui debet per gradum perfectissimum, cuius modi est pradus intellectiuus.

Ratio verò *secundi est*: quia sicut homo dupliciter considerari potest. *Primò*, vt est ens creatum, & sub hac ratione constituitur per rationem entis ab alio, atq; participati.

pati. *Secundò* formaliter, vt eſt homo, & quædam ſpecies animalis, & ſub hac ratione non conſtituitur per rationem entis ab alio, quæ tranſcendentaliter includitur in omni ente creato, ſed per rationalitatem, per quam diſtinguitur ab alijs actibus, quæ eſt radix riſibilitatis, virtutis admiratiuæ, aliarumque proprietatum humanæ naturæ. Ita quoq; natura diuina duobus modis conſiderari poteſt, *primò* vt eſt ens increatum, & à creaturis diſtinctum, & ſub hac ratione conſtituitur, per rationem entis à ſe, ac per eſſentiam. *Secundò* formaliter vt eſt natura, & radix diuinorum attributorum, & ſic non conſtituitur per rationem entis à ſe, cùm talis ratio ſit tranſcendens, & communis eſſentiæ, relationibus, & attributis. Ergo ſolùm natura diuina latè ſumpta, & vt dicit ipſam ſubſtantiam, ac entitatem increatam Dei, communem naturæ, relationibus. & attributis, in illiſq; tranſcendentaliter incluſa, conſtituitur per eſſe à ſe.

Natura diuina non cõſtituitur formaliter per radicalem intellectualitaté.

Corollarium III. Natura diuina non conſtituitur formaliter per radicalem intellectualitatem, vel per proximam vim intelligendi. *Ratio:* quia natura diuina, cùm ſit actus purus, & omnis potentialitatis expers, conſtitui debet modo puriſſimo, & actualiſſimo, ac remoto ab omni potentialitate, & defectu: ergo debet conſtitui per ipſum intelligere actualiſſimum; non verò per intellectualitatem radicalem, aut per vim proximam intelligendi, cùm hæc ſit quaſi potentialis ad actu intelligendum, concipiturque per modum actus primi; non verò per modum vltimæ actualitatis, ſicut ipſum intelligere.

Corollarium IV. Intelligere diuinum ſub conceptu, ſeu formalitate operationis, non conſtituit diuinam naturam. *Ratio:* quia conſtitutiuum, rei alicuius nihil præſupponit in illa. ſed intelligere diuinum, ſub conceptu, ſeu formalitate operationis, præſupponit aliquid prius in Deo ſecundùm modum noſtrum concipiendi: Nam intellectio vt habet rationem operationis, concipitur vt emanatio quædam à principio intelligente, ſecundùm modum noſtrum concipiendi, proinde præſupponit principium vitale, & intelligens, à quo egreditur. Ergo non poteſt dici conſtitutiuum formale naturæ diuinæ. Et hoc expreſsè docet S. Thomas q. 1. de potentia, ar. 1. ad 1. vbi dicit: *Eſt autem de ratione operationis, habere principium, non de ratione eſſentiæ,* vnde licèt eſſentia diuina non habeat aliquod principium, neq; re, neq; ratione; tamen operatio diuina habet aliquod principium, ſecundùm rationem.

Natura & eſſentia in Deo non diſtinguuntur virtualiter.

Corollarium V. Natura, & eſſentia in Deo, non diſtinguuntur virtualiter, & ſic non poſſunt illis aſſignari diuerſa conſtitutiua, virtualiter diſtincta. *Ratio:* quia illa tantùm virtualiter diſtinguuntur in Deo, quæ æquiualent pluribus, quæ ex genere ſuo, & ex propria ratione formali in creaturis diſtinguuntur. Iam verò ratio eſſentiæ, & naturæ non diſtinguuntur in creaturis ex genere ſuo, ſed ſolùm ex limitatione, & potentialitate creaturæ: ideò enim eſſentia in creaturis virtualiter diſtinguitur à natura, quia eſſentia, licet actuata per eſſe; adhuc tamen concipitur, & eſt in potentia ad operationem, ex eo, quòd non ſit actus purus, ſed potentialitati admixtus. Quocirca ſi eſſentia rei creatæ, tantæ eſſet actualitatis, & perfectionis, vt ſemper eſſet actu operans, & quando eſt exiſtens, non poſſet eſſe, aut concipi in potentia ad operationem, tunc in ea non poſſet cum fundamento in re, diſtingui virtualiter eſſentia, & natura.

Cùm ergo Deus ſit actus purus, non ſolùm in ordine entitatiuo; verùm etiam in intelligibili, & operatiuo, & ſubſtantia eius tantæ ſit puritatis, & actualitatis, vt non poſſit eſſe, aut concipi cum potentia ad exiſtentiam, aut ad operationem; ideò nullum poteſt in eo eſſe fundamentum, ad ponendam diſtinctionem virtualem inter eius eſſentiam, & naturam.

Vnde *ſciendum eſt,* quòd vt aliquæ perfectiones, aut rationes, in Deo virtualiter diſtinguantur, non ſufficiat, quòd illæ æquiualeant pluribus rationibus, aut perfectionibus, in creaturis realiter, aut virtualiter diſtinctis, ſed neceſſariò requiritur, quòd illa plura ex genere ſuo ſint diuerſa, & ad diuerſas lineas pertinentia. Quia ergo in creaturis eſſentia, & exiſtentia, intellectus & intellectio, voluntas & volitio, non differunt ex genere ſuo, neq; pertinent ad diuerſas lineas, cùm non habeant diuerſa obiecta formalia; ideò non diſtinguuntur virtualiter in Deo, ſed ſolâ diſtinctione rationis, deſumptâ ex ordine ad creaturas. *Et ratio iſtius eſt:* quia quoties vna formalitas præſtat propria plurium vnius lineæ, non æquiualet illis vt pluribus, ſed vt vnum ſunt, & quatenùs ſpectant ad illam lineam. Quoties autem æquiualet pluribus, vt ad diſtinctas lineas pertinentibus, tunc illis æquiualet vt pluribus: atq; iſta ſolùm æquiualentia virtutis, arguit multiplicitatem virtualem. Hinc etiamſi intellectus diuinus, æquiualeat omnibus intellectibus creatis; non ideò tamen eſt virtualiter multiplex, eò quòd omnes illi pertineant ad eandem lineam. Iam verò quia ſimpliciſſima formalitas diuinæ eſſentiæ, & relationis, æquiualet eſſentiæ creatæ, ac eius relationibus, (quæ duo in creaturis per ſe pertinent ad diuerſas lineas) ideò relationes in diuinis ab eſſentia virtualiter diſtinguuntur.

Articvlvs II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra concluſionem,* authoritas S. Thomæ, qui 1. p. q. 26. ar. 2. in corpore dicit: *In Deo non eſt aliud eſſe, & intelligere ſecundùm rem, ſed tantùm ſecundùm intelligentiæ rationem.* Ergo iuxta S. Thomam, conſtitutiuum formale eſſentiæ diuinæ, non eſt intelligere diuinum ſub conceptu formali vltimæ actualitatis completæ. *Conſequentia patet:* Nam ſi *intelligere* eſſet diuinæ naturæ conſtitutiuum, non diſtingueretur virtualiter ab eſſe, & quidditate Dei, atq; ſic in Deo intelligere, & eſſe, idem eſſent non tantùm ſecundùm rem, verùm etiam ſecundùm intelligentiæ rationem.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando conſequentiam, cum ſua probatione. Ad authoritatem verò S. Thomæ dicitur, S. Thomam in citatis verbis loqui de diſtinctione rationis, quæ fundatur in noſtro modo concipiendi res diuinas per analogiam ad creaturas, in quibus eſſe, & intelligere diſtinguuntur realiter, vnumq; præſupponitur ad aliud; non verò de diſtinctione rationis, quæ habet fundamentum in Deo, vocaturq; à Theologis virtualis. Atq; ſic intelligere à natura diuinâ iuxta S. Thomam, ſolùm diſtinguitur diſtinctione rationis, fundatâ in noſtro modo cocipiendi; non autem virtualiter.

Inſtantia & ſolutio eiuſdem.

Inſtabis. Idem S. Doctor 1. ad Annibaldum diſt. 35. q. 1. ar. 2. ad 3. dicit: *Sicut intelligere eſt idem re cum eſſentia, ſed differens ratione; ita & velle.* Sed velle differt virtualiter ab eſſentia diuina, diſtinctione rationis fundatâ in re conceptâ, & non ſolùm in modo noſtro concipiendi: ergo & intelligere

gere distiguitur virtualiter ab eadem. *Respondetur I. Concedendo subsumptum, & negando consequentiam*: Nam S. Thomas in citato loco, non comparat *intelligere* cum *velle*, quantum ad modum, sed solùm quantum ad genus distinctionis, nimirùm in eo, quòd non distinguantur realiter, sed ratione. *Velle* igitur, cùm sit quid consequens ad naturam, pertinensq; ad diuersam lineam, distinguitur virtualiter ab essentia diuinâ: at verò *intelligere*, quia est constitutiuum naturæ diuinæ, solùm ab ea distinguitur distinctione rationis ratiocinantis, & ex parte conceptus formalis, non obiectiui. *Respondetur II.* S. Thomam ibi loqui de *intelligere* scientifico, & attributali, quod virtualiter distinguitur à naturâ diuinâ, sicut & velle; non loquitur autem de intelligere essentiali, & constitutiuo naturæ. *Respondetur III.* Loqui ibi D. Thomam de essentia diuinâ, vt habet rationem transcendētis increati, & significat ipsam substantiam, atq; entitatem increatam Dei, in qua acceptione essentia diuina, virtualiter distinguitur ab intelligere sicut & velle.

Intelligere diuinum aliud est attributale, aliud essentiale.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. Intelligere in Deo, supponit aliquid prius, secundùm rationem, & modum nostrum intelligendi, quod de natura dici non potest: ergo non est constitutiuum naturæ diuinæ. *Consequentia patet*: quia intelligere in Deo, est operatio secundùm modum nostrū concipiendi, proinde supponit intelligentē intellectum, & speciem intelligibilē: ergo supponit aliquid prius secundum rationem. *Respondetur concedendo antecedens*, de intelligere sub conceptu formali actionis emanantis ab aliquo principio, vt ostensum est in corollario IV. non autem de intelligere sub conceptu formali vl-timæ actualitatis completæ, & per se subsistentis in ordine intellectuali: & sic *negatur consequentia. Ad cuius probationem, conceditur*, intelligere diuinum esse operationem, & negando quòd ideò debeat præsupponere aliquid prius: solùm enim de ratione operationis finitæ, ac limitatæ est, vt præsupponat principium, â quo egreditur; non autem de ratione operationis infinitæ, & illimitatæ, quæ est eminenter formaliter operatio. Intelligere itaq; in Deo, cùm sit infinitum, ac illimitatum, non est tantùm operatio, sed continet eminenter formaliter rationem operationis, speciei intelligibilis, ac principij tam proximi, quàm radicalis intelligendi, proinde non solùm est operatio, & intellectio, sed etiam principium operans, & intelligens, intellectus, ac species intelligibilis, sine distinctione virtuali, cum solâ distinctione rationis.

Solutio eiusdem.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra corollarium I.* Illud est formale constitutiuum naturæ diuinæ, quod est incommunicabile creaturis, sed sola infinitas in Deo est incommunicabilis: ergo sola infinitas est formale constitutiuum naturæ diuinæ. *Maior* videtur esse vera: quia illud debet esse constitutiuum essentiale rei, quod est eius distinctiuum, & quod nullatenùs cæteris competit. *Maior etiam manifesta*: quia esse, viuere, intelligere, & aliæ perfectiones simpliciter simplices, communicantur creaturis, & sola infinitas non communicatur, nec est communicabilis. *Respondetur negando Maiorem*: Nam formale constitutiuum, seu ratio, in qua consistit essentialiter natura diuina, debet esse participabilis à creatura, saltem diminutè, & inadæquatè: quoniam ens per essentiam, ex sua ratione habet,

Obiectio secunda.

quòd possit se communicare entibus per participationem, & ipsa gratia sanctificans sit diminuta quædam, & inadæquata participatio diuinæ naturæ. Vnde ex eo, quòd infinitas sit incommunicabilis creaturis, non sequitur eam esse formale constitutiuum, seu Dei naturam, & quidditatem; sed potiùs modum quendam naturæ diuinæ, ei proprium, & alijs naturis incommunicabilem. *Similiter probatio maioris distinguitur.* Illud est constitutiuum rei, quod est eius distinctiuum ab alijs, tanquàm ratio specifica, & differentialis, *conceditur* · tanquàm modus illi proprius, & alijs incommunicabilis, *negatur*.

Instabis. Sequeretur ex hac responsione, Deum non esse per se primò, & essentialiter infinitum; quemadmodùm quia essentia hominis non consistit in risibilitate, ideò homo non potest dici per se primò, & essentialiter risibilis. Hoc autem dici non potest, cùm deroget summæ perfectioni diuinæ. *Respondetur negando sequelam*: nam vt Deus dici possit per se primò, & essentialiter infinitus, sufficit, quòd infinitas concipiatur, vt modus diuinæ naturæ, in ea transcendentaliter imbibitus, & ab ea imprescindibilis. Quemadmodùm vt creatura dicatur, & sit intrinsecè, ac essentialiter finita, sufficit, finitatem modum esse eius naturæ, ab ea inseparabilem.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *Contra corollarium II.* Illud est formale constitutiuum naturæ diuinæ, quod exprimit maiorem perfectionem, & actualitatem. sed *esse per se*, cùm sit magis abstractum, ac illimitatum, quàm *intelligere*, exprimit maiorem perfectionem, & actualitatem: ergo est formale constitutiuum naturæ diuinæ. *Respondetur negando minorem*, quod nimirùm *esse per se*, maiorem perfectionem, & actualitatem exprimat; quàm intelligere per se subsistens, Licet enim *esse*, sit magis abstractum, abstractione potentiali, & vniuersali; seu magis commune, & vniuersale, quàm *intelligere*; non tamen abstractione formali, cùm non sit magis remotum à potentialitate: sicut enim *esse*, est vltimus actus ordinis entitatiui; ita *intelligere*, est vltima actualitas gradus intellectiui.

Solutio eiusdem.

Instantia & solutio eiusdem.

Instabis. *Esse à se*, seu esse increatum, prius est; quàm intelligere: *ergo esse à se*, magis est abstractum, quàm *intelligere*, & consequenter illud est potiùs constitutiuum formale naturæ diuinæ; quàm hoc. *Respondetur distinguendo Antecedens.* Esse à se prius est; quàm *intelligere*, per modum transcendentis, & communis prædicati, *conceditur*: per modum gradus quasi differentialis, naturam diuinam constituentis, *negatur antecedens, & consequentia.* Sic etiam ens, substantia, corpus, & viuens, sunt priora rationalitate; & tamen non per illa, sed per rationalitatem natura humana constituitur.

Obiectio quinta.

Obijcitur V. *Contra corollarium III.* Natura diuina proportionaliter constitui debet; quemadmodùm & aliæ naturæ intellectuales: ergo sicut natura hominis constituitur per hoc, quòd sit radicaliter intellectiua intellectione humanâ; & natura Angeli per hoc, quòd sit radicaliter intellectiua intellectione Angelicâ, etiam natura diuina constitui debet per intellectualitatem radicalem. *Respondetur negando Antecedens*: natura enim Angelica, & humana cùm sint potentiales, debent constitui per intellectualitatem radicalem, non verò per ipsum intelligere radicale. At verò natura diuina, cùm sit actus purus, & omnis potentia-

Solutio eiusdem.

litatis expers, non potest constitui per vim intelligendi tàm radicalem; quàm proximam, sed solum per ipsum intelligere purissimum, & actualissimum.

Instantia.

Instabis. Per illud formaliter constituitur natura diuina, quod participatur à gratia sanctificante, quæ est participatio formalis naturæ diuinæ. Sed gratia cùm sit habitus supernaturalis, separabilis ab actu secundo, solùm participat intellectualitatem diuinam; non verò ipsum intelligere actuale, quod solùm participatur a visione beatâ, per quam beati constituuntur in actu secundo intelligentes, & videntes diuinam essentiam: ergo essentia diuina formaliter constituitur per intellectualitatem diuinam.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concesßâ maiore, distinguitur minor. Gratia non participat intelligere diuinum adæquatè, *conceditur*: inadæquatè, *negatur*. Quod sic concipi debet, *intelligere diuinũ*, licet purissimum, & actualissimum. ac simplicissimum; ratione tamen suæ eminentiæ, & infinitatis, diuersa munia inadæquata in Deo obit, ratione quorum etiam diuersimodè à creaturis participari potest. Nam quatenùs gerit vices virtutis intellectiuæ, participatur á lumine gloriæ: quatenùs supplet munus operationis, & cognitionis, quâ Deus beatificatur, participatur per visionem beatam: quatenùs habet rationem naturæ, participatur à gratia sanctificante. *Cuius ratio hæc est*: quia cùm propria ratio, & conceptus naturæ, consistat in hoc, quòd sit principium motus, & quietis, proinde radix proprietatum, & potentiarum, quæ sunt principia proxima operationis; ideò ad hoc, vt aliquid participet naturam diuinam, vt natura est, debet participare intelligere diuinum sub ea ratione, quâ est radix diuinarum operationum, & attributorum: & hoc modo solùm participatur à gratia sanctificante; non autem à lumine gloriæ, vel à visione beatifica, eò quòd sola gratia sanctificans, sit radix, & principiùm, à quo fluunt, & emanant virtutes supernaturales, ac infusæ, quæ sunt participationes diuinorum attributorum.

QVÆSTIO II.

An in Deo detur potentia intellectiua virtualiter distincta ab intellectione.

SVppono, præsentem quæstionem, non procedere de potentia realiter productiuâ actus intelligendi, & realiter, vel ex natura rei ab illo distinctâ, cùm hæc inuoluat imperfectionem, & repugnet actui purissimo. Sed procedit de potentia, ab actu virtualiter tantùm distinctâ, nimirùm distinctione rationis habente fundamentum in Deo, & non tantùm in nostro modo concipiendi res diuinas, per analogiam ad creatas res.

Suppono *præterea*. Intellectum diuinum, quatenùs est in Patre, & vt modificatum per relationem paternitatis, habere rationem potentiæ generatiuæ Filij, seu principij *quo* generationis Verbi diuini. Quemadmodùm etiam intellectus, vt motus, & applicatus à voluntate diuinâ, habet in Deo rationem potentiæ executiuæ, & producere res ad extra, per actum imperij formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem. In præsenti ergo punctus difficultatis est, an ratio potentiæ saluetur in intellectu diuino, per ordinem ad intellectionem essentialem. *Tum* etiam, an in intellectu diuino saluetur formalitas speciei, & habitus.

ARTICVLVS I.

Resolutio Quæstio.

Conclu-

In Deo nõ datur potẽtia intellectiua.

COnclusio. In Deo non datur potentia intellectiua, respectu diuinæ intellectionis essentialis, ab ea virtualiter distincta. Ita S. Thomas 1. contra Gentes, cap. 45 ratione 4. vbi negat in Deo potentiam intelligendi, solumq; concedit actum. Et 2. contra Gentes, cap. 10. & 1. p. q. 25. ar. 1. ad 3. vbi docet: *in ordine ad actus essentiales intelligendi, & volendi, dari potentiam in Deo, secundùm modum concipiendi res diuinas, per analogiam ad res creatas Probatur conclusio.* Intellectio essentialis in Deo, non distinguitur virtualiter ab eius intellectu: ergo in Deo non datur potentia intellectiua virtualiter distincta ab intellectione essentiali, seu quod idem est, non datur virtuale principium intellectionis essentialis. *Probatur Antecedens.* Illa tantùm distinguuntur virtualiter in Deo, quæ æquiualent pluribus rationibus, aut perfectionibus distinctis in creaturis ex genere suo, & ad diuersas lineas pertinentibus, seu diuersa obiecta formalia respicientibus. Sed intellectus & intellectio in rebus creatis, non distinguuntur ex genere suo, neq; pertinent ad diuersas lineas, cùm idem obiectum formale respiciant, verùm solùm differunt ex limitatione, & potentialitate creaturæ, quæ non est tantæ perfectionis, & puritatis, vt possit sibi realiter identificare suam vltimam actualitatem. Ergo in Deo intellectus, & intellectio essentialis non distinguuntur virtualiter. *Præterea*, quia principium virtuale intellectionis, concipitur vt determinabile per intellectionem, per eamq; perfectibile, tanquàm per actualitatem, proinde vt potentiale intelligitur; in Deo autem non est fundamentum, vt ipsius intellectus potentialis concipiatur. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

In Deo nõ potest ad-mitti potẽtia intellectiua virtualiter ab intellectione essentiali distincta.

Corollarium I. Licet in Deo detur potentia ad actus notionales, v. g. ad generationem, & spirationem; non tamen potest in Deo admitti potentia intellectiua virtualiter ab intellectione essentiali distincta. *Ratio*: quia intellectus, & voluntas in Deo possunt dupliciter comparari. *Primò*, ad actus intelligendi, & volendi, quatenùs essentiales sunt, & prout respiciunt essentiam diuinam, per modum obiecti specificatiui. *Secundò*, in ordine ad eosdem actus, vt notionales sunt, nimirùm vt tangentes, & connotantes personas procedentes, & productas. Vnde si hoc secundo modo considerentur, habent in Deo rationem potentiæ generatiuæ, & spiratiuæ: nam sicut datur potentia ad terminum procedentem, & productum; ita & ad actum notionalem formaliter, quâ talis est, & vt connotat personam diuinam productam; secùs censendum, si considerentur primo modo: quoniam sub hac ratione ab intellectione, & volitione essentiali, nè virtualiter quidem distinguuntur.

Corollarium II. Licet in Deo detur potentia ad extra operatiua per actum imperij, virtualiter distincta ab intellectu, & voluntate; non tamen datur potentia ad ipsam actionem, in sua entitate, & actualitate, & vt est præcisè actus secundus, nisi secundum modum nostrum intelligendi, & significandi; non verò ex parte rei conceptæ. Ita S. Thomas 1. p. q. 25. ar. 1 ad 3. his verbis: *Dicendum, quòd potentia in rebus creatis, non solùm est principium actionis, sed effectus*: Sic igitur in Deo saluatur ratio potentiæ, quantum ad hoc, quod est principium effectus, non quantum ad hoc, quod est principium actionis, nisi fortè secundùm modum nostrum intelligendi.

In Deo saluatur formaliter ra-

Corollarium III. In Deo saluatur formaliter ratio speciei intelligibi-

tio speciei intelligibilis.

telligibilis. Ita S. Thomas 1. p. q. 14. ar. 2. vbi dicit: Deus *per seipsum intelligit*, id est, tanquàm obiectum, per seipsum vt speciem. Et *ratio est*: quia in Deo omnes illæ formalitates admittendæ sunt, quæ in suo conceptu formali, nullam inuoluunt imperfectionem. Sed ratio speciei intelligibilis, nullam inuoluit imperfectionem in sua ratione, & conceptu formali: ergo in Deo saluatur formaliter ratio speciei intelligibilis. *Minor patet*: quia de ratione speciei intelligibilis solùm est, obiectum repræsentare intellectui, & illud ipsi in esse intelligibilis, perfectissimè vnire, atq; ex parte obiecti ad intellectionem concurrere, quæ nullam inuoluunt imperfectionē Deo repugnantem.

Corollarium IV. Datur in Deo in linea absoluta, species expressa, non quidem propriè, & adæquatè; sed impropriè, & inadæquatè. *Ratio*: quia species expressa idem est, quod verbum intellectuale. Sed datur in Deo in linea absoluta, verbum impropriè, & inadæquatè sumptum: ergo species expressa sic sumpta datur in Deo. *Maior manifesta*. *Minor* quoque est S. Thomæ in 1. sent. dist. 27 q. 2. ar. 1. & q 4. de verit. ar. 2. in fine corporis, vbi dicit: *Si verbum propriè accipiatur, in diuinis non dicitur, nisi personaliter: si autem accipiatur communiter, poterit dici essentialiter.* Prætetea, quia in verbo sumpto adæquatè, duo importantur, *inprimis*, ratio repræsentationis actualissimæ obiecti, deinde ratio expressi, & realiter producti à dicente. Sed in Deo pro priori ad relationes, inuenitur ratio intellecti in vltima actualitate, & repræsentationis actualissimæ diuinæ essentiæ, attributorum, ac creaturarum; non tamen ratio expressi, & producti realiter à dicente, cùm nihil sit absolutum in Deo producibile. Ergo datur in Deo, in linea absoluta, ratio verbi inadæquatè, & communiter; non autem adæquatè, & propriè.

Ratio speciei impressæ & expressæ, non distinguitur virtualiter in Deo ab eius essentia, & intellectu.

Corollarium V. *Ratio* speciei impressæ, & expressæ, non distinguitur virtualiter in Deo ab eius essentia, intellectu, aut intellectione; sed solùm distinctione rationis, fundatâ in modo nostro concipiendi res diuinas, per analogiam ad res creatas. Quod vt meliùs intelligatur, *sciendum est*, speciem impressam communiter sumi pro eo, quod est intellectui ratio intelligendi, ex parte principij, siuè realem relationem, siue rationis tantùm ad intellectionem, & rem intellectam importet. *Ratio*: quia simplicitas, & puritas esse diuini, requirit summam identitatem earum formalitatum, quæ ad eandem lineam pertinent. Sed gradus intellectiuus in Deo, omnia ista, videlicet naturam, seu radicem intelligendi, potentiam proximam, speciem impressam, obiectum intelligibile, actualem intellectionem, atq; speciem expressam. seu verbum, quod est terminus eius intrinsecus, intra se directè continet, quasi ad vnam lineam per se pertinentia. Ergo ista omnia in Deo, sine vlla distinctione etiam virtuali perfectissimè identificantur, atque sic ratio speciei expressæ, & impressæ, non distinguitur virtualiter in Deo, ab eius essentia, intellectu, & intellectione, Et hoc expresè docet S. Thomas supra citatus his verbis: *In Deo intellectus, id quod intelligitur, species intelligibilis, & ipsum intelligere, sunt omninò vnum, & idem.*

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra conclusionem.* Potentia intellectiua virtualiter ab actuali intellectione distincta,

stincta, nullam dicit imperfectionem: ergo datur in Deo, *Antecedens patet*: quia eo ipso, quòd principium intellectionis sit cum illa identificatum omni identitate reali, est infinitæ perfectionis, & supremæ actualitatis: ergo potentia intellectiua virtualiter solùm ab actuali intellectione distincta, nullam dicit imperfectionem. *Respondetur negando antecedens. Eius probationis itidem negatur antecedens*: nam de ratione actus purissimi, & infiniti est, vt omnes formalitates ad eandem lineam pertinentes, identificentur sine distinctione etiam virtuali. Cùm ergo natura intelligens, vis proxima intellectiuâ, & actualis intellectio, ad eandem lineam intellectualem pertineant; ideò admittere in Deo potentiam intellectiuam, virtualiter ab eius natura, & actuali intellectione distinctam, aliquam dicit imperfectionem, actui porissimo repugnantem.

Solutio eiusdem.

Instãtia & solutio eiusdem.

Instabis. Principium virtuale volitionis essentialis, seu natura intellectualis, quæ sit radicaliter solùm volitiua, admittitur in Deo sine vlla imperfectione: ergo & potentia intellectiua, seu principium virtuale proximum, aut radicale intellectionis essentialis, nullam in Deo dicit imperfectionem. *Respondetur, concesso anecedente, negando consequentiam. Disparitas est*: quia volitio cùm sit inclinatio consequens ad naturam intellectualem, & eam quasi modificans, atq; trahens ad aliam lineam, virtualiter distinguitur in Deo à natura. At verò principium virtuale proximum, vel radicale intellectionis, cùm sint intra eandem lineam, distingui virtualiter à natura diuina, & actuali intellectione non possunt. Non repugnat itaq; diuinæ naturæ, quòd nostro modo intelligendi, habeat, se vt radix alterius operationis, in alia linea; repugnat autem, quòd intra eandem lineam, distinguantur conceptus actus primi, ac secundi, & principij radicalis, ac proximi: quia per hoc in illo genere destrueretur ratio actus purissimi.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra corollarium III.* Species intelligibilis requiritur ad intellectionem, tanquàm vicaria obiecti, eiusq; similitudo. Sed ista formalitas non potest saluari in Deo, cùm diuina essentia immediatè per seipsam ad intellectionem concurrat: ergo in Deo ratio speciei intelligibilis, non potest formaliter saluari. *Respondetur I. Negando maiorem*: Nam substantia Angeli habet rationem speciei intelligibilis in cognitione sui; & tamen non est sui vicaria, neq; sui ipsius similitudo. *Respondetur secundò, concedendo etiam maiorem, quoad speciesn creatam*; non autem quoad speciem vt sic, & prout analogicè conuenit Deo, ac creaturis: nam secundùm hunc conceptum, species analogicè cōmunis, solùm importat, quòd sit perfectissima obiecti repræsentatio, & quòd illud intelligibiliter vniat cum potentia cognoscente, simulque cum illa ad intellectionem concurrat, quòd perfectissimæ essentiæ diuinæ conuenit.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO III.

Quodnam sit Obiectum fermale, & primarium diuini intellectus, tàm motiuum, quàm terminatiuum.

IN hac quæstione, variæ sunt Authorum opiniones. *Prima* est Durandi in 1. sent. dist. 35. q. 1. & Nominalium, qui asserunt, obiectū primarium intellectus diuini, esse ens vt sic, analogicè commune Deo, & creaturis.

Opinio triplex.

Altera opinio tenet, obiectum primarium, & specificatiuum intellectus diuini, esse ens increatum. Sed huius opinionis Authores

res variant in explicando, ſub quanam formalitate ens increatum ſortiatur rationem obiecti primarij. *Alij* enim dicunt, rationem entis increati, vt ambientem naturam, attributa, & relationes diuinas, eſſe obiectum formale tàm motiuum; quàm terminatiuum diuini in intellectus. Ita Gonzales I. p. q. 14. *Alij* diſtingunt inter obiectum formale motiuum, & terminatiuum, dicuntq; obiectum formale motiuum diuini intellectus, eſſe ſolam Dei eſſentiam, quatenùs ab attributis, & relationibus virtualiter diſtinctam; obiectum autem formale terminatiuum, eſſe naturam, attributa, relationes: aut ens diuinum, vt commune per logicam tranſcendentiam omnibus prædicatis diuinis.

Tertia tandem opinio docet, naturam diuinam, vt ab attributis, & relationibus virtualiter diſtinctam, eſſe obiectum formale, & primarium, tàm motiuum; quàm terminatiuum diuini intellectus. Et hæc eſt communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Obiectum primarium intellectus diuini eſt ens increatum.

CONcluſio. Obiectum primarium intellectus diuini, eſt ens increatum. Ita S. Thomas *1.* contra Gentes. q. 48. *Probatur.* Illud eſt obiectum primarium, & ſpecificatiuum intellectus diuini, quod eſt per ſe primò ab illo intellectum. Sed hoc eſt ens increatum: ergo ens increatum eſt obiectum primarium intellectus diuini. *Minor probatur.* Nihil creatum poteſt eſſe per ſe primò à Deo intellectum: ergo ſolum ens increatum, eſt per ſe primò ab illo intellectum. *Antecedens*, vt obiectum aliquod per ſe primò ab intellectu attingatur, debet per ſe primò repræſentari per ſpeciem. Sed in intellectu diuino nulla datur ſpecies, quæ ens creatum per ſe primò repræſentet: ergo nihil creatum poteſt eſſe per ſe primò à Deo intellectum. *Maior patet*: quia ex intellectu, & ſpecie, fit adæquatum intellectionis principium, cùm intellectus non aliter, niſi ſpecie obiecti fœcundatus, potens ſit proximè exire in intellectionem; iam verò ſpecies non poteſt per ſe primò intellectum fæcundare, niſi in obiectum per ſe primò ab illa repræſentatum, cùm media repræſentatione fœcundet. *Minor etiam deducitur.* In Deo nulla poteſt dari ſpecies creata, verùm ipſa eſſentia diuina, habet rationem ſpeciei fœcundantis diuinum intellectum ad cognoſcenda obiecta. Sed diuina eſſentia non poteſt per ſe primò repræſentare creaturas: ergo in intellectu diuino, nulla datur ſpecies, quæ ens creatum per ſe primò repræſentet. *Minor facilè conſtat.* Eſſentia Angeli vt ſpecies, ſolùm ſeipſam per ſe primò repræſentat; alia verò à ſe, prout in ipſa continentur: ergo quoq; eſſentia diuina vt ſpecies,, ſolùm ſeipſam poteſt primariò repræſentare. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Ens vt ſic, non eſt obiectum primarium intellectus diuini.

Corollarium I. Ens vt ſic analogicè commune Deo, & creaturis, non eſt obiectum primarium intellectus diuini. *Ratio*: quia obiectum primarium voluntatis diuinæ, non eſt bonum in communi, abſtrahens à creato & increato, ſed bonum increatum ac diuinum: ergo pariter obiectum primarium intellectus diuini, non eſt verum in communi, abſtrahens à creato, & increato, ſed verum diuinum, & increatum. *Conſequentia patet*: quia par eſt ratio vtriuſq; potentiæ quoad hoc. *Antecedens probatur.* Obiectum primarium voluntatis eſt finis: nam media non amantur ratione ſui, ſed tantùm ratione finis, & conſequenter ſunt extra

extra obiectū voluntatis primariū. Sed nulla bonitas præter increatā, ac diuinā, poteſt eſſe finis voluntatis diuinæ, vt conſtat ex illo Prouerbiorū 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Ergo obiectum primarium voluntatis diuinæ eſt bonum increatum.

Obiectum formale motiuum diuini intellectus.

Corollarium II. Obiectum formale motiuum diuini intellect', eſt ſola diuina eſſentia, vt diſtincta virtualiter à relationibus, & attributis. *Ratio*: quia illud habet rationem obiecti motiui intellectûs, quod eſt ſpecies, aut vices gerit ſpeciei intelligibilis, & intellectum ad intelligendum mouet, ac fæcundat, concurritq; cum illo ad intellectionem. Sed ſola diuina eſſentia vt diſtincta virtualiter à relationibus, & attributis, eſt ſpecies, quâ intellectus diuinus fæcundatur ad intellectionem, cum illoq; ex parte principij concurrit ad intellectionem. Ergo ſola diuina eſſentia taliter ſumpta eſt obiectum formale motiuum diuini intellectus. *Minor patet*: quia licet Deus ſeipſum comprehendens, non tantùm eſſentiam ſuam, ſed etiam attributa, & relationes cognoſcat; ſola tamen eſſentia, vt ab illis virtualiter diſtincta, eſt ſpecies, quâ diuinus intellectus intelligit.

Diuinæ relationes nō poſſunt habere rationem ſpeciei.

Corollarium III. Diuinæ relationes non poſſunt habere rationem ſpeciei, & conſequenter neq; obiecti motiui reſpectu diuini intellectus. *Ratio*: quia ſpecies eſt principium *quo* intelligendi. Sed relationes diuinæ non ſunt principium *quo* intellectionis eſſentialis: ergo ratione ſui non ſunt ſpecies, neq; gerunt munus ſpeciei. *Minor patet*: quia in Deo abſoluta, ſunt priora notionalibus, & conſequenter non poſſunt ab illis eſſe, vt à principio; cùm principium prius ſit eo, quod eſt à principio. Sed intellectio eſſentialis in Deo, eſt ab ſoluta: ergo relationes non poſſunt eſſe principium *quo* ipſius. *Præterea*, quia ſi relationes in diuinis haberent rationem obiecti motiui, & ſpeciei intelligibilis, ſequeretur, quòd vna perſona ratione ſuæ ſubſiſtentiæ relatiuæ, per quam conſtituitur, & ab alia diſtinguitur, poſſet habere aliquem concurſum effectiuum, & aliquam operationem ad extra, quæ non eſſet communis alijs, ſed ipſi propria, & peculiaris; hoc autem communi Theologorum doctrinæ repugnat, qui docet, opera Dei ad extra eſſe indiuiſa, atque communia toti Sanctiſſimæ Trinitati. *Sequela verò patet*: nam ſi paternitas v. g. vt virtualiter diſtincta ab eſſentia, & realiter à filiatione, & ſpiratione paſſiuâ, haberet rationem ſpeciei, & obiecti motiui in diuina intellectione, poſſet etiam gerere vices ſpeciei in intellectione creatâ, v. g. in viſione beatificâ, quo conceſſo, Pater haberet aliquam operationem, & concurſum effectiuum ad extra, qui eſſet ipſi proprius, & non conueniret Filio, ac Spiritui Sancto. Ergo vna perſona poſſet habere aliquem cōcurſum effectiuū, & aliquam operationem ad extra, quæ non eſſet communis alijs, ſed ipſi propria, & peculiaris.

Diuina attributa nō ſunt obiectum formale motiuum diuini intellectus.

Corollarium IV. Diuina attributa non ſunt obiectum formale motiuum diuini intellectus. *Ratio*: quia illud eſt obiectū formale motiuum diuinæ intellectionis, in quo Verbum diuinum per ſe primò aſſimilatur Patri. Sed non aſſimilatur per ſe primò in attributis: ergo attributa non ſunt obiectum formale motiuum diuinæ intellectionis. *Præterea*, quia obiectum formale motiuum intellectus diuini, vel eſſent omnia attributa, vel nullum: nam eadem eſt ratio de omnibus. Sed eſt aliquod attributum, cui repugnat eſſe obiectum formale moti-

motiuum intellectus diuini: ergo id omni attributo repugnat. *Minor oſtenditur*. Cui repugnat ad intellectionem actualem mouere, ei repugnat eſſe obiectum formale motiuum intellectus diuini. Sed volitioni diuinæ repugnat mouere ad intellectionem, cùm volitio ſaltem naturâ ſit poſterior intellectione, eamq́; neceſſariò ſupponat, vel vt cauſam effectiuam, vel ſaltem vt regulam, à qua dirigatur: ergo volitioni diuinæ, repugnat eſſe obiectum formale motiuum diuini intellectus.

Ens diuinũ vt ſic non eſt obiectũ formale terminatiuum intellectus diuini.

Corollarium V. Etiam obiectum formale terminatiuum intellectus diuini, non eſt ens diuinum vt ſic, quatenus complectitur relationes, & attributa; ſed eſt eſſentia diuina, vt diſtincta virtualiter à relationibus, & attributis. *Ratio*: quia illud eſt obiectum formale terminatiuum alicuius potentiæ, quod ratione ſui ab illa attingitur, & ratione cuius cætera attinguntur ab eadem. Sed eſſentia diuina ratione ſui à diuino intellectu attingitur; attributa autẽ, & relationes ratione eiuſdem: ergo eſſentia diuina, vt à relationibus, & attributis virtualiter diſtincta, eſt obiectũ formale terminatiuum intellectus diuini. *Maior patet*: quia & coloratum, ex eo eſt obiectum formale terminatiuũ potentiæ viſiuæ quòd per ſe primò, & ratione ſui ab illa attingatur; cætera autem ratione ipſius. *Minor etiam quoad primam partem, eſt manifeſta*, quòd ſcilicet eſſentia diuina ratione ſui attingatur ab intellectu diuino. *Quoad ſecundam verò ſic oſtenditur*. Quod ratione ſui non repræſentatur intellectui diuino, ſed ratione eſſentiæ, non cognoſcitur ratione ſui, verùm ratione eſſentiæ. Sed attributa, & relationes, non ratione ſui; verùm ratione eſſentiæ repræſentantur intellectui diuino: ergo non ratione ſui, ſed ratione eſſentiæ cognoſcũtur. *Maior clara*: quia idem ordo ſeruatur inter obiecta, in terminando cognitionem, ſicut in terminando repræſentationem. *Minor etiam patet*: quia ſpecies, quâ Deus intelligit, eſt ſola eſſentia diuina. Sed diuina eſſentia vt ſpecies intelligibilis, ſeipſam tàntùm primò repræſentat; cætera verò ratione ſui, vel quia illa eminenter continet, vt creaturas: vel quia in illis intimè imbibitur, vt attributa, & relationes. Ergo attributa, & relationes, non ratione ſui, ſed ratione eſſentiæ, diuino intellectui repræſentantur.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra concluſionem*. Obiectum adæquatum alicuius potentiæ, debet ſub ſe continere omnia, quæ poſſunt ab illa attingi. Sed ens increatum non continet ſub ſe omnia, quæ poſſunt ab intellectu diuino cognoſci: ergo ens increatum non eſt obiectum adæquatum intellectus diuini. *Minor patet*: quia intellectus diuinus, non tantùm cognoſcit Deum, ſed etiam creaturas, ſecundùm proprias rationes; hæ autem non continentur ſub ente increato.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur diſtinguendo Maiorem. Obiectũ adæquatum extenſiuum, debet ſub ſe continere omnia, *conceditur*: Obiectum adæquatum ſpecificatiuum, debet ſub ſe continere omnia, continentiâ formali, aut eminentiali, *tranſeat*: continentiâ determinatè formali, *negatur maior*. Et ſimiliter diſtinctâ minore, *conceditur conſequentia*, quòd ens increatum non ſit obiectum adæquatum intellectus diuini extenſiuum; eſt tamen obiectum eiuſdem adæquatum ſpecificatiuum. Nam licet intellectus diuinus, Deũ, & creaturas cognoſcat; ſpeciem tamen à creaturis nõ accipit, neq́; per ſe primò illas attingit, ſed ſolùm ſecundariò, & quatenùs continentur in eſſentia diuinâ, tanquàm in cauſa; & ideò obiectum adæquatũ ſpecificatiuũ intellectus diuini, eſt ſola increata veritas, licet obiectum adæquatum extenſiuum, ſit verum vt ſic, prout abſtrahit à creato, & increato.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. *contra Corollarium* I. Ens vt ſic, commune Deo, & creaturis, cognoſcitur ab intellectu diuino primariò, & ratione ſui: ergo eſt obiectum illius primarium. *Conſequentia manifeſta. Antecedens probatur*. Deus cognoſcit omne verum, omni modo, quo cognoſcibile eſt. Sed ens vt ſic, cõmune Deo, & creaturis, eſt cognoſcibile primariò, & ratione ſui, imò ſic de facto cognoſcitur ab intellectu creato: ergo & ab intellectu diuino ſic cognoſcitur.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando Antecedens. Ad eius probationem diſtinguitur maior. Deus cognoſcit omne verum omni modo, quo eſt cognoſcibile abſolutè, & à quouis intellectu, *negatur maior*: Omni modo, quo eſt cognoſcibile ab intellectu diuino, *conceditur maior*: *& ſimiliter diſtincta minore, negatur conſequentia*. Licet enim ens vt ſic, poſſit cognoſci primariò, & ratione ſui ab intellectu creato; non tamen à diuino, cùm in tali cognitione multiplex imperfectio inuoluatur, eò quòd ſit confuſa, & potentialis, non exprimens, ſed ſolùm implicitè importans differentias contractiuas, eſtq́, etiam dependens in ſua ſpecificatione, ab aliquo prædicato, quod non exprimit infinitam perfectionem, & *inſuper*, ex tali cognitione arguitur poſſibilis dependentia ab ente poſitiuè creato, in ſpecificatione cognitionis diuinæ, cùm ens creatum ſub ente vt ſic contineatur, & potentia attingens per ſe primò aliquam rationem communem, poſſit primariò circa illius inferiora verſari.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *contra Corollarium* II. Eſſentia diuina habet rationem ſpeciei, & obiecti motiui diuinæ intellectionis, prout eſt in ſe. Sed eſſentia diuina vt eſt in ſe, dicit attributa, & relationes, cùm ab illis ſolùm per rationem noſtram diſtinguatur: ergo eſſentia diuina, vt habet rationem ſpeciei, & obiecti motiui diuinæ intellectionis, includit attributa, & relationes. *Maior conſtat*: quia quòd eſſentia diuina ſit obiectum motiuum, id ei non conuenit per noſtram cõſiderationem: ergo illi conuenit prout eſt in ſe.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur conceſſa maiore, diſtinguendo minorem. Eſſentia diuina vt eſt in ſe, dicit, ſeu eſt attributa, & relationes, identitate reali formali, *conceditur minor*: identitate virtuali, *negatur minor*: & ſic *negatur conſequentia*. Nam vt eſſentia diuina moueat ad intellectionem; non verò attributa, & relationes, ſufficit virtualis diſtinctio, licet moueat prout eſt in ſe; quem admodùm etiam virtualis diſtinctio paternitatis ab eſſentia ſufficit, vt eſſentia communicetur Filio, & non communicetur paternitas. Similiter diſtinctio virtualis naturæ à perſonalitate Filij ſufficit, vt perſonalitas immediatè vniatur humanitati; natura autem mediatè.

Inſtantia.

Inſtabis. Ex eo, quòd diuina eſſentia in ſe terminet viſionẽ beatificam, & vt eſt in ſe, eſt attributa, & relationes, rectè inferunt Theologi, non poſſe videri diuinam eſſentiam, non viſis attributis, ac relationibus: ergo pariter ex eo, quòd eſſentia diuina moueat intellectum diuinum, vt eſt in ſe, & vt ſic eſt attributa, & relationes, rectè infertur, eſſentiam non poſſe mouere ad intellectionem, niſi etiam attributa, & relationes ad eam moueant. *Reſpondetur negando conſequen-*

ſequentiam. *Diſparitas eſt:* quia in terminando cognitionem intuitiuam, conueniunt omnes Dei formalitates, ſecùs in mouendo; ideoq; non poteſt vna terminare cognitionem intuitiuam, alterâ non terminante; poteſt verò vna mouere, alterâ non mouente, licet prout in ſe moueant. Sic etiam veritas diuina non poteſt videri latente bonitate; poteſt tamen ſpecificare intellectum, tanquàm ratio formalis *ſub qua*, bonitate non ſpecificante.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *contra Corollarium* III. & IV. Attributa, & relationes diuinæ, non ſunt obiectum materiale, & ſecundarium diuinæ intellectionis, prout ſunt creaturæ: ergo pertinent ad eius obiectum formale, ac primarium. *Conſequentia patet*: quia inter obiectum formale, & materiale; primarium, & ſecundarium, nullum aliud mediat, ad quod attributa, & relationes pertinere poſſint.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur, attributa, & relationes diuinas, nec eſſe obiectum primarium, nec propriè ſecundarium intellectus diuini, ſed quaſi modos obiecti primarij, & ſpecificatiui, aut obiecta materialia, tranſcendentaliter, & intimè in ſe includentia ipſum obiectum formale, & primarium: nam obiectum alicuius potentiæ tripliciter ad eam poteſt comparari. *Primò*, vt ſit ratio *quæ*, ſpecificatiua ipſius, & per ſe primò ab illa inſpecta: Sic ſonus eſt obiectum per ſe primum, & ſpecificatiuum auditus: ſimiliter color, & lucidum, viſûs. *Secundò*, poteſt ad eam comparari, vt aliquid merè materiale, quod percipiatur beneficio alterius extrinſeci, ac diſtincti, habentis aliquam connexionem cum ipſo. Sic creaturæ ſunt obiecta ſecundaria, & materialia, quæ cognoſcuntur in eſſentia diuina. Similiter ens rationis eſt obiectum materiale intellectus creati. Inſuper poteſt dari aliquod obiectum, quod nec ſit ita primarium, ſicut per ſe ſpecificatiuum; nec ita ſecundarium, ſicut merè materiale, ſed medio modo ſe habens inter iſta. Ita vt non quidem per ſe primò inſpiciatur, ſicut ſpecificatiuum, ſed ratione alteri[9]; quod tamen non ſit diſtinctum, & extrinſecum, ſed intrinſecè in eo imbibitum, ac incluſum. Sic ſonus vt acutus, non percipitur per ſe primò ab auditu, ſed quodammodò ſecundariò, vt eſt aliquid identificatum cum ſono, qui eſt ratio per ſe inſpecta ab auditu. Et taliter ſe habent diuinæ relationes, & attributa, reſpectu diuinæ intellectionis, cùm ſint intelligibilia per eſſentiam, vt in ipſis tranſcendentaliter & intimè imbibitam. Vnde licet non pertineant ad obiectum formale, & primarium diuinæ intellectionis, ſunt tamen veluti modi quidam intrinſeci obiecti formalis, & primarij, qui neceſſariò debent attingi ab ipſa, vt eſt comprehenſiua, & intuitiua.

Obiectio quinta.

Obijcitur V. *contra Corollarium vltimum*. Eſſentia diuina vt virtualiter à relationibus, & attributis diſtincta non eſt communis omni obiecto materiali, à diuino intellectu inſpecto. Sed ens diuinum vt ſic, quatenùs complectitur relationes, & attributa: ergo potiùs ens diuinum vt ſic, eſt obiectum formale terminatiuum intellectus diuini. *Ratio Antecedentis eſt:* quia obiectū formale terminatiuum potentiæ, debet eſſe commune omni obiecto materiali à tali potentia inſpecto.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Eſſentia diuina vt virtualiter à relationibus, & attributis diſtincta, non eſt communis omni obiecto materiali diuini intellectus, communitate rationis, *conceditur*: communitate reali, aut virtuali, *negatur*. Non eſt ergo neceſſe, quòd obiectum formale terminatiuum potentiæ, ſit cōmune omni obiecto materiali illius potentiæ, communitate rationis; ſed ſufficit quòd ſit commune communitate reali, aut virtuali. Quod ſic concipi debet: quoniam intellectus diuinus, eſt in ſummo actualitatis, & perfectionis gradu, intra lineam intellectus, ideò debet ipſi aſſignari perfectiſſima obiecti communitas; iam verò communitas realis, quâ diuina eſſentia gaudet reſpectu perfectionum diuinarum, & virtualis, quam habet per ordinem ad creaturas, perfectior eſt cōmunitate rationis, quæ conuenit enti diuino: nam commune per rationem, aliqualiter vt ens in potentia comparatur ad inferiora, & vt diuiſibile in illa: atq; ſic commune per rationem, eſt obiectū proportionatū intellectus creati; non verò intellectus diuini.

DISPVTATIO III.

De Attributis diuinis in communi.

POſt explicatam naturam, & quidditatem Dei, ad eius proprietates, & affectiones, quas Theologi nomine attributorum vocare ſolent, in communi conſiderandas deſcendimus.

QVÆSTIO Vnica.

Quomodò attributa diuina, tàm ab eſſentia Dei, quàm inter ſe diſtinguantur.

Attributū quid ſit.

SUppono I. iuxta Sanctum Damaſcenum, & communem Theologorum ſententiam, attributum nihil aliud eſſe, niſi rationem quandam abſolutam, neceſſariò, & formaliter exiſtentem in Deo, ac ſubſecutam ad eſſentiam diuinam, per modum quaſi paſſionis, & proprietatis. *Dicitur in primis*, attributum eſſe ratio, ſeu forma quædam abſoluta, per quod excluduntur diuinæ relationes, quæ licet ſint formaliter, ac neceſſariò in Deo, ad eiuſq; eſſentiam noſtro modo intelligendi ſubſequantur; non ſunt tamen rationes abſolutæ, ſed relatiuæ; & ideò non ſunt proprietates attributales diuinæ eſſentiæ, vt potè non communes tribus perſonis; ſicut debet eſſe attributum: ſed perſonales, idq; vel conſtitutiuè, vel conſecutiuè. Conſtitutiuè quidem, vt ſunt *paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiua*, quæ perſonas conſtituunt; conſecutiuè verò, vt *ſpiratio actiua*, quæ ſupponit perſonas Patris, & Filij conſtitutas, conſequiturq; ad illas, quatenùs ſic conſtitutæ ſunt.

Dicitur *præterea*, quòd talis ratio abſoluta, debeat eſſe formaliter, & neceſſariò in Deo, per quod reijciuntur perfectiones ſecundùm quid creaturarum, quæ non ſunt formaliter, ſed eminenter in Deo. *Tum*, à quibuſdam denominationibus intrinſecis, quibus Deus extrinſecè denominatur creator, gubernator, prouiſor &c. Per hoc autem, quòd attributum ſit neceſſariò in Deo exiſtens, excluduntur actus liberi.

Dicitur *tertiò*, quòd attributum noſtro modo intelligendi, debeat ad eſſentiam diuinam conſequi per modum proprietatis, per quod eadem eſſentia excluditur à ratione attributi, ſiquidem diuina attributa, ad conſtitutiuum naturæ, & quidditatis diuinæ non pertinent, ſed eam veluti modificant, ad aliamq; lineam trahunt. Vnde diuina eſſentia non poteſt etiam noſtro modo intelligendi ſubſequi ad ſeipſam iam conſtitutam.

Suppono *præterea*. Attributum dici tanquàm aliquid, in certa quadam quaſi ſpecie atoma conſtitutum, per quod diſtinguitur a rationibus communibus, ſiue tranſcendentibus, quæ in eiſdem attributis, aut alijs rationibus diuinis includuntur, *tum*, à rationibus quaſi differentialibus eorundem attributorum: nam licet iſtæ duæ rationes

nes concurrant ad conſtituendum attributum; neutra tamen ex illis per ſe ſumpta, rationem attributi habet.

Diuina attributa ſunt virtualiter & eminenter plura.

Suppono III. Diuina attributa eſſe virtualiter, & eminenter plura, vt conſtat ex illo Sapien. 7. vbi de Spiritu ſancto dicitur; *vnicus & multiplex*: vnicus inquam, propter ſummam eius ſimplicitatem; multiplex autem ob virtualem diſtinctionem, & pluralitatem eorum, quæ in ipſo ſunt, vt exponit S. Auguſtinus epiſt. 102. *Et ratio eſt*: quia licet attributa diuina, non ſint actu plures res, nec plures rationes formales, ſed vna omninò ſimplex, vt patebit infra; hæc tamen præſtat totum, quod præſtarent plures, ſi eſſent actu diſtinctæ, ad eum modum, quo virtus ſolis, licet non ſit formaliter calor, præſtat omnia, quæ præſtaret calor ipſe, ſecluſis imperfectionibus: ergo ſicut virtus ſolis; eminenter calor, vel calorem habere dicitur; ita diuina attributa, virtualiter, & eminenter plura, ac diſtincta ſunt.

Diuina attributa, alia ſunt poſitiua, alia negatiua.

Suppono IV. Attributa diuina, *alia eſſe poſitiua*, v. g. eſſe bonum, iuſtum, ſapientem: *alia negatiua*, vt eſſe incorporeum, infinitum, immutabilem, inuiſibilem, incomprehenſibilē, ineffabilem, &c. *Præterea, alia ſunt abſoluta*, quæ nullum important reſpectum ad creaturas, vt eſſe ſimplicem, vnum, perfectum. *Alia reſpectiua*, quæ ſine ordine ad creaturas intelligi non poſſunt, vt omnipotentia, prouidentia, iuſtitia, miſericordia &c. *Alia* quæ pertinent ad ſubſtantiam, & eſſe Dei, vt ſimplicitas, perfectio, bonitas, infinitas. *Alia* verò, quæ ſpectant ad operationem, vt intellectus, voluntas, omnipotentia, ſcientia, amor, iuſtitia, & miſericordia.

Suppono *denique*, diuina attributa ita inter ſe comparari, vt non ſolùm indentificentur realiter in vna, & eadem formalitate, ſed etiam quoduis eorum includat per modum tranſcendentis perfectionem reliquorum, & omnem modum poſitiuum in eiſdem inuentum. Nam ſicut quodlibet attributum, includit entitatem à ſe; ita & infinitatem in genere entis, quod tamen non haberet formaliter, ſi non includeret omnem modum, omnemque perfectionem, & realitatem poſitiuam, quæ in cæteris attributis reperitur, cùm hæc ad infinitatem iſtam ſpectent. Circa diſtinctionem igitur attributorum.

Opinio prima.

Prima ſententia affirmat, attributa diuina tàm inter ſe; quàm ab eſſentia diuina, ſolâ ratione ratiocinante diſtingui, quæ nullum habet fundamentum in re, ſed in ſola facultate intellectus, pro placito multiplicantis, & diſtinguentis rem, quæ nullo modo actu, aut virtute eſt multiplex, v. g. quando intellectus idem de eodem prædicat, vt *Petrus eſt Petrus*, Petrumque vt *prædicatum*, à ſeipſo vt *ſubiecto* diſtinguit. Proinde vult, quòd attributa diuina, tàm inter ſe, quam ab eſſentia, ſolùm connotatione quadam extrinſecâ ad res creatas diſtinguantur; ita vt eadem entitas increata Dei, vt connotat effectus à ſe producibiles, dicatur omnipotentia; ſapientia verò, aut ſcientia, vt connotat res ſibi obiectiuè præſentes, & à ſe cognitas. Hanc tenent Nominales diſt. 8.

Opinio ſecunda & tertia.

Altera ſententia cenſet, diuina attributa ita poſſe præſcindi ab eſſentia. vel eſſentiam ab attributis, vt vnum in alio nō includatur, etiam implicitè. Hanc ſequuntur quidam Neoterici, vt Meratius, Falolus, & alij extra ſcholam S. Thomæ.

Tertia ſententia docet, attributa diuina tàm inter ſe, quàm ab eſſentia, ſolûm diſtingui per modum expliciti, & impliciti; quemadmodùm ens diſtinguitur à ſuis

proprie

proprietatibus, in quibus tranſcendentaliter includitur. Et hæc eſt communis Theologorum, cum S. Thoma.

Articvlvs I.

Reſoluitur Quæſtio.

Attributa diuina inter ſe, & ab eſſentia diſtinguuntur ratione ratiocinata.

Concluſio. Attributa diuina tàm inter ſe; quàm ab eſſentia diſtinguuntur ratione ratiocinatà, & cum fndamento in re. *Probatur I. authoritate S. Thomæ*, qui in 1. ſent. diſt. 2. q. 1. ar. 2. ſic dicit: *Sapientia, & bonitas, & omnia huiuſmodi, ſunt omnmò vnum re in Deo, ſed differunt ratione; & hæc ratio non eſt tantùm ex parte ipſius ratiocinantis, ſed ex proprietate ipſius rei.* Ergo iuxta S. Thomam, attributa diuina tàm inter ſe, quàm ab eſſentia, diſtinguuntur ratione ratiocinatâ.

Probatur II. *Ratione.* Quæ diſtinguuntur ratione cum fundamento in re, illa diſtinguuntur ratione ratiocinatâ. Sed diuina attributa tàm inter ſe; quàm ab eſſentia diſtinguuntur ratione cum fundamēto in re: ergo diſtinguūtur ratione ratiocinatâ. *Maior patet*: quia diſtinctio rationis ratiocinatæ illa eſt, quæ habet fundamentum in re, & ab intellectu accipit complementum, atque actualitatem. v. g. quando lumen ſolis, quod actu eſt vnum, & virtute multiplex, vt potè virtualiter continens calorem, ſiccitatem, &c. concipitur vt actu multiplex, & diſtinctum. *Minor probatur*: quia licet res illa, quæ Deus eſt, ſit vnica, & ſimpliciſſima; eſt tamen virtualiter multiplex, & æquiualet pluribus perfectionibus, à patte rei diſtinctis in rebus creatis, vnde licet ratione vnitatis, & ſimplicitatis, nullam videatur fundare diſtinctionem, imò potiùs omni diſtinctioni opponi: nihilominùs ratione eminentiæ, & virtualis multiplicitatis, eam fundat, quatenùs talis eminentia, non poteſt adæquatè concipi à noſtro intellectu, qui ſpeciebus creaturarum vtitur ad tendendum in Deum: atq; ſic oportet plures conceptus multiplicare ad attingendas perfectiones diuinas. Ergo diuina attributa tàm inter ſe; quàm ab eſſentia diſtinguuntur ratione cùm fundamento in re.

Porrò diſtinctio rationis, quam concipimus in diuinis attributis, duplex fundamentum habet, *vnum ex parte noſtri*, videlicet limitationem intellectus creati, modumq; concipiendi res diuinas, per analogiam ad creatas. *Alterum ex parte Dei*, v. g. eminentiam diuinæ perfectionis quæ licet in ſe ſimpliciſſima ſit, æquiualet tamen pluribus â parte rei diſtinctis, vt docet S. Thomas ad initium concluſionis citatus. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Diuina attributa ita inter ſe, & ab eſſentia ratione diſtinguuntur, quòd eſſentia in ſuo conceptu implicitè includat attributa, in illiſq; includatur, & quodlibet attributum includat cætera. *Ratio*: quia quodlibet attriburum, licet quantumcunq; diſtinctum ab alio concipiatur, nihilominùs ſemper debet concipi vt actus purus, & ſimpliciter, ac in genere entis infinitus: ergo debet concipi vt includens actu, ſaltem implicitè omnem perfectionem, quæ ſibi poteſt adiungi, aut conuenire. *Conſequentia manifeſta*: quia de ratione actus puri eſt, quòd nō poſſit concipi vt perfectibile, per additionem alterius; & in potentia ad illud, ſed debet concipi, vt in ſe omninò perfectus, quamuis tota eius perfectio in noſtro conceptu non explicetur. Similiter, quoniam infinitum ſimpliciter, includit in ſe formaliter omnem rationem entis, quæ non inuoluit limitationem, ac imperfectionem, cùm infinito nihil poſſit addi in illo genere,

nere, in quo infinitum est; ideò si diuina essentia eiusq; attributa concipi debeant, vt infinita simpliciter, ac in genere entis, omninò debent concipi cum inclusione saltem implicita, cuiuscunque perfectionis simpliciter simplicis.

Diuina attributa secũdũm rationẽ implicitã entis increati sũt omninò æqualia.

Corollarium II. Si diuina attributa considerentur secundùm rationem implicitam entis increati, ac infiniti, quam transcendentaliter includunt, tunc omninò sunt æqualia. *Ratio:* quia illa ratio entis increati, est vnica, simplicissima, & indiuisibilis, ac in omnibus attributis eodem modo includitur.

Corollarium III. Si diuina attributa concipiantur secundùm rationem explicitam, & per analogiam ad similes perfectiones, quæ reperiuntur in creaturis, tunc sub hac ratione sunt inæqualia secundùm quid, quatenùs vnum maiorem exprimit perfectionem, quam alterum. sic v. g. intellectus maiorem exprimit perfectionem; quàm voluntas, & sapientia, quàm scientia, vel ars; & ea, quæ spectant ad voluntatem, & quæ se habent tanquàm affectiones ad lineam intellectualem subsequentes.

Corollarium IV. Attributa diuina, non solùm identicè, sed etiam formaliter prædicantur de essentia, & attributis, vnumq; attributum de altero, tàm in concreto, quàm in abstracto. *Ratio:* quia prædicatio tunc est vera, & formalis, quando prædicatum essentialiter includitur in subiecto: ergo cùm essentia diuina essentialiter includatur in attributis, & attributa in essentia, vnumq; attributum in alio, possunt formaliter de se inuicem prædicari, tàm in concreto, quàm in abstracto. *Præterea,* quia eodem modo de attributis diuinis, sicut & de proprietatibus entis philosophandum est. Sed proprietates entis tàm de se; quàm de ente prædicantur formaliter, tum in abstracto, tum in concreto: ergo pariter attributa diuina, & essentia de se inuicem prædicantur formaliter, *Antecedens patet:* quia Deus ratione suæ infinitatis habet id, quod ens ratione suæ transcendentiæ, proinde eodem modo de attributis diuinis, sicut & de proprietatibus entis philosophandum est. *Consequentia etiam manifesta:* quia sicut istæ propositiones sunt veræ; *ens est vnum, verum, bonum.* Similiter *ens est veritas, veritas est bonitas;* ita quoq; istæ sunt veræ, & formales: *Deus est sapiens,* vel *sapientia; Deitas est iustitia, iustitia est misericordia* &c.

Attributa diuina neq; ab essentia, neq; inter se distinguũtur realiter entitatiuè.

Corollarium V. Attributa diuina, neq; ab essentia diuina, neque inter se distinguuntur realiter entitatiuè: nec distinctione formali, seu ex natura rei, vt vult Scotus, & Scotistæ. *Prima pars* est contra Gualterum, & Gilbertum Porretanum Episcopum Pictauiensem. *Probaturque,* quia si diuina attributa realiter entitatiuê distinguerentur à diuina essentia, Deus non esset simplex, sed compositus ex essentia, & attributis. Sed hoc repugnat principijs fidei, & definitioni Concilij Lateran. cap. *Firmiter de summa Trinitate:* ergo talis distinctio admitti non debet. *Sequela maioris manifesta:* quia compositio iuxta Philosophos, *est distinctorum vnio:* ergo si diuina attributa essent realiter entitatiuè distincta ab essentia, cùm non sint ab illa separata, sed illi intimè coniuncta, omninò realem compositionem cum illa efficerent.

Altera etiam pars corollarij quòd nimirùm diuina attributa, nõ distinguãtur distinctione actuali, nisi per conceptus nostros; ante illos autem omnimodam vnitatem habeant, solumq; fundamentalem, seu virtualem distinctionem, facilè deducitur. *in primis,* quia iam fusè ostendi in metaphysicis talem.

talem distinctionem non dari in rerum natura. *Deinde,* quia sicut si daretur distinctio entitatiua, inter essentiam diuinam, & eius attributa, resultaret ex illis compositio realis entitatiua; ita si distinguerentur distinctione reali formali, resultaret ex illis compositio realis formalis, quæ diuinæ simplicitati repugnat. Nam sicut vnio distinctorum distinctione reali entitatiua, est compositio entitatiua realis; ita vnio distinctorum distinctione reali formali, est compositio realis formalis.

Responsio Scotistarũ refutatur.

Neq; valet responsio Scotistarum, qui dicunt, ad compositionem realem, necessariò requiri vnionem extremorum, distinctione reali entitatiuâ gaudentium, quâ extrema compositionis debent inter se comparari per modum potentiæ, & actus, eo autem ipso, quòd diuina essentia ab attributis non distinguatur entitatiuè, sed tantùm formaliter, est omninò infinita, & consequenter non potest ad illa comparari vt potentia, atq; sic ex illorum vnione cum diuina essentia, etiam formalis compositio resultare non potest. Non valet inquam hæc responsio, *in primis,* quia cùm compositio definiatur, quòd sit *vnio distinctorum;* ideò vera compositio solam distinctionẽ, & vnionem extremorum requirit. nec essentialiter exposcit, quòd illa inter se comparentur per modum actus, & potentiæ. *Præterea,* quia ex partibus integralibus resultat compositio integralis, ex subsistentia Verbi, & humanâ natura componitur Christus, vt docetur in tract. de Incarn: & tamen neque vna pars integrans ad alteram, neq; subsistentia Verbi ad humanam naturam, comparatur vt actus ad potentiam Ergo ad rationem compositionis ista comparatio actus, & potentiæ est impertinens. *Insuper,* quia eo ipso, quòd diuina essentia ponatur, vt realiter formaliter ab attributis distincta, ponitur quoq; vt formaliter ab illis actuabilis, & perfectibilis: ergo hoc ipso ad illa comparatur vt potentia ad actum, & vt perfectibile ad perfectum: ergo quamuis ista comparatio ad veram compositionem necessaria esset; id tamen minimè obstaret, quin esset compositio in Deo.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra conclusionem.* Relationes diuinæ ab essentia, etiam ratione non distinguuntur: ergo & attributa diuina non distinguuntur virtualiter, seu ratione ratiocinatâ ab eadem. *Consequentia patet:* quia de vtrisq; par ratio. *Antecedens* verò est Concilij Rhemensis sub Eugenio III. Celebrati, in quo dicitur: *In Theologia inter essentiam, & personam ratio non distinguat:* ergo relationes diuinæ, etiam ratione non distinguuntur ab essentia.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando Antecedens. Ad eius probationem dicitur, Concilium Rhemense illis verbis solùm proscribere errorem Gilberti, qui distinguebat duplicem rationem: *vnam mathematicam,* quæ per mentem præscindit, & distinguit ea, quæ non sunt in re distincta: *alteram theologicam,* distinguentem ea tantùm, quæ in re distincta sunt: dicebatq; relationes diuinas esse Deo quasi extrinsecùs affixas; ideòq; ab essentia diuina, non Solùm ratione mathematicâ, verùm etiam Theologicâ distinctas. proinde admittebat distinctionem in re inter essentiam, ac personas, quam vocabat *rationis theologicæ.* Vnde vt concilium hunc errorem proscriberet, dictamq; distinctionem rationis theologicæ excluderet, verba illa posuit: *inter essentiam & personas, ratio non distinguat,*

Obijci-

Obiectio ſecunda

OBijcitur II. *Contra corollarium I.* Quod ſequitur ad aliud, non poteſt formaliter includi in illo. Sed diuina attributa conſequuntur ad eſſentiam, tanquàm eius affectiones, & proprietates, vt conſtat ex ſuppoſito I. ergo non poſſunt formaliter includi in illa. *Maior patet*: quia alias idem eſſet ſimul prius, & poſteriùs.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Quod ſequitur ad aliud ſequelâ virtuali, ſolùm importante diſtinctionem virtualem, non poteſt in eo includi explicitè, *conceditur*: implicitè *negatur*. Sic proprietates entis virtualiter ad eius eſſentiam conſequuntur; & tamen in ea implicitè includuntur. Quod ſequitur ad aliud ſequelâ reali, inuoluente diſtinctionem realem, nō poteſt formoliter includi in eo, *conceditur*. Et ſimiliter *diſtinctâ minore, negatur conſequentia. Deinde ad probationem maioris dicitur* Idem ſub conceptu explicito, poſſe eſſe poſterius ſecundùm rationem, ſeipſo ſub conceptu implicito conſiderato, vt manifeſtum eſt in proprietatibus entis. Porrò diſtinctio rationis attributorum ab eſſentia Dei, ſolùm fit ab intellectu noſtro imperfectè cognoſcente Deum; non autem ab intellectu Dei, aut beatorum, videntium Deum, vt eſt in ſe. *Ratio*: quia diſtinctio rationis fit per diuerſos conceptus inadæquatos, qui immediatè, & primò terminantur ad diuerſas formalitates obiecti; Deus autem, & beati per viſionem beatificam, non formant diuerſos conceptus inadæquatos, cùm habeant pro obiecto immediato attributa, & eſſentiam, vt plura, & ſic non formant rationis diſtinctionem attributorum ab eſſentia.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *contra Corollarium IV.* Si vnum attributum poſſet formaliter de alio prædicari, poſſet etiam dici, quòd vnum attributum eſſet aliud, v. g. attributum iuſtitiæ, ab attributo miſericordiæ. *Deinde*, poſſet propria operatio vnius attributi, alteri attribui, affirmarique, quod voluntas v. g. intelligat, intellectus amet, miſericordia puniat, iuſtitia parcat, quæ omnia falſa ſunt. Ergo vnum attributum, non poteſt formaliter prædicari de alio. *Reſpondetur negando ſequelam*: nam dum dicitur, *attributum miſericordiæ*, tunc exprimitur miſericordia formaliſſimè, & reduplicatiuè, ſecundùm rationem explicitam, & quatenùs virtualiter à iuſtitia diſtinguitur, ſub qua ratione, non eſt idem formaliſſimè cum iuſtitia, neq; poteſt de illa prædicari, aut eius operatio illi attribui.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *contra Corollarium V.* De quibus verè prædicantur contradictoria, illa diſtinguuntur realiter. Sed de diuinis attributis prædicantur contradictoria, v. g. quòd intellectus generet, voluntas non generet: quòd voluntas ſpiret, intellectus non ſpiret: quòd diuina eſſentia ſit communicabilis, relatio incommunicabilis, &c. ergo diſtinguuntur realiter.

Solutio eiuſdem prima.

Reſpondetur I. diſtinguendo maiorem. De quibus prædicantur contradictoria, illa diſtinguuntur in re, formaliter, aut virtualiter, *conceditur*: virtualiter ſemper, *negatur*: nam cùm diſtinctio virtualis, æquiualeat diſtinctioni formali, ideò poteſt totum id præſtare, quod facit diſtinctio realis. Quemadmodùm lux ſolis, quia eſt calor virtualiter, totum id præſtat, quod facit calor formalis. Vnde cùm diſtinctio realis, aut formalis, in perfectionibus creatis ſufficiat, vt cōtradictoria de illis enuntientur, ideò diſtinctio virtualis, aut eminentialis in diuinis attributis, eſt ſufficiens ad verificanda de illis prædicata contradictoria.

Solutio ſecunda.

Reſpondetur *ſecundò negando minorem*: quòd ſcilicet allata exempla, ſint verè & propriè prædicata contradictoria, cùm non enuntien-

tur de eodem, ſecundùm eandem rationem ſpectato, ſed ſub diuerſa ratione, & prout multis æquiualet. Vnde in illis propoſitionibus: *intellectus diuinus generat, voluntas ſpirat*, ſenſus iſte eſt, eadem entitas ſimplex à parte rei, prout æquiualet virtuti creatæ intelligendi, generat Filium, & prout æquiualet facultati volendi, ſpirat Spiritū Sanctum. Similiter in iſtis propoſitionibus: *Eſſentia diuina eſt communicabilis, relatio diuina incommunicabilis*, ſenſus iſte eſt, quòd eadem entitas increata Dei, prout æquiualet abſoluto, eſt communicabilis, & prout æquiualet relationi, eſt incommunicabilis. Quia ergo eiuſmodi prædicata non conueniunt entitati diuinæ toti, & totaliter, nec enuntiantur de illa, vt habet rationem termini perfectè diſtributi, ſed æquiualentis abſoluto, & relatiuo; communicabili, ideò non ſunt verè, & propriè contradictoria.

DISPVTATIO IV.

De Attributis diuinis in particulari.

A Diuinis attributis in communi conſideratis, ad eadem in particulari conſideranda, greſſum facere, neceſſe eſt, præſertim quæ ad ipſum eſſe diuinum pertinent, vt ſunt ſimplicitas, perfectio, bonitas, infinitas, immenſitas, immutabilitas, æternitas. de quibus S. Thomas 1. p. q. 3. ar. 12.

QVÆSTIO I.

An Deus ſit ſimpliciſſimus.

Compoſitio triplex.

SUppono I. Nomine *ſimplicitatis* in genere, nihil aliud ſignificari, niſi negationem cōpoſitionis, quæ triplex à Philoſophis aſſignari ſolet, *vna phyſica*, ex materia, & forma; vel ex ſubiecto, & accidente: *altera metaphyſica*, ex eſſentia, & exiſtentiâ, vel ex ſuppoſito, & natura: *tertia logica*, ex genere, & differentiâ.

Suppono *præterea*, compoſitionem *aliam eſſe intrinſecam*, quæ fit ex partibus eſſentialibus, & rem intrinſecè conſtituentibus: *aliam extrinſecam*, quâ vnum cum alio aliquid compónit, licet in ſe non componatur. Et talis eſt materia prima, quæ licet ſit in ſe intrinſecè incompoſita; venit tamen in compoſitionem aliorum, eſtq; primum ſubiectum, ex quo omnia elementa, & corpora mixta componuntur. Agunt ergo Theologi de ſimplicitate Dei, vt ab illa puriſſima eſſentia, omnem defectum potentialitatis, compoſitionis, aut componibilitatis excludant.

Licet ergo omnes Theologi facilè conueniant, quòd Deus ſit expers omnis compoſitionis, & componibilitatis; fuit tamen error antiquorum Philoſophorum, qui putabant Deum venire in compoſitionem aliarum rerum; ideoq; dicebant, Deum eſſe animam mundi, vt refert Ariſtoteles 12. Metap. & Auerroes ibidem comment. 41. & Sanctus Auguſtinus lib. 4. de Ciuitate Dei, cap. 10 11. & 12. Iam verò Almericus hæreticus aſſerebat, Deum eſſe principium formale omnium rerum, qui error damnatus eſt in Concilio Lateran: vt refertur in cap. *Firmiter, de ſumma trinitate*, ad finem. Quod vt meliùs intelligatur.

Sciendum eſt, quatuor conditiones requiri ad hoc, vt aliqua res veniat in compoſitionem alterius rei: *prima* eſt, vt diſtinguatur realiter ab altera: *ſecunda*, quòd coniunctio ſit realis: *tertia*, quòd ſit coniunctio non ſolùm ſecundùm ſitum, aut operationem, ſed etiam ſecundùm propriū eſſe reale: *quarta*, quòd vnum habeat ſe vt potentia, alterum verò vt actus, vel in ordine ad aliquid tertium actuatū ab

vtroq; , vt sit in compositione per accidens.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Deus est omninò simplicissimus.

CONclusio. Deus est omninò simplicissimus, omnisque compositionis, diuisionis, ac potentialitatis prorsus expers. *Probatur I.* ex scriptura Sacra. Exodi 3. vbi dicitur: *Qui est, misit me ad vos.* Quibus verbis scriptura Sacra de Deo, tanquàm de ente maximè simplici loquitur. Eadem veritas definita est in Conciliò Lateran. Sub Innocentio III. cap. *Firmiter, de summa Trinit: & fide Catholicâ*, vbi definitum est, Deum esse vnam substantiam, seu naturam omninò simplicem, his verbis: *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vna essentia, substantia, seu natura simplex omninò.* Ergo Deus est omninò simplicissimus.

Probatur II. ex Sanctis Patribus. Sanctus Augustinus lib. 11. de ciuit. Dei, cap 10. dicit: *Solam naturam diuinam esse simplicem, quia nihil habet, quod possit amittere, nec in ea aliud est habens, aliud quod habetur.* Et Sanctus Gregorius lib. 16. Moral. cap. 21. dicit: *Natura Dei est simplex, nec aliud dies eius sunt: Deus enim hoc est, quod habet.* Idem docet S. Basilius lib. 1. contra Eunomium, & D. Thomas de ente, ac essentia, cap. 2. Ergo ex mente Sanctorum Patrum, Deus est omninò simplicissimus.

Probatur III. *ratione.* Deus est primum ens in genere perfectionis, atque sic omne id, quod perfectius est, debet Deo inesse. Sed cæteris paribꝰ perfectiꝰ est, habere omnem, & quamlibet perfectionem, consistentem in vna tantùm simplici entitate, quam in aliqua entitate compositâ, consurgente ex coniunctione plurium inter se: ergo Deus est omninò simplicissimus. Ex hac cõclusione deducuntur corollaria.

Deus non est physicè compositus.

Corollarium I. Deus non est physicè compositus. *Ratio*: quia omne compositum est posteriꝰ suis componentibꝰ; in Deo autem cùm sit primum ens, nihil est prius, aut posterius, neq; ab alio dependens. *Præterea*, quia omne compositum habet causam, quæ coniungat extrema: nam quæ inter se diuersa sunt, non conueniunt in aliquod vnum, nisi per aliquam causam adunantem; Deus autem non habet causam, sed est prima omnium causa. *Deinde*, quia omnis compositio est aliquid, quod non est ipsum, sic nulla partium hominis, est homo; in Deo autem nihil est, quod non sit Deus. *Insuper*, quia quidquid ex pluribus componitur, conflatur ex imperfectis; in Deo autem nihil potest esse imperfectum: ergo & nihil compositum.

In Deo nõ est compositio ex partibus integrantibus.

Corollarium II. In Deo non est compositio ex membris humanis, aut partibus integrantibus. Est contra Antropomorphitas, qui Deum dicebant esse corporeum, eiq; figuram, & membra humana affingebant. *Ratio corollarij est*: quia Deus est incorporeus, & summus Spiritus. Similiter in Deo nõ est compositio ex materia, & forma, eò quòd sit summè immaterialis, ab omniq; materiæ labe segregatus. Neq; ex potentia, & actu, cùm sit actus purissimus. Neq; ex natura, & supposito, cùm sit per se subsistens. Neq; ex subiecto, & accidente, cùm sit immutabilis. Quod agnoscens S. Dionysius, exclamat: *O ineffabilem ergo simplicitatem, quâ Deus tàm paruus est, vt nihil sit; tàm magnus, vt omnia sit; tam simplex, vt nihil possit ab illo adimi; ita plenus & abundans, vt nihil possit illi adijci.*

In Deo nõ est compositio ex essentia & existentia.

Corollarium III. In Deo non datur cõpositio ex essentia, & existentia. *Ratio*: quia in Deo essentia, & esse, sunt idem, vt constat ex illo Exodi 3. *Ego sum, qui sum.* vbi Deus substantiam suam significat per

cat per

cat per hoc, quod dicat se esse, in cuius comparatione reliquæ creaturæ dicuntur non esse, Isaiæ 40. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.* Idem docet Sanctus Thomas 1. p. q. 3. ar. 4. & 2. contra Gentes, cap 52. vbi dicit: *Dei solius proprium est, quòd sua substantia non sit aliud; quàm suum esse.* Et *ratio est*: quia solius Dei proprium est, non habere esse causatum ab alio, neq; essentiam, quæ comparetur ad existentiam, sicut potentia ad actum, neq; esse ens per participationem.

Deus non componitur ex genere & differentia.

Corollarium IV. In Deo non datur compositio rationis, ex genere, & differentiâ. Ita Sanctus Cyrillus Alexandr lib. 1. de Trinit. vbi dicit: *Omninò sub genere, & differentiâ specificâ Diuinitas non est.* Et lib. 18. Thesauri cap. 1. *Videmus*, inquit, *substantialem differentiam in compositis solùm inueniri, Deus verò simplicissimus est.* Et Sanctus Thomas 1. p. q. 3. ar. 5. & de ente ac essentia, cap 6. Et *ratio est*: quia Deus est actus purus: ergo non componitur ex genere, & differentiâ. *Consequentia patet*: quia genus dicit potentiam perfectibilem per differentiam: ergo cùm Deus sit actus purus, non potest componi ex genere & differentiâ, quoniam purus actus nullam debet habere permixtionem potentiæ. *Præterea*, quia genus, & differentia, neq; se includunt, neq; de se inuicem prædicantur, sed vnum est extra rationem alterius; iam verò quæcunq; sunt in Deo, inuicem se includunt, ac de se inuicem prædicantur, nihilq; potest concipi in eo, de quo non sit verum dicere, esse viuens, substantiam diuinam, & ens infinitum.

Deus non potest venire in compositionem aliarum rerum.

Corollarium V. Deus non potest venire in compositionem aliarum rerum. Ita Sanctus Thomas citatus ar. 8. vbi refutans sententiã Dauidis de Dinando dicit: *Stultissimè posuit Deum esse materiã primam.* Idem docet Leo Papa epist. 93. cap. 5. tom. 1. concil. his verbis: *Quam impietatem ex Philosophorum quorundam, & Manichæorum opinione manentem, Catholica fides damnat, sciens nullam tàm sublimem, tàmq; præcipuam esse facturam, cui Deus ipse natura sit.* Vnde sententia oppositum tenens, in Concilio Lateran: cap. de summa Trinit: & fide Catholica, damnata est, his verbis: *Reprobamus & condemnamus etiam, peruersissimum dogma impij Almarici, cuius mentem sic pater mendacij excæcauit, vt eius doctrina non tàm hæretica; quàm insana sit.* Et ratio est: *tum*, quia Deus est prima causa efficiens rerũ omnium, cuius non est intrinsecè componere, sed extrinsecè efficere cõposita. *Tum*, quia Deus est primò, & per se agens; quod autem venit in compositionem, non est primò, & per se agens, sed potiùs factum, & compositum. *Tum deniq;*, quia Deus est ens perfectissimum, & completissimum; omnis autem pars componens, est imperfecta, & incompleta, pendetq; a causa efficiente, vt alteri coniungatur: ergo Deus nulla ratione potest venire in compositionem aliarum rerum.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra conclusionem.* In Deo secundùm fidem, sunt tres personæ realiter distinctæ, in eademq; essentia intimè cõiunctæ: ergo Deus componitur ex personis, & essentia, & consequenter non est omninò simplicissimus.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concesso Antecedente, negatur consequentia: nam vt docet S. Thomas in 1. sent: dist: 8. q. 4. ar. 1. ad 4. *Perfectio personalis comparata ad essentiam, non differt re ab ipsa, & ideò non facit compositionem cum ea: sed comparata ad suum correlatiuum, facit distinctionem realem; sed ex illa parte non est*

aliqua

aliqua vnio; & ideò nec compositio. Manifestè ostendens, quòd si diuinæ personæ efficerent compositionem cum essentia, deberent inter se vniri sub ea ratione, quâ relatiuè distinguuntur. At verò sic non vniuntur, sed potiùs opponuntur; sed tantùm quâ ratione comparantur ad essentiã, cum qua realiter identificantur; atq; sic ex neutra parte faciũt compositionem. Non enim ex parte essentiæ, ob defectum distinctionis: non etiã ex parte correlatiuorum, ob defectum vnionis.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *contra Corollarium* IV. Compositio rationis ex genere, & differentiâ, non repugnat Deo: ergo in illo verè inuenitur. *Consequentia patet*: quia ex eo, quòd Deus sit actus purus, solùm excludit a se potentiam realem; non autem rationis. *Respondetur, negando antecedens, cum sua probatione*: licet enim compositio ex genere, & differentiâ, sit rationis; debet tamen habere fundamentum ex parte rei cognitæ, cùm nõ sit compositio rationis ratiocinantis, sed ratiocinatæ, nosterq; intellectus non fundet ad libitum in aliqua re, conceptum generis, & differentiæ. Cùm ergo fundamentum gradus generici sit potentialitas, quæ reperitur in natura, quæ denominatur gen⁹; ideò vt aliqua natura componatur ex genere, & differentia, debet habere aliquid potentialitatis, & aliquid actualitatis, quod actui puro omninò repugnat. *Præterea*, quia si Deus componeretur ex genere, & differentia, vel illud genus commune Deo, & creaturis vniuocè, esset ens, vel substantia; non posset autem esse ens, *tum* quia ens non est vniuocum, sed analogum ad Deum, & creaturas. *Tum*, quia genus debet esse extra suas differentias; ens autem vt potè transcendens, in omnibus formalitatibus & differentijs rerum includitur. Non etiam posset esse substantia: quia supremũ genus prædicamenti substantiæ, est illud, cui competit aptitudinaliter solùm, seu radicaliter esse per se, & cui conuenit secundariò tanquam proprietas, substare accidentibus, esseq; subiectũ contrariorum; iam verò Deus cùm sit suum esse, per se subsistens, non potest habere dictã perseitatem aptitudinalem, seu radicalem; sed solùm actualem, & exercitam. Similiter cùm sit immutabilis, non potest substare alicui accidenti, nec esse subiectum contrariorum.

Solutio eiusdem.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *contra Corollarium* V. Persona Christi est composita ex personalitate Verbi, & humanitate assumptâ, vt definitum habetur in tertia Synodo generali, his verbis: *Si quis non confitetur vnionem Verbi ad carnem cõiunctam animæ rationali, secundùm compositionem, anathema sit.* Ergo Deus potest venire in compositionem aliarum rerum. *Respondetur, concesso antecedente, distinguitur consequens.* Ergo Deus potest venire in compositionem alterius, per modum partis materialis, aut formalis, intrinsecè cõponentis, *negatur*: per modum termini complentis, & actuantis aliquam naturam, *conceditur*: Persona itaque Christi, ex personalitate Verbi diuini, & humanitate assumpta, dicitur composita, non priori compositione, quæ ab alijs vocatur, *ex his*, vti est compositio ex materia, & formâ, aut ex subiecto & ex accidente: quia hæc inuoluit imperfectionem dependentiæ, aut informationis, quæ Deo repugnat. Sed dicitur esse composita, compositione posteriori, quæ vocari solet, *cum his*, quâ nimirùm vnitur terminus rei terminabili, eam intrinsecè complendo, actuando, & terminando qualiter subsistentia vnitur naturæ. Cùm enim ista compositio nullam includat dependentiam, aut informationem, aut imperfectionem

Solutio eiusdem.

ctionem ex parte termini, sed potiùs summam in eo denotet actualitatem, & perfectionem, ideò diuinæ simplicitati non officit.

QVÆSTIO II.

An in Deo sint perfectiones omnium rerum.

Perfectio simpliciter simplex quid sit.

SUppono I. Duplices esse perfectiones: *alias simpliciter simplices*, quæ in suo conceptu formali, nullam includũt imperfectionem. Vnde perfectio simpliciter simplex, definitur sic: *Perfectio simpliciter simplex est, quæ est melior ipsa, quàm non ipsa*: seu quam meliùs est absolutè habere, quàm non habere. Talis est *sapientia, vita, intellectio, &c.* Nam absolutè meliùs est viuere, esse sapientem, intelligentem; quàm his carere. Alias verò perfectiones esse *secundùm quid*, quæ in suo conceptu ita includunt imperfectionem aliquam, vt ab ijs separari nunquàm possit; & ideò absolutè non est meliùs omni enti, illas habere; quàm eis carere. Et tales sunt moueri, ratiocinari, differentiæ tàm specificæ, quàm numericæ creaturarum, à quibus ratio entis creati, & limitati, præscindi, & separari non potest.

Tripliciter aliqua perfectio potest contineri in aliquo.

Suppono *præterea*. Perfectionem aliquã tripliciter in aliquo esse, siue cõtineri posse. *Primò formaliter*, vti est rationalitas in homine. *Secundò eminenter*, vti est planta in semine. Porrò duobus modis potest esse aliquid in aliquo eminenter. *Primò eminenter formaliter*, vti est vegetatiuum, & sensitiuum in anima rationali: practicum, & speculatiuum in Theologia. *Secundò eminenter virtualiter*, vti est calor in sole. Similiter, *eminenter formaliter*, duobus modis potest esse aliquid in aliquo. *Primò perfectè*, sicut quando inferius in superiori continetur, à primo gradu vsq; ad vltimam differentiam, etiam indiuidualem. *Secũdò imperfectè*, quando nimirùm in eo cõtinetur solùm quoad rationes generales, ac genericas; non autem quoad rationes atomas, & indiuiduales.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

In Deo sũt omniũ rerum perfectiones.

COnclusio. In Deo sunt omnes omniũ rerum perfectiones. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 4. ar. 2. vbi probat, Deum esse summè, & infinitè perfectum. *Probatur I. ex scriptura Sacra.* In primis Exodi 33. v. 19. vbi dicitur: Ego *ostendam tibi omne bonum*, id est, diuinam essentiam, quæ dicitur omne bonũ, quòd nulla ei desit bonitas, ac perfectio, cùm sit omnium causa. Deinde Psal. 49. dicitur: *Pulchritudo agri mecum est.* Super quæ verba S. Augustinus ita scribit. *Quid enim cum illo non est? cum illo ager, cum illo species terræ, cum illo species cœli, cum illo omnia volatilia, quia ipse omnia.* Et Psal 93. dicitur: *Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculũ, non considerat?* id est, omnem omninò meorum effectuum contineo perfectionem. Ergo in Deo sunt omnes omnium rerum perfectiones.

Probatio secunda.

Probatur II. *ex Sanctis Patribus.* In primis Sanctus Dionysius lib. de diuin. nomin. cap 5 dicit: *Cuncta continet Deus, secundùm superexpensam simplicem infinitatem suam.* Sanctus Augustinus lib. 4. de Trinit: cap. 1. *Vnum est Dei verbum, per quod facta sunt omnia, quod est incommutabilis veritas, vbi principaliter, & incommutabiliter sunt omnia simul, non solùm quæ nunc sunt in hac vniuersa creatura, verùm etiam quæ fuerunt, & quæ futura sunt, vbi nec fuerunt, nec futura sunt, sed tantum modò sunt, & omnia vita sunt, omnia vnum sunt.* Hinc Sanctus Nazianzenus orat. in natalitia, *Deum vocat pelagus quoddam essentiæ, immensum,*

sum, & infinitum. Trismegistus, *rerum omnium vniuersitatem appellat*. Ergo ex mente Sanctorum Patrũ, in Deo sunt omnes omnium rerum perfectiones.

Probatio tertia.

Probatur III. *ratione*. Deus est ipsum esse per se subsistens, ac per essentiam: ergo omnes rerũ omnium perfectiones in se cõtinet. *Consequentia patet:* quia omnis perfectiò petitur penes aliquod esse: nam iustitia dat esse iustum, potentia esse potentem, sapientia esse sapientem: ergo vbi est tota plenitudo essendi, totiusq; esse latitudo, ibi est omnis rerum omnium perfectio. *Præterea*, quia quod est infinitum in aliquo genere, omnes illius perfectiones continet. Sic v. g. si daretur calor infinit⁹, omnem perfectionem caloris contineret: si daretur linea infinita, omnem longitudinem, occuparet. Sed esse per se subsistens, & irreceptum, est simpliciter & in genere entis infinitum, cùm careat omni limitatiuo, tàm materiali, quàm formali: ergo esse per se subsistens, omnes rerum omnium perfectiones in se continet. *Insuper*, cùm Deus sit totaliter in actu, & nullo modo in potentia, vt potè actus purissimus, & omnis potentialitatis expers, debet esse perfectissimus: nam vnumquodq; in tantum est perfectum, in quantum est in actu; imperfectum verò, in quantum est in potentia cum priuatione actus. Cumq; Deus sit primum in genere entis, debet esse mensura totius bonitatis, & perfectionis in rebus, omnesque creaturarũ perfectiones in se continere: quoniam in vnoquoq; genere, est aliquid perfectissimum, à quo cætera sub tali genere comprehensa mensurantur. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Omnes perfect. omnes simpliciter

Corollarium I. Omnes perfectiones simpliciter simplices, sunt in Deo formaliter eminenter. *Ratio:* quia Deus est summè, & infinitè perfectus: ergo formaliter cõtinet in se omnes perfectiones simpliciter simplices, quæ nullam imperfectionem in se includũt. *Præterea*, quia eiusmodi perfectiones prædicantur formaliter de Deo: nam Deus dicitur formaliter intelligens, sapiens, iustus, misericors; prædicari autem sequitur ad esse, modusq; prædicandi sequitur modum essendi. Quod verò perfectiones simpliciter simplices, in Deo sint eminenter, patet: quia sunt in illo ratione altiori, & eminentiori, quàm in creaturis: nam in istis sunt accidentia, qualitates, habitus, habentq; modum essendi finitum, ac limitatum; in Deo autem sunt substantia, habentq; modum essendi infinitum, ac illimitatum.

Simplices sunt in Deo formaliter eminenter.

Perfectiones creaturarum secundum quid non sunt in Deo formaliter.

Corollarium II. Perfectiones creaturarum secundùm quid, non sunt in Deo formaliter. *Ratio:* quia impossibile est aliquã imperfectionem esse formaliter in Deo. Sed perfectiones secundùm quid, inuoluũt inseparabiliter, & impræscindibiliter in suis conceptibus formalibus imperfectionem, vt patet in rationalitate, hinnibilitate, motu, discursu? ergo non sunt formaliter in Deo. Vnde perfectiones secundùm quid, non dicuntur de Deo formaliter: nam Deus non potest dici corpus, leo, agnus, lapis, nisi metaphoricè; quæ autem sunt formaliter in Deo, dicuntur de illo formaliter, vt sapientia, potentia, iustitia, &c. *Præterea* quia si perfectiones creaturarum secundùm quid, essent formaliter in Deo, sequeretur beatos videntes essentiã diuinam, cognoscere distinctè omnes creaturas possibiles, secundùm perfectiones earum, proinde comprehendere omnipotentiam, quod est falsum. *Sequela patet:* quia beati cognoscunt distinctè per lumen gloriæ, & visionem beatificam,

cam, ea omnia, quæ sunt in Deo formaliter, videlicet essentiam, attributa, & relationes.

Perfectiones creaturarum secundum quid sunt in Deo eminenter.

Corollarium III. Perfectiones secundùm quid creaturarũ, solùm sunt in Deo eminenter, eminentiâ perfectâ, ita vt eas contineat non tantùm secundùm rationes cõmunes, verùm etiam secundùm rationes specificas, ac indiuiduales. *Ratio:* quia Deus est causa efficiens omnium creaturarum æquiuoca: ergo debet præhabere earum perfectiones in se eminenter. *Consequentia patet:* quia causa efficiens ea ratione, quâ est efficiens, debet in se virtualiter, aut eminenter præhabere effectum, quem producit; ea verò ratione, quâ est æquiuoca, debet illum excellentiori, & perfectiori modo, ac sublatis imperfectionibus in se præhabere, proinde eminenter. Quòd verò ista continentia eminentialis sit perfecta, extendatq; se non solùm ad rationes communes, verùm etiam ad specificas, & indiuiduales, habetur expressa authoritas Sancti Thomæ 1. p. q. 4. ar. 6. vbi dicitur: *Omnia in Deo praexistunt, non solùm quantum ad id, quod commune est, sed etiam quantum ad ea, secundùm quæ res distinguũtur*, videlicet quantùm ad vnitatem numericam, aut specificam. Atq; ex hoc principio probat S. Thomas, Deum cognoscere omnes res creatas, non tantùm in communi, verùm etiam distinctè, & in particulari, ac secundùm differentias atomas, & indiuiduales.

Corollarium IV. Omnes creaturarum perfectiones, multò perfectiori, ac eminentiori modo sunt in Deo; quàm animalia, & plantæ in virtute solis, aliorumq; corporũ cœlestium. *Ratio:* quia sol, & corpora cœlestia, non attingunt per se primò in rebus inferioribus, nisi rationem viuentis, aut corporis corruptibilis, quæ cùm sit potentialis, ac generica, non includitur in vltimis earum differentijs, atq; sic non continet res inferiores, nisi continentiâ quadam eminentiali imperfectâ, & solùm se extendente ad rationes communes, & genericas. At verò Deus sua causalitate, & omnipotentiâ, per se primò attingit in rebus creatis, rationem entis producibilis, quæ per se primò correspondet vniuersalissimæ causæ. Cùm ergo ratio illa sit transcendens, formaliterq; imbibita in modis, ac differentijs creaturarum, ideo Deus continet eas modo quodam eminentiali perfectissimo, seq; extendente non tantùm ad rationes communes, & genericas; quemadmodùm eminentialis continentia solis; verùm etiam ad rationes atomas, & indiuiduales.

Deus cum creaturis non est aliquid maius & perfectius intensiuè.

Corollarium V. Deus cum creaturis non est aliquid maius, & perfectius intensiuè, quàm ipse solus, sed tantùm extensiuè, idq; impropriè. Ita Sanctus Thomas 1. 2. q. 34. ar. 3. ad 2. & q. 5. de malo, ar. 1. ad 4. & in 3. sent: dist: 6. q. 2. ar. 3 ad 2. licet Durandus cum quibusdam alijs oppositum sentiat. Sed contra manifestam scripturæ Sacræ authoritatem, Isaiæ 40. vbi tota creaturarum vniuersitas, cum Deo collata, dicitur esse quasi stilla situlæ, omnesq; gentes, quasi nõ sint, sic esse coram eo, & quasi nihilum, ac inane reputari? iam verò ex accessione nihili, non accrescit esse; imò potiùs decrescit: ergo neq; ex accessione creaturarum diuina perfectio augetur, & crescit. *Præterea*, quia vt docet Sanctus Thomas citatus in 3. sent. *Bonum creatum habet se ad increatum, sicut punctum ad lineam*; punctum autem vt potè indiuisibile, additum lineæ, non facit cum illa maius quid: ergo nec creaturæ additæ Deo. *Deinde*, quia Deus est simpliciter, & in genere entis infinitus; perfectiones autem creaturarum

 sunt

sunt finitæ, ac limitatæ: ergo simul cum Deo non faciunt aliquid maius, aut perfectius, quàm solus Deus. *Consequentia patet*: quia iuxta doctrinam Aristotelis, infinitum ex additione alicuius finiti, non potest maius fieri. *Insuper*, quia tempus additum æternitati, non auget, neq; extendit durationem ipsius, eò quòd omnes durationes illâ inferiores, contineantur in ipsa eminentissimo modo; ita Deus & creaturæ non sunt aliquid perfectius, etiam extensiuè, quàm solus Deus, cùm tota perfectio creaturarum, etiam numerica, perfectissimo modo in Deo contineatur. Cæterum extensiuè impropriè, Deus & vniuersum, aliquomodò efficiunt maius, in quantum sunt plures res, pluresq; modi habendi candem perfectionem; quemadmodùm etiam plura puncta, faciunt maius extensiuè impropriè cum linea, non quasi eam extensiuè augeant, sed quòd sint plura numero.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra cõclusionem*. Sol generat hominem, & causat albedinem; & tamen neutrum est in sole: similiter ex semine nascitur animal; & tamen animal non est in semine: ergo pariter licet Deus sit primum in genere entis, sitque causa prima omnium creaturarum, hinc non sequitur omnes earũ perfectiones esse in Deo. *Respondetur negando Antecedens*, quòd nimirùm homo, & albedo, non sint virtualiter in sole; similiter quòd animal non præexistat virtualiter in semine, cùm certissimum sit illud principium, *effectus in sua causa efficiente præexistit*. Vnde in hoc differt causa efficiens à materiali, quòd materialis solùm in potentia; efficiens autē in actu suos effectus præhabeat: quomodò enim eos producere posset, si illos in se virtualiter nõ præhaberet? siquidem nemo dat, quod non habet; agere autem & producere, est dare esse effectui.

Solutio eiusdem.

Instantia & solutio eius-dem.

Instabis. Si in Deo essent omnes rerum omnium perfectiones, sequeretur hinc, Deum non esse infinitè perfectum. Sed consequens falsum est: *ergo & Antecedens. Minor probatur*. Perfectiones creaturarum sunt finitæ: ergo ex hoc, quòd Deus illas contineat, non sequitur Deum esse infinitum. *Respondetur, concessâ, sequelâ, negatur minor. Ad eius probationem dicitur*, perfectiones quidem creaturarum, quæ actu sunt, vel erunt, aut fuerunt, finitas esse, & in aliquo determinato numero. At verò creaturas possibiles, quæ in diuina omnipotentiâ latent, tanquàm in causa, illarumq; perfectiones, infinitas esse, saltem in potentia, & sincategorematicè: quoniam Deus productâ qualibet creaturâ, potest aliam perfectiorem, & perfectiorem, in infinitum producere. Atque sic ex hoc, quòd omnium creaturarum possibilium perfectiones sint in Deo, tanquàm in causa, optimè sequitur, Deum esse infinitè perfectum.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *contra Corollarium II.* Perfectiones creaturarũ secundùm quid, ablatis imperfectionibus, sunt perfectiones simpliciter, cùm nullam in suos conceptu formali includat imperfectionem: ergo perfectiones creaturarum secundùm quid, sunt formaliter in Deo. *Respondetur negando Antecedens*: impossibile enim est, vt à perfectionibus in certo genere, tàm numericis; quàm specificis, aut genericis, auferantur omnes imperfectiones, vtq; de perfectionibus in certo genere, fiant perfectiones simpliciter. Nam si ab homine v. g. auferas imperfectionem, quam includit intrinsecè, non manebit homo etiam secundùm rationem analogam.

Solutio eiusdem.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

An Deus sit summè bonus.

Bonum tripliciter sumi potest.

SUppono. *Bonum* tripliciter sumi posse. *Primò, absolutè, seu fundamentaliter*, pro eo; quod est in se perfectum in suo genere, seu cui nihil deest ex ijs, quæ ad eius perfectionem, & integritatem requiruntur. Et in hoc sensu aqua dicitur absolutè bona: quia habet omnia accidentia, omnesq; qualitates sibi debitas, v. g. colorem, saporem, frigiditatem. Vnde ad hoc, vt aliquid dicatur simpliciter & absolutè bonum, tria debent concurrere. Videlicet existentia, perfectiones illi debitæ, eiusq; vltimus finis. *Secundò respectiuè, seu transcendentaliter*: & sic ratio boni formaliter consistit in conuenientia cum voluntate, ex qua oritur appetibilitas, per modum passionis ad eam consequentis. *Tertiò*, sumitur pro *morali perfectione*, ac rectitudine, quâ res intellectuales peculiariter bonæ denominantur, bonitate morali, idq; dupliciter: puta aut actuali bonitate, quatenùs opera bona moraliter, id est, rectæ rationi conformia exercent: aut habitu, & aptitudine, quam retinent ad benè moraliter operandum, quatenus sunt rectè dispositæ per gratiam, habitusq; infusos, aut acquisitos.

Dupliciter aliquid potest esse sui diffusiuum.

Suppono *præterea*, De ratione boni simpliciter esse, non tantùm quòd sit in se perfectum, verùm etiam, quòd sit diffusiuum sui, perfectiuumq; aliorum, proinde vt se alijs communicet, iuxta doctrinam S. Dionysij de diuin. nom. cap. 4. Porrò dupliciter aliquid potest esse perfectiuum alterius, suiq; diffusiuum: *Primò*, per modum causæ efficientis, dando illi esse. *Secundò*, per modum finis, & centri, alliciendo appetitum, eumq; perfectè satiando, ac quietando.

Suppono *denique*. Dupliciter dici aliquid tale per essentiam. *Parte, ex parte subiecti*, quando nimirùm illud ei conuenit ex vi suæ essentiæ; non verò ab aliquo extrinseco: & in hoc sensu homo dicitur per essentiam rationalis. *Secundò, ex parte prædicati*, quando non solùm ex vi suæ essentiæ, habet aliquam formam; verùm etiam possidet eam cum tota plenitudine. Sic v. g. si daretur albedo, ab omni subiecto separata, esset talis per essentiam, non tantùm ex parte subiecti, sed etiam ex parte prædicati, quia careret omni limitatiuo, omnemque perfectionem albedinis in se contineret.

Dupliciter aliquid dicitur tale per essentiam.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Deus est summè bonus.

COnclusio. Deus est summè bonus. Probatur ex Scriptura Sacra. Psal. 135. *Confitemini Domino, quoniam bonus*. Quem locum explicans S. Augustinus, dicit: *Græcus habet agathos; agathos autem non vtcunq; bonus, sed excellentissimè bonus est*. Deinde Matthæi 9. dicitur: *Vnus est bonus Deus*. Quod S. Anselmus exponit de bonitate *ex se*, eò quòd solus Deus habeat ex se bonitatem; reliqua verò bonitatem, & essentiam habeant per participationem à Deo. Et Lucæ 18. dicitur: *Nemo bonus nisi vnus Deus*. Quòd Sancti Patres exponunt de summa bonitate, vt S. Hieronymus in illud ad Ephes. 3. *Huius rei gratia flecto ienua mea*. Cœlestinus I. epist. I. ad Episcopos Galliæ cap. 5. & S. Dionysius cap. 4. de diuin. nomin. vbi dicit: *Deum essentiâ suâ, & per se esse bonum; alia verò per participationem à Deo*. Ergo Deus est summè bonus. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Deus est summè bonus bonitate absoluta.

Corollarium I. Deus est summè, & essentialiter bonus, bonitate absolutâ, *Ratio*: quia bonitas absoluta consistit in integritate, & perfe-

perfectione rei; Deus autem est summè, & infinitè perfectus, cùm omnes perfectiones in se formaliter, aut eminenter contineat: ergo est summè bonus bonitate absolutâ. Et hoc voluit exprimere S. Dionysius de diuin. nom. c. 13. ita scribens: *sicut sol noster non cognitione, aut voluntate, sed eo ipso, quod est, omnia illustrat, quæ eius lumen pro modo suo capere possunt; sic etiã ipsum bonum, scilicet Deus, omnibus pro eorum captu, totius bonitatis radios emittit.*

Deus est summè bonus etiam bonitate respectiua.

Corollarium II. Deus est summè bonus etiam bonitate respectiuâ, seu conuenientiæ cum appetitu. *Ratio*: quia Deus habet perfectionem sibi maximè conuenientem, ac necessariò amabilem à se, cùm sit summè bonus, & conueniens creaturis, tanquam causa, & finis omnium, vt docet S. Thomas 1. p. q. 6. ar. 2. & 4. Ergo Deus est summè bonus, bonitate etiam respectiuâ. Quod verò Deus sit conueniens creaturis, docet Scriptura Sacra, Thren. 3. vbi dicitur: *Bonus est Deus sperantibus in eum, animæ quærenti eum.* Et Psal. 72. *Quam bonus Israël Deus his, qui rectò sunt corde.* Quibus verbis euidenter declarat Scriptura Sacra, Deum specialiter quibusdam bonum, & conuenientem esse v. g. iustis bonus, & conueniens est, vt amic⁹; beatis vt fruibilis; studiosis vt causa exemplaris omnis iustitiæ, & sanctitatis: pœnitentibus deniq;, vt author remissionis peccatorum, & gratiæ.

Deus est summè bonus etiam bonitate morali.

Corollarium III. Deus est summè bonus etiam bonitate morali. *Ratio*: quia bonitas moralis consistit in perfectione morum, quæ alias vocari solet iustitia; in Deo autem est perfectio morum sine vllo defectu, ac imperfectione, vt fusè docet S. Augustinus lib. 1. contra aduersarios legis: ergo Deus est summè bonus etiam bonitate morali. *Præterea*; quia bonitas moralis nihil aliud est, nisi perfecta sanctitas, quæ in Deo perfectissima, & infinita est, cùm sit ab omni sceleris labe purissimus, & ab omni terrena labe secretissimus, iuxta illud Abacuc. 1. *Mundi sunt enim oculi eius, ne videat malum, & respicere ad iniquitatem non poterit.*

Deus est summè bonus per essentiã tàm ex parte subiecti quam ex parte prædicati.

Corollarium IV. Deus est summè bonus per essentiam ex parte subiecti. *Ratio*: quia illud dicitur tale per essentiam ex parte subiecti, quod habet aliquam formam, aut perfectionem ex vi suæ essentiæ; quemadmodùm homo rationalitatem. Sed Deus est bonus per seipsum, & ex vi suæ essentiæ, vt docet Leo Papa illis verbis: *Deus cuius natura bonitas, & opus misericordia.* Et Tertullianus libr. contra Marcionem dicit: *Deus est seipso bonus*, & paulò inferiùs: *Deus de sola bonitate censendus est.* Palam ostendens, diuinam bonitatem, esse veluti totius diuinitatis censum, & pretiosissimum diuini ærarij thesaurum.

Corollarium V. Deus est summè bonus per essentiam, etiam ex parte prædicati. *Ratio*: quia esse bonum per essentiam ex parte prædicati, est habere in se totam plenitudinem bonitatis, ac perfectionis, sine vllo limitatiuo, & contractiuo. Sed Deus habet in se totam plenitudinem bonitatis, & perfectionis, sine vllo limitatiuo, ac contractiuo: ergo est bonus per essentiam, non solùm ex parte subjecti, sed etiam ex parte prædicati.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Dupliciter aliquid dicitur infinitum.

OBijcitur *contra corollarium* IV. Etiam creatura est bona per essentiam: ergo non solus Deus est bonus per essentiam. *Antecedens probatur*, omnis creatura, quâ ratione est creatura, est formaliter, & propriè bona: ergo est per essentiam bona: *Antecedens patet*: ex Scriptura Sacra, Genes. 1. v. 13. *Vidit*

dit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. Et 1. ad Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Sed omnis creatura secundùm suam essentiam est creatura: ergo secundùm essentiam est bona. *Respondetur, negando Antecedens. Ad eius probationem ex Scriptura Sacra adductam dicitur*, quòd Scriptura Sacra omnem creaturam bonam esse affirmet, dum existit, vt exponit S. Isidorus lib. 1. sent. cap. 1. vbi dicit: *Creatura dum est, bonum quidem est.* Et S, Augustinus lib. 7. confessionum, cap. 12. de creaturis dicit: *Quamdiu sunt, bona sunt.* Vnde sicut existere, nulla creatura habet secundùm suam existentiam; ita nec bonitatem.

QVÆSTIO IV.

An Deus sit infinitus.

SUppono, dupliciter aliquid posse dici infinitum. *Primò*, in ratione entis, & tale infinitum dicitur absolutè, & simpliciter infinitum, eò quòd totam eius amplitudinem, quæ in infinitum, & sine termino excurrit, in se contineat. *Secundò*, dicitur aliquid infinitum in certo genere, & hoc vocatur infinitum secundùm quid, continetq; solùm perfectiones illius generis. vt si daretur albedo infinita, tunc in se quidem contineret omnem perfectionem albedinis; non tamen totam perfectionem substantiæ, aut quantitatis in se includeret. Cùm autem infinitum dicatur ex eo, quòd non finiatur, seu quòd careat terminis; ideò vt aliquid dicatur infinitum in certo genere, necesse est, vt illius generis terminis careat. Iam verò vt dicatur absolutè, & in genere entis infinitum, carere debet terminis limitantibus, & finientibus ipsum esse. Cùm autem esse sit vltimus actus, iamque non possit actuari per vlteriorem actum, neq; habere vllum formale limitatiuum, sed solùm materiale, videlicet subiectum, in quo recipitur, ideò si sit irreceptum, ab omniq; subiecto independens, dicitur infinitum in omni genere, omninoq; illimitatum.

Suppono *præterea*, quæstionem præsentem non procedere de infinito quoad durationem, neque etiam quoad quantitatem molis, quæ in Deo locum non habet; sed de infinito perpectionis. Vnde sensus quæstionis est, an Deus quoad suam essentiam sit infinitæ perfectionis essentialis.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Deus in omni genere entis & perfectionis est infinitus.

COnclusio Deus in omni genere entis, & perfectionis est infinitus. *Probatur I.* Ex Scriptura Sacra. Psal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius nõ est finis.* Baruc. 3. *Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus.* Ergo Deus in omni genere entis, & perfectionis, est infinitus.

Probatur II Ex Concilijs. *In primis* Concilium Lateran. sub Innocentio III. cap. *Firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica*, sic dicit: *vnus solus est verus Deus, immensus, & incommutabilis, & incomprehensibilis, omnipotens &c.* Item in symbolo Athanasij à Concilio Florentino in instructione Armenorum approbato dicitur: *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.* Ergo iuxta sacra concilia, Deus in omni genere entis, & perfectionis, est infinitus.

Probatur III. Authoritate Sanctorum Patrum. *In primis*, S. Dionysius, lib. de diuin. nomin. cap. 9. dicit: *Magnus est Deus, & supra omnẽ magnitudinem, & omnem transiens infinitatem.* Et iterùm: *Magnitudo hæc, & infinita est, & sine quantitate, & sine numero.* S. Damascenus lib. 1. de fide, cap 4. *Deus infinitus est, & incom-*

incomprehensibilis, & hoc vnum de illo potest comprehendi, quòd sit incomprehensibilis, & infinitus. Ergo ex mente Sanctorum Patrum, De⁹ est simpliciter infinitus.

Probatur IV. *Ratione.* Esse Dei est per se subsistens, & irreceptum: ergo est simpliciter infinitum. *Antecedens* ab omnibus admittitur: quia cùm esse Dei ne quidem virtualiter ab eius essentia distinguatur, non potest in ea recipi. *Consequentia probatur.* Omnis actus licet efficienter, & extrinsecè limitetur à causa illum producente, nihilominùs formaliter, & intrinsecè, per potentiam eius susceptiuam, aut saltem per ordinem ad eam, limitari decet, vt docet sanctus Thomas 1. contra Gentes, cap. 43. in 2. ratione. Ergo cùm esse habeat rationem actus, non potest limitari nisi per ordinem ad subjectum, in quo recipitur: atq; sic si fuerit irreceptum, & ab omni subiecto abstractum, cuiusmodi est esse diuinum, erit illimitatum, ac infinitum. *Consequentia manifesta. Antecedens probatur.* Sicut diuisibile, per indiuisibile formaliter terminatur, v. g. linea per punctum; ita actus per potentiam formaliter limitari debet: siquidem actus intra suam propriam rationem, nihil habet, per quod formaliter limitetur: nam actualitas non limitat actualitatem, sed potiùs eam auget, & perficit. Ergo omnis actus formaliter, & intrinsecè limitari debet per potentiam eius susceptiuam, aut saltem per ordinem ad eam. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Deum esse infinitũ simpliciter potest naturalis ostendi.

Corollarium I. Deum esse infinitum simpliciter, ita pertinet ad fidem, quòd possit demonstrari per rationem naturalem. *Ratio:* quia secundùm fidem certum est, posse demonstrari Deum esse, vt docet Sanctus Paulus ad Rom. 1. illis verbis: *Inuisibilia eius, per ea, quæ visibilia sunt, intellecta conspiciuntur.* Ergo quoq; potest demonstrari Deum esse infinitum. *Consequentia patet:* quia asserere, Deum esse, & esse finitum, est repugnantia: si enim finitus est, ergo ab aliquo finitur, & consequenter non esset purus actus. *Præterea*, Deus est extra omne genus: ergo est infinitus. *Antecedens per se manifestum. Consequentia probatur:* quia id, quod non clauditur terminis substantialibus alicuius generis, omninò debet esse infinitum secundùm substantiam. *Insuper*, quia Deus creauit mundum, & omnia quæ in illo sunt, ex nihilo, vt docet scriptura Sacra Genes. 1. ergo est infinitus: nam creatio requirit infinitam virtutem in creante.

Creatura secundùm essentiam infinita dari non potest.

Corollarium II. Nulla creatura secundùm essentiam infinita dari potest. *Ratio:* quia omnis creatura habet esse receptum ab alio, & in alio: ergo habet esse finitum, & limitatum. *Consequentia constat ex supra dictis:* quia omnis act⁹, aut forma intrinsecè finitur, & limitatur ex subiecto, in quo recipitur, aut ex ordine ad illud; extrinsecè verò à causa, à qua producitur. *Præterea*, quia cùm nulla creatura sit actus purus, sed habeat aliquid potentialitatis admixtum, habet aliquam sui oppositi inclusionem, aliquidq; commercij cum nihilo, à quo emersit, & constat ex genere, ac differentia, proinde secundùm suam naturam, finita ac limitata est.

Corpus naturale infinitum dari nó potest.

Corollarium III. Nullum corpus naturale potest dari infinitum in actu. *Ratio:* quia omne corpus naturale habet formam determinatam, ad quam omninò consequi debent accidentia determinata, è quorum numero est quantitas. *Præterea:* quia omne corpus naturale, habet aliquem motum naturalem; corpus autem infinitum non posset moueri vllo motu, scilicet neq; recto, neq; circulari: non enim motu recto: quia occuparet omnem locum; non etiam motu circulari: quia lineæ deductæ à centro versus circumferentiam, in infinitum distarent, & sic nulla pars alteri succederet. Ergo nullum corpus naturale, potest dari infinitum in actu.

Corollarium IV. Non potest dari vlla creatura infinita, etiam secundùm accidentia, v. g. secundùm magnitudinem, aut multitudinem. *Ratio:* quia hoc repugnat ordini diuinæ sapientiæ: nam ordo diuinæ sapientiæ postulat, vt res creatæ habeant inter se aliquem ordinem, & proportionem; si autem daretur infinitum secundùm magnitudinem, aut multitudinem, nullã haberent inter se proportionem. Siquidem esset veluti chaos, & confusio quædam rerum infinitarum, magnitudinisque infinitæ. *Præterea*, quia omnis ordo rerum reducitur ad vnitatem, & proportionem; in infinito autem nulla esset proportio, neq; vnitas, ad quam reduceretur infinitum: non enim esset duplum ad suam medietatem, nec vllam aliam proportionem haberet. *Insuper*, quia accidens infinitum postulat subiectum infinitæ capacitatis, cùm semper debeat esse proportio inter actum, & potentiam receptiuam; ac inter perfectiuum, & prfectibile. Cùm ergo nulla substantia possit dari infinita, & quæ habeat capacitatem infinitam, sequitur nullum quoq; possibile esse accidens infinitum.

Corollarium V. Falsa est sententia Nominalium, asserentium possibile esse infinitũ creatũ, saltem secundùm accidentia. Ita Guilhelmus Parisiensis, tract: de fide, cap. 2. vbi dicit: *Ponere infinita huiusmodi, est destruere credulitatem eorum, quæ sunt fundamentum Religionis, & propter hoc religionem infundabilem facere, quare & inædificabilem.* Ergo asserere, dari aliquod infinitum, præter Deum, falsum est.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra Conclusionem.* Infinitum accipitur priuatiuè, aut negatiuè. Sed neutro modo competit Deo: ergo Deus non est infinitus. *Minor probatur:* quia infinitũ priuatiuè, dicit negationem, nimirùm quòd aliquid sit aptum finiri, & non finiatur. Infinitum verò negatiuè, nullam dicit perfectionem: ergo neutro modo conuenit Deo. *Præterea*, quia si Deus esset infinitus in omni genere entis, & perfectionis, sequeretur omnes creaturas esse æquales in perfectione. Sed consequens falsum est: ergo & antecedens. *Sequela probatur:* quia maior, aut minor perfectio creaturarum, attenditur penes maiorem, aut minorem distantiam à Deo. Sed si Deus esset infinitè perfectus, omnis creatura infinitè distaret ab illo: ergo nulla magis, aut minus, sed æqualiter, siquidem distantia infinita, non est maior vna, quàm alia.

Solutio eiusdem.

Respondetur ad primum, negando minorem, cum *sua probatione:* nam infinitum, secundùm quod attribuitur Deo, sumitur negatiuè: licet enim negatio formaliter, & absolutè loquendo; non sit perfectio; tamen quædam negationes dicuntur de Deo, quæ præsupponunt formaliter maximam perfectionem in ipso, v. g. quòd sit immutabilis, incomprehensibilis ab intellectu creato. Et hoc modo Deum esse infinitum, est maxima perfectio. *Ad secundum verò, negatur sequela, cum eius probatione:* perfectio enim rerum creatarum, non attenditur penes accessum ad summũ, quando illud est infinitè perfectum; sed attenditur penes maiorem, & minorem participationẽ, ab illo summo bo-

mo deriuatam. *Respondetur secundò*, perfectionem creaturarum, non attendi formaliter penes elongationem, & dissimilitudinem ab ipso Deo, sed penes aliquod intrinsecum, per quod assimilantur Deo, quæ assimilatio non est infinita, licet distantia infinita sit; & ideò assimilatio potest esse maior, & minor. Nam licet eadem creatura sit similis, & dissimilis Deo; similitudo tamen attenditur penes actum essendi receptum, & limitatum in tali forma; iam verò dissimilitudo, & distantia consideratur penes id, quod creatura sit ex nihilo, in quo non est magis, & minus.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *contra Corollaria.* Gratia vnionis Verbi ad humanitatem, facta est à Deo. Sed ista gratia vnionis est simpliciter infinita in actu: ergo potest dari aliqua creatura infinita in actu. *Maior patet:* quia gratia vnionis non est ab æterno. *Minor etiam probatur:* quia humanitas eleuatur per gratiam vnionis ad esse Verbi Dei personale, quod est infinitum in actu.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concedendo gratiam vnionis factam esse à Deo in tempore; hinc tamen non sequi, factum esse à Deo aliquod infinitum, sed solùm sequi, id quod ante erat infinitum, Deum fecisse gratiam vnionis, id est donum, cui vniretur humana natura. Gratia itaq; vnionis est infinita, secundùm quod persona Verbi est infinita. Vnde ipsum Verbum diuinum, fuit maximum bonum concessum humanæ naturæ, vt esset illi persona terminans dependentiam humanitatis quantum ad hoc, quod est suppositari. Iam verò, quòd gratia vnionis dicatur facta, non ponit aliquam mutationem in ipso dono, quod est Verbum diuinum, sed tantùm in humanitate, quæ assumpta est, vt vniretur.

QVÆSTIO V.

An Deus sit vbiq; præsens.

POst explicatam infinitatem Dei, tractat S. Thomas de eius immensitate 1. p. q. 8. eò quòd immensitas sit virtus quædam infinita, repletiua loci, ac veluti esse diuini illimitatio, & incircumscriptio, vel potiùs incircumscriptibilitas à loco. Nam sicut ratione infinitatis, Deus est supra omne ens creatum, & creabile; ita ratione immensitatis est supra omnem locũ, quamuis per eam sit intimè, & substantialiter præsens in omnibus locis.

Deus tribus modis est vbiq;.

Suppono itaq; I. Deum tribus modis esse vbiq;, seu in omnibus rebus, videlicet per essentiã, præsentiam, & potentiam, vt docet Sanctus Thomas citatus ar. 3. *Per essentiam* inquam, quia adest omnibus, vt causa essendi, cùm producat & conseruet esse in omnibus rebus, portetq; omnia verbo virtutis suæ, quæ virtus non est ab illo diffusa, & separabilis, sed ipsamet Dei substantia. *Per præsentiam verò*, quia omnia sunt præsentia, & aperta oculis eius, ipseq; cognitione practicâ omnia regit, & speculatiuâ omnia videt. *Insuper per potentiam*, quia potest operari in omnibus rebus, quidquid vult, & *in ditione eius cuncta sunt posita*, vt habetur Esther 13. Primus igitur essendi modus, fundatur in actuali operatione Dei virtualiter transeunte; tertius autẽ in diuina omnipotentiâ, quatenùs potest ad extra operari.

Deus speciali modo est in cælo empyreo.

Suppono *præterea*, quòd licet Deus sit in omnibus rebus, per essentiam, præsentiam, & potentiam; speciali tamen modo dicitur esse in cœlo empyreo, *in primis*, ob loci illius dignitatem, & præstantiam: *deinde*, quia in eo specialiùs

rutilat,

rutilat, ac splendet diuina maiestas; quàm in alijs mundi partibus: *tandem*, quia ibi specialiter operatur beatisq; seipsum manifestat, & fruendum exhibet.

Suppono III. Attributum immensitatis ad duo attributa consequi, habereq; respectum ad illa, secundùm duplicem eius considerationem. Si enim consideretur quantum ad extensionem suam virtualem, ratione cuius potest omnibus rebus coëxtendi, licet in infinitum multiplicentur, sequitur ad attributum infinitatis, & hæc est causa, cur post infinitatem Dei tractetur de eius immensitate, quia nimirùm infinito cõuenit esse vbiq; Si autem cõsideretur immensitas, secundùm quod importat modum tangendi creaturas per operationem virtualiter transeuntem, & dantem, aut conseruantem esse in omnibus rebus, tunc consequitur ad attributum omnipotentiæ. Esse igitur vbiq;, non ita competit Deo per se primò, vt necessariò ei competat, absolutè loquendo: nam ante mundum conditum non erat vbiq; sed hoc cõpetit Deo ex suppositione: supposito enim quòd sit mundus, per se primò competit Deo, esse vbiq; quantumcunq; loca multiplicentur.

Opiniones duæ.

Prima itaq; opinio fuit veterum quorundam Philosophorum, qui asserebant Deum nõ esse vbiq;, sed in certa parte mundi determinatâ, videlicet in primo cœlo, & in parte orientis. Vnde est principium motus cœli, vt refert Sanctus Thomas 3. contra Gentes, cap. 66. Ab hoc errore non procul recedebant quidam Iudæi, qui Auctore D. Hieronymo, contendebant Deum nusquàm alibi, nisi in templo Hierosolymitano esse substantialiter præsentem.

Altera opinio affirmat, Deum esse vbiq;: & hæc est communis Doctorum.

K

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Deus per suam immensitatem est vbique realiter præsens.

COnclusio. Deus per suam immensitatem, est vbiq; realiter præsens. *Probatur I.* ex scriptura Sacra, Psal. 138. *Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Hieremiæ 23. *Cælum, & terram ego impleo.* Actor. 17. *Non longè est ab vnoquoq; nostrum: in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.* Ergo iuxta scripturam Sacram, Deus per suam immensitatem est vbique præsens.

Probatur II. *ex Sanctis Patribus.* Sanctus Athanasius in symbolo dicit: *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.* Deinde Sanctus Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 1. dicit: *Deus vbiq; est, sine vllo situ præsens, sine habitu omnia continens, sine loco vbiq; totus.*

Probatur III. *ratione.* Si Deus non esset vbiq; realiter, sed ab aliquibus locis abesset, sequeretur eum non esse in omni genere perfectionis infinitum, siquidem deesset illi præsentia in aliquo loco, quæ est quædam perfectio. Sequeretur *præterea*, eum moueri de loco in locum, quæ omnia sunt absurda, eiusq; immutabilitati summè repugnantia: ergo Deus per suam immensitatem est vbiq; realiter præsens. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Deus non habet determinatũ locum.

Corollarium I. Deus non habet determinatum locum. *Ratio I.* quia immensitas Dei, seu vis existendi in rebus, ac locis, non minùs est infinita, quàm eius essentia secundùm se, à qua virtualiter, & secundùm rationem nostram quasi profluit. Sed essentia Dei est simpliciter infinita: ergo & eius immensitas, seu virtus repletiua loci, debet esse infinita, atq; sic nullo spatio finito, ac loco terminari, aut definiri potest. *Ratio secunda:*

quia

quia ſi Deus haberet locum determinatum, poſſet dari aliqua creatura ſpiritualis, aut corporea, quæ multò maiorem locum occuparet, quod eſt ſummum inconueniens: alias illa creatura eſſet magis immenſa, quàm Deus. *Sequela patet:* quia quantò Angelus eſt perfectior, tantò maiorem locum occupat: ergo cùm in perfectione Angelorum poſſit procedi in infinitum, deueniretur tandem ad illum, qui maiorem locum poſſet occupare, quàm Deus. *Ratio tertia:* quia ſi Deus ſolùm eſſet in aliquo loco determinato, tunc vel ibi eſſet liberè, vel naturaliter, & neceſſariò. Sed non *primum:* alioqui poſſet Deus moueri localiter, & conſequenter mutari, quod puro actui repugnat. *Non etiam ſecundum:* tum quia non eſt maior ratio, cur Deus hunc potiùs locum ſibi poſtulet; quam alium. *Tum,* quia ſubſtantia ſpiritualis, ad vnum locum non eſt naturaliter determinata: cùm enim poſſit omnia apprehendere, ad omnia poteſt ferri; ſicut etiam animantia, quæ ſua imaginatione plura apprehendunt, v. c. paſcua, non ſunt affixa vni loco. Ergo cùm Deus ſit naturæ intellectualis, non poteſt eſſe vni loco ita determinatus, quin poſſit eſſe in alijs.

Dei præſentia in omnibus rebus rectè colligitur ex eius operatione.

Corollarium II. Dei præſentia in omnibus rebus, rectè colligitur ex eius operatione. Ita ſcriptura Sacra Pſal: 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades.* Quibus verbis Regius Vates, euidenter declarat præſentiam Dei in omnibus rebus; eiuſq; rationẽ reddens, ſubiungit: *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Vbi per manum, & dextram Dei, eius operatio ſignificatur. Et *ratio corollarij eſt:* quia agens quod operatur in omnibus rebus per virtutem non diffuſam à ſe, ſed ſibi intraneam, ſibiq; identificatam, debet eſſe immediatè, & ſecũdùm ſuam ſubſtantiã præſens in omnibus per virtutem non diffuſam à ſe, verùm ſibi intraneam, ſibique identificatã: ergo Dei præſentia in omnibus rebus, rectè colligitur ex eius operatione. Maior eſt Ariſtotelis 7. Phyſic. vbi dicitur, quòd mouens, & motum debeant eſſe ſimul. *Minor probatur:* quia Deus in omnibus, per ſe primò producit, & conſeruat eſſe, quod eſt id, quod eſt magis intimum cuilibet rei, & quod profundiùs omnibus ineſt, cùm ſit formale reſpectu omnium, quæ ſunt in re. Sed illud non poteſt per ſe primò attingere per aliquam virtutẽ à ſe diffuſam, verùm per virtutem tantùm ſibi intraneam, ſibiq; realiter identificatam: ergo Deus in omnibus rebus operatur per virtutem non diffuſam à ſe, ſed intraneã, ſibiq; identificatam. *Maior eſt manifeſta:* quia eſſe cùm ſit effectus vniuerſaliſſimus, debet per ſe primò reduci in cauſam vniuerſaliſſimam, quæ eſt Deus. *Minor etiam facilè deducitur:* quia virtus quæ attingit eſſe, in quantũ huiuſmodi, debet eſſe creatiua, & productiua totius entis creabilis, proinde infinita. Sed omnis virtus à Deo diffuſa, finita eſt, vt potè à Deo cauſata, & in aliquo ſubiecto recepta. Ergo Deus non poteſt per ſe primò cauſare, & conſeruare eſſe in ſingulis rebus, per aliquam virtutem à ſe diffuſam, ſed tantùm per virtutem ſibi intraneam, ſibiq; realiter identificatam.

Deus eſt actus præſens in omnibus rebus per operationem virtualiter tranſeuntem.

Corollarium III. Ratio formalis, per quam Deus eſt actu præſens, & exiſtens in omnibus rebus, eſt eius operatio virtualiter tranſiens, qua producit, vel conſeruat eſſe in illis, aut eas mouet, & applicat ad operandum. Vnde ratio formalis, quâ Deus eſt præſens in omnibus

omnibus rebus, non eſt ipſamet Dei eſſentia, nec eius immenſitas nudè ſumpta, & vt præſcindit ab operatione, vt quidam exiſtimant. Ita expreſsè docet Sanctus Thomas in 1. ſent. diſt. 37. q. 2. ar 3. vbi dicit: *Cùm dicitur, Deus eſt vbiq;, importatur quædã relatio Dei ad creaturam, fundata ſupra aliquam operationem, per quam Deus in rebus dicitur eſſe.* Et *ratio corollarij eſt: tum,* quia ſicut res corporea, non eſt in loco per ſuam ſubſtantiam immediatè, ſed per contactum quantitatis dimenſiuæ; ita res incorporea, potiſſimùm Deus, non eſt in aliquo per ſuam ſubſtantiam immediatè, ſed per contactum ſuæ virtutis, vt docet Sanctus Gregorius homil: 8. in Ezechiel: his verbis: *Vbiq; Deus, & vbiq; totus, quia omnia tangit, licet non æqualiter tangat.* Deus itaq; eſt in creaturis, quatenùs realiter attingit illas, quod fit ratione operationis tranſeuntis. *Tum,* quia nulla denominatio poteſt Deo aduenire in tempore, niſi ex reali mutatione creaturarum: nam cùm noua denominatiò realis adueniat, ratione alicuius nouæ realitatis; illa verò noua realitas non poſſit Deo aduenire, eò quòd ſit immutabilis, ideò debet aduenire creaturæ, per ſuumq; aduentum intrinſecè eam immutare. At verò Deus non immutat intrinſecè creaturam, niſi ratione operationis virtualiter tranſeuntis, per quam aliquid in ea pruducit: ergo eſt præſens, & exiſtens in omnibus rebus ratione operationis virtualiter tranſeuntis. *Tum deniq;,* quia Deus eſt in omnibus rebus, & locis, vt illa continens; non continet autem loca, niſi per ſolam operationẽ virtualiter tranſeuntem, quâ res producit, aut conſeruat in eſſe, iuxta illud ſcripturæ ad Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Ergo Deus non eſt in rebus, niſi ratione operationis virtualiter tranſeuntis.

Corollarium IV. Operatio virtualiter tranſiens, non eſt Deo ratio eſſendi in rebus, præcisè vt ſe tenet ex parte ipſius, eſtq; eius ſubſtantia; neq; præcisè, vt ſe tenet ex parte creaturæ: alias eſſet in rebus per aliquid creatum formaliter, quod admitti nõ debet. Sed vt cõnotans & inferens immutationem paſſiuam creaturæ, proinde ratio formalis exiſtentiæ Dei in rebus, eſt aliquid diuinum; conditio autem, ſeu connotatum, eſt aliquid creatum, immutatum, & deriuatum ex tali intrinſeco.

Deus non eſt actu & poſitiuè in ſpatijs imaginarijs.

Corollarium V. Deus non eſt actu, & poſitiuè in ſpatijs imaginarijs extra cœlos, ſed ſolùm negatiuè, & fundamentaliter, quatenùs diuina ſubſtantia non limitatur, nec coarctatur intra ambitum vniuerſi, eſtque potens ad nouos mundos condendos in illis ſpatijs vacuis, & inanibus, quæ imaginamur eſſe extra cœlos. Ita Sancti Patres, qui docent, Deum ante conditum mundum, fuiſſe ſolùm in ſeipſo, vt Tertullianus aduersùs Praxeam, cap. 5. *Ante omnia* inquit, *Deus erat ſolus, & ipſe ſibi locus.* Sanctus Auguſtinus in Pſal: 122. *Antequàm faceret Deus cœlum, & terram, vbi habitabat? in ſe.* Iam verò ſi Deus ante mundi conſtitutionem, fuiſſet poſitiuè præſens, & exiſtens in ſpatijs imaginarijs, potiùs fuiſſet in alio, quâm in ſeipſo. Et *ratio corollarij eſt:* tum quia Deus nõ poteſt eſſe in nihilo, cùm in nihilo nihil ſit; ſpatia autẽ imaginaria ſunt nihil, vt potè purè phantaſtica, neq; habentia eſſe, niſi in ſola imaginatione humana. *Tum,* quia vbi eſt Deus, ibi eſt per ſuam operationem tranſeuntem; Deus autẽ in ſpatijs imaginarijs nihil operatur actu: nam vbi nullus eſt effectus, ibi nulla eſt Dei operatio tranſi-

ens,

ens, cùm operatio Dei transiens semper inferat aliquem effectum ad extra productum: ergo Deus non est actu præsens in spatijs imaginarijs.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra conclusionem*. Aristoteles 8. Physic: tex: 84. De Deo primo motore, & ea parte, vnde primi mobilis motus incipit, sic loquitur: *ibi ergo est mouens*. Et lib. de mundo ad Alexandrum, ita scribit de Deo: *In summo culmine vniuersi cœli, suum habet ipse domicilium, situm, & collocatum*. Ergo Deus non est vbiq; sed in certa aliqua mundi parte.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam. Ad authoritatem verò Aristotelis dicitur, Deum esse in summo culmine cœli, & in ea parte primi mobilis, vnde incipit motus, non per determinationem suæ substantiæ, ita quòd illâ determinatâ mundi parte conclusus sit, sed modo quodam speciali, quia ibi operatur motum, & influentias, à quibus hæc inferiora dependent. Et hoc modo etiam dicere solemus, quòd ratio, quæ reipsa est anima nostra, in toto corpore fusa, sit in capite, eò quòd ibi specialiter operetur.

Obiectio secunda

Objicitur II. *contra corollarium secundum*. Quando probatur, Deum esse præsentem in omnibus rebus, ex eo, quòd agat immediatè in illis: vel intenditur, quòd agat in omnibus immediatione suppositi, vel immediatione virtutis. *Si primum*, petitur principium, aut supponitur, quod probandum est, nimirùm quòd Deus sit propinquus omnibus rebus, ac singulis, ad agendum propinquitate indistantiæ, & immediatione suppositi. *Si verò secundum*, tunc illa ratio nihil concludit, cùm agens immediatum solâ immediatione virtutis, non debeat esse substantialiter, & suppositaliter præsens subiecto, in quo operatur, vt patet in sole, & alijs planetis, aurum, aliaq; metalla in visceribus terræ producentibus: ergo Dei præsentia in omnibus rebus, non rectè colligitur ex eius operatione.

Solutio eiusdem.

Respondetur, quòd dum probatur Deum esse intimè præsentem omnibus rebus, ex eo, quia immediatè agit in illis, intelligi debeat de immediatione virtutis; quia verò virtus illa non est à Deo diffusa; quemadmodùm virvirtus solis, quâ producit aurum in visceribus terræ, verùm illi est intranea, & cùm eius substantia realiter identificata; ideò rectè colligitur, Deũ esse præsentem omnibus rebus, secundùm substantiam, & immediatè immediatione suppositi, ex eo, quòd sit illis intimè præsens per talem virtutem.

Obiectio tertia.

Objicitur III. *contra corollarium* III. Si operatio Dei virtualiter transiens, esset ratio formalis, per quam Deus fieret præsens, & existens in rebus, sequeretur attributum immensitatis Dei, esse fundatum in eius operatione ad extra, eamque tanquam causam virtualem, & rationem à priori supponere. Sed consequens admitti non potest: ergo nec antecedens. *Minor patet*: quia immensitas necessariò, immutabiliter, & ab æterno Deo cõuenit, operatio autem virtualiter transiens, est ei libera, conuenitq; illi solùm in tempore

Solutio eiusdem.

Respondetur negãdo sequelam maioris: licet enim actualis præsentia, & existentia Dei in rebus, fundetur in eius operatione virtualiter transeunte; non tamen attributum immensitatis: quoniam illud non consistit in actuali præsentia Dei in rebus, sed in aptitudine, & potentiâ, quam habet ad existendum in vi repletiua omnis loci existentis, aut possibilis. Cùm itaq; eiusmodi vis, & aptitudo, necessariò

& ab æterno Deo conueniat; ideò attributũ immensitatis, necessarium est, ac æternum, licet actualis præsentia Dei in rebus, sit temporanea, ac dependens à libero decreto suæ voluntatis, eius omnipotentiam applicantis, ad earum productionem, & conseruationem.

Instantia & solutio eiusdem.

Instabis. Posterius non potest esse ratio formalis prioris. Sed Deum esse alicubi, priùs est, quàm Deum ibi operari: ergo operatio virtualiter transiens, non est ratio formalis, per quam Deus sit præsens, & existens in rebus. *Minor patet*: quia operari sequitur ad esse. *Respondetur negando minorem*: Deus enim non est priùs in aliqua creaturâ, quàm operetur in ea, imò naturâ prius est, quòd Deus operetur in ea; quàm quòd in ea existat, siquidem operatio virtualiter transiens, est ei ratio formalis, cur sit in aliqua re. Similiter ad *probationem minoris* dicitur, quòd operari sequatur ad esse in ordine essendi; non verò in ordine locandi: imò potiùs in hoc ordine, in substantijs spiritualibus, esse in loco sequitur ad operationem. Nam in re locata, tàm spirituali; quàm corporea, tria consideranda sunt, quæ iuxta diuersos respectus, habent rationem prioris, & posterioris, v. g. in rebus corporeis, est *substantia* quæ locatur, *quantitas*, quæ est ratio locandi, & *vbi* seu relatio præsentiæ, quæ sequitur ad eam, tanquàm ad proprium fundamentum, In substantijs quoq; spiritualibus, est ipsa Dei, aut Angeli *substantia*, quæ est præsens, & indistans à loco; deinde *operatio virtualiter transiens*, quæ est contactus virtutis, per quem fit præsens: & tandem *relatio*, aut denominatio præsentiæ, quæ in eo fundatur. Hæc ergo tria diuersi modè considerari possunt, & iuxta diuersas considerationes, habere rationem prioris, & posterioris. Nam si considerentur in ordine essendi, *substantia* tenet primum locũ; secundum *quantitas dimensiua* in rebus corporeis; in rebus autem spiritualibus contactus virtutis: tertium tandem locum tenet relatio, seu denominatio præsentiæ. At verò in ordine locandi, primum locum tenet quantitas dimensiua in rebus corporeis; in spiritualibus verò contactus virtutis: secundum ipsa substantia rei corporeæ, aut spiritualis, quæ locatur: tertium relatio, vel denominatio præsentiæ, quæ in tali contactu quantitatiuo, vel effectiuo fundatur.

Obiectio quarta.

Objicitur IV. *contra idem corollarium*. In Angelis ratio formalis præsentiæ localis ad corpora, est operatio, & contactus virtutis: ergo in Deo debet quidpiam aliud assignari.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam: tam enim in Angelis; quàm in Deo, operatio est ratio formalis præsentiæ localis, sed diuerso modo. Nam in Angelo requiritur operatio ad contactum, quatenùs nõ totum elicit effectum ex corpore, cui applicatur, sed quatenùs per eandem operationem, prius se reddit applicatum corpori, vt subiecto præsupposito, ex quo debet effectum producere; quàm ipsum effectum operetur. Quoniam Angelus operatur per virtutem eleuatiuam, & sic non facit, sed præsupponit subiectum, cui eius virtus operatiua applicetur, ac vniatur. At verò virtus diuina, cùm sit creatiua, ita vniuersalissima est, vt nihil respiciat tanquàm subiectum, quod non sit etiam effectus ipsius, vnde operatio non reddit illum præsentem per modum applicationis ad rem præsuppositam, sed per modum effectionis ad rem productam. *Præterea*, quia contactus virtutis diuinæ, est intimus, & illapsiuus in rebus, quatenùs in illis producit, & conseruat esse; iam verò contactus

virtutis Angelicæ, cùm non sit productiuus, & conseruatiuus existentiæ, verùm eam præsupponat in subiectis, circa quæ operatur, non est intimus, & illapsiuus; sed extrinsecus, & superadditus. Vnde licet Angelus, quando circa aliquod corpus operatur, in illo sit intimè, quoad terminos loci, & quantitatis; non est tamen inter terminos essentiæ, ac substantiæ illius; sicut Deus, qui nec quantitatem, nec materiam, nec substantiam, nec aliquid entitatis præsupponit in rebus, sed omnia per contactum suæ virtutis efficit, & causat.

Obiectio quinta.

Obijcitur V. *contra corollarium V.* Æternitas Dei ratione suæ infinitatis, realiter se extendit non tantùm ad res præsentes, verùm etiam ad præteritas, & futuras: ergo & immensitas Dei ratione infinitatis, in ratione locandi, extendit se ad omnia loca, non solùm realia, sed etiam imaginaria, atq; sic Deus actu, & positiuè est in spatijs imaginarijs extra cœlos. *Respondetur negando consequentiam. Disparitas est*, in primis quia æternitas consistit formaliter in latitudine infinita in ratione durationis, proinde cùm infinitum in aliquo genere, omnes eius rationes, perfectiones, & differentias contineat, in se, ideò æternitas ratione suæ infinitatis, ad omne temp⁹, omnesq; eius differentias, & durationes se extendit, atq; sic continet non tantùm res præsentes, verùm etiam præteritas, & futuras; immensitas autem cùm tantùm sit infinita in ratione locandi, ideò solùm se extendit actu ad loca, quæ sunt; non verò ad imaginaria, aut futura, cùm locus vt futurus, non pertineat ad lineam immensitatis, sed durationis. *Præterea*, quia alio modo comparantur loca ad immensitatem, & alio tempora ad æternitatem: nam æternitas in ratione mensuræ superioris, continet tempus, & omnes eius durationes, ac differentias; immensitas autem existit in rebus, formaliterq; in locis continetur; licet etiam illa effectiuè contineat. Cùm ergo vnùquodq; contineatur in re, ad modum continentis, inde fit, quòd æternitas cùm sit inuariabilis, & perpetua, contineat in se ab æterno, & inuariabiliter omnem differentiam temporis; cùm autem spatium reale sit temporale; ideò immensitas diuina non dicitur esse in locis ab æterno, sed tantum in tempore.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO VI.

An Deus sit immutabilis.

Immutabilitas Dei ex varijs eius attributis oritur.

POst explicatam immensitatem Dei, de eius immutabilitate agit Sanctus Thomas 1. p q. 9. Suppono itaq;, Deum dupliciter posse considerari immutabilem. *Primò* ex eo, quòd nullam possit mutationem physicam recipere. *Secundò*, quòd etiam moraliter mutari nequeat. Porrò immutabilitas Dei oritur ex varijs eius attributis. *Primò*, ex æternitate, ratione cuius nec incipere, nec desinere potest quoad existentiam. *Secundò*, ex immensitate, seu omnipræsentia, ratione cuius locum mutare non potest. *Tertiò*, ex simplicitate, ratione cuius nullum est accidens in illo. *Quartò*, ex certitudine scientiæ, ratione cuius falli non potest. *Quintò*, ex summa in dicendo sapientiâ, ratione cuius nunquàm mutat sua decreta, semel sapientissimè sancita.

Natura rationalis quinq; modis mutari potest.

Suppono *præterea*, Naturam rationalem quinq; modis mutari posse. *Primò*, quoad existentiam, v. g. si aliquando existat, aliquando non existat. *Secundò*, quoad locum, vt si ex vno loco mutetur in alium. *Tertiò*, quoad accidentia, vt si mutetur in quantitate, aut quali-

qualitate. *Quartò*, quoad cognitionem, vt si nunc putet aliquid esse verum, quod ante falsum iudicabat. *Quintò*, quoad decretum, seu propositum voluntatis, vt si nũc decernat aliquid facere, quod antea decreuerat non facere.

Prima igitur opinio est Vorstij asserentis, Deum in se mutabilem esse, pag. 112. ita scribentis: *Voluntas Dei est principiũ cuiusdam mutabilitatis in Deo.* Et paulò inferiùs: *Non satis igitur circumspectè loquuntur, qui Deum vt essentia, sic etiam voluntate prorsùs immutabilẽ affirmant.* Et pag. 65. *Deus quædam in tempore reipsa vult, quæ antea noluit.* Et in pluribus alijs locis dicit, decreta Dei esse vera accidentia, quæ in Deo ab æterno non fuerunt, sed in tempore producta sunt, indeq; infert, Deum in tempore realiter mutatum esse, quia recepit in se realia accidentia, quæ antea non habebat.

Altera opinio constanter affirmat, Deum omninò immutabilem esse, & hæc est communis omnium Catholicorum.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Deus est omnino immutabilis.

COnclusio. Deus est omninò immutabilis, seu omnis mutationis omninò expers. *Probatur I.* ex scriptura Sacra, Numer. 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, neq; vt filius hominis, vt mutetur.* Malachiæ 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Iobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Ergo iuxta scripturam Sacram, Deus est omninò immutabilis, seu omnis mutationis omninò expers.

Probatur II. *authoritate Sanctorum Patrum.* In primis, Sanctus Augustin⁹ super illa verba Psal. 89. *A sæculo, & vsq; in sæculum tu es Deus*, ita scribit: *Non dicit Propheta, à sæculo tu fuisti, & vsq; in sæculum tu eris; sed præsentis significationis verbum posuit, insinuans Dei substantiam omni modo incommutabilem, vbi non est, fuit, aut erit, sed tantummodò est.* Et lib. 1. Confessionum cap. 4. dicit: *Immutabilis mutans omnia: nunquàm nouus, nunquàm vetus, innouans omnia, & in vetustatem deducens superbos, & nesciunt.* Deinde Sanctus Bernardus serm. 31. in Cantica dicit: *Tolle, fuit, & erit, vnde iam transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio?* Ergo ex mente Sanctorũ Patrum, Deus est omninò immutabilis.

Probatur III. *ratione.* Deus est in summo gradu immaterialitatis, & immutabilitatis: ergo omninò immutabilis est. *Consequentia patet:* quia quò naturæ sunt abstractiores à materia, eiusq; conditionibus, eò minus subijciuntur mutabilitati. Sic natura Angelica nõ patitur tot mutationes, quot humana, quia magis recedit a materia: imò & ipsi Angeli, quò magis sunt perfectiores, à materiæq; potentialitate magis recedentes, eò per pauciores, & vniuersaliores species, intelligunt, & consequenter minùs multiplicant suos motus, atq; actiones.

Probatur IV. Quia nullo modo ex quinq; enumeratis in supposito secundo, Deus mutari potest: *non enim quoad existentiam*, iuxta illud Psal. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Non quoad situm*, seu locum, quia vbiq; est, proinde loco mutari non potest, iuxta illud Hieremiæ 23. *Cœlum, & terram ego impleo. Non quoad accidentia*, quia in ipso nullum est accidens, iuxta illud Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Non quoad cognitionem*, quia non potest falli in sua cognitione, iuxta illud Heb. 4. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius.* Et Ecclesiast. 19. *A sæculo, & vsq;*

vſq; in ſæculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in conſpectu eius. Palam oſtendens ſcriptura, Deum immutabiliter omnia cognoſcere, eò quòd diuina ſcientia, in illo indiuiſibili, & infinito æternitatis ſuæ *nunc*, omnia ſic teneat præſentia, vt nec ei fugere poſſint in præteritum, nec de nouo in futurum aduenire. *Non deniq; quoad decretum*, ſeu propoſitum voluntatis, quia non mutat, nec reſcindit ſua decreta more hominum, iuxta illud Numer. 23. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mutetur*, puta in conſilijs ſuis. Et Prouer. 19. *Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit.* Et Malachiæ 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Ergo Deus eſt omninò immutabilis. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Solius Dei proprium eſt, eſſe immutabilem.

Corollarium I. Solius Dei proprium eſt, eſſe immutabilem. Ita ſcriptura Sacra 1. ad Timot. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem.* Quod exponens Sanctus Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 1. dicit: *Vera immortalitas, incõmutabilitas eſt, quam nulla poteſt habere creatura.*

Corollarium II. Omnia præter Deum ſunt mutabilia, per potentiam in alio, ſcilicet in Deo exiſtentem, quod vt meliùs concipiatur. *Sciendum eſt*, duobus modis poſſe dici aliquid mutabile: *vno*, per potentiam in alio exiſtentem, ſic res omnes antequàm producerentur à Deo, erant poſſibiles eſſe, non per potentiam aliquam creatam, quæ in ipſis eſſet, cùm nondum aliquid eſſet; ſed per potentiam actiuam, quæ in Deo eſt, quâ & de nihilo poterat illis eſſe conferre, & poſtquàm illis eſſe contuliſſet, poterat eas in nihilum redigere, ſubtrahendo ſuum influxum, quo illis eſſe contuliſſet. *Altero modo*, per potentiam ſiue actiuam, ſiue paſſiuam in eo, quod dicitur mutabile, exiſtentem. Sic homo poteſt intelligere per intellectum, tanquàm per potentiam actiuam, & paſſiuam ſimul, poteſtq; corrumpi per materiam primam, quæ eſt potẽtia paſſiua ad recipiendam formam, quæ cum humana ſimul in ea eſſe non poſſit. *Ratio itaq; corollarij eſt*: quia omnia creari, & in nihilum redigi poſſunt, per potentiam actiuam in Deo exiſtentem.

Corollarium III. Corpora ſublunaria, ſunt mutabilia per potentiam, quæ in ipſis eſt, tàm ſecundùm ſuam ſubſtantiam, quàm ſecundùm accidentia. *Ratio*: quia illud tali modo mutabile eſt, in quo datur aliquid in potentia, quod cum non eſſe oppoſito perſiſtere poteſt. Sed in corporibus ſublunaribus datur materia prima, quæ poteſt eſſe cum priuatione formæ ſubſtantialis: ergo ſunt mutabilia per generationem, & corruptionem, à non eſſe ad eſſe ſubſtantiale, & iterùm ab eſſe ad non eſſe. Similiter ipſa compoſita poſſunt eſſe cum priuatione accidentium, dummodò accidentia non fluant neceſſariò à natura ſubiecti, proinde poſſunt mutari ſecundùm accidentia, quæ non fluunt neceſſariò à natura; iam verò materia prima, etiam ſecundùm ea mutari poteſt, quæ neceſſariò fluunt à naturis corporum.

Corpora cæleſtia non ſunt mutabilia in ſe, quoad eſſe ſubſtantiale.

Corollarium IV. Corpora cœleſtia non ſunt mutabilia, per potentiam in ipſis, ſeu in ſe, quoad eſſe ſubſtantiale, ſed tantùm quoad eſſe accidentarium, ſcilicet ſecundùm locum, & alia accidentia ſimilia. *Ratio primi*, tum quia materia cœli diſtincta eſt ſpecie à materia ſublunarium, ſiquidem materia cœlorum non compatitur ſecum priuationem formæ ſubſtantialis, eò quòd forma cœlorum perficiat totam potentiam materiæ. *Tum*, quia forma cœli non habet còntrarias diſpoſitiones, ideoq; ſicut generatione produci non poteſt; ita neq; corruptione deſinere. *Ratio verò ſecundi eſt*: quia dum partes cœli ſunt in vno loco, habent priuationem exiſtentiæ, quam in alio loco habituræ ſunt, & aliquando ſunt priuatæ parte luminis, quam recipere poſſunt Ergo corpora cæleſtia non ſunt mutabilia, niſi ſecundùm accidentia.

Corollarium V. Subſtantiæ ſpirituales, vt Angeli, & animæ rationales, non ſunt mutabiles quo ad ſuam ſubſtantiam, per potentiam in ſeipſis; ſed ſolùm quoad accidentia. *Ratio primi*: quia non datur in illis aliquid, quod poſſit ſtare cum priuatione eſſe earundem. *Ratio ſecundi*: quia dictæ ſubſtantiæ ſunt mutabiles per electionem, alioſq; actus intellectus, & voluntatis, ad plurimas formas accidentales: imò etiam per motum localem mutabiles ſunt ſecundùm locum.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

OBijcitur *contra concluſionem*. Ex Scriptura Sacra conſtat, dari in Deo aliquam mutationem: ergo Deus non eſt omninò immutabilis. *Antecedens probatur.* Geneſ. 6. dicit Deus: *Pœnitet me feciſſe hominem.* Et Hieremiæ 18. *Si gens illa egerit pœnitentiam à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui. Reſpondetur negando Antecedens. Ad eius probationem dicitur.* Allegata ſcripturæ loca, & ſimilia, accipienda eſſe figuratè, & metaphoricè, in illiſq; Deum ſe noſtro imperfecto concipiendi modo accommodare, vt ſignificet ita ſe exteriùs gerere, ac ſi verè ſententiam mutaret; cùm tamen in rei veritate in ſe immutabilis permaneat, ſemperq; eodem modo ſe habeat.

QVÆSTIO II.

An Deus ſit æternus.

SUppono *per æternitatem*, ſignificari duratione͂ interminabilem, ſeu interminatam, iuxta Durandum in 1. ſent. diſt. 19. qu. 2. Hinc *æternum* dicitur, quaſi extra terminum, aut ſine termino durationis: quia quod à parte ante caret termino durationis, dicitur æternum à parte ante; quòd verò caret termino durationis à parte poſt, dicitur etiam æternum à parte poſt; quod autem vtroq; modo caret termino, dicitur quoq; æternum vtroq; modo. Porrò tribus modis intelligi poteſt duratio aliqua interminata. *Primò*, ſecundùm ſe totam, ſed non ſecundùm ſuas partes. Sic ſi motus cœli fuiſſet ex æternitate, duraretque in æternum, tempus (quod eſt eius duratio) eſſet interminatum ſecundùm ſe totum, à parte ante, & à parte poſt, ſed non ſecundùm ſuas partes, quæ planè terminum haberent. *Secundò* ita, vt ſecundùm nihil ſui actu habeat terminum; poſſit tamen illum habere. Sic ſi Deus creaſſet Angelum ab æterno, ſtatuiſſetq; conſeruare eum in æternum, tunc *æuum*, (quod eſt duratio ſubſtantiæ Angeli) ſecundùm nihil ſui haberet actu terminum; poſſet tamen ſecundùm ſe illum habere, *tum* quòd in quolibet inſtanti, poſſit Deus redigere Angelum in nihilum: *tum* quòd potuerit Deus producere illum in tempore, & ſic duratio illius potuerit habere principium à parte ante. *Tertiò*, tàm ſecundùm ſe totã, quàm ſecundùm quodlibet ſui, tàm actu, quàm potentiâ, eò quòd eiuſmodi duratio interminata, ſit infinita, indiuiſibilis, tota ſimul atque independens à quocunq; alio, & hoc pacto ſola duratio diuina, dicitur interminata, ſeu potiùs interminabilis: atq; hæc eſt propriiſſima acceptio æternitatis.

Duratio interminata tribus modis intelligitur.

Suppono *præterea, æternitatem*, definiri hoc modo, ex communi Theo-

Æternitatis definitio.

Theologorum sententia: *est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Vbi per particulam *interminabilis*, excluditur omnis duratio habens principium, aut finem. Per particulam *tota simul*, excluditur duratio successiua, quæ careret terminis, vt esset tempus, si motus fuisset ex æternitate, durarétque in æternum. Per particulam *perfecta possessio*, excluditur æuum infinitum, cuiusmodi esset, si Angelus productus fuisset ab æterno, duraretq; in æternum. *Tum*, quia quod terminari ac desinere potest, non perfectè possidetur. *Tum denique*, quia est quid coniunctum cum variatione, ac mutatione accidentaria eius substantiæ, in qua est. Tandem, per particulam *vitæ*, designatur, æternitatem, non esse durationem cuiuscunq; entis, sed viuentis, cuius esse, & duratio est vita.

Suppono *tertiò*. Quòd licet æternitas in se, non habeat præteritum, & futurum; habet tamen coëxistentiam tempori præterito, & futuro, idq; successiuè, ratione relationis rationis, quam coëxistentia addit supra existentiam, successioneque intellectâ in mensura durationis nostri temporis; non autem in æternitate. Nam cum duratio æternitatis sit tota simul, idcirco ea, quæ comparatione moræ temporis, sunt vnum post aliud, comparatione moræ indiuisibilis æternitatis, sunt simul. Vnde si loquamur de nostro tempore, concedi potest æternitatem fuisse heri, id est, coëxtitisse diei hesterno, cui æternitas hodiè non coëxistit, non propter defectum æternitatis, sed propter defectum diei hesterni, qui iam hodiè non existit, ob idq; hodiè non coëxistit ei æternitas in nostro tempore. Concedi similiter potest, æternitatem futuram cras, quia nimirum coëxistet cras diei crastino, cui hodiè non coëxistit, propter defectum diei crastini, qui hodiè non existit.

Articvlvs I.

Resoluitur Quæstio.

Conclusio. Deus est æternus. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, Deut. 32. vbi dicitur: *Viuo ego in æternum.* Psal. 10. *Anni eius non deficient.* Ecclesiast. 18. *Qui viuit in æternum.* Isaiæ 40. *Deus æternus Dominus.* Daniel. 7. *Potestas eius potestas æterna.* Et 1. ad Timot. 6. *solus habet immortalitatem.* Ergo iuxta Scripturam Sacram Deus est æternus.

Deus est æternus.

Probatur II. ex Concilio Lateran. 2. cap. *Firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica*, vbi decernitur, firma fide credendum esse, quòd solus Deus sit æternus, his verbis: *Vnus solus est verus Deus, æternus.* Tum ex symbolo S. Athanasij in Concilio Florentino approbati, vbi dicitur: *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.* Ergo Deus est æternus.

Probatur III. ex sanctis Patribus, Præsertim ex S. Isidoro Pelusiota lib. 3. epist. 149. vbi dicit: *Æternitas velut sempiterna vitalitas est, ideò de sola ea natura, quæ initij est expers, & eodem modo se habet, vsurpari consueuit: etenim immortale de eo quoque, quod cùm ortum habuerit; minimè tamen moritur, hoc est, de Angelo, & animâ, pronuntiari potest, atq; item incorruptibile de ijs, quæ facta sunt, sed corruptione omni sunt potiora; at æternum propriè, diuinæ soli essentiæ conuenit.* Et Petrus Damianus opusc. 36. cap. 8. dicit: *omnipotenti itaq; Deo, non est heri, vel cras, sed hodiè sempiternum, cui nihil deffuit, nihil accidit, cui nihil est varium, nihil à se diuersum: illud hodiè æternitas est incommutabilis, indefectiua, inaccessibilis, cui videlicet nihil addi, nihil valet imminui; & omnia quæ apud nos elabendo discurrunt, aut per temporum vicissitudines se variant, apud illud hodiè stant, & immobiliter perseuerant; in illo scilicet hodiè dies ille adhuc immobilis est, in quo mundus iste sumpsit originem in illo, iam & ille nihilominùs est, quo iudicandus est, per æterni iudicij æquitatem.*

Probatur IV. *ratione.* Quod est omninò immutabile, ita vt ex se sit, & nec incipere potuerit, nec desinere possit, aut aliquomodò variari, illud æternum est, imò maximè & proprijssimè æternum; Sed Deus est talis, vt constat ex superiori quæstione: ergo est æternus, & quidem proprijssimè, ac maximè æternus. *Maior patet:* quia duplex est radix diuinæ æternitatis. *Prima est*, diuini esse plenitudo, seu ratio entis per essentiam: cùm nihil possit esse à semetipso, & totam essendi plenitudinem in se continere, nisi sit ab æterno, vt demonstrat S. Anselmus in Prosol. cap. 22. sic Deum alloquens: *Tu verò es, quod es, quia quidquid aliquando, aut modo es, hoc totus, & semper es. Et quia propriè & simpliciter es, non habes fuisse, aut futurum esse, sed tantùm præsens esse, nec potes cogitari aliquando non esse.* Altera radix est, summa diuini esse immutabilitas: nam sicut tempus motum; ita æternitas perfectam immutabilitatem consequitur: ergo quod est omninò immutabile est æternum. *Minorem* etiam docet Fulgentius de fide ad Petrum, c. 7. ita scribens: *Firmiter tenè, & nullatenus dubites, Deum sicut immutabilem, ita solum verè æternum esse.* Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Diuinæ æternitatis duplex radix est.

Corollarium I. Æternitas strictè, & propriè sumpta, soli Deo competit. Ita Concilium Lateran. cap. *Firmiter de summa Trinitate, & fide catholica*, vbi dicitur: *Vnus solus est verus Deus.* Et ratio est: quia cùm solus Deus sit à se, sitq; actus purissimus, & omninò immutabilis; ideò illi soli proprium est, esse æternum. Vnde licet posset dari creatura suo creatori coæua; quia tamen illa id non postularet ex intrinseca naturæ conditione, neque id sortiretur sine beneficio alterius, à quo suum esse reciperet; ideò non competeret ei æternitas strictè, & propriè sumpta, qualis conuenit Deo; sed solùm ei conueniret æternitas secundùm participationem.

Æternitas strictè & propriè sumpta soli Deo competit.

Corollarium II. Æternitas Dei non est accidens, sed ipsamet eius substantia. Ita S. Augustinus in illud Psal. 101. *In generationem, & generationem anni tui*, sic discurrens: *Non aliud anni Dei, & aliud ipse Deus; sed anni Dei æternitas Dei est. Æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile.* S. Gregorius lib. 16. moral. cap. 21. *Neque enim aliud ipse Deus, aliud dies eius sunt. Deus namq; hoc est, quod habet. Æternitatem quippè habet, sed ipse est æternitas. Lucem habet, sed ipse lux sua est.* Et S. Thomas 1. p. q. 10. dicit: *Deus est sua æternitas.* Et *ratio corollarij est:* quia æternitas Dei, reipsa nihil aliud est, nisi duratio Dei, & duratio nihil aliud est, quàm existentia durans, seu perseuerans. Sed existentia Dei est ipsa essentia, seu substantia Dei: ergo & æternitas Dei, est ipsa substantia Dei, cùm sit essentialiter duratio entis, omninò immutabilis ac necessarij. *Præterea*, quia si æternitas Dei, esset accidens reipsa distinctum à substantia Dei, sequeretur *in primis*, substantiam Dei, perfici accidente, nec esse infinitè perfectam, sequeretur deinde, Deum non naturâ, & essentiâ, sed solo accidente, & quasi contingenter æternum esse, quæ summè absurda sunt.

Æternitas Dei est ipsamet eius substantia.

Corollarium III. Æternitas Dei est indiuisibilis, & tota simul, non habens partes sibi inuicem succedentes, quarum aliæ præteri-

Æternitas Dei est indiuisibilis & tota simul.

tæ ſunt, aliæ futuræ. Ita S. Auguſtinus in Pſal. 101. vbi dicit: *Æternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile. Ibi nihil eſt præteritum, quaſi iam non ſit, nihil futurum, quaſi nondum ſit. Non eſt ibi, niſi eſt: non eſt ibi fuit, & erit.* Et *ratio corollarij eſt*: quia ſubſtantia Dei eſt indiuiſibilis, & tota ſimul, in qua nullæ ſunt partes ſibi inuicem ſuccedentes. Sed æternitas Dei, eſt ipſa ſubſtantia Dei, vt conſtat ex præcedenti corollario: ergo æternitas Dei eſt indiuiſibilis, & tota ſimul, in qua nullæ ſunt partes ſibi inuicem ſuccedentes. *Maior eſt certiſſima.* Minor etiam conſtat: nam ſi ſubſtantia Dei haberet partes ſibi inuicem ſuccedentes, manifeſtè ſequitur, quotidiè perire aliquid ſubſtantiæ diuinæ, & rurſùm aliquid in eius locum ſuccedere, atq; ſic totam Dei ſubſtantiam perpetuæ mutationi, & corruptioni obnoxiam eſſe.

Æternitas Dei eſt eſſentialiter duratio.

Corollarium IV. Æternitas Dei eſt eſſentialiter duratio, habetque rationem menſuræ reſpectu eſſe diuini; non tamen formaliter, ſed tantùm virtualiter. *Ratio primi* deſumitur ex S. Thoma in 1. ſent. diſt. 19. q. 2. ar. 2. vbi docet, hæc tria nomina, videlicet æternitatem, tempus, & æuum, duratione quandam ſignificare: vnde deſumitur argumentum tale. Æternitas æuum, & tempus, ſunt quaſi tres ſpecies ſub eodem genere contentæ. Sed æuum, & tempus, ſunt ſub genere durationis: nam *tempus* eſt duratio rerum ſucceſſiuarum, & mutabilium; *æuum*, eſt duratio rerum incorruptibilium, quantum ad eſſe: ergo pariter æternitas Dei, eſt duratio entis omninò immutabilis, ac neceſſarij, videlicet Dei. *Secundum* etiam expreſsè docet S. Thomas citatus ar. 5. vbi ſemel, & iterùm dicit, *æternitatem eſſe menſuram eſſe permanentis.* Et *ratio corollarij eſt*, quia illud per quod cognoſcitur, quantùm ſit res extenſa, ſiue formali, ſiue virtuali extenſione, eſt menſura talis rei: etenim iuxta doctrinã Philoſophi 10. Metaph. cap. 2. & 3. menſura eſt id, quo quanta res ſit, dignoſcimus, & quantæ eius partes. Sed æternitas Dei eſt ratio, per quam cognoſcitur, quantùm Deus virtualiter in ſua duratione ſit extenſus: ergo æternitas, de qua loquimur habet rationem menſuræ reſpectu eſſe diuini. *Præterea*, quia omnis duratio eſt menſura eſſe actualis, ad quod ſequitur, ſic tempus eſt menſura eſſe ſucceſſiui motus: æuum eſt menſura eſſe permanentis Angeli. Sed æternitas virtualiter ſequitur ad eſſe diuinum omninò immutabile: ergo eſt menſura eſſe diuini.

Quod attinet ad *tertium*, nimirùm quòd ratio menſuræ, quam includit æternitas, non ſit ratio menſuræ formalis, ſed ſolùm virtualis. *Ratio eſt*: quia menſura formalis, & propriè dicta, importat relationem, ac proinde diſtinctionem realem, inter menſuram, & menſuratum, atq; dependentiam menſurati à menſura, quæ in Deo locum non habent: ergo æternitas Dei non poteſt eſſe menſura formalis eſſe diuini, ſed ſolùm virtualis, eſſe diuini: ad eum modum, quo natura diuina dicitur eſſe cauſa virtualis ſuorum attributorum. ad quæ ita comparatur, quòd ſi aliquam poſſent habere cauſam, nullã aliam haberent præter ipſam; ita etiam ſi diuinum eſſe, poſſet habrere realem aliquam menſuram ſuæ durationis, non haberet aliam niſi æternitatem, nec poſſet habere.

Æternitas Dei non eſt attributum purè negatiuum.

Corollorium V. Æternitas Dei non eſt attributum purè negatiuum, quod conſtituatur vel per negationem ſucceſſionis, vt vult Scotus quodlib. 6. vel per negationem dependentiæ ab alio, vt volunt

volunt quidam Neoterici; ſed eſt formaliter duratio diuini eſſe, quæ eſt aliquid reale, & poſitiuum, cùm ſit realis, & poſitiua permanentia in tali eſſe, opponaturq; deſitioni, quæ eſt quædam negatio: ergo æternitas non conſtituitur per negationem, ſed potiùs alicui negationi opponitur. Et *ratio corollarij eſt*: quia dictæ negationes ſucceſſionis, aut dependentiæ, poſſunt conuenire alijs attributis: negatio enim dependentiæ, non conuenit Deo formaliter ratione æternitatis, ſed ex eo, quod habeat eſſe à ſe, ſitq; communis omnibus alijs perfectionibus diuinis. Similiter negatio ſucceſſionis, conuenit immutabilitati, quæ etiam motu, & ſucceſſione caret. *Præterea*, quia in definitione æternitatis, quæ ex Boëtio deſumpta eſt, præter negationem termini, vel terminabilitatis, ponitur etiam poſitiua ratio vniformitatis, ac menſuræ, quòd nimirùm ſit tota ſimul, & perfecta poſſeſſio: ergo æternitas non eſt attributum purè negatiuum, ſed poſitiuum, licet connotet aliquam negationem, fundetq; aliquem reſpectum rationis, ſine quo non poteſt à nobis perfectè intelligi.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBiicitur I. *Contra Concluſionem.* Si Deus eſſet æternus, eius æternitas còëxiſteret omnibus temporum differentijs, ſeu partibus. Sed hoc dici non poteſt: ergo Deus non eſt æternus. *Minor probatur.* Si æternitas Dei còëxiſteret omnibus temporum differentijs, ſeu partibus, *ſequeretur inprimis*, omnes partes temporis, ſcilicet præteritum, præſens, & futurum, ſimul inter ſe còëxiſtere reſpectu æternitatis. *Sequeretur deinde*, Deum poſſe efficere, vt præteritum non ſit verè præteritum, & futurum non ſit verè futurum, cùm vtrumq; in æternitate ſit præſens. *Sequeretur vlteriùs*, primum annum mundi conditi, eſſe hunc ipſum annum præſentem. *Sequeretur demùm*, res in æternitate nunquàm oriri. aut interire, eò quòd ſemper æternitati præſentes ſint.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur conceſſa maiore, negatur minor. Eius prima probatio negatur: nam ex eo, quòd tota æternitas còëxiſtat omnibus partibus temporis, non ſequitur ipſas etiam partes ſimul inter ſe còëxiſtere, cùm tota æternitas non còëxiſtat omnibus partibus ſimul ſumptis, & exiſtentibus, ſed ſingulis diuiſim ſumptis, & ſibi mutuò ſuccedentibus v. g. hodiè tota æternitas còëxiſtit hodierno diei, cras tota còëxiſtet craſtino diei, & ſic deinceps. Ex hoc autem non ſequitur, hodiernum, atque craſtinum diem, ſimul inter ſe exiſtere, imò potiùs vnum alteri ſuccedere. Quod facilè illuſtratur tali exemplo, totum cœlum quantum quantum eſt, hodiè v. g. còëxiſtit Paulo, & poſt aliquot annos illo mortuo, còëxiſtet ipſius filio; & iterùm mortuo filio còëxiſtet nepoti Pauli, atq; ſic vlteriùs per ſingulas generationes. Hinc tamen non ſequitur, Paulum, eius filium, nepotem, ac reliquos poſteros, quotquot erunt, ſimul inter ſe exiſtere. Ex hac ſolutione facilè patet, ſecundam, tertiam, & quartam ſequelam, falſas eſſe.

Obiectio ſecunda.

Obiicitur II. *Contra tertium Corollarium.* Scriptura Sacra attribuit Deo præſens, præteritum, & futurum, vt Apocal. 14. *Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Daniel. 7. v. 13. *Ad antiquum dierum peruenit.* Et Iſaiæ 14. *Ego primus, & ego nouiſſimus*: ergo æternitas Dei non eſt indiuiſibilis, & tota ſimul, ſed in illa datur aliqua ſucceſſio: alias non poſſent illi tribui verba præteriti, & futuri temporis.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur conceſſo antecedente, negando con-

do consequentiam : Scriptura enim Sacra vt plurimum accommodat se ad nostrum captum, & infirmitatem; ideoque res spirituales ac diuinas, quas in hac vita non satis capimus, explicat nobis more corporalium, & humanarum, quas meliùs percipimus. Sic tribuit Deo membra, & affectiones humanas, non quòd in Deo sint, sed quia per ea faciliùs possumus Deum apprehendere, & concipere. Idemque censendum de æternitate : tribuit ergo scriptura præsens, præteritũ, & futurum Deo, non quòd in eius æternitate sit, sed quia per præteritum, & futurum, saltem imperfectè concipimus æternitatem, semper fuisse, & semper fore.

Instantia & solutio eiusdem.

Instabis : ergo Scriptura Sacra decipit nos, quia tribuit Deo, eiusq; æternitati, quod illi nõ conuenit. *Respondetur negando* : imò per hoc Scriptura Sacra nos instruit. *In primis*, quia monstrat nobis viam, quà possimus deuenire in aliquam notitiam rerum diuinarum, scilicet per cognitionem rerum sensibilium. *Deinde*, quia dùm aliquid tribuit Deo, quod illi propriè non conuenit, euidenter ostendit, se non propriè, sed metaphoricè id facere. Sic dùm dicit Ioan. 4. *Spiritus est Deus*, ostendit Deum non habere membra corporalia. Similiter Exodi 3. cùm dicit : *Ego sum qui sum*. Et Psal. 2. *Ego hodiè genui te*. Ostendit in æternitate non esse præteritum, & futurum, vt docet S. Augustinus lib. de vera religione, cap. 49. & Beda in cap. 6. Ioannis.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. Cum Aureolo in 1. sent. dist. 9. q. 2. ar. 2. Duratio importat successiuam quandam extensionem prioris, & posterioris, quæ repugnat æternitati, cùm illa sit indiuisibilis, & tota simul. *Præterea*, quia in definitione æternitatis, non ponitur duratio, sed possessio : ergo æternitas Dei non est essentialiter duratio.

Solutio eiusdem.

Respondetur ad primum, durationem ex vi sui proprij & præcisi conceptus, non importare formaliter successionem, seu extensionem prioris, ac posterioris : imò potius formalis successio diminuit perfectionem durationis : dicitur enim aliquid durare, quamdiu permanet in esse ; quando autem amittit esse, amittit quoq; durationem : ergo quantò minùs amittit de esse, tantò perfectiùs durat. At verò in successione clauditur aliqua amissio essendi, quatenùs non eodem modo aliquid perseuerat, neq; est in actu, sed transit de potentia in actum. Vnde successio non est de conceptu durationis, sed potiùs diminuit, & quodammodò destruit ipsam rationem durationis. *Respondetur deinde ad secundum.* Durationem ex ratione nominis importare, quandam partium extensionem, quam attendendo, noluerunt Theologi, in definitione æternitatis vti nomine *durationis*, sed possessionis, volentes significare, æternitatem non quamcunq; durationem esse, sed durationem immutabilem, indiuisibilem. Ita expressè docet S. Thomas in 1. sent. dist. 8. q. 2. ar. 1. ad 5.

Obiectio quinta.

Obijcitur IV. Esse diuinum est infinitum in duratione, sicut & in perfectione : ergo non potest ab æternitate mensurari, & consequenter æternitas Dei, non habet rationem mensuræ respectu esse diuini. *Antecedens patet* : quia quod est infinitum, mensurari non potest.

Solutio eiusdem.

Respondetur distinguendo consequens : ergo esse diuinum, seu diuina magnitudo, non potest mensurari ab alio, neq; à se, tanquàm à mensura formali, & excedente mensuram, eò quòd talis mensuræ ratio, ponat terminationem in Deo, *conceditur* : nõ potest mensurari mensurâ virtuali, quæ est infinita, & adæquata ipsi mensurabili, *negatur* ;

quia hæc nullam in Deo arguit terminationem, aut imperfectionem ; quemadmodùm etiam nulla est imperfectio, quòd attributa diuina respiciant essentiam diuinam, vt causam virtualem, & rationem à priori, per quam demonstrentur. Vnde ad probationẽ antecedentis dicitur, id quod infinitum est, non posse mensurari aliquâ mensurâ finitâ : quia hæc non adæquat infinitum ; neque ab aliqua mensura extrinseca, quæ sit vniformior, & perfectior, cùm respectu Dei nihil perfectius esse possit. At verò potest mensurari per mensuram intrinsecam, & non minùs infinitam, quàm ipse Deus. Sicut dicitur Deus comprehendere seipsum per suam cognitionem infinitam, & sicut bonitas infinita, dicitur esse mensura amoris, quo seipsum infinitè diligit. Æternitas itaque mensurat durationem esse diuini, tanquam mensura eius homogenea, propria, & adæquata : mensurat quoque durationes creatas, ac inferiores, vt illarum mensura inadæquata, & superexcedens. Vnde ipsamet duratio Dei, secundùm diuersos conceptus inadæquatos, habet rationem & mensurati, & mensuræ : mensurati quidem, in quantum dicit quantitatem, seu extensionem virtualem infinitam ; mensuræ verò quatenùs explicat summam vniformitatem, & immutabilitatem in durando. Quemadmodùm etiam diuina natura, vt eminenti quodam modo habet rationem intellectionis, & obiecti specificatiui, habet rationem mensurati, simul & mensuræ, secundùm diuersos respectus.

QVÆSTIO

De Deo secundùm existentiam, & attributa.

VDeus, quem esse est per se notum secundùm se, licet id solùm à posteriori, & per effectus nobis notos sit theologicè demonstrabile, ita vt non possit dari ignorãtia inuincibilis, & inculpabilis de eius existentia : cuius essentiæ formale constitutiuum, est intelligere Diuinum, sub conceptu formali vltimæ actualitatis completæ, & per se subsistentis in genere intellectuali : non habens potentiam intellectiuam ab essentiali intellectione virtualiter distinctam ; obiectum verò primarium sui intellectus esse increatum, & attributa tàm inter se, quàm ab essentia, distincta ratione ratiocinata, & cum fundamento in re : sit omninò simplicissimus, omnes omnium rerum perfectiones continens, summè bonus, in omni genere entis & perfectionis infinitus, per suam immensitatem vbiq; realiter præsens, immutabilis ; ac æternus, nec ne ?

CONCLVSIO I.

Deum esse, est per se notum secundùm se.

COROLLARIA.

I. Hæc propositio Deus est, est de fide.

II. Hæc propositio Deus est, secundùm se, & ex natura rei, est nota per se, ac immediatè.

III. Hæc propositio Deus est, non est per se nota nobis, seu quoad nos.

IV. Si ita propositio Deus est, intelligitur de Deo, vt contento sub ratione beatitudinis, aut boni, vel veri, vt sic, est per se nota etiam quoad nos.

V. Hæc propositio Deus est, tantam habet cum intellectu consensionem, vt etiam sine discursu saltem operoso, cuilibet vtenti ratione, facilè appareat saltem probabilis, & credibilis ipsis terminis perspectis.

CONCLVSIO II.

Solùm à posteriori & per effectus

ctus nobis notos, potest theologicè demonstrari, Deum esse.

COROLLARIA.

I. A priori non potest demonstrari Deum esse.

II. Falsum est, etiam quoad nos, posse à priori demonstrari Deum esse ex eo, quòd sit actus purus.

III. Neq; communis actualis, neq; propria existentia Dei actualissima, potest de Deo absolutè sumpto probari immediatè naturaliter, viâ primæ inquisitionis.

IV. Deum esse, non est demonstrabile nobis per notiam, quam habent beati; imò neq; ipsis beatis taliter demonstrabile est.

V. Si quis diceret, non esse demonstrabile secundùm artem Aristotelicam, Deum esse, non erraret in fide, sed tantùm in Physica, aut Metaphysica; esset tamen id in fide temerarium.

CONCLVSIO III.

In Deo non datur potentia intellectiua respectu Diuinæ intellectionis essentialis, ab ea virtualiter distincta.

COROLLARIA.

I. Etiam homines inculti & agrestes, ac in syluis enutriti, non habent inuincibilem ignorantiam de vero Deo, quòd sit.

II. Atheismus non habuit, nec potuit habere, inuincibilem ignorantiam de veri Dei existentia.

III. Atheismus solùm crassam, & vincibilem ignorantiam habuit de Deo vero, quòd sit.

IV. Gentiles & Pagani innumerabilem Deorum multitudinem adorantes, sunt inexcusabiles, quòd vnum verum Deum non inquisiuerint, nec cognouerint.

V. Non tantùm regulariter & per se, sed etiam per accidens, & extraordinariè non potest esse in vllo homine ignorantia inuincibilis de Deo, quòd sit.

CONCLVSIO IV.

Formale constitutiuum essentiæ, seu naturæ Diuinæ, est intelligere diuinum, sub conceptu formali vltimæ actualitatis completæ, & per se subsistentis in genere intellectuali.

COROLLARIA.

I. Natura Diuina non constituitur formaliter per infinitatem, aut aggregationem omnium perfectionum, quæ sunt in Deo.

II. Natura Diuina strictè sumpta, vt est eminenti quodam modo radix diuinorum attributorum, non constituitur per esse à se, seu per rationem entis increati, ac per essentiam; sed tantùm natura Diuina latè sumpta, & vt dicit ipsam substantiam, ac entitatem increatam Dei, communem naturæ, relationibus, & attributis, in illisque transcendentaliter inclusa.

III. Natura Diuina non constituitur formaliter per radicalem intellectualitatem, vel per proximam vim intelligendi.

IV. Intelligere Diuinum sub conceptu, & formalitate operationis non constituit naturam Diuinam.

V. Natura, & essentia in Deo non distinguuntur virtualiter; ideoq; non possunt illis assignari diuersa constitutiua virtualiter distincta.

CONCLVSIO V.

In Deo non datur potentia intellectiua respectu Diuinæ intellectionis essentialis, ab ea virtualiter distincta.

COROLLARIA.

I. Licet in Deo detur potentia ad actus notionales, v.g. ad generationem, & spirationem; non tamen in Deo potest admitti potentia intellectiua, virtualiter ab intellectione essentiali distincta.

II. Licet in Deo detur potentia ad extra operatiua per actum imperij, virtualiter distincta ab intellectu, & voluntate; non tamen datur potentia ad ipsam actionem in sua entitate, & actualitate, & vt est præcisè actus secundus, nisi secundùm nostrum modum intelligendi, & significandi; non verò ex parte rei conceptæ.

III. In Deo Saluatur formaliter ratio speciei intelligibilis.

IV. Datur in Deo in linea absoluta species expressa non quidem propriè, & adæquatè; sed impropriè, & inadæquatè.

V. Ratio speciei impressæ, & expressæ, non distinguitur virtualiter in Deo ab eius essentia, intellectu, aut intellectione: sed tantùm distinctione rationis, fundatâ in modo nostro concipiendi res diuinas per analogiam ad res creatas.

CONCLVSIO VI.

Obiectum primarium intellectus Diuini est ens increatum.

COROLLARIA.

I. Ens vt sic analogicè commune Deo, & creaturis, non est obiectum primarium intellectus Diuini.

II. Obiectum formale motiuum intellectus Diuini, est sola Diuina essentia, vt distincta virtualiter à relationibus, & attributis.

III. Diuinæ relationes non possunt habere rationem speciei, & consequenter neq; obiecti motiui respectu Diuini intellectus.

IV. Diuina attributa non sunt obiectū formale motiuum Diuini intellectus.

V. Etiam obiectū formale terminatiuū intellectus Diuini, non est ens diuinum vt sic, quatenùs complectitur relationes, & attributa; sed est essentia Diuina vt distincta virtualiter à relationibus, & attributis.

CONCLVSIO VII.

Attributa Diuina tâm inter se, quàm ab essentia distinguuntur ratione ratiocinatà, & cum fundamento in re.

COROLLARIA.

I. Diuina attributa ita inter se, & ab essentia ratione distinguuntur, quòd essentia in suo conceptu implicitè includat attributa, in illisq; includatur, & quodlibet attributum includat cætera.

II. Si diuina attributa considerentur secundùm rationem implicitam entis increati, ac infiniti, quam transcendentaliter includunt, tunc omnia sunt æqualia.

III. Si diuina attributa concipiantur secundùm rationem explicitam, & per analogiam ad similes perfectiones, quæ reperiuntur in creaturis, tunc sub hac ratione sunt inæqualia secundùm quid, quatenùs vnum maiorem exprimit perfectionem, quàm alterum.

IV. Attributa diuina neq; ab Essentia Diuina, neq; inter se distinguuntur realiter entitatiuè: nec distinctione formali, seu ex natura rei.

V. Attributa Diuina non solùm identicè, sed etiam formaliter prædicantur de essentia, & essentia de attributis, vnumq; attributum de altero, tàm in concreto, quàm in abstracto.

CONCLVSIO VIII.

Deus est omninò simplicissimus, omnisq; compositionis, diuisionis, ac potentialitatis prorsùs expers.

COROLLARIA.

I. Deus non est physicè compositus.

II. In Deo non est compositio ex membris humanis, aut partibus integrantibus.

III. In Deo non datur compositio ex essentia, & existentiâ.

IV. In Deo non datur compositio rationis ex genere, & differentia.

V. Deus non potest venire in compositionem aliarum rerum.

CONCLVSIO IX.

In Deo sunt omnes omnium rerum perfectiones.

COROLLARIA.

I. Omnes perfectiones simpliciter simplices, sunt in Deo formaliter eminenter.

II. Perfectiones creaturarũ secundùm quid, non sunt in Deo formaliter.

III. Perfectiones secundùm quid creaturarũ, solùm sunt in Deo eminenter eminentiâ perfectâ; ita vt eas contineat nõ tantùm secundùm rationes communes, verùm etiam secundùm rationes specificas, ac indiuiduales.

IV. Deus creaturarũ perfectiones multò perfectiori, ac eminentiori modo continet, quàm sint animalia, & plantæ in virtute solis, aliorumque corporum cælestium.

V. Deus cum creaturis non est aliquid maius, & perfectius intensiuè; quàm ipse solus, sed tantùm extensiuè, idque impropriè.

CONCLVSIO X.

Deus est summè bonus.

COROLLARIA.

I. Deus est summè & essentialiter bonus bonitate absoluta.

II. Deus est summè bonus etiam bonitate respectiuâ, seu conuenientiâ cum appetitu.

III. Deus est summè bonus etiam bonitate morali.

IV. Deus est summè bonus per essentiam ex parte subiecti.

V. Deus est summè bonus per essentiam etiam ex parte prædicati.

CONCLVSIO XI.

Deus in omni genere entis, & perfectionis, est infinitus.

COROLLARIA.

I. Deum esse infinitum simpliciter, ita pertinet ad fidem, quòd possit demonstrari per rationem naturalem.

II. Nulla creatura potest dari secundùm essentiam infinita.

III. Nullum corpus naturale potest dari infinitum in actu.

IV. Non potest dari vlla creatura infinita etiam secundùm accidentia, v.g. secundùm magnitudinem, aut multitudinem.

V. Falsa est sententia Nominalium asserentium, possibile esse infinitum creatũ, saltem secundùm accidentia.

CONCLVSIO XII.

Deus per suam immensitatem est vbique realiter præsens.

COROLLARIA.

I. Deus non habet determinatum locum.

II. Dei præsentia in omnibus rebus rectè colligitur ex eius operatione.

III. Ratio formalis per quam Deus est actu præsens, & existens in omnibus locis, est eius operatio virtualiter transiens, qua producit, vel conseruat esse in illis, aut eas mouet, & applicat ad operandum.

IV. Operatio virtualiter transiens, non est Deo ratio essendi in rebus, nisi vt connotans & inferens immutationem passiuam creaturæ.

V. Deus non est actu & positiuè in spatijs imaginarijs extra cœlos, sed tantum negatiuè & fundamentaliter.

CONCLVSIO XIII.

Deus est omninò immutabilis, seu omnis mutationis omninò expers.

COROLLARIA.

I. Solius Dei proprium est, esse immutabilem.

II. Omnia præter Deum sunt mutabilia, per potentiam in alio, (scilicet in Deo) existentem.

III. Corpora cœlestia non sunt mutabilia per potentiam in ipsis, seu in se, quoad esse substantiale; sed tantùm quoad esse accidentarium, scilicet secundum locum, & alia accidentia similia.

IV. Corpora sublunaria sunt mutabilia per potentiam, quæ in ipsis est, tàm secundùm suam substantiam, quàm secundùm accidentia.

V. Substantiæ spirituales, vt Angeli, & animæ rationales, non sunt mutabiles quoad suam substantiam, per potentiam in seipsis; sed solùm quoad accidentia.

CONCLUSIO XIV.

Deus est æternus.

COROLLARIA.

I. Æternitas strictè & propriè sumpta soli Deo competit.

II. Æternitas Dei non est accidens, sed ipsamet eius substantia.

III. Æternitas Dei est indiuisibilis, & tota simul non habens partes sibi inuicem succedentes, quarum aliæ præteritæ sint, aliæ futuræ.

IV. Æternitas Dei est essentialiter duratio, habetq; rationem mensuræ respectu esse Diuini; non tamen formaliter, sed tantùm virtualiter.

V. Æternitas Dei non est attributum purè negatiuum; sed est formaliter duratio Diuini esse, quæ est aliquid reale, & positiuum.

TRACTATVS II.

De visione Dei.

POst explicata diuina attributa, tractant Theologi cum S. Thoma de visione Dei, 1. p. q. 12. per articulos 12. & in 4. sent. dist. 49. inuestigando possibilitatem visionis Dei, principia ad eam concurrentia, scilicet speciem, & lumen gloriæ, tum obiectum visionis beatificæ, eiusq; mensuram.

DISPVTATIO I.

De Possibilitate visionis beatificæ

DVo potissimùm in hac disputatione inquirenda sunt. *Primum*, an visio Dei possibilis sit solis naturæ viribus: *Secundum*, an saltem ex viribus gratiæ, & Dei eleuatione possit fieri.

QVÆSTIO I.

An intellectus creatus possit naturaliter videre Deum.

SUppono I. Visionem propriè loquendo, esse manifestam, & claram notitiam de aliquo obiecto; & ideò aliud est cognitio intellectus, aliud visio: nam cognitio est quæcunque notitia etiam imperfecta; iam autem visio est notitia perfectissima, clara, intuitiua. Vnde visio secundùm primariam acceptionem, est actus potentiæ visiuæ, quæ est in oculo corporeo, & quæ non attingit, nisi rem præsentem. Cùm ergo intellectus habeat se in anima; quemadmodùm oculus in corpore; ideò solùm eius actus cognoscitiuus propriè dicitur visio, eò quòd clarè, & intuitiuè feratur in rem sibi realiter præsentem.

Visio est manifesta & clara notitia de aliquo obiecto.

Suppono *præterea*. Duplex esse obiectum potentiæ cognoscitiuæ. *Vnum* connaturale, & proportionatum, ad quod potentia potest connaturaliter ferri, absque vlla confortatione, aut eleuatione. *Alterum* adæquatum, & terminatiuum, aut extensiuum, ad quod potentia saltem confortata, & eleuata potest se extendere. Sic v. g. lux solis, est improportionata respectu oculi noctuæ; non est tamen extra latitudinem potentiæ eius visiuæ, cùm sit eiusdem speciei cum nostra, atq; sic per roborationem, & confortationem potentiæ, potest peruenire ad hoc, vt videat solem; quemadmodùm & nos.

Obiectum potentiæ cognoscitiuæ duplex est.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

COnclusio. Nullus intellectus creatus, potest naturaliter videre Deum clarè, & intuitiuè. Est contra Artium, Eunomium, eorumq; discipulos Anomæos, qui temerè, & impiè asserebant, ex solis naturæ viribus, possibilem esse

Intellectus creatus nõ potest naturaliter videre Deum clarè.

Dei visionem. Quem errorem postea secuti sunt Begardi, & Beguinæ Hæretici, damnati à Clemente V. in Concilio Viennensi, vt refertur in Clementinâ *ad nostrâ.* de Hæreticis. *Probatur I. ex Scriptura Sacra* Isaiæ 64. vbi dicitur: *oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Super quæ verba S. Hieronymus scribens docet, quòd Deus nullo oculo corporeo, aut spirituali naturaliter videri possit. *Deinde* 1. ad Timot. 6. *dicitur Deus habitare lucem inaccessibilem*, propter quod vita æterna, quæ consistit in visione Dei, ad Rom. 6. appellatur *gratia*, ad ostendendum, illam à Deo gratis dari, & ex mera liberalitate, ac per consequens superare vires totius naturæ creatæ. Ergo iuxta Scripturam Sacram, nullus intellectus creatus potest naturaliter claré, & intuitiué Deum videre.

Probatur II. *ratione*. Quod soli Deo proprium est, illud non conuenit creaturæ naturaliter, nisi per actionem Dei, cui id proprium est. Sed videre Deum claré, & intuitiué, est soli Deo proprium: ergo id creaturæ non conuenit naturaliter. *Maior patet*: quia aqua v. g. non potest esse calida, nisi per actionem ignis. *Minor etiam manifesta*, quia operari secundùm propriam formam, est proprium cuiuslibet operantis: ergo & videre Deum claré, ac intuitiué, soli Deo proprium est.

Probatur III. Cuilibet naturæ intellectuali proprium est, vt intelligat secundùm modum suæ substantiæ. Sed Deus non potest quidditatiué cognosci ad modum alicuius substantiæ creatæ: ergo à nullo intellectu creato, potest naturaliter claré, & intuitiué videri. *Minor est manifesta*: quia Deus cùm sit actus purus, & infinitus, ac per se subsistens, quemlibet intellectū creatum, in infinitum excedit. *Maior probatur*. Cognitio fit, secundùm quod cognitum est incognoscente. Sed cognitum est in cognoscente secundùm modum cognoscentis, iuxta illud exioma: *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.* Ergo cuilibet naturæ intellectuali proprium est, vt intelligat secundùm modum suæ substantiæ.

Probatur IV. Quidquid intellectus humanus, aut Angelicus naturaliter de Deo cognoscit, per eius effectus cognoscit, homo v. g. per sensibilia; substantiæ veró separatæ per proprias essentias, & quidditates. Sed effectus Dei, cùm sint finiti, & limitati, potentiamq; Dei non adæquantes, non possunt intellectum creatum perducere ad cognitionem Dei: ergo intellectus creatus, non potest naturaliter, videre Deum claré, & intuitiué. *Minor patet*: quia licet substantia Angeli sit speculum lucidissimum, in quo perfectiori modo, quàm in rebus sensibilibus, diuinitatis imago relucet; est tamen longè inferior, perfectione diuinâ, vt potè finitum infinito, & sic etiam intellectus Angelicus, non potest naturaliter cognoscere Deum claré, & quidditatiué. Ex hac conclusione deducūtur corollaria.

Clara Dei cognitio est possibilis intellectui creato de potentia obedientiali.

Corollarium I. Clara tamen, & intuitiua Dei cognitio, est possibilis intellectui creato de potentia obedientiali. Ita Scriptura Sacra Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et cap. 18. *Angeli eorum in cælis, semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Et 1. Ioan. 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Et 1. ad Corint. 13. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Et *ratio corollarij est*: quia beatitudo nostra reposita est in Deo; ergo debet esse in actu perfectissimo circa Deum, tanquam obiectum, qui actus nō potest esse alius, nisi clara eius visio.

Datur in homine naturale desiderium videndi Deū.

Corollarium II. Datur in homine naturale desiderium videndi Deum. *Ratio*: quia homini inest naturale desiderium cognoscendi causam, quando intuetur effectum. Et hoc naturale desiderium, non solùm est appetitus elicitus, qui est actus secundus à potentia appetitiua elicitus, præuia cognitione, & apprehensione obiecti; verùm etiam est appetitus innatus, qui nihil aliud est, quàm inclinatio quædam naturæ in suum bonum. Ita expresse docet S. Thomas 3. contra Gent. cap. 50. ratione 4. vbi dicit: *Nihil finitum, desiderium intellectus quietare potest. Non igitur intellectus substantiæ separatæ quiescit, per hoc, quòd cognoscat substantias creatas, quantumcunq; eminentes, sed adhuc naturali desiderio tendit ad intelligendum substantiam, quæ est altitudinis infinitæ.* Iam verò in intellectu non potest esse appetitus elicitus, sed tantùm naturalis, & innatus: cùm appetitus elicitus sit actus solius potentiæ appetitiuæ; appetitus autem naturalis, est in qualibet potentia.

Corollarium III. Iste appetitus innatus, solùm est inchoatus, remotus, & quasi radicalis; quemadmodùm & virtus, quam ex se habet intellectus creatus ad videndum Deum: proinde solum fertur in Deum claré visum implicité, & virtualiter, secundùm rationem communem entis, ac intelligibilis; non autem formaliter, & explicité, vt est claré visus. Propter quod non potest intellectus creatus, naturaliter Deum claré, & vt in se est, videre. Ita S. Thomas opusc. 50. q. vlt. ar. vlt. ad vlt. vbi dicit: Quamuis homo naturaliter inclinetur in finem vltimum, non tamen potest naturaliter illū consequi sed solùm per gratiam: & hoc est propter eminentiam illius finis.

Appetitus elicitus videndi Deū, solùm per accidēs fertur in Dei visionem.

Corollarium IV. Appetitus elicitus videndi Deum, non fertur per se in Dei visionem, sed tantùm per accidens. *Ratio*: quia nulla potentia potest virtute propria ferri per se, nisi in obiectum sibi proprium, & connaturale visio autem Dei supernaturalis est Vnde appetitus ille elicitus per se fertur ad cognitionem Dei perfectam, quæ per vires naturæ haberi non potest; iam veró ad visionem, si esset possibilis, consequenter, & per accidens. Nam sicut damnati per accidens volunt Deum non esse, quia volunt carere pœnâ, quâ carerent, si Deus non esset; ita planè homo viator, seclusa fide possibilitatis diuinæ visionis, appetit per accidens Deum videre, cō quòd appetat Deum perfecté cognoscere, quam cognitionem perfectam haberet, si Deum videret.

Corollarium V. Neq; ex appetitu innato, neque ex appetitu elicito, potest naturaliter demonstrari, vel cognosci possibilem esse homini claram Dei visionem. *Ratio*: quia appetitus elicitus, licet per se non possit esse, nisi rei, quæ apprehenditur possibilis; per accidens tamen potest esse rei impossibilis, vt patet in damnatis appetentibus Deum non esse. Similiter appetitus innatus, remotus, & quasi radicalis, vt non maneat inanis, debet homo eleuari ad agendum, vltra suam virtutem naturalem, quod nulla ratione naturali demonstrari potest.

Articvlvs II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

Obijcitur I. *Contra Conclusionem*. Deus vt est in se, continetur intra obiectum adæquatum intellectus creati: ergo ab intellectu creato potest naturaliter videri claré, & intuitiué. *Consequentia patet*: quia quælibet potentia cognoscitiua, naturaliter potest ferri in omne

omne id, quod continetur intra obiectum eius adæquatum. Sic v. g. oculus potest naturaliter videre omnes colores, & auditus potest percipere om nes sonos. *Respondetur distinguendo Antecedens.* Deus vt est in se, continetur intra obiectum adæquatū intellectus creati extensiuum, & adæquatè terminatiuum intellectus creati; *conceditur*: intra obiectum connaturale, & proportionatum, *negatur*; & sic *negatur consequentia*: nam ad hoc, vt aliqua potentia cognoscitiua, possit connaturaliter ferri in aliquod obiectum, non tantum requiritur, quod illud contineatur intra limites obiecti adæquatè terminatiui; verum etiam quod sit intra obiectum connaturale, & proportionatum. Porro obiectum adæquatum, seu terminatiuum, & obiecti proportionatum, seu connaturale, intellectus humani, & Angelici, est ens vt sic, analogicè commune ad creatum, & increatum, naturale, & supernaturale; iam verò obiectum proportionatum intellectus humani, est ens concretum quidditati sensibili, seu ens cognoscibile per conuersionē ad phantasmata; obiectum autem proportionatum intellectus Angelici, est propria substantia, ad cuius modum omnia cognoscit.

Solutio secunda.

Obijcitur II. *contra Corollarium I. 1 ad Thimot. 1. dicitur: Deum esse inuisibilem.* Et cap. 6. dicitur: *Deum inhabitare lucem inaccessibilem*, nullumq; hominum eum videre posse: ergo clara & intuitiua Dei visio, non est possibilis creato intellectui. *Respondetur negando consequentiam*: adducta enim scripturæ verba, intelligi debent de statu viatorum; non autem beatorum: id est, Deum ab hominibus, quamdiu in hac mortali vita degunt, secundum legem ordinariam, per solas naturæ vires clarè videri nō posse, iuxta illud Exodi 33: *Non videbit me homo, & viuet.*

Obiectio secunda.

Solutio eiusdem.

Obijcitur III. Inter Deum vt clarè videndum, & intellectum creatum, nulla est proportio: ergo clara, & intuitiua Dei cognitio non est possibilis creato intellectui, etiam de potentia obedientiali. *Antecedens patet*: quia finiti ad infinitum nulla proportio. *Respondetur negando Antecedens. Ad eius probationem dicitur*, inter finitum, & infinitum, nullam dari proportionem, si nomine proportionis, intelligatur habitudo certa quantitatis vnius ad alteram; at verò posse dari proportionem, si per eam, quælibet vnius ad alterum habitudo intelligatur, vti est effectus ad causam, potentiæ ad obiectum. Atq; sic potest esse proportio creaturæ ad Deum, in quantum se habet ad illum, tanquam effectus ad suam causam, vel vt potentia ad suum obiectum.

Obiectio tertia.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO II.

An intellectus creatus possit supernaturaliter eleuari ad videndum Deum.

Supernaturalitas quid sit.

SUppono I. Supernaturalitatem nihil aliud esse, nisi participationem quandam diminutam, alicuius perfectionis Deo propriæ, in quantum est ens à se, ipsumq; esse per essentiam. Vnde Deus vt est ens à se, duo genera perfectionum habet: *quædam enim sunt Dei perfectiones*, quæ non possunt communicari ad extra; cum eadem ratione formali, quâ Deo insunt: alias tota plenitudo essendi deberet cōmunicari creaturæ, quod est impossibile. Et tales sunt *esse à se, esse actum purum, esse simpliciter infinitum, trinum in personis, vnum in essentia, omninò simplicem, &c.* Nam istæ perfectiones non possunt reperiri, nisi in eo, qui habet totam plenitudinem essendi. *Quædam autem perfectiones sunt*, quæ possunt ad extra communicari; iuxta eam rationem, quâ sunt Deo propriæ; verum

tum tamen diminutè, & imperfectè. Et tales sunt, *respicere diuinam essentiam, tanquàm finem, & obiectum connaturale, per cognitionem, & amorem*: nam licet hoc non possit reperiri in creatura, in eodem gradu, quo reperitur in Deo, cùm Deus respiciat seipsum, tanquàm obiectum connaturale, modo infinito, & omninò se adæquando, ac comprehendendo, quod nulla ratione creaturæ conuenire potest. Cæterùm potest cōmunicari creaturæ, vt respiciat essentiam diuinam per actus cognitionis, amoris, tanquam finem proprium, & aliquomodò obiectum connaturale.

Dupliciter aliquid dicitur supernaturale.

Suppono *præterea*, dupliciter aliquid posse dici supernaturale. *Primò respectiuè*, & secundùm quid, & hoc modo sumptum supernaturale dicitur id, quod est supra naturam huius, vel illius speciei; non tamen supra totam naturam creatam, sicut cognoscere quidditatiuè substantias creatas separatas, est supra naturam hominis pro isto statu; non tamen absolutè: nam licet hoc ei conuenire non possit naturaliter; potest tamen si eleuetur supra suam naturam, per aliquam formam supernaturaliter ei communicatam. *Secundò*, dicitur aliquid supernaturale absolutè, & sic sumptum supernaturale, est id, quod est supra totam naturam creatam, & creabilem, vti est, *suscitare mortuos, iustificare peccatores, conuertere panem, & vinum, in corpus, & sanguinem Christi.*

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Intellectus creatus potest supernaturaliter eleuari ad videndum intuitiuè Deum.

COnclusio. Intellectus creatus potest supernaturaliter eleuari, ad videndum intuitiuè Deum, sicut est in se. *Probatur I. ex Scriptura Sacra*, Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et cap. 14. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Isaiæ 33. *Regem in decore suo videbunt oculi eius.* 1. Ioan. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* 1. ad Corint. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ergo ex mente scripturæ Sacræ, potest intellectus creatus eleuari supernaturaliter ad videndum intuitiuè Deum.

Probatur II. authoritate Concilij Florentini, in decreto vnionis, vbi dicitur: *animas plenè purgatas intueri Deum clarè, trinum, & vnum, sicuti est.* Idem definitum est a Benedicto XI. in Extrauagante, quæ incipit: *Benedictus Deus.* Ergo intellectus creatus potest supernaturaliter eleuari, ad videndum intuitiuè Deum.

Probatur III. *ratione.* Beatitudo hominis consistit in visione diuinæ essentiæ, cùm consistat in altissima, & perfectissimâ eius operatione, quæ est operatio intellectus. Sed homo potest assequi suam beatitudinem; alias deterioris esset conditionis, omnibus alijs creaturis, quæ possunt ad suum finem, & beatitudinem propriam pertingere: ergo intellectus humanus potest, Deum vt in se est, intuitiuè videre.

Probatur IV. Quoties aliqua potentia potest imperfecto modo aliquod obiectum attingere, non repugnat eam eleuari, ad illud perfectè cognoscendum. Sed intellectus potest Deum vt in se est, saltem imperfectè, & abstractiuè cognoscere: ergo intellectus creatus potest supernaturaliter eleuari, ad videndum intuitiuè Deum. *Maior patet in potentia visiua* noctuæ, quæ quia imperfectè lumen solis videre potest; ideò maioribus viribus confortata, potest ipsum solem perfectè intueri. *Minor etiam manifesta*: quia intellectus creatus, ratione

tione suæ amplitudinis, & vniuersalitatis, respicit ens vt sic, Deo ac creaturis analogicè commune: ergo potest Deũ saltem imperfectè, & analogicè cognoscere. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Non potest dari substãtia à supernaturalis completa, cui visio beatifica sit connaturalis.

Corollarium I. Non potest tamen dari aliqua substantia supernaturalis completa, cui visio beatifica sit connaturalis, & à qua lumen gloriæ dimanet, velut proprietas. Est contra Durandum, & alios Neotoricos. Ita expresse docet S. Thomas 1. p. q. 12. ar. 5. ad 3. vbi dicit: *Dispositio ad formã ignis, non potest esse naturalis, nisi habenti formam ignis. Vnde lumen gloriæ non potest esse naturale creaturæ, nisi creatura esset natura diuina, quod est impossibile.* Ex quo loco desumitur tale argumentum. Implicat vltimam dispositionẽ ad aliquam formam, esse connaturalem, nisi habenti talem formam. Sed lumen gloriæ est vltima dispositio ad essentiam diuinam, vt est forma intelligibilis: ergo implicat illud esse connaturale, nisi ei, cui est naturale, habere talem formam, videlicet Deo.

Solus Christus in hac vita clarè vidit essentiam diuinam.

Corollarium II. Probabile est, præter Christum Dominum, neminem mortalium in hac vita, vidisse clarè essentiam Dei. *Ratio:* quia hoc palam scriptura Sacra pronuntiat, Ioan. 18. vbi dicitur: *Deum nemo vnquam vidit, nisi vnigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris.* Et 1. ad Timot. 6 *Lucem habitat inaccessibilem, quam nemo hominum vidit, nec videre potest.* Et Exodi 33. de Moyse dicitur: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.* Ergo præter Christum, nemo vnquam clarè vidit essentiam diuinam in hac vita.

Corollarium III. Licet intellectus creatus non possit eleuari, ad cognitionem omnium creaturarum possibilium; potest tamen ad claram Dei visionem. *Ratio:* quia licet essentia diuina sit in se perfectior, tam in esse entis, quàm in esse obiecti; quàm collectio creaturarum possibilium: ex duplici tamen capite repugnat, intellectũ creatum cognoscere talem collectionem. *In primis:* quia si eam cognosceret, obiectum adæquatum diuinæ omnipotentiæ, & sic comprehenderet illam: nam tunc comprehenditur aliqua potentia, quando cognoscitur omne illud, ad quod potest se extendere; iam verò difficillius est diuinam omnipotentiam comprehendere; quàm essentiam diuinam modo finito, & non comprehensiuo videre. *Deinde*, quia ad cognitionem omnium creaturarum possibilium, requiruntur omnes species intentionales, quibus intellectus creatus, & finitus non potest vti, nec actuari. At verò ad visionem diuinæ essentiæ, sufficit, quòd ipsa se communicet intellectui creato, per modum speciei intelligibilis, modo finito, & limitato, seq; attemperando lumini gloriæ, in intellectu recepto.

Possibilem eleuationem intellectus creati ad videndum Deum omnes SS. Patres agnouerunt.

Corollarium IV. Omnes Sancti Patres cognouerunt, intellectum creatum, posse supernaturaliter eleuari ad videndum Deum per essentiam. Ita Gregorius Nazianz: orat: 2 de Theologia, vbi dicit: *Quid tandem Deus naturâ suâ, atq; essentiâ sit, nec mortalis vnquàm inuenit, nec inueniri in hac vita quiet, meâ quidem sententiâ, tunc demùm hoc inueniet, cùm Deiforme hoc, atq; diuinum* (puta rationem nostram) *Deus rei cognata, atq; familiari adiunxerit, & imago nostra ad exemplar illud suum, cuius nunc desiderio flagrat, accenderit.* Et S. Augustinus tom. 2. epist. 6. & epist. 112. cap. 15. dicit: *Si quæris, vtrum etiam sicuti est, possit aliquando videri Deus? Respondeo, hoc filijs esse promissum, de quibus dictum est, scimus quia cùm apparuerit, similes & erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Si quæris, vnde eum videbimus, Respondeo, vnde Angeli vident, quibus tunc erimus æquales.* Idem docet Origenes lib. 7. contra Celsum, col. 15. S. Chrysosthomus epist. 5. ad Theodorum. S. Dionysius cap. 4. de cœlesti Hierarch. Epiphanius lib. 3. contra Hæreses, Hæresi 70. Nyssenus lib. de beatitudinib' super illa verba, *beati mundo corde.* Isidorus lib. 1. sent. cap. 26. de diuin. offic. cap. de reg. fidei. S. Bernardus serm. 31. in Cantica, & lib. 5. de consider. Theophylactus in cap. 1. Ioan. Euthymius ibidem, & alij.

Ocul' corporeus aut sensus non potest supernaturaliter eleuari ad videndum Deum.

Corollarium V. Neq; tamen oculus corporeus, neq; vllus sensus tàm internus, quam externus, potest supernaturaliter ad videndum Deum eleuari. *Ratio:* quia implicat aliquam potentiam vitalem, & cognoscitiuam, ferri extra latitudinem sui obiecti adæquati, & specificatiui: alias ferretur extra propriam speciem, & quidditatem, quod repugnat. Sed Deus vt est in se, est extra latitudinem obiecti adæquati, & specificatiui oculi corporei, & cuiusuis alterius potentiæ sensitiuæ, cum obiectum adæquatum earum, sit ens materiale, ac corporeum, Deus autem in se est immaterialis, & incorporeus. Ergo implicat oculum corporeum, aut sensum supernaturaliter eleuari ad videndum Deum, vt est in se. *Præterea*, quia Deus vt est in se, magis distat ab omnibus obiectis sensibilibus, quàm vnum obiectum sensibile ab alio, v.g. quàm sonus à colore. Sed implicat sonum videri ab oculo corporeo: ergo & Deum quidditatiuè videri ab oculo corporeo, aut ab aliquo sensu implicat.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra Conclusionem.* Scriptura Sacra Deum vocat inuisibilem, 1. ad Timot. 3. *Regi sæculorum immortali, & inuisibili.* Et cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquàm.* Ergo intellectus creatus non potest supernaturaliter eleuari ad videndum intuitiuè Deum. *Consequentia patet:* nam ex eo, quòd Hieremiæ 32. Deus dicatur *incomprehensibilis*, rectè infertur, illum à nullo intellectu creato posse comprehendi: ergo pariter ex eo, quòd dicatur *inuisibilis*, rectè infertur, illum à nulla creatura intellectuali videri posse.

Solutiò eiusdem.

Respondetur concesso Antecedente, negatur consequentia. Disparitas est: quia Deus nullibi in scriptura Sacra dicitur cõprehensibilis à creatura; multoties autem dicitur, ab illa videri, & quòd de facto videatur à Beatis in patria: vnde quando dicitur inuisibilis, hoc intelligi debet, iuxta solutionem datam.

Instabis. Magis Deus distat ab intellectu creato; quàm Angelus à visu corporeo. Sed ob hanc distantiam oculus corporeus non potest eleuari ad videndum Angelum: ergo multò minùs intellectus creatus poterit eleuari ad videndum intuitiuè Deum. *Respondetur distinguendo maiorem.* Magis Deus distat ab intellectu creato, quoad entitatem, *conceditur:* quoad habitudinem potentiæ ad actum, *negatur.* Deus enim continetur intra latitudinem obiecti adæquati intellectus creati; at verò Angelus nullo modo est intra obiectum visus corporei.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *contra Corollarium I.* Non repugnat à Deo creari substantiam supernaturalem. Sed hæc connaturaliter videret Deum, siquidem ab illa dimanaret lumen gloriæ, velut proprietas: ergo potest dari aliqua substantia supernaturalis completa, cui visio beatifica sit connaturalis. *Maior poobatur in primis:* quia potest dari, & de facto datur

cto datur modus substantialis vnionis, inter Verbum, & humanitatem assumptam, quo illa extrema substantialiter coniunguntur: ergo potest dari aliqua creatura supernaturalis, quæ connaturaliter Deum videat. *Præterea*, quia diuina attributa participantur à creaturis, v. g. sapientia amor, &c. ergo etiam potest participari à creatura ratio diuinæ substantiæ: atq; sic sicut datur ratio sapientiæ supernaturalis creata; ita potest quoq; dari substantia creata supernaturalis.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando maiorem. Ad primam eius probationem, concesso Antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia licet modus vnionis habeat esse per se, videlicet non in alio inhæsiuè; quia tamen huiusmodi esse per se, non est completum, sed incompletum, & modale, ideò per habitudinem ad extrinsecum specificari potest. At verò substantia creata, cùm intra suam lineam sit completa, non potest specificari per habitudinem ad aliquid extrinsecum, & cōsequenter non potest esse supernaturalis, quoniam supernaturalitas formaliter consistit in habitudine ad Deū, vt est in se, & vt transcendit totum ordinem creatum, & creabilem. *Ad secundam probationem, concesso antecedente, negatur consequentia*: nam licet non solùm diuina attributa, sed etiam Dei substantia, sit à creaturis participabilis, tam in ordine naturali; quàm supernaturali; differunt tamen in hoc, quòd in ordine naturali, attributa participentur participatione accidentali; at verò substantia participatione substantiali: in ordine autem supernaturali, tam attributa, quàm substantia, solùm participantur participatione accidentali. Sic sapientia supernaturalis creata, participat rationem sapientiæ diuinæ, quæ est substantia; quamuis non participet modum essendi substantialiter. Item gratia sanctificans est participatio substantiæ Dei, verùm accidentalis: nam id quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima. Cur autem natura diuina in ordine naturali possit substātialiter participari, & non in ordine supernaturali, id prouenit ex summa perfectione istius ordinis habentis specificationem per ordinem ad Deum, vt est in se; ordo autem naturalis, non specificatur per ordinem ad Deum, etiam vt authorem naturæ; verùm habitudo, quam quælibet res naturalis dicit ad suum conditorem, solùm se habet, vt quædam proprietas, aut modus quidam transcendentalis, in omni creatura imbibitus. Ita S. Thomas in 3. dist. 11. q. 1. ar. 2. ad 2.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *contra Corollarium V.* Iob 42. dicitur: *Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te.* Et iterum: *In carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Et Isaiæ 6. *Vidi Dominum sedentem super solium.* Ergo oculus corporeus potest eleuari ad videndum Deum.

Solutio eiusdem.

Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia: nam allata scripturæ Sacræ loca intelligi debent, aut de visione Dei, non in sua essentia, sed in specie corporea, in qua sensibiliter apparere voluit. Aut de Deo incarnato, qui in assumpta humanitate in terris visus est, & cum hominibus conuersatus, vt habetur Baruch. 3. Aut certè intelligi debent de oculo spirituali, nimirùm de fide, aut sapientia infusa, quà Deus in hac vita cognoscitur. Oculus igitur corporeus, non solùm ad videndum Deum, sed etiam ad videndum Angelum, vt in se est, non potest à Deo eleuari, eò quòd Angelus sit purè spiritualis, & immaterialis, proinde non continetur intra obiectum adæquatum, ac specificatiuū oculi corporei.

Et licet ignis infernalis, de facto eleuetur à Deo ad torquendos dæmo-

dæmones, qui sunt omninò spirituales; hinc tamen non sequitur, oculum etiam corporeum, posse eleuari à Deo ad videndum Angelum. *Ratio*: quia ignis solùm concurrit instrumentaliter ad torquendos dæmones; at verò oculus cum sit potentia vitalis, non potest instrumentaliter concurrere ad eliciendam visionem, sed omninò debet esse causa principalis illius. Vnde causa instrumentalis potest eleuari extra suum obiectum specificatiuum; quemadmodum aqua eleuatur in bapismo, ad producendam gratiam in anima hominis; causa autem principalis etiam supernaturaliter, non potest se extendere vltra suos limites.

QVÆSTIO III.

An possibilitas supernaturalis visionis Dei sit naturaliter demonstrabilis.

QVoniam possibilem esse Dei visionem creato intellectui, constat ex superiori quæstione; ideò hinc controuersia oritur, an ista possibilitas, lumine naturæ demonstrari possit, circa quod, duæ sunt Authorum sententiæ.

Prima affirmat, solo lumine naturali possibilitatem claræ visionis Dei, vt est in se, demonstrabilem esse. Hanc ex Neotericis aliqui tuentur, auctore Gonzalez. 1. p. disp. 24. sect. 2.

Altera sententia docet, nulla ratione, solo lumine naturali præcisè, & secundùm se sumpto, posse demonstrari, possibilem esse Dei visionem per essentiam, intellectui creato. Hanc sequuntur D. Thomas 1. 2. q. 109. ar. 5. Caietanus, Zumel, Medina 1. 2. q. 5. ar. 1. Martinez, & præstantiores Theologi.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Possibilitas supernaturalis visionis Dei, vt est in se, nō potest naturaliter demonstrari.

COnclusio. Possibilitas supernaturalis visionis Dei, vt est in se, nō potest lumine naturali demonstrari. *Probatur I. authoritate S. Thomæ*, 1. 2. q. 109. ar. 1. vbi dicitur: *Intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens, ad quædam intelligibilia cognoscenda, ad ea scilicet, in quorum notitiam per sensibilia possumus deuenire: altiora verò intelligibilia intellectus humanus non potest, nisi fortiori lumine perficiatur, sicut lumine fidei, vel prophetiæ, quod dicitur lumen gratiæ, in quantum est naturæ superadditum.* Ex quibus verbis eruitur tale argumentum. Intellectus humanus ex suo lumine naturali, ad eorum tantùm cognitionem peruenire valet, quæ per effectus sensibiles cognosci possunt, ex ipsisq; colligi. Sed visio beatifica non potest colligi ex effectibus sensibilibus: ergo neq; potest cognosci ab intellectu humano lumine naturali. *Minor probatur*: Ex effectibus naturalibus non potest colligi nisi id, quod necessariā connexionē habet cum ipsis. Sed visio Dei intuitiua non habet necessariam connexionem cum sensibilibus: ergo ex illis non potest colligi. *Minor patet*: quia supernaturalia non habent necessariam cōnexionem cum effectibus naturæ: nam supernaturalia in tantùm dicuntur supernaturalia, in quantum excedunt totum ordinem naturæ, quod minimè fieret, si haberent necessariam connexionem cum effectibus naturæ; visio autem beatifica est quid supernaturale.

Probatur II. Possibilitas mediorum, quibus consequenda est visio Dei, vt est in se, non potest euidenter demonstrari solo lumine naturæ: ergo neq; possibilitas ipsius visionis. *Consequentia manifesta*: quia non potest demonstrari possibilitas finis, nisi euidenter sciatur possibilitas mediorum ad finem conducentium, cùm finis non sit consequibilis nisi per media.

N2 *Antec:*

Antec: quoq; patet: quia media ad aſſecutionem viſionis Dei conducentia, nimirùm gratia, fides, ſpes, charitas &c. ſunt ſupernaturalia, proinde excedunt captum luminis naturalis.

Probatur III. Quia poſſibilitas claræ Dei viſionis, non poteſt *in primis*, demonſtrari à priori, ſiquidem talis demonſtratio debet eſſe per cauſam proximè continentem effectum; cauſa autem proxima viſionis Dei, non eſt intellectus nudè ſumptus, ſed lumine gloriæ perfuſus, & confortatus; ideoq; ad demonſtrandam à priori poſſibilitatem viſionis Dei, intellectus vt ſic actuatus, deberet euidenter cognoſci, quod naturaliter impoſſibile eſt. Non poteſt etiam demonſtrari à poſteriori, cùm viſio Dei nullum effectum producat, cum ea connexum: ergo poſſibilitas viſionis Dei non poteſt naturaliter demonſtrari. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Futuritio beatificæ viſionis nō poteſt lumine naturali demonſtrari.

Corollarium I. Exiſtentia, aut futuritio beatificæ viſionis, nō poteſt lumine naturali demonſtrari. *Ratio*: quia iſta viſio eſt creaturæ intellectuali indebita, atq; ex ſola Dei voluntate dependens; ideoq; ex ſola ipſius reuelatione certò cognoſci poteſt, iuxta illud Iſaiæ 64. *Oculus non vidit Deus abſq; te, quæ præparaſti expectantibus te.*

Corollarium II. Etiam impoſſibilitas viſionis Dei, non poteſt euidenter oſtendi. *Ratio*: tum quia falſum non poteſt euidenter oſtendi: *tum*, quia argumenta, quæ contra eius poſſibilitatem fieri poſſunt, facilè ſolubilia ſunt.

Corollarium III. Etiam ſuppoſita fide, & diuina reuelatione, non poteſt naturali ratione demonſtrari poſſibilitas claræ viſionis Dei. *Ratio*: quia ſuppoſita reuelatione, adhuc non poteſt naturalis ratio, niſi cauſas, & effectus naturales cognoſcere, ex quibus non poteſt euidenter cognoſci poſſibilitas claræ viſionis Dei: ergo etiam ſuppoſita reuelatione, poſſibilitas diuinæ viſionis, non poteſt naturaliter demonſtrari.

Intellectus creatus adiutus lumine fidei, poteſt demonſtrare theologicè poſſibilitatem viſionis Dei

Corollarium IV. Intellectus creatus, vt adiutus, aut excitatus lumine fidei, poteſt demonſtratione theologicâ oſtendere poſſibilitatem viſionis Dei per eſſentiam. *Ratio*: quia iſte ſyllogiſmus (viſio quæ de facto exercetur in cœlo à beatis, eſt poſſibilis. Sed viſio Dei per eſſentiam, exercetur in cœlo à beatis: ergo eſt poſſibilis) eſt iſtius poſſibilitatis demonſtratiuus theologicè. Nam *minor* eſt de fide; *maior* verò eſt lumine naturæ nota. Similiter iſta demōſtratio eſt theologica: *Propenſio innata, ſiue ſit naturæ, ſiue gratiæ, terminari ad impoſſibile non poteſt. Sed homo exiſtens in gratia habituali, propenſione innatâ, non naturæ, ſed gratiæ, tendit in ſupernaturalem beatitudinem, quæ conſiſtit in viſione Dei per eſſentiam: ergo talis viſio eſt poſſibilis.* In qua demonſtratione *maior*, eſt lumine naturæ nota; *minor* autem eſt de fide, eò quod gratiæ habitus, ſecundùm fidem ſit ſemen gloriæ, in eam connaturaliter tendens. Atq; ſic *concluſio*, quæ ex dictis præmiſſis legitimè infertur, theologica eſt.

Corollarium V. Intellectus creatus adiutus lumine fidei, ita vt illo ſolùm excitetur, ad vtendum principijs naturalibus; non autem reuelatis; in ordine ad aliquam concluſionem colligendam, ſolùm poteſt probabiliter, ex aliquibus cōgruentijs, poſſibilitatem viſionis Dei per eſſentiam oſtendere. *Ratio*: quia ſicut ratio naturalis lumine fidei excitata, poteſt adinuenire aliquas rationes, & coniecturas, quibus vtcunq; probet, myſterium Incarnationis, proceſſioniſq; Verbi, non eſſe diſſonum eidem rationi naturali, ſed cum illa ſuo modo congruere; ita eodem lumine excitata, poteſt quoq; vti rationibus probabilibus, ad probandum, poſſibilitatem viſionis Dei per eſſentiam, non eſſe diſſonam rerum naturis, præſertim ſoluendo rationes pugnantes contra poſſibilitatem huius myſterij.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. Deus clarè viſus continetur ſub obiecto adæquato intellectus creati, quod eſt ens in communi, vt abſtrahens à creato, & increato, naturali, & ſupernaturali: ergo lumine naturali euidens eſt, Deum ab intellectu creato poſſe videri, vt eſt in ſe, atq; ſic poſſibilitas ſupernaturalis viſionis Dei, poteſt lumine naturali demonſtrari.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando conſequentiam: cùm enim non ſit euidens lumine naturali, obiectum adæquatum intellectus creati, eſſe ens in communi, prout abſtrahit à naturali, & ſupernaturali, ſiquidem lumine naturali nō poteſt cognoſci, dari aliquod ens ſupernaturale; ideò licet Deus clarè viſus, in rei veritate contineatur ſub dicto obiecto; id tamen ſolo lumine naturali demonſtrari non poteſt.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. Angelus v. g. naturaliter cōprehendit intellectum humanum, qui eſt capax claræ viſionis Dei: ergo ſolo lumine naturali cognoſcit, intellectum humanum ad eam poſſe eleuari, & conſequenter eam eſſe poſſibilem.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens: Angelus naturaliter comprehendit intellectum humanum, ſecundùm potentiam naturalem, *conceditur*: ſecundùm potentiam obedientialem, *negatur*: & ſic *negatur conſequentia*. Cùm enim homo nō ſit capax viſionis beatificæ ſecundùm potentiam naturalem, ſed tantùm potentiam obedientialem; ideò licet Angel[9] naturaliter comprehendat potentiam naturalem intellectus creati; hinc tamen non ſequitur, quòd in ea cognoſcat poſſibilitatem viſionis beatificæ.

Inſtabis. Potentia obedientialis identificatur realiter cum intellectu humano: ergo Angelus cōprehendendo intellectum humanum, comprehendit illum etiam ſecundùm potentiam obedientialem. *Conſequentia patet*: quia comprehendere, eſt cognoſcere obiectum, quantum cognoſcibile eſt, proinde ſecundùm omnia prædicata eſſentialia. *Reſpondetur, conceſſo antecedente, negatur conſequentia*: Nam cōprehenſio duplex eſt, *vna*, quæ eſt talis abſolutè, & omnibus modis, & hanc non poteſt aliquod prædicatum obiecti latere. *Altera*, quæ ſolùm eſt talis in determinato genere, & hanc etiam nullum ex illis latet, quæ ſpectant ad genus, in quo eſt comprehenſio. Angelus ergo comprehendit intellectū humanum comprehenſione naturali, ideoq; nullum prædicatū naturaliter cognoſcibile, ipſum latet; quia verò non comprehendit illum cōprehenſione adæquata in omni genere, ideò potentiam obedientialem, quæ non eſt naturaliter cognoſcibilis, hac ſua comprehenſione non attingit.

Comprehenſio duplex eſt.

DISPVTATIO II.

De ſpecie requiſita ad claram Dei viſionem.

POſt explicatam poſſibilitatem viſionis Dei, de primo principio ad eam concurrente, ſcilicet de ſpecie, tractat S. Thomas 1. p. q. 12. ar. 2. inquirendo eius poſſibilitatem, de qua in præſenti diſputatione agemus.

QVÆSTIO I.

An detur aliqua ſpecies impreſſa, quâ mediante Beati Deum videant.

SUppono I. quæſtionem præſentem procedere de ſpecie, ſeu ſimilitu-

Species intelligibilis triplex.

militudine creata, ex parte rei visæ, per quam scilicet res visa est in vidente, illiq; vnitur. Porrò ista species, seu similitudo ex parte rei visæ, vt cognitæ, triplex est, aut esse potest in potentia cognoscitiuâ. *Prima dicitur obiectiua*, quæ nihil aliud est, nisi repræsentatio, seu species, qua obiectum redditur intelligibile, vnitumq; potentiæ, vt ex ipso, & potentiâ, generetur notitia, seu quæ instrumentaliter mediante sui cognitione, repræsentat rem aliam, ad quam principaliter terminatur motus intellectualis. Sic v. g. imago corporalis Petri, est quædam similitudo, de cuius cognitione assurgit intellectus in notitiam Petri, omnisque creatura est quædam similitudo imperfecta ad cognoscendū creatorem. *Altera* est species intelligibilis, seu impressa, quæ se tenet ex parte potentiæ, nihilq; aliud est, nisi virtus, seu proportio, & efficacia potentiæ, ad eliciendam cognitionem circa tale, aut tale obiectum. Et hoc expresse docet S. Thomas loco citato, vbi dicit: *quod lumen gloriæ confortans intellectum ad videndum Deum, est aliqua similitudo ex parte visiuæ potentiæ*. Seu species intelligibilis, siue impressa, in potentia cognoscitiua est, cuius vnione potentia actuatur, & proportionatur ad cognoscendam rem, cuius species est repræsentatiua. *Tertia est species expressa*, seu verbum mentis, quæ se tenet ex parte medij, produciturq; per intellectionem, tanquàm formalis, & expressa imago, in qua videtur, aut cognoscitur res. Vnde nihil aliud est, nisi res aliqua prius cognita, in qua, vel ex qua deuenitur in aliam: quemadmodùm in speculo, aut imagine prius cognitâ, attingitur res repræsentata. Nihilominus species expressa, seu verbum mentis, licet habeat rationem imaginis; non habet tamen rationem medij prius cogniti, seu medij obiectiui; sed formalis, eò quod informet intellectum ex parte termini cogniti, & informando repræsentet.

Suppono *præterea*, vnam rem posse dupliciter aliam repræsentare. *Primò*, ex impositione, quemadmodùm termini: & talis repræsentatio non ponit maiorem perfectionem in repræsentante, ex maiori perfectione obiecti repræsentati. Sic v. g. isti termini, *Deus*, aut *formica*, æquales sunt in ratione signi. *Secundò*, ex natura sua, eò quòd sit naturalis similitudo, & imago illius, & talis repræsentatio, quò fuerit perfectioris obiecti, eò maiorem perfectionem ponit in repræsentante, cuiusmodi sunt species.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Species impressa creata propria Dei impossibilis est.

CONclusio. Impossibilis est species impressa creata propria, mouens intellectum Beati ad videndum Deum, vti est. *Probatur* I. Species impressa cuiuslibet obiecti, essentialiter, & connaturaliter, est proportionatiua obiecti, ratione cognoscibilis cognoscenti, hoc est, suppletiua ipsius improportionis, quam ex conditione sua obiectum, quoad rationem cognoscibilis habet, vt constat ex libris de anima. Sed Deus per seipsum naturâ, & conditione suâ, ita essentialiter, & connaturaliter ratione visibilis, quidditatiuè, & intuitiuè proportionatur beatorum intellectui, quod species connaturaliter præstare deberet: ergo sicut Deum impossibile est, esse improportionatum in ratione intelligibilis intellectui creato, præsertim ex natura sua, vt potè maximè ens, proinde maximè verum, proinde maximè intelligibile, vti est; ita quoq; impossibile est, eundem per speciem impressam creatam proportionari intellectui videntium.

Connaturaliter inquam, quia ad hoc vt aliquid sit species obiecti, non sufficit quomodocunq; concurrere ad actum producendum loco obiecti; nam posset Deus etiam calamum eleuare ad efficiendam visionem Dei; qui tamen non esset species impressa, sed oportet vt suapte naturâ vices gerat obiecti, appliceturq; intellectui, vt vice obiecti, tanquàm virtus ipsius connaturalis, eliciat actum cognitionis.

Probatur II. Data possibili specie impressâ creatâ, videndi Deum intuitiuè, vti est, deberet illa necessariò dimanare ab essentia Dei. Sed hoc est absurdū: ergo admitti non debet. *Sequela maioris probatur*. Id quod ab essentia, vt essentia immediate, connaturaliter quoque physicè dimanat prius naturâ, quàm à voluntate, necessariò ab eadem dimanat, quia ante omnem actum voluntatis liberum. Sed si daretur species impressa ad videndum Deum, dimanaret ab essentia Dei, vt essentia Dei est clarè intuibilis: dimanaret enim ab eo, quod primò intuibile esset ab intellectu beati; hoc autem est essentia, vt radix omnium attributorū: ergo necessariò dimanaret ab essentia. *Minor probatur*: quia sic Deus necessariò produceret ad extra aliquam creaturam, quod est hæreticum. *Præterea*, quia ista species sic producta, deberet esse in essendo infinita, proinde æqualis Filio Dei: ergo talis species est impossibilis.

Probatur III. Data specie impressa Dei connaturali creatâ, Deus esset à creatura comprehensibilis. Sed consequens implicat: ergo & antecedens. *Sequela probatur*. Omnis species sui obiecti connaturalis, est adæquatè faciens repræsentari illud cognoscenti, hoc est, quantum eius intrinseca, & connaturalis cognoscibilitas exigit. Sed facere obiectum adæquatè à cognoscente cognosci, est facere illud comprehendi: ergo datâ specie impressâ Dei connaturali creatâ, Deus esset à creatura comprehensibilis.

Probatur IV. Si daretur species impressa creata in mente beati, deberet deitati, vt deitas est, connaturalis esse, seu secundùm, & iuxta naturam eius, proinde ex principijs intrinsecis ipsi deitati, vel vltranaturalis, vel supernaturalis, vel contranaturalis, vel infra, vel præternaturalis. Sed nulla potest esse ex his: ergo species impressa creata est impossibilis. *Maior probatur*: quia omne accidens physicum, vnicuiq; substantiæ est vel connaturale, proinde naturale, seu ex principijs intrinsecis fluens: vel vltra, vel contra, vel supra, vel infra, vel præternaturale, ex eo, quòd esse, & natura accidentis sit, substantiæ inesse: ergo aliquo ex prædictis modo, vltra quos alij sunt impossibiles. Sed species impressa creata, esset accidens physicum, vicarium quidditatis diuinæ, clarè secundùm essentiam vidēdæ, quod licet in creatura reciperetur; à deitate tamen procederet: ergo aliquo ex prædictis modis. *Minor primi syllogismi probatur quoad primum*: quia si esset connaturalis, tunc esset de facto in beatis videntibus Deum, sed non est, vt constabit ex corollarijs: ergo &c. *Probatur deinde quoad secundum*: quia vltranaturale excedit quidem physicam scibilitatem; manet tamen intra esse, & ordinem entium naturalium, vt Angelus: & anima separata. Sed implicat speciem impressam creatam esse naturalem deitati: ergo & vltranaturalem. *Probatur itidem quoad tertium*: quia implicat creaturam esse deitati supernaturalem, hoc est, superexcedentem vires eius: ergo implicat dari speciem impressam creatam supernaturalem

turalem Dei videndi. *Probatur etiam quoad quartum*; quia alioqui deitas à beatis violenter, & contra naturam videretur, proinde potiùs non videretur, quod eſt hæreſis: ergo non eſt poſſibilis ſpecies impreſſa creata contranaturalis videndi Dei. *Probatur inſuper quoad quintum*: quia alias talis ſpecies nõ eſſet ſufficiens ad repræſentandam cauſaliter deitatem ſecundùm vltimam ipſius differentiam, vt potè infranaturalis ipſi, ex intrinſeca ratione ſuâ. Ergo non poteſt dari ſpecies impreſſa creata, Dei clarè videndi infranaturalis. *Probatur deniq; quoad vltimum*: quia implicat dari accidens neutrum ſubſtantijs producentibus illud in genere cauſæ principalis: ergo implicat dari ſpeciem impreſſam creatam, Dei clarè videndi præternaturalem. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Beati de facto non vident eſſentiam diuinã per ſpeciem intelligibilem.

Corollarium I. Beati de facto non vident eſſentiam diuinam per ſpeciem intelligibilẽ, ſed per ipſam eſſentiam diuinam. Ita Sanctus Thomas I. p. q. 12. ar. 2. & 3. p. q. 9. ar. 3. ad 5. vbi dicit: *Cognitio beata non fit per ſpeciem, quæ ſit ſimilitudo diuinæ eſſentiæ, vel eorum, quæ in diuina eſſentia cognoſcuntur, ſed talis cognitio eſt ipſius diuinæ eſſentiæ immediatè, per hoc, quòd ipſa eſſentia diuina vnitur menti beatæ, ſicut intelligibile intelligenti*: Et *ratio eſt*: quia ad omnem intellectionem neceſſariò duo concurrere debent, videlicet intellectus & obiectum intelligibile; iam verò obiectum, vel per ſe, vel per ſui ſpeciem concurrit. Per ſe, quando eſt immateriale, & ſufficienter coniunctum intellectui: ſi enim materiale eſt, non poteſt per ſe concurrere ad intellectionem, quæ immaterialis eſt, verùm per ſpeciem immaterialem. Quòd ſi immateriale quidem ſit; ſed tamen non ſufficienter præſens intellectui, tunc etiam non poteſt per ſe concurrere, ſed per ſpeciem ſui vicariam intellectui impreſſam. Cùm ergo non ſit opus ſpecie intelligibili, quando obiectum per ſe præſens eſt intellectui, ac immateriale; eſſentia verò diuina, quæ eſt obiectum viſionis beatificæ, ſit per ſe immediatè præſens intellectui creato, ſitq; prætereà immaterialis, ideò per ſe poteſt concurrere ad viſionem, neq; indiget ſpecie vicariâ.

Non poteſt dari ſpecies impreſſa creata clarè Dei repræſentatiua.

Corollarium II. Non poteſt dari ſpecies impreſſa creata, quæ Deum clarè, & intuitiuè repræſentet. Eſt contra quoſdam Neotericos. *Ratio*: quia effectus formalis ſpeciei impreſſæ, eſt reddere obiectum proximè intelligibile. Sed repugnat Deum fieri proximè intelligibilem, per aliquam formam creatam, & à ſe diſtinctam: ergo repugnat dari ſpeciem creatam, clarè, & intuitiuè Deum repræſentantem. *Maior eſt certa. Minor verò probatur*. Illud quod eſt per ſe intelligibile, imò & ſua intelligibilitas, non poteſt fieri intelligibile per aliquid aliud. Sed Deus eſt per ſe intelligibilis, imò & ſua intelligibilitas, cùm ſit actus purus in ratione intelligibilis, & infinitè immaterialis: ergo non poteſt fieri intelligibilis, ac viſibilis vt eſt in ſe, per aliquam formam, & ſpeciem intelligibilem creatam. *Minor eſt certiſſima. Maior etiam manifeſta*: nam & lux, quia ſeipsâ viſibilis eſt, & ratio videndi obiecta, non poteſt fieri viſibilis per aliam formam à ſe diſtinctam: ſimiliter albedo, quia per ſeipſam eſt alba, non poteſt fieri alba per aliam qualitatem. *Præterea*, quia cùm eſſentia Dei ſit ipſum eſſe eius, quod nulli formæ creatæ competere poteſt; ideò nõ poteſt aliqua forma creata, eſſe ſimilitudo repræſentans Dei eſſentiam.

Corollarium III. Falſa eſt ſententia quorundam Neotericorũ, admittentium ſpeciem impreſſam ad videndum Deum, ex hoc fundamento, quia putant nullum eſſe inconueniens admittere, quòd ſpecies creata in eſſe intelligibili, & repræſentatiuo ſit eiuſdem naturæ cum Deo, cùm ad id nihil aliud requiratur, niſi quòd repræſentet ipſum, vt in ſe eſt. *Ratio falſitatis*: quia eſſe intentionale, ſeu repræſentatiuum in ſpecie intelligibili, non eſt aliquod eſſe fictum, aut ſola denominatio extrinſeca, ſed verum, & reale eſſe, intrinſecum, in immaterialitate fundatũ. Cum ergo repugnet aliquam creaturam conuenire vniuocè cum Deo, in aliquo eſſe reali, & non ficto, eſſeq; eiuſdem immaterialitatis cum illo; ideò implicat dari aliquam ſpeciem creatam, quæ illum quidditatiuè repræſentet. Quod vt meliùs intelligatur.

Sciendum eſt, ſpeciem non debere ita eſſe eiuſdem ordinis cum obiecto, vt cum eo conueniat in gradu perfectionis ſpecifico: quia plerumq; contingit obiectum eius eſſe ſubſtantiam; ſpeciem autem illud repræſentantẽ, eſſe accidens, proinde imperfectiorem ſuo obiecto: verum, quia ad minus debet cum obiecto in gradu immaterialitatis conuenire (non quidem ſpecifico, cùm conſtet ſpeciem, quâ Angelus inferior ſuperiorem cognoſcit, excedi hoc modo in immaterialitate, ab Angelo, quem repræſentat) ſed generico: quia cum ſpecies impreſſa ſit veluti forma, per quam ipſum obiectũ conſtituitur in ratione intelligibilis proximè, & ratione immaterialitatis fiat intellectio; ideò ſpecies impreſſa aliquod obiectum repræſentans, debet eſſe in eodem ordine, & gradu ſaltem generico immaterialitatis cum illo, aut in ſuperiori. Hinc non alia ratione ſpecies entitatiuè materialis, non poteſt repræſentare obiectum ſpirituale, niſi quia non gaudet eodem gradu immaterialitatis cum illo. Vnde cùm nulla ſpecies creata, aut creabilis, poſſit ad eum immaterialitatis gradum peruenire, quæ omninò ſeparata eſt ab omni materia, & potentialitate, eſt actus purus, vti eſt diuina eſſentia reſpectu intellectus diuini; alioqui eſſet actus purus, & ſuum eſſe per eſſentiam, quemadmodùm Deus; ideò nulla poteſt dari ſpecies creata, quæ Deum quidditatiuè repræſentet.

In viſione beatifica non datur etiam ſpecies expreſſa

Corollarium IV. In viſione beatifica non datur etiam ſpecies expreſſa, hoc eſt, beati per viſionem beatificam, nullum formant verbum, ſeu ſpeciem expreſſam, Deum vt eſt in ſe repræſentantem. Ita S. Thomas I. p q 12. ar. 2. vbi negat omnem ſimilitudinem, ſeu repræſentationem diuinæ eſſentiæ creatam, tenentem ſe ex parte obiecti, & vices illius gerentem ſolumq; admittit ſimilitudinem ex parte poteotiæ, quam vocat lumen gloriæ. Et *ratio corollarij eſt*: quia verbum creatum ideò admittitur, vt terminet actualem intellectionem. Sed eſſentia diuina ratione ſui, eſt omninò proportionata intellectui beatorum, vt terminet actualem eius intellectionem, cùm in ratione obiecti tam motiui; quàm terminatiui, habeat omnem rationem formalem intelligibilitatis. Potentia etiam beati ſupponitur ſufficienter proportionata per lumen gloriæ eam eleuans, & confortans: ergo in viſione beatifica ſuperfluum eſſet, & conſequenter non datur. *Præterea*, quia cùm Deus ſit in ſupremo gradu immaterialitatis, actuſq; purus in ordine intelligibili, poteſt gerere vices vtriuſque ſpeciei, eſſeq; ſua intelligibilitas, non tantùm in actu primo, verùm etiam in actu ſecundo, & per modum obiecti terminatiui. Vnde Verbum in diuinis non producitur ex indigentia obiecti; ſed ex fæcunditate producentis, eò

quòd

quod intellectus Patris sit prolificus, & infinitè fœcundus.

Speciem expressam quidditatiuè Deum repræsentantem dari repugnat.

Corollarium V. Verbum creatum non solùm non datur in visione beata, sed etiam repugnat illud dari. *Ratio*; quia illud ipsum, quod repræsentat species impressa in actu primo, & vt obiectum intelligibile, repræsentat quoq; species expressa in actu secundo, vt obiectum intellectum, & per modum termini, in quem intellectio fertur; & ideò species expressa est perfectior, & actualior similitudo obiecti; quàm impressa. Cùm ergo implicet dari speciem impressam, essentiæ diuinæ vt est in se, repræsentatiuam, eò quòd nulla forma creata possit esse eiusdem immaterialitatis cum illa, neq; eius similitudo formalis, vt superiùs ostensum est; ita a fortiori repugnat dari speciem expressam, quidditatiuè Deum repræsentantem.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Si non posset dari species creata, Deum quidditatiuè repræsentans, maximè ideò, quia illa deberet esse eiusdem immaterialitatis cum Deo. Sed hoc principium falsum est: ergo possibilis est species impressa creata, Dei vt in se est, repræsentatiua. *Minor probatur I.* quia dari potest, & de facto datur lumen gloriæ, quo intellectus beatus connaturaliter videt Deum, licet non sit eiusdem immaterialitatis cum Deo. *Secundò*, quia species quæ est accidens, potest repræsentare quidditatiuè substantiam, licet non sit eiusdem perfectionis cum illa, neq; vniuocè cum ea conueniat. *Tertiò*, quia species quâ Angelus inferior quidditatiuè cognoscit superiorem, non est eiusdem perfectionis, & immaterialitatis cum substantia Angeli superioris. Ergo non requiritur proportio in immaterialitate, & perfectione, inter speciem, & obiectum quidditatiuè cognitum.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concessâ maiore, negatur minor. Ad primam eius probationem dicitur, magnum esse discrimen inter lumen gloriæ, & speciem impressam: quia lumen gloriæ tenet se ex parte subiecti, estq; virtus eleuatiua ipsius; iam verò species tenet se ex parte obiecti, estq; formalis similitudo ipsius. Vnde licet lumen gloriæ, non habeat eandem immaterialitatem cum Deo; species tamen impressa quidditatiuè Deum repræsentans, deberet eiusdem immaterialitatis cum illo esse.

Ad secundam item probationem. Respondetur, disparem esse rationem de accidente: nam licet accidens non possit esse eiusdem perfectionis cùm substantia in ratione entis, neq; vniuocè cum ea conuenire; benè tamen in esse intelligibili, & repræsentatiuo, cùm possit cum ea conuenire in gradu immaterialitatis, quæ est fundamentum, & radix intelligibilitatis; imò plerumq; accidens superat substantiam in immaterialitate. At verò omni entitati creatæ, aut creabili, repugnat esse eiusdem perfectionis cum Deo, & vniuocè cum illo conuenire, etiam in esse intelligibili, ac repræsentatiuo, quoniam nulla creatura potest esse eiusdem immaterialitatis cum illo. *Ad tertiam deniq; probationem dicitur.* Angelum superiorem, & inferiorem, conuenire in eodem gradu saltem generico, & vniuoco immaterialitatis, quod sufficit ad rationem speciei impressæ.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium* I. Connaturaliùs, & congruentiùs videtur, tàm ex parte Dei; quàm ex parte intellectus creati, admittere speciem creatam in visione beata; quàm diuinam essentiam supplere vices illi': ergo beati de facto vident essentiã diuinam, per speciem intelligibilem impressam.

Antecedens patet: quia ex parte Dei cõnaturalius esse videtur, quòd medijs formis creatis concurrat ad operationes creaturarum; quàm per seipsum immediatè.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando antecedens. Ad eius probationem respondetur I. Connaturalius, & conuenientius esse, quòd Deus medijs formis creatis concurrat ad operationes causarũ secundarum, quando tales formæ sunt possibiles; secùs censendum, quando sunt impossibiles, vti est species impressa, de qua in præsenti. *Respondetur II.* quòd dato etiam non concesso, quòd species impressa creata in visione beata possibilis esset; hinc tamen non sequeretur, magis congruum, & connaturale esse Deo, ac intellectui creato, Deum illâ mediante ad visionem beatificam concurrere; quàm immediatè per suam essentiam, vices speciei gerentem, cùm per seipsum sit sufficiẽter præsens intellectui beato, sitq; per seipsum intelligibilis. Et licet non possit intellectũ creatum informare; id tamen non obstat, quin possit supplere vices speciei, eò quòd informatio non sit de ratione speciei, sed per accidens illi conueniat.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* IV. Actio non datur sine termino à se distincto, & producto. Sed visio beatifica est actio: ergo in illa datur aliquis terminus productus, qui non erit alius, nisi verbum, seu species expressa. *Maior patet*: quia actio est fieri ipsius termini, seu via, & tendentia ad illum. *Respondetur distinguendo maiorem*, actio transiens non datur sine termino, *conceditur*: quia talis actio est de prædicamẽto actionis. Actio immanens, & de prædicamento qualitatis, non datur sine termino, negatur. Similiter *distinguitur minor*. Visio beatifica est actio transiens, & de prædicamento actionis, *negatur*: est actio immanens, & de prædicamento qualitatis, *conceditur*. Quod vt meliùs intelligatur.

Sciendum est, actus immanentes, licet virtualiter, & eminenter habeant rationem actionis, quatenùs sunt actus secundi potẽtiæ operatiuæ; formaliter tamen non esse actiones, sed qualitates, neq; consistunt in via, & tendentia ad terminũ, quemadmodùm actiones transeuntes, sed sunt actus cõpleti, perfecti, proinde non debent necessariò producere aliquem terminum. Nam operatio immanens ab actione transeunte distinguitur per hoc, quòd per illam non fiat aliud præter ipsam operationem, vt constat in videre, vel audire, atq; sic comparatur ad operantem, sicut finis, non sicut via ad aliquid operatum, & factum. Vnde intellectio non petit per se & essentialiter terminum productũ, ad quem ordinetur, tanquàm eius causalitas, & via, sed solùm petit terminum productum, vt vitaliter vniat obiectũ potentiæ intelligenti, illudq; ponat intra intellectum, per modum termini intrinseci ipsius intellectionis; & ideò si obiectum de se habeat sufficientem actualitatem ad terminandam intellectionem, sitq; secundùm se intimè præsens, ac vnitum ipsi potentiæ; sicut contingit in essentia diuina respectu intellectus beati, nullum per eam verbum producitur, saltem ex indigentia, vt manifestum habetur in intellectione essentiali, quâ Filius, & Spiritus Sanctus intelligunt, licet possit produci ex fœcunditate, vt fit per intellectionem notionalem Patris.

Instabis. Si intellectio non esset essentialiter actio producta Verbi, sed qualitas producta, seu in facto esse, necessariò deberet supponere aliquam actionem, & aliquod fieri, per quod produceretur; hoc autem dici non potest, quia

quia alias daretur actio ad actionem. *Respondetur negando sequelam:* licet enim intellectio, & aliæ actiones immanentes, sint qualitates, non autem actiones prædicamentales; quia tamen sunt actus secundi, & virtualiter seu eminenter habeant rationem actionis; ideò non indigent alia actione, quâ producantur, verùm emanant ab operante sine alia causalitate distinctâ à se. Quemadmodùm ipsa actio transiens, eò quòd sit formaliter actus secundus agentis, non per aliam actionem, seu causalitatem, sed per seipsam immediatè ab illo dimanat.

QVÆSTIO II.

An essentia diuina vniatur intellectui beatorum per modum speciei intelligibilis.

Opinio Duplex.

DVplex est sentia in hac quæstione. Prima affirmat, essentiam diuinam de facto vniri cum intellectu beatorum per modum speciei intelligibilis, in ordine ad claram Dei visionem. Hanc tenent præstantiores Theologi, & communiter Thomistæ.

Altera sententia negat, Deum vniri in ratione speciei intelligibilis,, cum intellectu beatorum. Hanc sequuntur Aureolus apud capreolũ in 4. dist. 49. q. 5. ar. 2. & alij, qui eam ob causam affirmant, dari de facto speciem intelligibilem impressam creatam, in ordine ad visionem Dei per essentiam.

Origo quæstionis.

Quæstio autem hæc inde orta est, quia cùm species impressa sit accidens, eaq; de causa non possit esse coniuncta cum potentia, quin illi inhæreat, inde est, quòd vt cum potentia concurrat ad efficiendam cognitionem, necessaria sit vnio illius cum potentia per inhæsionem; id tamen est per accidens: si enim absq; inhæsione posset illi esse præsens, & ab ea minimè distans quoad spatium, tunc æquè posset cum illa concurrere ad efficiendam cognitionem: quoniam ad concurrendum cum illa, solùm necessaria est debita coniunctio vnius cum altera.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Essentia diuina vnitur intellectui beatorum per seipsam immediatè.

COnclusio. Essentia diuina vnitur intellectui beatorum per seipsam immediatè, in ratione speciei intelligibilis. Ita S. Thomas 1 p. q. 12. ar. 5. vbi dicit: *Cùm aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia diuina fit forma intelligibilis intellectus.* Et 3. p. q. 9. ar. 3. ad 3. dicit: *Essentia diuina vnitur menti beatæ, sicut intelligibile intelligenti.* Ergo iuxta S. Thomam essentia diuina vnitur intellectui beatorum per seipsam immediatè, per modum speciei intelligibilis.

Probatur itaque conclusio *ratione.* Ad claram Dei visionem requiritur species aliqua, quæ concurrat specialiter ad ipsam: ergo cùm in visione Dei non detur species creata, necesse est vt essentia diuina gerat vicem speciei, & consequenter vt per modum speciei intelligibilis vniatur intellectui beato. *Antecedens,* est D. Augustini, qui docet, *ex obiecto, & potentiâ, pariri notitiam, quasi fœtum vtriusque,* proinde quòd obiectum ad eam specialiter debeat concurrere, siquidem ipsi potissimùm assimilatur cognitio. *Præterea,* quia intellectus debet esse principium sufficiens productiuum, & specificatiuum suæ operationis. Sed hoc non potest habere, nisi habeat in se obiectum, quod cum illo concurrat; ergo obiectum debet concurrere ad intellectionem. *Minor patet:* quia intellectio saltem ratione sui termini habet, quòd assimiletur obiectio; cui assimilari non posset, nisi illud aliquomodò in se contineret. Proba-

Probatur II. Essentiæ diuinæ conueniunt, omnes conditiones, ad rationem speciei intelligibilis requisitæ: ergo essentia diuina vnitur intellectui beatorum per modum speciei intelligibilis. *Antecedens patet:* quia tres conditiones requiruntur, vt substantia aliqua per seipsam possit esse species intelligibilis alieni intellectus. *Prima est,* vt per suam essentiam sit actu intelligibilis, & propter huius conditionis defectum, substantiæ materiales, non possunt esse species intelligibiles, sed debent intelligi per intentiones abstractas. *Altera est,* vt sit intellectui intimè vnita, & propter huius conditionis defectum, substantia vnius Angeli, non potest esse species intelligibilis intellectus alterius. *Tertia est,* vt sit suum esse, & propter huius conditionis defectum, nulla substantia creata, quantumcunq; esset intimè coniuncta alieno intellectui secundùm suam entitatem, potest esse species intelligibilis illius, eò quòd nulla substantia possit esse principium intelligendi alieno intellectui, nisi sit ipsa veritas, & intelligibilitas per essentiã, ac proinde nisi sit in supremo gradu intellectualitatis, quod non potest habere, nisi sit suum esse per essentiam. Sed istæ tres conditiones perfectissimè conueniunt essentiæ diuinæ: ergo illi conueniunt omnes conditiones ad rationem speciei intelligibilis requisitæ. *Minor patet:* quia essentia diuina per seipsam est intelligibilis in actu, cùm sit immaterialis: est etiam intellectui præsens, quia Deus vnicuique rei est vicinior, quàm ipsa res sibi: & insuper est suum esse, vt docent omnes Theologi: ergo essentia diuina habet omnia requisita, vt sit species intelligibilis intellectus creati. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Essentia diuina vnita intellectui beatorum, habet aliquomodò rationem speciei expressæ.

Corollarium I. Essentia diuina vnita intellectui beatorum, habet aliquomodò rationem speciei expressæ, seu verbi. *Ratio:* quia de ratione speciei expressæ, seu verbi est, esse intellectum in actu, & expresse, atq; in actu secundo repræsentare obiectum. Sed diuina essentia seipsam expressè, & in actu secundo repræsentat, vniturq; intellectui beato, vt intellectum in actu per seipsam, faciens intellectum in actu. Ergo habet aliquomodò rationẽ speciei expressæ, seu verbi.

Corollarium II. Essentia diuina vnita intellectui beatorum, non habet propriè rationem speciei expressæ, sed tantùm communiter & impropriè. Ita S. Thomas q. 4. de veritate, ar. 2. vbi dicit: *Verbum intellectûs in nobis duo habet de sua ratione, scilicet, quòd est intellectum, & quod est ab alio expressum.* Cùm autem diuina essentia, ab intellectu beato non sit expressa, neq; terminus per eam productus; ideò non habet propriè rationem Verbi in ordine ad intellectum beatum. *Et ratio est:* quia in cognitione essentiali, quâ Deus se intelligit, quamuis essentia diuina seipsam manifestet intellectui increato; quia tamen non procedit ab illo, ideò non habet propriè rationem Verbi, & speciei expressæ respectu illius: ergo pariter licet illa seipsam in actu secundo manifestet intellectui beatorum, terminetq; intrinsecè eorum intellectionem; quia tamen ab illo non procedit, sicut Filius à Patre in generatione æterna; ideò non habet propriè rationem verbi, seu speciei expressæ, sicut habet secunda Sanctissimæ Trinitatis persona.

Essentia diuina vt vnitá intellectui beatorum, actiuè influit in sui visionẽ.

Corollarium III. Essentia diuina vt vnita intellectui beatorum, per modum speciei intelligibilis, actiuè influit in sui visionem. Corollarium hoc non procedit de essentia diuina secundum genera-

ſem rationem primæ cauſæ : ſic enim concurrit actiuè ad omnes actiones creaturarum, cùm certum ſit, quamlibet actionem cauſæ ſecundæ proportionatè ad ſuam naturam, pendere à prima cauſa ; ita vt ſi fuerit ordinis naturalis, pendeat à Deo vt authore naturali ; ſi autem ordinis ſupernaturalis, exigat influxum generalem ipſius, vt eſt author ſupernaturalis. Verùm procedit de eſſentia diuinâ, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis : ſic enim conſiderata eſſentia diuina, habet ſpecialem concurſum actiuum, ſecundùm quem non influit in omnibus alijs rebus, cùm hic modus concurrendi ſit proprius obiecti potentiæ cognoſcitiuæ, in ratione obiecti motiui illius : atq; ſic prædictum duntaxat obiectum, habet hunc peculiarem influendi modum. *Ratio itaq; corollarij eſt* : quia eſſentia diuina vnitur in ratione obiecti cum intellectu beato ad hoc, vt determinet illum ad ſpecificationem cognitionis, quæ ſit Dei clarè viſi, & non alterius obiecti, determinaturq; per vnionem prædicti obiecti : ergo talis vnio ad hanc potentiæ determinationem requiritur. *Tum*, quia eſſentia diuina ex eo, quòd ſit ſuum eſſe, poteſt per ſeipſam ſine vlla inhæſione, aut imperfectione informationis in eſſe entitatiuo ſumptæ, conſtituere in actu, & complere permanenter intellectum creatum, atque ſic per vnionem cum illo, determinat eum ad ſpecificationem actus. Siquidem forma cõſtituens, & complens permanenter virtutem actiuam, neceſſariò requiſita ad agendum, vnitur cum illa ad hoc, vt determinet eam ad ſpecificationem actus.

Concurſus diuinæ eſſentiæ cum intellectu beatorũ ad claram ſui viſioné eſt liber.

Corollarium IV. Licet eſſentia diuina, vt vnita intellectui per modum ſpeciei intelligibilis, concurrat actiuè ad claram Dei viſionem ; talis tamen concurſus non eſt neceſſarius, ſed liber. *Ratio* : quia licet ſit immediatè à diuina eſſentia ; non elicitur tamen ab illa, niſi vt liberè applicatâ, & vnitâ per modum ſpeciei, formæq; intelligibilis intellectui beatorum. Quemadmodùm licet ſubſiſtentia increata Verbi diuini, per ſeipſam immediatè terminet humanitatem aſſumptam ; quia tamen iſta vnio, & terminatio, ſupponit liberum Dei decretum, applicans omnipotentiam ad conjungenda illa extrema, inter ſe infinitè diſtantia ; ideò non cenſetur neceſſaria, ſed libera. *Præterea*, quia vnio eſſentiæ diuinæ per modum ſpeciei intelligibilis, eſſentialiter ſupponit aliquam actionem Dei liberam, puta infuſionem luminis gloriæ, quæ eſt vltima diſpoſitio ad eam.

Corollarium V. Intellectus beatus lumine gloriæ perfuſus, ſine concurſu diuinæ eſſentiæ, vt ſpeciei intelligibilis, non eſt ſufficienter determinatus quoad ſpecificationem actus, in ordine ad claram Dei viſionem. *Ratio* : tum quia ex vi luminis gloriæ, ſolùm determinatur potentia determinatione tenente ſe ex parte potentiæ, non autem ex parte obiecti ; iam verò vt eliciat intellectionem, neceſſe eſt, vt ex parte vtriuſq; determinetur. Sic intellectus perfuſus lumine prophetico, poteſt per illud eſſe ſufficienter determinatus ex parte potentiæ, in ordine ad aliquod ſpeciale obiectũ ; quia tamen non eſt vndequaq; determinatus, ideò eget ſpeciebus, quæ actiuè influant. *Tum*, quia intellectio habet ſe per modum cuiuſdam partus intentionalis, ideò neceſſe eſt, vt ad hunc partum procedat aliquomodò, ſemen ex parte obiecti ſe tenens, quod potentiam intellectiuam determinet, ad partum huius intellectionis potiùs ; quàm alteriùs.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem* : Eſſentia diuina non poteſt gerere vices cauſæ formalis, vt communiter docent Theologi ; ideoq; non poteſt ſupplere vices luminis gloriæ. Sed ſpecies intelligibilis habet rationem cauſæ formalis reſpectu intellectionis : nam proprium eius munus eſt, determinare intellectum, & tribuere ſpeciem intellectioni. quæ duo ad genus cauſæ formalis ſpectant. Ergo eſſentia diuina non poteſt vniri intellectui beato pet modum ſpeciei intelligibilis.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Eſſentia diuina non poteſt gerere vices cauſæ formalis, in eſſe naturali, & entitatiuo, *conceditur* : in eſſe intentionali, & intelligibili, *negatur*. Eodem modo diſtinguitur *minor*. Species intelligibilis habet rationem cauſæ formalis, in eſſe intentionali, aut intelligibili, *conceditur* : in eſſe naturali, & entitatiuo ſemper, *negatur*. Triplex itaq; eſt diſcrimen inter formam naturalem, ac intelligibilem.

Inter formam naturalẽ & intelligibilẽ, diſcrimen duplex.

Primum conſiſtit in hoc, quòd forma naturalis teneat ſe ex parte ſubiecti, tanquàm virtus illud perficiens, illiq; accommodatur ; iam verò ſpecies ſeu forma intelligibilis, tenet ſe ex parte obiecti, tanquàm eius imago, & ſimilitudo formalis, illudq; repræſentat. *Secundum*, quia forma naturalis limitatur, & contrahitur à ſubiecto, in quo recipitur, illique ſubordinatur, atque ab eo dependet ; at verò forma intelligibilis, vt talis eſt, neque ſubordinatur ſubiecto, in quo recipitur, neque ab illo limitatur, aut contrahitur, ſed in illo retinet totam ſuam amplitudinem, ac vniuerſalitatem ; ideoq; ſi obiectum ſit infinitum, repræſentat infinitè, neq; limitatur ab alio. Sic v. g. ſpecies hominis, ſi conſideretur, vt eſt accidens quoddam, in eſſe entitatiuo receptum in ſubiecto, eſt qualitas indiuiduata per ſubiectum ; ſi verò conſideretur in eſſe repræſentatiuo, ſic nullum ſingulare determinatum repræſentat, verùm naturam ipſam ſecundùm ſuam vniuerſalitatẽ, & vt abſtrahit à ſingularibus. *Tertium diſcrimen eſt*, quia forma naturalis ad hoc tendit, vt ex eius vnione cum materia, reſultet vnum tertium. Vnde fit, quòd illa tantò aptior ſit, vt vniatur materiæ, quantò eſt minùs completa, hinc anima noſtra poteſt eſſe forma corporis ; non tamen ſubſtantia Angeli. At verò forma intelligibilis non ordinatur ad componendum vnum tertium, ſed ſolùm vt determinet, & perficiat intellectum ad intelligendum, quod tantò meliùs, & perfectiùs præſtat, quantò completior, actualior, & immaterialior eſt. Ratio itaq; formæ totalis, & completæ, non repugnat formæ, & ſpeciei intelligibili, imò maximè illi conuenit, cùm illa tantùm debeat perficere, & complere ; nõ autem perfici, aut compleri : ex quo fit, repugnare quidem Deo rationem formæ naturalis, & in eſſe entitatiuo ; non tamen rationẽ formæ intelligibilis.

Inſtãtia cõtra ſolutionem.

Inſtabis. Eſſe intelligibile, & entitatiuum, non diſtinguuntur virtualiter in Deo : alias conceptus naturæ, & eſſentiæ, virtualiter in eo differrent, quod falſum eſt : ergo eſſentia diuina non poteſt vniri intellectui beato per modum formæ intelligibilis, niſi eidem vniatur etiam per modum formæ entitatiuæ, & naturalis.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur conceſſo antecedente, negatur conſequentia : nam licet in Deo, natura & exiſtentia, vis intelligendi, & ipſum intelligere ; ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, virtualiter

tualiter non distinguantur: nihilominùs quia differunt, per analogiam ad creaturas, & per ordinem ad diuersa connotata materialia; ideò natura humana per se primò vnitur subsistentiæ Verbi diuini; secundariò autem naturæ diuinæ, Similiter vis intelligendi, quæ est in Deo, participatur à lumine gloriæ: similiter actualis eius cognitio, seu intellectio à visione beatificâ. *Tandem*, scientia Dei, vt est simplicis intelligentiæ, solùm se extendit ad possibilia; vt verò visionis est, versatur circa futura. Ita pariter, licet esse intelligibile, & entitatiuum, virtualiter non distinguantur in Deo, sed solâ distinctione rationis, petitâ ex habitudine, & analogiâ ad creaturas; id tamen non obstat, quominùs essentia diuina possit vniri intellectui beatorum, per modum formæ intelligibilis, sine eo, quòd ibi misceatur aliqua vnio, in esse naturali, & entitatiuo. Porrò ex vnione essentiæ diuinæ, per modum speciei cum intellectu beato, non resultat aliquid per se vnum, eò quòd in sententia Aristotelis, ex intellectu & intelligibili, non resultet aliquid tertium, sed potiùs ipse intellectus transit in rem intellectam, fitque ipsum obiectum in esse intentionali, ac intelligibili, iuxta illud: *Anima intelligendo fit omnia.* Proinde in visione beatificâ, intellectus lumine gloriæ perfusus, & diuinâ essentiâ, vt specie intelligibili actuatus, ac completus, fit deiformis, & veluti Deus in esse intelligibili.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium III.* Licet substantia Angeli gerat vices speciei impressæ in sui cognitione; non potest tamen actiuè influere in talem operatioem: ergo & essentia Dei gerens vicem speciei intelligibilis, non potest influere in claram Dei visionem. *Antecedens patet*: quia nulla datur substantia creata, quæ sit immediatè operatiua. *Respondetur negando antecedens*: licet enim substantia Angeli non possit esse immediatum principium operandi, per modum potentiæ actiuæ, neque proinde in esse entitatiuo, & naturali; benè tamen per modum speciei, & in esse intelligibili. Vnde essentia Angeli, quatenùs habet rationem naturæ, nimirùm intellectiuæ, non potest esse immediatè operatiua. At verò vt est obiectum actu intelligibile, seu vt habet rationem speciei, inest illi aliqua immediata actiuitas. Et hoc expresse docet S. Thomas 1. p. q. 56 ar. 1. vbi loquens de specie intelligibili, dicit, *quòd illa se habet vt forma, quâ est principium actionis in alijs agentibus.*

Solutio eiusdem.

DISPVTATIO III.

De lumine gloriæ.

COnsideratâ specie intelligibili, tanquàm primo principio ad visionem beatificam requisito, ex parte obiecti, ad aliud principium, quod se tenet ex parte potentiæ, scilicet ad lumen gloriæ explicandum descendim⁹, eius potissimum necessitatem, quidditatem, & inæqualitatem consideraturi.

QVÆSTIO I.

An intellectus creatus ad videndum clarè Deum indigeat aliquo lumine creato.

SUppono, ad omnem intellectionem creatam, duo effectiuè concurrere, videlicet intellectum, & obiectum intelligibile. Et quidem obiectum aut per se, si præsens sit, & actu intelligibile: aut per speciem vicariam, si sit absens, vel actu non intelligibile. Cùm ergo ex supra dictis sufficienter iam constet, in visione beatifica ex parte obiecti, non requiri speciem intelligibilem, sed sufficere ipsam diuinam essentiam, quæ per modum

obiecti liberè, & gratuitò concurrit ad sui visionem eliciendam. Idcircò in præsenti controuertitur, an etiam ex parte intellectus requiritur aliquod lumen, seu auxilium supernaturale ad eandem visionem? num certè intellectus creatus ex sua parte sufficiens sit, dummodò ex parte obiecti non sit defectus.

Opinio prima.

Prima itaque opinio fuit quorundam hæreticorum, Begardi, & Beguinæ dictorum, qui asserebant intellectum creatum posse naturaliter videre Deum, animamq; nullo modo indigere lumine gloriæ, eleuante ipsam ad claram Dei visionem. Ab hoc errore non procul recedit Durandus, asserens Deum, qui est obiectum visionis beatificæ, in hac quidem vita non manifestari nostro intellectui, vt est in se, sed vt relucet in creaturis sensibilibus. Ideoq; intellectum creatum in hac vita, non posse clarè intueri Deum in se, sed tantùm obscurè cognoscere ex creaturis; at verò in altera vita, ablato impedimento sensuum, Deum immediatè manifestari intellectui, ac proinde ab illo immediatè videri posse, sine vllo auxilio supernaturali.

Opinio secunda.

Altera opinio est quorundam Neotericorum, qui licet necessitatem luminis gloriæ absolutè non negent; putant tamen ad visionem beatificam sufficere, aut solùm lumen gloriæ, aut solam essentiam diuinam, per modum speciei intelligibilis intellectui vnitam, & consequenter alterutrum ex illis esse superfluum.

Opinio tertia.

Tertia opinio affirmat, lumen gloriæ ad visionem beatificam ita necessarium esse, vt oppositum sine magna temeritate sustineri non possit. Hanc tenet Caietanus 1. p. q. 12. ar. 5. ad 4. Scotus, Ferrariensis 3. contra Gentes. cap. 54. circa finem, Capreolus in 4. dist. 49. q. 4. ar. 3.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

COnclusio. Intellectus creatus indiget, aliquo lumine creato supernaturali, scilicet lumine gloriæ, quo confortetur, & eleuetur, ad claram Dei visionẽ eliciendam. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, Psal. 35. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Et 1. ad Corint. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et iterùm: *Cùm venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.* Quasi diceret Apostolus, cùm venerit clara Dei visio, euacuabitur obscura fides: ergo sicut ad assensum fidei eliciendum, non tantùm requiritur ex parte obiecti diuina reuelatio, sed etiam ex parte intellectus, necessarium est lumen fidei; ita pariter ad clarã Dei visionem eliciendam, non sufficit ex parte obiecti concursus essentiæ diuinæ, sed etiam ex parte intellectus, necessarium est lumen altioris ordinis, quàm sit lumen fidei. Tandem Apocal. 21. dicitur: *Charitas Dei illuminat eam*, id est, societatem beatorum videntium Deum, vt exponit S. Thomas, q. 12. ar. 5. vbi ex allegatis Scripturæ Sacræ locis, probat necessitatem luminis gloriæ: ergo ex mente Scripturæ Sacræ, intellectus creatus ad videndum clarè Deum, lumine gloriæ indiget.

Intellectus creatus ad videndum clarè Deũ indiget lumine gloriæ.

Probatur II. Ex Concilio Viennensi sub Clemento V. vbi inter alios errores Begardorum, & Beguinarum, quinto loco error iste recensetur, *quòd anima non indiget lumine gloriæ, eleuante illam ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* Vnde in Clement. *ad nostrum*, tit. de Hæreticis, expresse dicitur: *Animam indigere lumine gloriæ, ad Deum videndum, & eo beatè perfruendum.*

Ergo ad videndum clarè Deum intellectus creatus indiget lumine gloriæ.

Probatur III. Ex Sanctis Patribus. *in primis*, S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 19. ita scribit: *Verumtamen si percepto baptismate, ex hac vita emigrauerit soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, iustificatos præsentia creatoris illuminet.* Deinde S. Gregorius super illa verba Iob 36. *In manibus suis abscondit lucem, & annnntiabit amico suo, quod possessio eius sit*, ita discurrit: *Amicus veritatis, est rectæ amator actionis: vnde & ipsa veritas discipulis dicit: Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis: de hac igitur luce æternæ patriæ, amico suo Deus annuntiat, quòd possessio eius sit, vt nequaquam infirmitatis suæ fragilitate desperet, sed tantò certiùs sciat, quia illius lucis claritatem possidebit quantò nunc vitiorum pulsantium tenebras veriùs calcat.* Ergo iuxta mentem Sanctorum Patrum, intellectus creatus ad videndum clarè Deum indiget lumine gloriæ.

Probatur IV. *ratione*. Potentia quæ ex se, & ex natura sua est insufficiens, & improportionata ad aliquem actum eliciendum, indiget eleuari, & confortari per aliquam virtutem in se receptam. Sed intellectus creatus ex se, & ex natura sua, est insufficiens, & improportionatus ad visionem beatam: ergo ad illam eliciendam, indiget aliquâ virtute superadditâ, quæ est lumen gloriæ. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Ad vidandum clarè Deum vltra vnionẽ diuinæ essentiæ, requiritur lumen gloriæ.

Corollarium I. Lumen gloriæ ita requiritur in intellectu creato ad videndum clarè Deum, vt sola essentia diuina in ratione speciei intelligibilis ipsi vnita nõ sufficiat. Ita S. Thomas 1. p. q. 12. ar. 5. & 3. contra Gentes cap. 53. vbi docet, lumen gloriæ esse necessarium ad videndum Deum, & nihilominus requirit quoque vnionem essentiæ diuinæ in ratione speciei intelligibilis: ergo vtrumq; simul requirit, puta lumen gloriæ, & essentiam diuinam loco speciei. Et *ratio est*: quia intellectus creatus non habet ex se, & ex natura sua, virtutem saltem proximam ad videndũ Deum, sed solùm radicalem, & remotam: ergo præter vnionem essentiæ diuinæ, in ratione speciei intelligibilis, requiritur lumen gloriæ superadditum.

Corollarium II. Lumen gloriæ requiritur in intellectu beato ad recipiendam essentiã diuinam, vt habet rationem formæ intelligibilis. Ita S. Thomas citatus, vbi sic concludit: *Cùm autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis intellectus, vnde oportet, quòd aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur ad hoc, vt eleuetur in tantam sublimitatem.* Et *ratio corollarij est*: quia id, quod eleuatur ad aliquam formam, quæ est supra eius naturam, debet aliqua dispositione superante eandem naturam disponi. Sed vt intellectus creatus videat Deum, eleuatur ad aliquam formam, quæ est supra eius naturam: ergo debet disponi per aliquid, quod sit supra eandem naturam. *Maior patet*: quia dispositio saltem vltima ad formam, & forma ipsa, debet esse eiusdem ordinis, proinde ad hoc, vt aliquid eleuetur ad formam, quæ sit supra eius naturam, debet disponi per dispositionem, quæ etiam sit supra eius naturam. *Minor etiam manifesta*: quia in visione Dei eleuatur intellectus creatus ad recipiendam essentiam diuinam in ratione formæ intelligibilis; essentia autem diuina in ratione formæ intelligibilis, est quid supernaturale, proinde supra naturam intellectus creati.

Corollarium III. Lumen gloriæ necessariò requiritur in intellectu creato ad hoc, vt recipiat visionem

nem Dei per essentiam. *Ratio*: quia de ratione actionis vitalis, & immanentis perfectæ est, vt recipiatur in eadem potentia proximâ, à qua elicitur: Sic visio corporalis recipitur in visu, à quo fit, auditio in auditu. Sed intellectus creatus, non nisi vt lumine gloriæ perfusus, est potentia proxima elicitiua visionis Dei per essentiam: ergo non recipit illam, nisi vt eodem lumine eleuatus.

Lumen gloriæ nõ concurrit ad visionẽ beatificam per modũ speciei impressæ.

Corollarium IV. Lumen gloriæ, non concurrit ad visionem beatificam per modum speciei impressæ, proinde non concurrit tanquàm dans virtutem requisitam ex parte obiecti. *Ratio*: quia lumen gloriæ complet intellectum, tribuens illi actiuitatem eam, quæ ex parte potentiæ desideratur in ordine ad claram Dei visionem: ergo non tribuit eam, quæ ex parte obiecti requiritur, & consequenter non habet rationem speciei intelligibilis, respectu visionis beatæ. *Consequentia manifesta*: quia actiuitas ex parte potentiæ, debet (saltem in esse rei) distingui ab actiuitate ex parte obiecti, eò quòd actiuitas potentiæ sit per modum actiuitatis masculi, iuxta illud D. Augustini: *ex obiecto & potentia paritur notitia.* Antecedens verò probatur, *tum*, quia intellectus secundùm se, habet virtutem proportionatam, quoad quantitatem virtutis, in ordine ad claram Dei visionem, eò quòd Deus vt clarè visus sit obiectum superexcedens respectu illius secundùm se sumpti, proinde requirit ex parte sua aliquam virtutem illum eleuantem, per quam actiuitas, quæ ex parte eiusmodi intellectus desideratur, fiat efficax, & compleatur in ordine ad prædictam visionem. *Tum*, quia ad prædictos actus supernaturales, v. g. *fidei*, præter species repræsentantes obiectum, requiritur lumen ex parte intellectus tenens se, per quod confortetur, & eleuetur ad credendum, eò quod ipse habeat virtutem improportionatam, inferiorisq; ordinis respectu talis actus. Ergo cùm visio Dei non sit minùs supernaturalis, quàm actus fidei, requiritur etiam ad eam lumen aliquod, quod intellectum confortet, & eleuet ex parte sua ad prædictam visionem.

Visio Dei vt est in se, attingitur ab intellectu beato etiam quoad suam rationem specificam & atomam.

Corollarium V. Visio Dei vt est in se, ab intellectu perfuso lumine gloriæ, non solùm attingitur quoad rationem generalem intellectionis, verùm etiam quoad suam rationem specificã, & atomam. *Ratio*: tum quia, cùm intellectio prout est visio Dei per essentiam, sit operatio vitalis vitalitate illa peculiari, quæ est propria prædictæ visionis, non potest nõ oriri a principio vitali, ac proinde à potentia intellectiuâ, vt habet vitalitatem. Et ideò lumen gloriæ tenet se ex parte intellectus, eiusq; vitalitatis: quoniam sola vitalitas intellectûs non eleuata per vitalitatem luminis gloriæ, importantis quantitatem virtutis vitalis ad videndum Deum, non potest tribuere prædictam vitalitatem. *Tum quia*, cùm visio Dei vt talis, contineatur intra latitudinem actus adæquati intellectus, nimirum intellectionis vt sic, necesse est, vt intellectus attingat etiam vltimam, & atomam rationem eiusdem visionis: nam quælibet potentia attingit rationes atomas actuum inadæquatorum, qui sub suo actu adæquato continentur. Ex quo constat, lumen gloriæ desiderari ex parte eiusdem intellectus ad hoc, vt prædictam visionem, quoad suam rationem atomam, eliciat: siquidem licet ex se habeat commensurationem essentialem ad eam eliciendã; non tamen quantitatem virium, seu id, per quod proximè influxurus est. *Insuper*, quia intellectus beati, non tantùm denominatur intelligens,

verùm etiam videns Deum, prout eſt in ſeipſo: ergo intellectus beatus, elicit eandem viſionem, quoad ſuam vltimam, & ſpecificam rationem viſionis Dei, prout eſt in ſe. *Conſequentia patet:* tum quia idem eſt videre Deum, ac elicere viſionem illius, ex eo, quòd viſio ſecundùm ſuam rationem atomam, ſit actio vitalis, quæ neceſſariò debet elici, à potentia vitali vidente per illam. *Tum*, quia nihil poteſt denominari ab aliqua actione, ſecundùm aliquam rationem formalem ſui, in eſſe actionis conſideratâ, niſi illa actio ſic ſumpta, dependeat ab eo. Ergo ſi viſio quoad rationem viſionis Dei prout eſt, non penderet ab intellectu, & non fieret ab illo, non poſſet intellectus denominari videns Deum, prout eſt in ſe per illam.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

OBijcitur I. *contra Concluſionem.* Ideò intellectus creatus indigeret lumine gloriæ, vt per illud confortetur, & reddatur potens, ac proportionatus ad videndum Deum. Sed hoc non poteſt fieri: ergo non indiget lumine gloriæ ad claram Dei viſionem eliciendam. *Minor facilè probatur:* quia inter intellectum creatum, & eſſentiam diuinam, eſt infinita diſtantia: ergo intellectus creatus, non poteſt reddi potens ac proportionatus ad videndum Deum per lumen gloriæ. *Conſequentia patet:* quia lumen gloriæ eſt creatæ, & finitæ virtutis; improportio autem, & diſtantia infinita, non poteſt tolli, aut vinci, per quamcunq; virtutem creatam, ac finitam.

Obiectio prima.

Reſpondetur negando minorem, & eius probationē: licet enim inter intellectum creatum, ac Deum, infinito modo cognoſcibilem, ſeu vt cognoſcibilem adæquatè, & comprehenſiuè, ſit infinita diſtantia, & improportio, quæ per quodcunq; lumen creatum, ac finitum, vinci tolliq; non poteſt; inter intellectum tamen, & Deum, vt finito modo viſibilem, non eſt infinita diſtantia ſimpliciter, ſed tantùm diuerſus ordo naturalis, & ſupernaturalis: idcircò hæc improportio poteſt vinci per lumē aliquod creatum ordinis ſupernaturalis, quod ſit participatio quædam diuinæ intellectualitatis.

Solutio eiuſdem.

Inſtabis. Lumen gloriæ cùm proueniat ab aliquo extrinſeco, non eſt virtus vitalis: ergo non poteſt perficere, & confortare intellectum creatum, qui eſt potentia vitalis, ad eliciendā viſionem beatificam, quæ eſt actio vitalis. *Reſpondetur diſtinguēdo antecedens.* Lumen gloriæ non eſt virtus vitalis vt *quod*, quaſi habens in ſe vitam, *conceditur:* non eſt virt⁹ vitalis vt *quo*, *negatur:* eſt enim vis quædam ordinata ad eleuandum intellectum ad altiorem vitam: vt nimirùm anima, quæ de ſe viuit vitâ intellectiuâ, viuat vitâ æternâ, beatâ, ac participatiuè diuinâ. Quemadmodùm etiam licet ſemen non ſit animatum, neq; viuens vt *quod;* quia tamen eſt vis quædam inſtrumentaria, ordinata à natura ad generationem viuentis, poteſt dici viuens vt *quo*. Vnde licet lumen gloriæ non oriatur ab ipſa anima, quæ eſt principium radicale, & proprium vitæ; oritur tamen ab ipſo primo authore vitæ, videlicet Deo, dante vitam propriam homini, illumq; eleuante ad ſuperiorem, & diuinam.

Inſtantia & ſolutio eiuſdem.

Obijcitur II. *contra Corollarium* I. Intellectus creatus ſufficienter determinatur ad viſionem Dei per eſſentiam diuinam, in ratione ſpeciei intelligibilis ſibi vnitam: ergo ſola eſſentia diuina ſic vnita ad hoc ſufficit.

Obiectio ſecunda.

Reſpondetur diſtinguēdo Antecedens. Intellectus creatus ſufficienter determinatur ad viſionem Dei per eſſentiam diuinam, determinatione tenente ſe ex parte obiecti,

Solutio eiuſdem.

conceditur: tenente ſe ex parte potentiæ, *negatur:* & ſic *negatur conſequentia.* Nam ad viſionem beatificam nō ſatis eſt, quòd intellectus creatus obiectiuè determinetur ab eſſentia diuinâ, per modum ſpeciei intelligibilis ei vnitâ, ſed vltra hoc requitur, quòd etiam determinetur intrinſecè à lumine gloriæ, tenente ſe ex parte potentiæ, confortante eam, eleuante, ac diſponente ad viſionem eſſentiæ diuinæ, per modum ſpeciei intelligibilis.

Obijcitur III. *contra* II. *Corollarium.* Ad recipiendum ipſum lumen gloriæ, non requiritur vlla diſpoſitio in ſubiecto, ſed ſufficit ſola potentia obedientialis paſſiua. Similiter ſubſiſtentia Verbi immediatè, & ſine vlla diſpoſitione vnita eſt humanitati: ergo pariter ad recipiendam eſſentiam diuinam, non requiritur in intellectu beato lumen gloriæ, tanquàm diſpoſitio. *Conſequentia patet:* quia ſicut eſſentia diuina vnitur intellectui beatorum per modum formæ ſupernaturalis; ita lumen gloriæ, atq; ſubſiſtentia Verbi, ſunt formæ ſupernaturales.

Obiectio tertia.

Reſpondetur, negando conſequentiam. Diſparitas eſt in primis, quo ad lumen gloriæ: quia licet aliquæ formæ ſupernaturales, videlicet illæ, quæ non ſunt vltimæ, ſed viales, & ad alias ordinatæ, non requirant diſpoſitiones eiuſmodi ordinis, ſed ſolam potentiam obedientialem paſſiuam, & receptiuam earum; forma tamen quæ eſt vltima, & perfecta, ac principalis, neceſſariò requirit diſpoſitionem aliquam in ſubiecto. Cùm ergo lumen gloriæ habeat ſe per modum formæ vialis, & ordinatæ ad aliam principalem, ac perfectam, puta diuinam eſſentiam vnitam intellectui in ratione formæ intelligibilis, ideò nullam requirit in eo diſpoſitionem; ſecùs verò eſſentia diuina, vt habet rationem ſpeciei impreſſæ, & formæ intelligibilis. Sic in ordine gratiæ, auxilium ſufficiens, cùm ſit prima diſpoſitio, & præparatio ordinis ſupernaturalis, nullam requirit diſpoſitionem in anima, ſed eam primò præparat, & diſponit ad actus perfectiores. At verò gratia ſanctificans, quoniam, in ordine ſupernaturali eſt forma vltima ac perfecta, vltimuſque ſpiritualis generationis terminus, exigit aliquam diſpoſitionem in ſubiecto, in quo recipitur.

Solutio eiuſdem.

Quoad ſubſiſtentiam quoque Verbi, *diſparitas eſt:* quia vnio hypoſtatica non fit per eleuationem naturæ humanæ, ad formam, aut operationem, ſed ad eſſe ſubſtantiale, ad quod nulla requiritur diſpoſitio, cum exiſtentia ſubſtantialis ſit primum in ſubiecto; iam verò viſio beata fit per eleuationem ad formam, operationemque ſupernaturalem, & ideò ad eam neceſſaria eſt ſupernaturalis diſpoſitio.

QVÆSTIO II.

An ſaltem per abſolutam Dei potentiam poſſit intellectus creatus videre Deum ſine lumine gloriæ.

DVplex eſt Authorū ſententia in præſenti quæſtione. *Prima* affirmat; id poſſibile eſſe, & huius opinionis Authores diuerſo nituntur fundamento. Aliqui enim cenſent, poſſe Deum vniri in ratione luminis cum intellectu creato, & ita ſufficere prædictam vnionem, ſine lumine creato, vnà cum ſupernaturali concurſu Dei in viſionem, ad hoc vt intellectus creatus videat ipſum. Ad eum planè modum, quo putant ſufficere, Deum per ſeipſum vniri in ratione ſpeciei intelligibilis, ſine aliquo alio inhærenti, ad hoc, vt ſine ſpecie creatâ, & inhærente; cum concurſu tamen ſupernaturali Dei, viſio eliciatur. Hos Authores refert Ledeſma

Opinio prima.

desma de perfectione Dei, qu. 8. ar. 8. *Alij censent*, intellectum creatum posse reddi intrinsecè potentem ad videndum Deum, per specialem eius assistentiam, & per simultaneum concursum ordinis supernaturalis; sine impressione alicuius virtutis, aut qualitatis supernaturalis. Hanc sequuntur aliqui Neoterici, & neutristæ. *Alij denique*, ad saluandum hoc admittunt, quandam potentiam obedientialem. proximè, & immediatè actiuam. productiuamque actuum supernaturalium, quam docent singulis rebus creatis naturaliter esse congenitam, complentq; per concursum simultaneum ordinis supernaturalis.

Opinio secunda.

Altera sententia docet, etiam de absoluta Dei potentia fieri non posse, vt intellectus creatus eleuetur ad claram visionem Dei, sine lumine gloriæ, per modum habitus, aut auxilij communicato. Et hæc est communis Theologorum cum S. Thoma.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Intellectus creatus etiam de absoluta Dei potētia nō potest Deū videre sine lumine gloriæ.

CONclusio. Etiam de absoluta Dei potentia, intellectus creatus sine lumine gloriæ, Deum videre non potest, vt est in se. Ita S. Thomas 1. p. qu. 12 ar. 5. vbi dicit: *necessarium esse lumen gloriæ, quia virtus naturalis intellectus creati, non sufficit ad Dei essentiam videndam;* virtus autem naturalis, non tantùm secundùm legem ordinariam, verùm etiam de potentia Dei absoluta, non est sufficiens ad videndam Dei essentiam: *Probatur itaq; conclusio.* Intellectus creatus sine lumine gloriæ, non est proximè potens, neque constitutus in actu primo, neq; actiuam virtutem habet, ad eliciendam Dei visionem: ergo etiam de absoluta Dei potentia, non potest Deum videre sine lumine gloriæ. *Consequentia manifesta*: si enim intellectus creatus sine lumine gloriæ, non est potens ad eliciendam Dei visionem, quomodò illam poterit elicere? & si non sit constitutus in actu primo, virtualiterque actum secundum contineat, quomodò exibit in actum secundum? & si non habuerit virtutem actiuam, ad eliciendam Dei visionem, quomodò illam eliciet? Vnde S. Thomas q. 10. de verit. ar. 11. ad 11. dicit: *Intellectui non habenti talem virtutem, quamuis diuina essentia sit præsens, non est tamen ei coniuncta, vt forma intelligibilis, quam intelligere possit;* quemadmodum lux solis licet in rei veritate sit præsens, oculis noctuæ; non tamen in esse obiecti, & visibilis. *Antecedens etiam est* S. Thomæ loco proximè citato, vbi dicit: *Ipsa mens non habet facultatem videndi Deum per essentiam, antequàm prædicto lumine illustretur.* Probaturque *ratione.* Intellectus creatus non habet id ex suis viribus naturalibus, neq; haberet, si Deus solo concursu simultaneo, & cōcomitante concurreret: quia hic cùm non sit in causam, sed in actionem; imò actio ipsa videndi, vt est à Deo, nullam virtutem actiuam confert intellectui, neque cum solo ipso potest intellectus actionem videndi elicere, nisi concedatur intellectum habere innatam virtutem proximam, saltem partialem productiuā visionis Dei, quæ per particularem concursum Dei, in actionem videndi compleatur, quod in sana Theologia admitti non debet, cum totus actus visionis effectiuè producatur ab intellectu, sicut & totus à Deo, & sic cùm actus ille supernaturalis sit, potentia naturalis ex virtute sibi innata, attingeret immediatè actū, & obiectum supernaturale. *Denique*, non id haberet intellectus per solam Dei extrinsecam assistentiam, & subordinationem ipsius ad Deum assistentem, sine reali mutatione

ratione intrinseca supernaturali intellectûs antecedente actionem videndi. Quippè implicat contradictionem, vt intellectus qui priùs non erat potens proximè Deum videre, postea sit potens sine reali sui mutatione: cum esse potentē, sit aliqua realitas, & maxima perfectio in illo. Intrinsecè autem potentem debere esse, colligitur ex ratione actionis vitalis, cuiusmodi est visio Dei, quæ cùm à principio intrinseco esse debeat, exigit procedere à potentia vitali, intrinsecè potente eam elicere. Ergo intellectus creatus sine lumine gloriæ, etiam de absoluta potentia Deum videre non potest. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Essētia diuina nō potest vniri intellectui creato, in ratione luminis gloriæ.

Corollarium I. Essentia diuina non potest vniri intellectui creato, in ratione luminis gloriæ, eum confortantis, & eleuantis. *Ratio*, desumitur ex differentia, quæ est inter speciem impressam, & lumen gloriæ: species enim impressa est forma intelligibilis, tenens se ex parte obiecti, eiusdemq; perfectionis, & immaterialitas cum illo: & sic ad eam non requiritur inhærentia, aut informatio, sed tantùm conuenientia, & similitudo cum obiecto, siquidem inhærentia, & informatio pertinent ad genus physicum, & per accidens se habent ad genus intelligibile. At verò lumen gloriæ, cùm sit forma Physica tenens se ex parte potentiæ, requirit inhærentiam, & informationem. Cùm ergo diuina essentia non possit informare intellectum creatum; ideò non potest ipsi vniri in ratione luminis gloriæ, sed tantùm in ratione speciei, & formæ intelligibibis. *Præterea*, quia lumen gloriæ est virtus quædam vitalis, vitalitate supernatnrali: nam sicut intra ordinem naturæ, datur sua vitalitas, ita intra ordinem supernaturalem, & diuinum reperitur etiam vitalitas supernaturalis, iuxta illud S. Ioannis: *gratia Dei vita æterna.* Sed Deus non potest immediatè per seipsum supplere vices principij vitalis: quoniam omne principium vitale debet esse intrinsecum operanti: ergo Deus non potest immediatè per seipsum supplere vices luminis gloriæ, & consequenter vniri intellectui creato, in ratione luminis gloriæ.

Corollarium II. Intellectus creatus non potest reddi intrinsecè potens ad videndum Deum, per solam eius assistentiam sine lumine gloriæ. Ita S. Thomas 22. q 175. ar. 3. ad 2. vbi dicit: *Essentia diuina videri ab intellectu, creato non potest, nisi per lumen gloriæ*, de quo dicitur Psal. 35. *In lumine tuo videbimus lumen*: quod tamen dupliciter participari potest. *vno modo, per modum formæ immanentis, & sic beatos facit sanctos in patria, alio modo per modum cuiusdam passionis transeuntis, & hoc modo lumen illud fuit in Paulo, quando raptus fuit.* Cùm ergo visio beatifica, quæ fuit in Paulo, non fuerit de potentia ordinariâ, sed extraordinariâ; & nihilominus in ordine ad eam sanctus Thomas ponat lumen gloriæ, tanquàm omninò necessarium, sequitur manifestè ex eius doctrina, intellectum creatum sine lumine gloriæ, non posse clarè Deum videre. *Et ratio id ipsum suadet*; quia non potest fieri specialis assistentia, & vnio Dei cum creatura, nisi ratione alicuius virtutis, aut formæ in ipsa receptæ: ergo si in visione Dei fieret specialis assistentia, & vnio Dei cum intellectu creato, deberet in illo recipi aliqua virtus, per quam eleuetur, & & fiat intrinsecè potens ad videndum Deum; hæc autem non alia esset, nisi lumen gloriæ, per modum habitus, aut auxilij communicatum. *Antecedens patet*: quia vnio duorum debet fieri per mutationem

tationem vtriusque, aut saltem alterius tantùm. Sed ista vnio Dei cum intellectu creato, non posset fieri per mutationem ipsius Dei, cùm sit omninò immutabilis: ergo deberet fieri per mutationem creaturæ, ex vi istius vnionis, & specialis assistentiæ, recipientis de nouo aliquam virtutem, talis autem virtus debet esse quædam participatio diuinæ intellectualitatis, proinde lumen gloriæ.

Intellectus creatus per solum concursum simultaneũ non potest fieri intrinsecè potens ad videndũ Deum.

Corollarium III. Intellectus creatus non potest reddi intrinsecè potens ad videndum Deum, per solùm concursum simultaneum ordinis supernaturalis, sine lumine gloriæ. *Ratio*: quia implicat causam aliquam constitui potentem in actu primo, per aliquid tenens se ex parte actus secundi: quoniam actus primus præcedit secundum, prioritate saltem naturæ. Sed concursus simultaneus tenet se ex parte actus secundi, cùm sit ipsa actio causæ secundæ, prout est à Deo simul operante cum illa: ergo intellectus creatus non potest reddi intrinsecè potens ad videndum Deum, per solum concursum simultaneum, sine impressione alicuius virtutis ipsum eleuantis, quæ est lumen gloriæ.

In creatura non datur potẽtia obediẽtialis productiua actuum supernaturalium.

Corollarium IV. Falsa est sententia quorundam Neotericorum, asserentium, in singulis rebus creatis dari potentiam quandam obedientialem, proximè & immediatè actiuam, ac productiuam actuum supernaturalium, consequenter & visionis beatificæ in intellectu creato, solo concursu simultaneo Dei, & speciali eius assistentiâ adiuto. *Ratio*: quia eiusmodi potentia obedientialis actiua supernaturalium actuum, est merè fictitia. Ita expresè docet S. Thomas in qq. disp. q. vnica de virtutibus in communi, vbi dicit: *respectu eorum, quæ facultatem naturæ non excedunt, habet homo à natura non solum principia receptiua; sed etiam principia actiua: respectu autem eorum, quæ facultatem naturæ excedunt, habet homo à natura aptitudinem ad recipiendum.* Sed aptitudo ad recipiendum, non est potentia actiua, verùm passiua. Ergo iuxta doctrinam S. Thomæ non datur in creaturis potentia obedientialis actiua respectu actuum supernaturalium, quibus mediantibus possit actus supernaturales elicere. *Præterea*, quia alias si daretur potentia obedientialis actiua, esset entitatiuè naturalis, vt potè singulis rebus creatis naturaliter congenita. Esset quoque simul entitatiuè supernaturalis: quia esset immediatè productiua actuum supernaturalium, proinde non possent non esse supernaturalis: nam omnis potentia specificatur ab actu, ad quem ordinatur, estque eiusdem ordinis cum illo. *Neque sanè valet responsio Aduersariorum*, asserentium, dictam potentiam obedientialem, entitatiuè naturalem esse; formaliter autem, & in ratione potentiæ supernaturalem. Quia quod secundùm suam entitatem non attingit ordinem supernaturalem, non potest illum attingere secundùm suam actiuitatem, cùm actiuitas, seu potentia agendi, consequatur ad substantiam, & entitatem rei, estq; veluti proprietas ex illa resultans, & sic debet illi proportionari, ac commensurari, iuxta illud commune axioma: *operari sequitur ad esse*. Ergo si potentia obedientialis esset naturalis quantum ad substantiam, & entitatem, erit quoq; naturalis, quantum ad actiuitatem, ac in ratione potentiæ

Insuper, quia dicta potentia obedientialis, tollit necessitatem gratiæ sufficientis, quæ eo fine datur, vt reddat voluntatem proximè, & completè potentem ad eliciendos actus supernaturales, pro eo tempore, & loco, quo homo tenetur obseruare præcepta super-

naturalia. Ergo si per solam potentiam obedientialem, ac concursum simultaneum, potest voluntas reddi proximè, & completè potens ad eiusmodi actus eliciendos, non erit necessaria gratia sufficiens; cùm tamen in Concilio Trident. sess: 6. can. 3. definiatur, hominem indigere gratiâ præueniente in ordine ad actus supernaturales. *Denique*, admissâ potentiâ obedientiali, destruitur gratia coëfficientiæ: cùm non possit dici gratia, quod alicui potentiæ entitatiuè naturali, est connaturaliter debitum: siquidem de ratione gratiæ est, vt gratis detur. Iam verò gratia coëfficientiæ, seu concursus simultaneus supernaturalis ordinis, esset connaturaliter debitus dictæ potentiæ obedientiali, vt potè proportionatus eidem.

Visio beata & ab intellectu & à lumine gloriæ habet, quod sit vitalis.

Corollarium V. Visio beata, simul & ab intellectu, & à lumine gloriæ habet, quòd sit vitalis, sed diuersimodè. *Ratio*: quia ab intellectu id habet, tanquàm à potentia vitali habente inchoatam virtutem ad eam eliciendam; iam verò à lumine gloriæ id habet, tanquàm à forma perficiente, & complente, reducenteq; ad actum perfectum, inchoatam, & potentialem virtutem, quam intellectus ex se habeat ad illum actum. Vnde principium proximum vitale, à quo procedit visio beata, non est solus intellectus, verùm intellectus constitutus in ratione potentiæ supernaturalis per lumen gloriæ, quodlicet ab extrinseco proueniat; intrinsecè tamen recipitur in potentia vitali, videlicet in intellectu.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem*. S. Thomas in 4. sent, dist. 49. q. 2. ar. 7. dicit: *Potest miraculosè fieri, quòd diuina virtute aliquis intellectus creatus, non habens nisi dispositionem viæ, eleuetur ad videndum Deum per essentiam.* Sed lumen gloriæ non pertinet ad dispositionem viæ, verum patriæ: ergo sine illo potest videri clarè diuina essentia.

Solutio eiusdem.

Respondetur, S. Thomam hoc solum velle, quòd possit aliquis stantibus dispositionibus viæ, id est, non ponentibus hominem extra viam, Deum videre. Vnde licet lumen gloriæ per modum habitus, sit propria dispositio patriæ; tamen per modum passionis transeuntis, non ponit hominem extra viam, vt constat in Moyse, & D. Paulo. Et hoc expresè docet S. Thomas q. 10. de verit. ar. 12 vbi dicit. *Sicut Petrum fecit Deus, sine eo, quòd ei dotem agilitatis tribuerit, supra aquas ambulare; ita potest mentem ad hoc perducere, vt diuinæ essentiæ vniatur in statu viæ, modo illo, quo sibi vnitur in patria, sine hoc quòd à lumine gloriæ perfundatur.*

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.* Essentia diuina est suum esse in omni genere: ergo potest vniri intellectui creato in ratione luminis gloriæ, ita vt constituat illum in actu primo ad videndum eandem essentiam, sine eo, quòd addatur ei aliquod lumen gloriæ creatum. *Antecedens patet*: quia alias essentia diuina nõ esset actus purus in omni genere. *Consequentia probatur*: quia ideò potest vniri in ratione speciei sine inhæsione, quòd in ratione formæ intelligibilis sit suum esse: ergo cùm eodem modo in ratione luminis sit suum esse, præhabeatq; omnem effectũ, quem lumen creatum vna cum informatione, & inhæsione continet, potest per se, & intimè vniri intellectui creato in ratione luminis.

Solutio eiusdem.

Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia. Ad eius probationem dicitur, ideò Deum posse vniri in ratione speciei intelligibi-

lis intellectui creato, quia & habet rationem formæ intelligibilis, & ſimul eſt ſuum eſſe in hoc ordine. Verumtamen licet Deus ſit ſuum eſſe in ratione luminis; non tamen ſecundùm iſtam rationem, conuenit ei ratio formæ proportionatæ, in ordine ad ſupplendum vices luminis creati, & eleuandam potentiam intellectiuam in ordine ad videndum Deum. *Tum*, quia lumen eleuans vt tale, omninò debet finiri per potentiam eleuatam. *Tum etiam*, quia id, quod debet eleuare in ratione luminis potentiam intellectiuam creatam, debet in ordine intelligibili habere rationem puræ potentiæ proximæ, ac proinde munus hoc intellectui ad viſionem Dei præſtare. Cùm ergo repugnet diuinam eſſentiam habere rationem puræ potentiæ in aliquo ordine, ac proinde munus hoc alicui creaturæ per ſeipſam formaliter communicare; ideò quoq; repugnat, eandem per ſeipſam vices gloriæ ſupplere, & conſequenter habere rationē formæ in ordine ad hunc effectum.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *contra Corollarium* II. Intellectus creatus, vt immediatè ſubordinat⁹ Deo aſſiſtenti, poteſt elicere actum ſupernaturalem viſionis beatæ: ergo poteſt per ſolam eius aſſiſtentiam, ſine lumine gloriæ, reddi intrinſecè potens ad videndum Deum. *Antecedens probatur* ab exemplis: *in primis*, membra exteriora ex ſubordinatione ad imperium voluntatis, ſine vlla forma ſuperaddita, redduntur potentia ad ſuam operationem. Similiter calor licet ſit accidens; tamen vt eſt virtus ignis, aut animalis, ſine vlla forma ſuperaddita cauſat ignem.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando antecedens. Ad eius primam probationem dicitur, membra exteriora habere ſufficientem virtutem operatiuam, qua mediante poſſint operari; à voluntate autem ſolùm habent, vt eorum virtus applicetur ad eorum exercitiū, quæ applicatio aliquid intrinſecum ponit in illis. *Ad ſecundam etiam probationem dicitur*, calorem non ex ſola ſubordinatione intrinſeca ad ignem, aut animal, habere virtutē producendi ignem; ſed vel ex ſua natura: nam ex ſe habet, vt ſit virtus ignis; vel ex ratione, & conditione indiuiduali, ex qua habet, vt ſit virtus animalis, poſſitq; producere carnem.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *contra Corollarium* IV. Sapien. 19. dicitur: *Omnis enim creatura ad ſuum genus ab initio refigurabatur, deſeruiēs tuis præceptis.* Quaſi diceret: ſola ratio ex parte creaturarum productionis mirabilium effectuum, ac miraculorum, eſt obedientia creaturarum. Et S. Auguſtinus cap. 17. de Geneſi ad literam, dicit: *Quòd Deus habet virtutem, vt poſſit facere, quòd ſterilis pariat, & arbor arida floreat.* Ergo in rebus creatis datur potentia obedientialis actiua, productiua actuum ſupernaturalium.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur, in citatis locis ſolùm ſignificari, quòd Deus poſſit facere in creaturis, quidquid voluerit, & quòd poſſit eas aſſumere vt inſtrumenta ad producendos omnes effectus, qui non implicant contradictionem. Cæterùm nullibi in Scriptura, & Sanctis Patribus dicitur, quòd hoc poſſit fieri ſine eo, quòd De⁹ eleuet creaturas ad agendum, per aliquam virtutem ipſis ſuperadditam. Atq; ſic adducta teſtimonia ſolùm probant, dari in creaturis potētiam obedientialem, mediatè, & remotè productiuam effectuum ſupernaturalium, quatenùs mediante virtute ipſis à Deo impreſsâ, eleuari poſſunt ad illos producendos. Eſt itaq; in qualibet creatura, potentia obedientialis paſſiua, ad recipiendum virtutem à Deo, per quam inſtrumentaliter illi cooperetur, ad effectus ſupernaturales, & miraculoſos; non eſt autem in vlla creatura potentia obedientialis proximè actiua, & quæ

nullam requirat virtutem ſuperadditam, ſed tantùm concurſum Dei ſimultaneum.

QVÆSTIO III.

An lumen gloriæ ſit habitus.

Origo quæſtionis.

QVæſtio hæc inde orta eſt, quia licet Concilium Viennenſe ſub Clemente V. de fide eſſe determinauerit, intellectum creatum indigere aliquo auxilio, ſeu lumine ſupernaturali ad claram Dei viſionem eliciendam; non definiuit tamen expreſsè, quid propriè ſit illud lumen, ſitne qualitas habitualis inhærens, an certè aliud quid. *Tum*, quia lumen gloriæ conſtituit intellectum creatū in actu primo, potentem ad videndum Deum. Cùm ergo aliæ qualitates, conſtituentes aliquam potentiam in actu primo, poſſint participari, aut per modum habitus, & permanenter; aut per modum diſpoſitionis, & tranſeunter: num etiam lumen gloriæ, conſtituens intellectum in ratione potentis videre Deum, poſſit hoc vtroq; modo participari.

Intellectus non ſe merè paſſiuè habet ad viſionem beatificam.

Suppono itaque quòd licet lumen gloriæ in viſione beata, ſit tota vis propria agendi; hinc tamen non ſequi, intellectum creatum merè paſſiuè ſe habere ad eam; quemadmodùm ſe habet aqua recipiendo calorem ab igne productū. *Tum* quia calor in aqua nullam ſupponit virtutem etiam radicalem ad calefaciendum, ſed potiùs ad oppoſitum, puta ad frigefaciendum; at verò lumen creatum in intellectu creato, virtutem radicalem, & remotam ad videndum Deum ſupponit. *Tum*, quia calor non perficit virtutem aquæ intra obiectum eius adæquatū; lumen autem gloriæ perficit intellectum. *Tum* denique, quia calor reſpectu aquæ, eſt tanquàm principium omninò extrinſecum, & contrarium eius naturæ, vnde violenter ab illo mouetur; iam verò formæ ſupernaturales ſunt à Deo, qui reſpectu animæ noſtræ, non comparatur vt principium omninò extrinſecum, ſed quodammodò intrinſecum, & connaturale, quod ipſi illabitur, & cui ſubordinatur anima, tāquàm principio potenter, & ſuauiter mouenti. Vnde Deus non producit viſionem beatificam in intellectu beati, ipſo merè paſſiuè ſe habente, ſed intellectus creatus lumine gloriæ eleuatus, actiuè in eam influit, eò quòd viſio beata ſit actio vitalis, proinde debet actiuè procedere ab intellectu creato, lumine gloriæ perfuſo. Lumen igitur gloriæ non conſtituit vnam cauſam etiam partialem diſtinctam ab intellectu, ita vt etiam intellectus aliam conſtituat; ſed conſtituunt vnicam quaſi fœminam in ordine intelligibili, quæ ſit vnicum principium inadæquatum, vna cum obiecto ad intelligibiliter pariendum. Nam quælibet cauſa licet partialis, dicit *tum* commenſurationem, eſſentialem, *tum* etiam quantitatem virtutis, & efficaciam partialem, in ordine ad illam actionem, reſpectu cuius dicitur partialis. At verò intellectus ſolitariè ſumptus, ſolùm dicit commenſurationem eſſentialem, ad videndum Deum prout eſt in ſe; lumen autem dicit quantitatem virtutis, & efficaciam in ordine ad talem viſionem: atq; ſic vtrumq; conſtituit vnam, & indiuiſibilem cauſam, etiam inadæquatam, quæ licet in eſſe rei ſit diuiſibilis, & compoſita; in eſſe tamen cauſæ, ita ſe habet in influendo, ac ſi lumen gloriæ, & intellectus identificarentur. Duæ igitur ſunt opiniones in præſenti quæſtione.

Opinio duplex.

Prima affirmat, lumen gloriæ eſſe potentiam, & ſolùm habere modum quendam habitus. *Altera* cenſet, lumen gloriæ eſſe habitum, & quidem perfectiorem alijs habitibus

tibus supernaturalib', exceptâ gratiâ sanctificante: & hæc est communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Lumen gloriæ vt est in beatis, est habitus.

CONclusio. Lumen gloriæ vt est in beatis, est habitus, seu qualitas habitualis, intellectui creato ab ipso Deo infusa, illiq; inhærens. Ita S. Thomas 1 p. q. 12. ar. 5. ad 1. vbi docet: lumen gloriæ esse necessarium *ad hoc, quòd intellectus fiat potens ad intelligendum, per modum, quo potentior fit potentia ad operandum per habitum.* Et *probatur ratione*, quia nimirùm lumine gloriæ intellectus beatorum eleuatur permanenter, & modo sibi connaturali ad Deum clarè videndum: ergo lumen gloriæ vt est in beatis, est habitus. *Antecedens patet:* quia cùm status beatitudinis sit permanens, debet habere modum sibi conuenientissimum, quo intellectus perficiatur permanenter, redditurq; capax per aliquid sibi inhærens, ad visionem illam eliciendam, in qua essentialis beatitudo consistit. *Præterea*, ad actum fidei eliciendum, requiritur ipsa fides habitualis, tanquàm lux aliqua subobscura, intellectui infusa, illiq; inhærens eo fine vt compleat, & perficiat eius vim, ex se insufficientem ad credendum in Deum: ergo à pari, imò à fortiori, lumen gloriæ habitualiter inhæret intellectui creato, vt compleat, & perficiat eius vim debilem, & insufficientem ad clarè videndū Deum. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Lumen gloriæ non est potentia.

Corollarium I. Lumen gloriæ non est potentia. *Ratio*: quia licet spiritualis potentia ab extrinseco adueniens, possit esse in intellectu, tanquàm in subiecto, vt expressè S. Thomas 3. p. q. 63. ar 4. ad 3. docet de charactere: nihilominùs vt aliquid sit potentia, debet esse indifferens ad benè, aut malè operandum: per hoc enim distinguitur per se potentia, ab habitu, quia determinatè ordinatur ad benè operandum, vt patet in habitibus virtutum: aut determinatè ad malè operandum, vt in habitibus vitiorum. Hinc S. Thomas loco citato probat, characterem esse potentiam, & non habitum: *quia* inquit, *nullus habitus est, qui se possit ad benè, & malè habere; character autem ad vtrumq; se habet: vtuntur enim eo quidam benè, alij verò malè.* Sed lumen gloriæ non est indifferens ad benè, aut malè operandum; verùm determinatè datur, & ordinatur ad Deum clarè videndum, quod est rectè operari: ergo lumen gloriæ non est potentia.

Lumen gloriæ vt est in beatis, habet modū potentiæ.

Corollarium II. Licet lumen gloriæ vt est in beatis, sit habitus; habet tamen modum potentiæ. Est contra Cabreram asserentem, lumē gloriæ esse simpliciter potentiam. *Ratio Corollarij:* quia ex communi Theologorum doctrinâ habit' supernaturales per hoc distinguuntur à naturalibus, quòd non supponant potentiam proximam ad agendum; quemadmodùm habitus naturales, sed eam tribuant; & ideò habitus supernaturales, nō solùm dantur ad faciliùs; verùm etiam ad simpliciter posse, habentque modum quendam potentiæ: ergo licet lumen gloriæ, vt est in beatis, non sit simpliciter potentia, sed habitus, habet tamen modum quendam potentiæ. *Dixi, vt est in beatis:* nam lumen illud gloriæ, quod fuit communicatum D. Paulo in raptu, non habuit rationem habitus, sed auxilij, aut dispositionis transeuntis.

Lumen gloriæ est minus perfectum; quàm gratia sanctificans.

Corollarium III. Lumen gloriæ est minus perfectum, quàm gratia sanctificans, licet oppositū sentiat Gonzalez 1. p. disp. 28. sect. 1. *Ratio:* quia licet gratia sanctificans, & lumen gloriæ, participent gradum diuinæ intellectualitatis diuersimodè tamen: gratia enim participat

illum, vt habet rationem naturæ, eò quòd sit principium radicale virtutum infusarum; quemadmodùm natura diuina est eminenti quodam modo radix diuinorum attributorum; at verò lumen gloriæ participat intellectualitatē diuinam per modū principij proximi intelligendi. Cùm ergo participatio diuinæ intellectualitatis per modum naturæ, sit perfectior participatione eiusdem per modū virtutis, & principij proximi intelligendi; ideò gratia est perfectior lumine gloriæ. *Tum* etiam, quia gratia sanctificans in ordine supernaturali habet se quasi substantia, & natura; at verò lumen gloriæ habet se, tanquàm proprietas illi connaturaliter debita, & ab ea fluens per simplicem emanationem, sublatis impedimentis xiæ. *Tum deniq;*, quia gratia sanctificans est principiū radicale visionis beatæ, vt docet Apostolus illis verbis: *Gratia Dei vita æterna;* lumen autem gloriæ, est principiū eius proximum, ac immediatum; iam verò principium radicale operationis perfectius est, quàm proximum, vt constat in essentia animæ, & eius potentijs.

Lumen gloriæ est perfectius charitate.

Corollarium IV. Lumen gloriæ est perfectius charitate, & alijs habitibus supernaturalibus. *Ratio:* quia lumen gloriæ habet actum omnium perfectissimum, nimirùm visionem beatificam, quæ est perfectior amore beatifico, & id in quo beatitudo essentialiter consistit. *Præterea*, quia lumen gloriæ participat vim proximam intelligendi Dei, quæ est perfectior voluntate, & amore Dei, qui à charitate participatur, siquidem gradus intellectiuus, est naturæ diuinæ constitutiuus; voluntas autem habeat se per modum attributi, & proprietatis ad eam consequentis.

Intellectus creatus lumine gloriæ perfusus producit efficienter visionē beatificam, vt causa secunda principalis.

Corollarium V. Intellectus creatus lumine gloriæ perfusus, velut habitu sibi inhærente, producit efficienter visionem beatificam, vt vera causa secunda principalis; non verò vt merum instrumentum Dei. Est contra quosdam Neotericos. *Ratio:* quia intellectus creatus videns Deum, mouet seipsum ab intrinseco, cùm vitaliter operetur, & viuat vitâ æternâ, ac beatâ; de ratione autem causæ vitalis, & vitaliter operantis est, quòd se moueat ab intrinseco; talis autem repugnat instrumento, vt docet S. Thomas q. 24. de verit. ad 5. *Præterea*, quia instrumentum propriè sumptum, debet eleuari extra latitudinē sui obiecti adæquati, quemadmodùm aqua baptismalis eleuatur ad producendam gratiam, quæ est extra latitudinem obiecti adæquati cuiuslibet agentis creati. At verò intellectus creatus in visione beatifica, non eleuatur extra latitudinem sui obiecti adæquati, cùm Deus clarè visus intra latitudinem obiecti adæquati illius, quod est ens vt sic, commune Deo & creaturis analogicè, contineatur.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra Conclusionem, & I eius corollarium.* Actus supernaturalis postulat connaturaliter potentiam supernaturalem, à qua eliciatur: quoniam actus, & potentia, debent esse eiusdem ordinis. Sed clara Dei visio est supernaturalis: ergo postulat connaturaliter elici à potentia supernaturali, quæ alia esse nequit, nisi lumen gloriæ, & consequenter lumen gloriæ, vt est in beatis, non est habitus, sed potentia.

Solutio eiusdem.

Respondetur distinguendo maiorem. Actus supernaturalis, postulat connaturaliter potentiam supernaturalem entitatiuè, & quantum ad substantiam, *negatur:* potentiam supernaturalem accidentaliter, & per eleuationem,

tionem, *conceditur*: & talis potentia est intellectus creatus, non nudè sumptus, & secundùm sua naturalia consideratus; sed vt eleuatus per lumen gloriæ.

Objicitur II. *contra Corollarium* III. Gratia sanctificans respectu claræ Dei visionis, habet se vt medium ad finem, & dispositio ad formam, vltimam: ergo gratia sanctificans est minùs perfecta; quàm visio Dei clara, & consequenter quàm lumen gloriæ, quod est principium proximum, & immediatum illius. *Consequentia patet*: quia id, quod habet rationem medij, & dispositionis, minùs est perfectum eo, quod habet rationem termini, & finis, ac vltimæ formæ. *Antecedens etiam videtur esse S. Thomæ*, qui I. 2. q. 24. ar. 3. ad 3. dicit: *quòd gratia sit quædam inchoatio gloriæ in nobis.* Et q. 27. de verit. ar. 2. ad 3. dicit: *quòd gloria sit gratia consummata.* Respondetur distinguendo *antecedens*. Gratia sanctificans respectu claræ Dei visionis, habet se vt medium ad finem formalem, *conceditur*: ad finem obiectiuum, *negatur*: & sic *negatur consequentia*. *Ad cuius probationem dicitur*, illud, quod habet rationem medij, esse minùs perfectum eo, quod habet rationem vltimi finis obiectiui, *conceditur*; non autem eo, quod habet rationem vltimi finis formalis. Visio igitur beatifica, solùm est finis vltimus, ac beatitudo formalis, cùm sit consecutio vltimi finis, vt docet S. Thomas I. 2 q. 3. ar. 8. ad 2. & ideò quod ad talem finem ordinatur, non est necesse vt sit illo imperfectius. Quando autem S. Thomas, gratiam vocat inchoationem gloriæ, aut semen illius, vel dispositionem ad eam, per hoc non significat, quòd gratia sit imperfectior gloria, sed quòd eam virtute contineat, tanquam principium meriti de condigno vitæ æternæ.

Objicitur III. *contra Corollarium* V. Intellectus creatus lumine gloriæ perfusus, non influit in visionem beatificam, nisi vt motus & eleuatus à Deo: ergo ad eam solùm concurrit instrumentaliter, proinde non producit eam efficienter, vt vera causa secunda principalis. *Consequentia patet*: quia agere vt motum, & eleuatum ab alio, soli causæ instrumentali competit. *Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia*: causa enim instrumentalis est illa, quæ agit vt mota, & eleuata, quando eleuatur ad aliquid, quod non continetur intra limites obiecti eius adæquati; secùs si eleuetur ad aliquid, quod continetur intra latitudinem obiecti ipsius adæquati. Quia ergo visio beatifica continetur intra obiectum, adæquatum intellectus creati; ideo licet ad eam eleuetur per lumen gloriæ; non extrahitur tamen per illam eleuationem, extra rationem causæ principalis.

Obiectio secunda · *Solutio eiusdem* · *Obiectio tertia* · *Solutio eiusdem.*

QVÆSTIO IV.

An visiones beatorum, tàm hominum, quàm Angelorum sint æquales, aut inæquales.

DVplex est propositæ quæstionis sensus. *Primus*, an omnes visiones beatificæ sint æquales in perfectione essentiali, seu an sint eiusdem speciei, loquendo non de solis visionibus inter se præcisè collatis, cùm certum sit istas non posse ad inuicem essentialiter distingui; sed de visionibus hominum, & Angelorum inter sese, ac de visionibus Angelorum ad inuicem comparatis, supposità doctrinà S. Thomæ, quòd singuli inter se specie essentiali differant. Et circa hoc duæ sunt sententiæ.

Prima affirmat, visiones beatificas hominum, & Angelorum ad inuicem comparatas, ipsorumq; Angelorum inter se collatas, specie distingui inter se. Hanc tenet Maior in 4. dist. 49. q. 11.

Opinio duplex.

Altera de facto negat, in visionibus beatorum dari distinctionem, & inæqualitatem specificam. Hanc defendit Nauarette de visione Dei controuersia 39. §. 2.

Alter sensus quæstionis est, an omnes visiones beatificæ, sint æquales in perfectione accidentali, nimirùm secundùm intensionem visionis, & secundùm extensionem ad obiecta, tàm primaria; quàm secundaria, id est, an omnes beati, qui Deum vident, æq; clarè ipsum videant? seu an omnes sint æquè beati? seu denique, an omnium sit æquale præmium? Et circa hoc duæ etiam sunt sententiæ.

Prima Iouiniani Hæretici, qui tempore S. Hieronymi docuit, omnes beatos in præmio, & omnes damnatos in supplicio, æquales esse. Similiter omnes virtutes inter se, & omnia vitia inter se æqualia esse, deceptus illà parabolà Euangelicà, Matth: 20. vbi omnibus laborantibus in vinea Domini, datur æqualis merces, videlicet denarius diurnus. Eundem postea errorem secutus est Lutherus, asserens, omnes coram Deo esse pares, in sanctitate, & meritis ex eo, quòd putauerit homines esse iustos, non per propriā, sed per Christi iustitiā, quæ omnib⁹ fidē Christi habentib⁹ æqualiter imputatur. ideoq; omnes accipere præmium nō per propria, sed per Christi merita, quæ similiter omnibus fidem Christi habentibus æqualiter applicantur.

Altera sententia est communis Catholicorum asserentium, in visionibus beatorum dari inæqualitatem accidentalem, scilicet intensiuam, & extensiuam.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

COnclusio. Datur de facto inter visiones beatorum inæqualitas, proinde Sancti in cælo non æquali modo vident Deum, nec æqualiter sunt beati. Probatur I. *ex Scriptura Sacra.* Ioan. 14. vbi dicitur; *In domo Patris mei mensiones multæ sunt*, vbi Christus loquitur de gloria cælesti, ad quam ipse tendebat, & de qua prius dixerat: *Vado parare vobis locum.* Et I. ad Corint. 15. *Stella differt à stella in claritate; sicut resurrectio mortuorum.* Quem locum de inæqualitate gloriæ, ab illa in corpus redundantis, explicat S. Hieronymus lib. 2. cōtra Iouinianum, Augustinus lib. de sancta virginitate, cap. 26. Chrysosth. & alij. Et ibidem cap. 3. dicitur: *Vnusquisq; propriam mercedem accipiet*, secundùm suum laborem. Et 2. ad Corint. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* vbi maius præmiū maiori merito promittitur, & minus minori; præmium autem futurum correspōdens præsenti merito non est aliud, nisi visio beatifica. Ergo ex mente Scripturæ Sacræ, datur de facto in uisionibus beatorum inæqualitas.

Inter visiones beatorum datur inæqualitas.

Probatur II. ex Concilijs. Nam inprimis, veritas hæc definita est in Concilio Pellensi sub Sergio Papa, in epist. Cōcilij ad ipsum, quæ est epistola 81. inter eas, quas D. Ambrosius, qui huic Concilio interfuit, scripsit, vt refert Gonzales, disp. 29. sect. I. Item in Concilio Florentino, sub Eugenio IV. in literis S. vnionis, vbi habetur, quod iuxta varietatem meritorum, variè etiam à beatis Dei essentia videatur: *Intueri* inquit, *clarè ipsum Deum trinum, & vnum sicuti est; meritorū tamen diuersitate, vnum alio perfectiùs.* Idem docet communis sensus totius Ecclesiæ, quæ sanctissimā Dei Matrem, supra omnes choros Angelorum, in cælestibus regnis exaltatam esse prædicat. Et S. Gregorius, qui lib. 4. Moral. cap. 31. dicit: *Quia in hac vita discretio*

est

est operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum: ergo inter visiones beatorum datur inæqualitas.

Probatur III. *ratione*. Visio beatifica confertur adultis per modum coronæ: ergo in ea tribuenda debet seruari ratio iustitiæ, ita vt secundùm proportionem meritorum, conferatur. Vnde cùm certum sit, iustos quoad merita esse inæquales, certum quoq; est, fore in visione beatifica, quæ est corona illis correspondens, inæqualitates. *Consequentia manifesta. Antecedens verò est S. Pauli*, qui dicit: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex, non solùm autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.* Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Inæqualitas in visionibus beatificis non est essentialis.

Corollarium I. Ista inæqualitas in visionibus beatificis, non est essentialis, & specifica. *Ratio*: quia omnium beatorum, tàm hominum, quàm Angelorum, videntium Deum, idem est obiectum formale, scilicet Deus vt visibilis in seipso, & idem modus tendendi in illud, nimirùm clarè, & sine vllo medio priùs cognito: eadem insuper species intelligibilis, puta diuina essentia; deniq; omnes illæ visiones à lumine eiusdem speciei procedunt: ergo sunt eiusdem speciei. *Præterea*, quia si visio beata Angelorum, esset distincta specie à visione beata hominum, tunc esset illa essentialiter perfectior: quoniam species sunt sicut numeri, neq; possunt dari duæ species æquales in perfectione essentiali, & sic nullius hominis, imò neq; visio beata animæ Christi, posset esse ita perfecta, sicut visio etiam minimi Angeli: quantumcunq; enim perficiatur vnum indiuiduum inferioris speciei, non potest ad perfectionem essentialē superioris speciei peruenire. At verò S. Thom. 1. p. q. 108. ar. 8. oppositum docet, affirmans erroneum esse asserere, homines transferri non posse ad æqualitatem Angelorum.

Inæqualitas in visione beatifica solùm est accidentalis.

Corollarium II. Ista inæqualitas in visionibus beatificis, solùm est accidentalis, nimirùm in intensione quoad claritatem, & in extensione quoad pluralitatem obiectorū secundariorum. *Ratio*: quia gloria proponitur vt brauium, merces, & corona iustitiæ. Sed ad iustum remuneratorem spectat, vt pro inæqualibus meritis, inæqualia præmia concedat: ergo in beatis iuxta meritorum diuersitatem, gloria, seu visio beatifica est inæqualis.

Inæqualitas visionis beatificæ proximè prouenit ab inæqualitate luminis gloriæ.

Corollarium III. Ista inæqualitas visionum beatarum accidentalis, proximè prouenit ab inæqualitate luminis gloriæ; non autem à naturali intellectus creati perspicaciâ, & actiuitate. Est contra Scotum in 3. dist. 12. q. 3. Durandum ibidem, dist. 14. q. 1. & Caietanum 3. p. q. 10. ar. 4. ad 2. vbi affirmat, quòd si Verbum diuinum assumpsisset naturam Angelicam, cum lumine gloriæ, quod nunc habet in humana natura, perfectiùs videret Deum, quàm nunc videt. Verùm oppositum docet S. Thomas 1. p. q. 12. ar. 6. vbi dicit: *Quòd facultas videndi Deum non competit intellectui creato secundùm suam naturam, sed per lumen gloriæ: vnde intellectus plus participans de lumine gloriæ, perfectiùs Deum videbit.* Et ibidem in responsione ad 3 dicit: *Diuersitas videndi Deum, erit per diuersam facultatem intellectus, non quidem naturalem, sed gloriosam.* Et *ratio Corollarij est*: quia inæqualitas quæ reperitur in visione beatificâ, debet reduci in virtutem proximam, ac immediatam; non verò in radicalem, & remotam: quia hæc non agit nisi iuxta proportionem virtutis proximæ, & vt per eam eleuata. Sed lumen gloriæ est virtus proximè & immediatè influens in visionem beatificam; intellectus verò in eam influit

solùm radicaliter, & remotè, atq; vt eleuatus per lumen gloriæ: ergo inæqualitas visionis beatificæ, proximè prouenit ab inæqualitate luminis gloriæ; non verò à perfectione, & perspicaciâ intellectus creati.

Hinc dato æquali lumine gloriæ in beatis, non posset inæqualitas accidentalis, visionis beatificæ quomodocunq; sumptæ, prouenire ab inæqualitate perfectionis naturalis beatorum. *Ratio*: quia ex inæqualitate perfectionis naturalis intellectuum, non potest effici visio vltra actiuitatem luminis, nec infra: ergo propter inæqualitatem intellectuum, non erit inæqualitas visionum accidentalis. *Antecedentis prima pars patet*: quia alioqui supernaturale procederet à principio naturali, quâ tali, quod implicat: nam posset aliqua pars meriti, dici esse non ex gratia. *Altera etiam pars patet*: quia similiter visio procederet à potentia naturali, quâ tali, vt potè ab ea, ad quam non pertingeret claritas luminis. *Dixi visionis beatificæ quomodocunq; sumptæ*, id est, tàm moraliter, prout est principium; quàm physicè, prout est actio quædam certæ speciei. Atq; hinc patet, inæqualitatem accidentalem visionū beatificarum, non prouenire ex obiecto viso, inæqualiter, apparente liberè, & voluntariè; neq; ex inæqualitate diuini concursus ad visionem, neq; ex diuersitate speciei impressæ, neq; ex inæquali virtute intellectuum, vt rectè obseruat S. Thomas supra citatus.

Quilibet beatus est contentus gradu suo beatitudinis.

Corollarium IV. Licet aliqui beati minùs perfectè videant Deum, quàm alij; non tamen desiderant eum perfectiùs videre, sed contenti sunt suo gradu beatitudinis. Ita Scriptura Sacra Psal. 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.*

Corollarium V. Quilibet beatus vi suæ beatitudinis, habet naturalem appetitum intellectus, & voluntatis, perfectè satiatum, & expletum. *Ratio*: quia naturalis appetitus nostri intellectus, fertur ad cognoscendam totam latitudinem veri, quam naturaliter potest cognoscere. Similiter naturalis appetitus nostræ voluntatis, fertur ad appetendam totam latitudinem boni, naturaliter cogniti. Proinde vterq; appetitus potest expleri illâ latitudine boni, & veri, ad quam fertur. Sed in Deo clarè viso, continetur eminenter tota latitudo veri, & boni, ad quam fertur intellectus, & voluntas: ergo in Deo clarè viso expletur vterque appetitus naturalis, & quidem multò perfectiùs; quàm si totam latitudinem veri, & boni naturalis, extra visionem possiderent. Vnde sequitur, in visione beatificâ eminenter contineri omnem cognitionem naturalem, quam intellectus potest habere: similiter in amore beatifico, omnem amorem naturalem, quem voluntas potest habere. Neq; solùm appetitus naturalis voluntatis, verùm etiam elicitus, perfectè satiatus & expletus manet, hoc est nullus beat[us] desiderat aliquid amplius; quàm quod habet: quia beati amore beatifico plus diligunt Deum, quàm seipsos, & sua commoda: ergo magis desiderant impleri Dei voluntatem; quàm suam. Sed Dei voluntas est, vt præmium sit æquale merito: ergo non dessiderant plus habere, quàm quod promeriti sint.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra Conclusionem*. Beatitudo est summū bonū. Sed summo bono nō potest esse aliquid maius: ergo vnus beatus non potest esse altero beatior. *Respondetur*, duplicem esse beatitudinem, obiectiuam, & formalem. *Obiectiua* est ipse

Solutio eiusdem.

ipſe Deus, qui eſt ſummũ bonum, & quo nullum poteſt eſſe maius: & ſic vnus beatus non fruitur maiori bono; quàm alius. *Beatitudo formalis* eſt ipſa viſio, quâ Deum tanquam ſummum bonum poſſidemus, & quâ formaliter beati ſumus. Atq; hæc viſio in ſua ſpecie, dicitur etiam ſummũ bonum, quia eſt perfectiſſima poſſeſſio ſummi boni, licet perfici poſſit accidentaliter intra eandem ſpeciem, quia vnus poteſt clariùs videre Deum; quàm alius, atq; ſic vnus alio poteſt eſſe beatior.

Inſtabis: ergo ille, qui minùs beatus eſt, non eſt verè beatus, quia appetitus illius non eſt perfectè expletus, cùm ſit capax maioris beatitudinis: nam quamdiu reſtat aliquid appetendum, quod ſub ratione maioris boni offertur, tamdiu appetitus non eſt expletus. Sed inferiori beato reſtat appetenda, beatitudo æqualis beatitudini ſuperiorum beatorum, offerturq; illi ſub ratione maioris boni; ergo appetitus illius non eſt plenè expletus. *Reſpondetur negando illatum*: cùm enim vt oſtendi in corollario quinto, cuiuſlibet beati appetitus perfectè ſatiatus maneat; ideò quilibet eſt perfectè beatus.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. *contra Corollarium* I. Actus non minùs dicit ordinem ad principium; quàm ad obiectum: ergo ſicut ordo eſſentialis ad diuerſum obiectum, diſtinguit eſſentialiter actus; ita illos diuerſificat ordo eſſentialis ad principium diſtinctum. Sed viſio Angelica dicit eſſentialem ordinem ad intellectum Angeli, & viſio humana ad intellectum hominis, qui eſſentialiter inter ſe diſtinguuntur: ergo viſiones beatificæ Angelorum, & hominum, ſpecie inter ſe differunt: & ſic inæqualitas quæ in illis reperitur, eſt eſſentialis. Vt faciliùs hoc argumentum reſoluatur, *ſciendum eſt*, intellectum humanum, & Angelicum, dupliciter conſiderari poſſe: *primò* ſecundùm rationes differentiales: *ſecundò*, ſecundùm rationem genericam intellectus creati, quæ vtrique communis eſt. *Præterea*, talem rationem adhuc dupliciter ſpectari poſſe, nimirùm aut ſecundùm virtutem naturæ, iuxta quam ſolùm habent vnitatem genericam, ſpecie multiplicabilem per differentias intellectus humani, & Angelici: aut ſecundùm conceptũ potentiæ obedientialis, qui eſt vnus ſpecie atoma in vtroq; intellectu, ita quòd multiplicatâ ratione generica intellectus, per differentias etiam trahentes, ratio potentiæ obedientialis maneat immultiplicatâ ſpecie in illis; quemadmodùm potentia obedientialis rerum non vitalium, quæ ſubduntur Deo, vt de illis poſſit facere, quidquid voluerit, non multiplicatur ſpecie in illis, ad multiplicationem entitatis cui competit; verùm eadem perſeuerat in aqua, lapide, & alijs, licet ſub alijs rationibus ſpecie diſtinguatur.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur itaq; conceſſo Antecedente, diſtinguitur conſequens: ergo ita illos diuerſificat ordo eſſentialis ad principium formaliter ſumptum, *conceditur*: ad principium naturaliter tantum acceptum, *negatur*. *Eodem modo diſtinguitur ſubſumpta minor*. Intellectus Angelicus, & humanus, diſtinguuntur eſſentialiter, in ratione principij viſionis, *negatur*: diſtinguuntur materialiter, & entitatiuè, *conceditur*: & ſic *negatur conſequentia*. Nam viſio Angelica non reſpicit intellectũ Angeli, nec ab illo emanat, ſecundùm propriam illius differentiam, quâ ab humano differt, neq; ſecundùm rationem naturalis virtutis, quæ ſolùm habet vnitatem genericam; ſed ſecundùm rationem potentiæ obedentialis, remotè actiuæ, in qua ſpecificè atomè conuenit cum intellectu humano. Vnde diuerſitas, quæ inter illos inuenitur, ſolùm ſe habet materialiter ad

viſionem beatificã, proinde vnam ab alia ſpecie diſtinguere nequit.

DISPVTATIO IV.

De obiecto viſionis beatificæ.

EXplicato lumine gloriæ, ad viſionem beatificam omninò requiſito, agit S. Thomas 1. p. q. 12. ar. 7. de obiecto viſionis beatificæ, inueſtigando eius obiectum tàm materiale; quàm formale, quod totum in præſenti diſputatione diſcutietur.

QVÆSTIO I.

An beati videant omnia, quæ ſunt in Deo.

SUppono I. Obiectum formale viſionis beatificæ eſſe Deum, tum eſſentiam Dei, tum attributa eius, tum perſonas, tum actus liberos, quoad eſſe actuum. *Ratio primi*: quia 1. Ioan. dicitur: *Cùm apparuerit ſimiles ei erimus*. Et Concilium Florent. ſeſſ: vlt; in decreto Eugenij docet, *animas quibus nihil ſupereſt purgandum, intueri clarè Deum, trinum, & vnum, ſicuti eſt*; intueri autem aliquid, eſt illud habere pro obiecto. *Ratio ſecundi*: quia obiectum formale eſt id, quod primò, & per ſe ſcitur, cognoſcitur, videtur, & propter illud formaliter alia, vt patet in lumine, quod primò, & per ſe videtur; propter illud autem viſum, colores. Sed Deus à beatis ſecundùm deitatem, perſonas, & attributa, actuſq; liberos, quoad eſſe actuum, primò & per ſe videtur, quia videtur ſicuti eſt, ex 1. Ioan. 3 eſt autem non tantùm Deus, ſed etiam ſapiens, miſericors iuſtus, trinus in perſonis, & operans intellectu, voluntate, omnipotentiâ, neceſſariò, proinde formaliter. Iam verò propter Deum ſic viſum, cætera in Deo videntur. Vnde patet, quòd licet tàm deitas, quàm attributa, & perſonæ, ſint obiectum adæquatum formale viſionis beatificæ; nihilominùs tamen deitas rectè poteſt vocari formale principalius, vel radicale. Patet deinde actus liberos, quoad eſſe actuum; ideò pertinere ad obiectum formale viſionis; quia ſunt formaliter in Deo; ideò autem ſunt formaliter in Deo, quia ipſi neceſſariò inſunt; omnia verò, quæ ſunt formaliter in Deo, viſione beatificâ primò, & per ſe videntur.

Suppono *præterea*, ea quæ ſunt in Deo, quædam contineri in eo formaliter, vt eſſentiam, attributa, relationes: alia virtualiter ſolum, aut eminenter, vt creaturas. Deinde, ea quæ ſunt in Deo formaliter, quædam ſunt neceſſaria, vt attributa, & relationes; quædam libera, vt decreta voluntatis diuinæ.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Beati vidẽt omnia quæ Deo formaliter & neceſſariò inſunt.

COncluſio. Beati vident omnia, quæ Deo formaliter, & neceſſariò inſunt, vt eſſentiam, attributa, & relationes. Eſt contra Nominales, qui cenſent, à beatis non videri omnia attributa in Deo. *Probatur* ex Concilio Florentino, in literis vnionis, vbi dicitur: *Deus vnus & trinus videtur à beatis*. Et 1. Ioan. 3. dicitur: *Cùm apparuerit ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt*. Sed Deus in ſe eſt vnus, & trinus, iuſtus, ſapiens, miſericors, omnipotens &c. Ergo vt talis videtur à beatis. *Præterea*, cùm viſio beata ſit merces fidei noſtræ, per eam clarè cognoſcimus in patria, quæ nobis hîc in via obſcurè reuelantur. Sed per fidem nobis obſcurè reuelantur ea, quæ ſpectant ad diuinam naturam, attributa, & perſonas: ergo illa per ſpeciem, & claram viſionem nobis in patria, manifeſtantur. *Inſuper*, clara Dei viſio, cùm ſit quidditatiua, intuitiua, &

ua, & beatificatiua, extendit ſe ad ea quæ pertinent ad quidditatem, naturam Dei, & modum eſſendi illius, & conſequenter ad attributa, & perſonas SS. Trinitatis: ergo beati videntes clarè Deum, vident omnia, quæ ipſi formaliter, & neceſſariò inſunt. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Omnes beati vident omnes perfectiones abſolutas, & neceſſarias, formaliter in ipſo exiſtentes, quoad omnem realitatem, quam ponunt in ipſo. Ita S. Thomas 1. p. q. 12. ar. 7. & 2. 2. q. 2 ar. 8. ad 3. *Ratio*: quia eſſentia diuina cum omnibus abſolutis, quæ ſunt in Deo formaliter, ac neceſſariò, eſt à parte rei, & in ſe vnum, ſimplex, ac indiuiſibile obiectũ, & viſio ex natura ſua habet terminari ad ſuum obiectum clarè, & immediatè: ergo ſecundum naturam huius obiecti, ac viſionis, neceſſe eſt, eum, qui videt eſſentiam, videre ſimul prædicta omnia. *Cõſequẽtia manifeſta*: quia obiectũ indiuiſum, & ſimplex poſtulat non diuidi, & viſio vt clara ac immediata, poſtulat ad iſtud obiectũ terminari, ſine vlla diſtinctione: cùm non poſſit eſſe clara, & immediata viſio, per quam non apparent omnia, quæ à parte rei, & in ſeipſis ſunt omninò idem formaliter, & indiuiſa. *Antecedens etiam patet*: quia omnia illa ſunt idem realiter formaliter cum eſſentia diuina.

Beati vidẽt omnia attributa in Deo.

Corollarium II. Falſa eſt ſententia Nominalium aſſerentium, à beatis non videri omnia attributa, quæ reſpectum rationis ad creaturas important, vt omnipotentia, ſcientia, idea, ars, &c. non poſſunt quidditatiuè cognoſci, niſi creaturæ exiſtentes, & poſſibiles cognoſcantur; iam verò à beatis non videntur omnes creaturæ exiſtentes, repugnatque illos videre omnes creaturas poſſibiles: alias diuinam omnipotentiam comprehenderẽt. Ergo neq; cognoſcunt, neq; poſſunt cognoſcere omnia diuina attributa. *Præterea*, quia ideæ in mente diuina exiſtentes ſunt infinitæ, & tot, quot ſunt effectus poſſibiles, & ſic inquiunt non poſſunt attingi à lumine gloriæ illuſtrante intellectum beatorum, cùm illud ſit finitæ virtutis, & actiuitatis. *Ratio corollarij eſt*: quia *inprimis*, vt à beatis videantur illa attributa, quæ important reſpectum rationis ad creaturas, ſatis eſt, quòd cognoſcatur ratio entis creabilis in communi, neq; requiritur, quòd creaturæ in particulari, quæ ſunt obiecta ſolùm ſecundaria, & materialia dictorum attributorum, cognoſcantur. *Deinde*, licet ideæ omnes in mente diuina, nec poſſint videri à beatis, cùm non videant omnes creaturas ideatas, & ab arte diuina exemplatas; nec poſſint videre omnes creaturas poſſibiles: nihilominùs omnes vident in Deo illud attributum, ratione cuius diuina eſſentia eſt, aut eſſe poteſt exemplar omnium creaturarum poſſibilium, ac exiſtentium; iam verò ideas in particulari, videt quilibet beatus, iuxta proportionem luminis gloriæ, plures, vel pauciores creaturas in particulari, in diuina eſſentia repræſentantis.

Licet beati omnia quæ ſunt formaliter in Deo videant, nõ tamen illũ comprehẽdunt.

Corollarium III. Licet beati videant diuinam eſſentiam, attributa, relationes & omnia quæ ſunt in Deo formaliter, ac neceſſariò; tamen non illum comprehendunt. Ita Conciliũ Lateran. cap. *damnamus*, vbi dicitur: *Deus vna quadam ſumma res eſt, incomprehenſibiles, & ineffabilis.* Et S. Thomas 1. part. q. 12. ar. 7. vbi dicit: *In tantum intellectus creatus diuinam eſſentiam perfectiùs, vel minùs perfectè cognoſcit, in quantum maiori, vel minori lumine gloriæ perfunditur: cùm igitur lumen gloriæ creatum, in quocunq; intellectu creato receptum, non poſſit eſſe infinitum, impoſſibile eſt, quòd aliquis intellectus creatus, Deum infinitè cocognoſcat, vnde impoſſibile eſt, quod Deum comprehendat.* Et *ratio Corollarij eſt*: quia ad comprehenſionem alicuius obiecti, non ſufficit, quòd illud totum cognoſcatur, ſed inſuper requiritur, quòd cognoſcatur totaliter, & quantùm cognoſcibile eſt; ita vt vis cognoſcitiua intellectus adæquet obiecti cognoſcibilitatem. Sed licet Deus totus videatur à beatis; non tamen totaliter, & ſub omni modo, ac exhauriendo cognoſcibilitatem illius: ergo ab illis ſic viſus non comprehenditur. *Minor manifeſta*: quia cùm Deus ſit actus purus, & infinitè im̃aterialis, eſt infinito modo cognoſcibilis, vnde cùm virtus cognoſcitiua cuiuſlibet creaturæ, ſit finita, & limitata, à nulla creatura poteſt cognoſci, quantum cognoſcibilis eſt. *Maior etiam patet*: quia ſi aliqua propoſitio demonſtrabilis per rationem probabilem cognoſcatur, non erit aliquid eius, quod non cognoſcatur, vti ſunt ſubiectum, prædicatum, & vnio extremorum; non tamen ideò comprehenderetur: quoniam non ita cognoſceretur, ſicut cognoſcibilis eſſet, vt potè cognoſcibilis per ſcientiam, & demonſtrationem: ergo ad comprehenſionem non ſufficit, vt totum quod eſt in obiecto, cognoſcatur; verùm etiam neceſſe eſt, vt obiectum cognoſcatur totaliter, & quantum cognoſcibile eſt, non quidem denominatione extrinſeca, ſumptâ ab intellectu illud cognoſcente (alias nec culicem etiam ſupremus Angelus poſſet comprehendere, ſiquidem ille à Deo, infinita cognitione cognoſcibilis eſt) ſed cognoſcibilitate intrinſecâ, ortâ ex eius entitate, & immaterialitate. Hoc autem eſt cognoſci obiectum; quantùm ex natura ſua cognoſci poſtulat, vel cognoſcibile eſt.

Intellectus creatus etiã lumine gloriæ perfuſus, non poteſt eleuari ad cõprehenſiuã Dei cognitionẽ.

Corollarium IV. Intellectus creatus, etiamſi lumine gloriæ perfuſus videat Deum, & omnia quæ ſunt in ipſo formaliter, ac neceſſariò; non poteſt tamen etiam per abſolutam potentiam eleuari, ad comprehenſiuam Dei cognitionẽ. *Ratio*: quia cognitio Dei comprehenſiua eſt abſolutè impoſſibilis omni creaturæ, cùm virtus cognoſcitiua cuiuſlibet intellectus creati, & creabilis, non poſſit adæquare infinitam Dei cognoſcibilitatẽ, repugnetq; infundi alicui creaturæ lumen gloriæ infinitè intenſum. *Præterea*, quia inter alias rationes, quibus SS. Patres, & Eccleſiæ Doctores, oſtendunt diuinitatem Spiritus Sancti, hæc eſt non poſtrema, quòd comprehendat Deum, iux. 1. ad Corint. 2. *Spiritus ſerutatur omnia, etiam profunda Dei.* At verò iſta ratio nihil valeret, ſi poſſet aliquis intellectus creatus eleuari ad comprehendendum Deum.

Corollarium V. Etiam anima Chriſti videns Deum, & omnia quæ ſunt in ipſo formaliter, ac neceſſariò, non comprehendit Deum. Ita Concilium Baſilienſe Seſſ. 22. vbi tanquàm erronea in fine, damnata eſt iſta propoſitio, Auguſtini de Roma: *Anima Chriſti videt Deum tàm clare, & intenſe, ſicut Deus ipſe ſeipſum*; hoc autem modo videre Deum, eſt ipſum comprehendere. Idem docet Albertus Magnus in 3. diſt. 4. ar. 1. vbi dicit: *Solus Deus comprehendit ſe: ſi enim diceremus, eum concludi comprehenſione capacitatis animæ Chriſti, videtur mihi, quòd hoc redundaret in blaſpemiam deitatis Chriſti.* Deniq; S. Auguſtinus ſerm. 38. de verbis Domini, & epiſt. 112. cap. 8. & 9. dicit: *Quis ergo oculus cordis comprehendit Deum! ſufficit vt attingat, ſi purus eſt oculus: & homo ſit beatus attingendo corde illud, quod ſemper beatum manet.*

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obijci-

Obiectio prima.

OBijcitur I *Contra conclusionem, & I eius Corollarium.* In Deo sunt infinitæ perfectiones absolutæ, virtualiter inter se distinctæ: ergo à nullo beato clarè videntur. *Antecedens patet*: quia Deus secundùm sua absoluta, est imitabilis, & communicabilis infinitis modis, ac specie distinctis: atq; sic continet infinitas perfectiones absolutas, quibus infinitis modis communicabilis sit. *Consequentia verò deducitur*: quia ad videndum omnes istas perfectiones, requiritur lumen infinitum; quemadmodùm ad videndum vnam, requiritur aliquod lumen, id videndum duas, lumen duplo maius, & sic vlterius, ac consequenter ad videndum infinitas, lumen infinitè intensum.

Solutio eiusdem.

Respondetur transire iusso antecednte, negatur consequentia: sufficit enim omnes illas perfectiones, non esse actu distinctas, sed tantùm virtualiter, atq; adeò non constituere aliquem numerum, qui actu sit talis, sed tantùm in virtute, & fundamēto. Vnde *ad probationem consequentiæ dicitur*, non requiri maius lumen ad videndum duas ex his perfectionibus; quàm ad videndum vnicam, aut infinitas; verùm satis est, quòd prædictæ perfectiones, sint à perte rei vnum, & idem formaliter.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra conclusionem III.* Cōprehendere Deum, est cognoscere illum totum, & totaliter. Sed beati videntes Deum, & omnia, quæ in ipso sunt formaliter, totum illum, & totaliter cognoscunt: ergo illum comprehendunt. *Maior clara, minor verò probatur.* Quando enim dicitur, quòd comprehendere Deum, sit illum cognoscere totaliter: tunc vel *ly totaliter*, dicit modum videntis, vel modum rei visæ. *Si primum*, tunc Deus totaliter videtur, siquidem videns Deum, totâ suâ virtute, & conatu illum videt, *si secundum*, etiam hoc modo Deus totaliter videtur, quia videtur sicuti est: ergo beati videntes Deum, & omnia, quæ in ipso sunt formaliter, totum illum, & totaliter cognoscunt.

Solutio eiusdem.

Respondetur concessâ maiore, negatur minor, Ad eius probationem dicitur, ly totaliter, dicere modum obiecti cogniti, non quidem quòd totus modus obiecti non cognoscatur, sed quòd modus, quo obiectum est visibile, non sit modus cognoscentis. Vnde licet beatus videat Deum esse infinitè cognoscibilem; modus tamen cognoscendi Deum infinitè, non conuenit ipsi beato.

QVÆSTIO I.

An diuina essentia possit videri sine attributis ac relationibus, & è contra vna persona sine alia.

Origo quæstionis.

OCcasio huius quæstionis inde processit, quia licet apud Scholasticos sit indubitatum, beatos de facto videre omnia, quæ formaliter in Deo reperiuntur; non est tamen ita certum, quòd id ita sit necessarium, vt contrarium implicet contradictionem, propter quod Authores in sententias diuisi sunt.

Opinio duplex.

Prima itaque sententia docet, non implicare videri à beatis, tàm essentiam diuinam sine attributis, & personis; quàm attributa, & personas sine essentia: & insuper vnam personam sine alia. Hanc tenet Scotus cum schola.

Altera sententia docet, repugnere omninò, videri à beatis diuinam essentiam, sine attributis & personis; ac è contra, vnamque personam sine alia. Hæc est sancti Thomæ, & communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Deitas sine attributis & personis videri non potest.

COnclusio Imposibile est videri à beatis intuiuè deitatem, seu essentiam diuinam sine attributis, & personis. *Probatur conclusio primò*,

ex Scriptura Sacra, Ioan. 14. *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum.* Quæ verba S. Chrys. homil. 6. in Ioannem, S. Cyryllus lib. 9. in eundem S. Hilarius lib. 7. de Trinit. Nazianz. Orat. 49. cum alijs exponunt, de visione clarâ, ac intuitiuâ. Nam cùm Philippus postulasset, concedi sibi visionem Patris, siue corporeis oculis sub aliqua forma sensibili, siue mente sub obscuritate fidei, Christus illi respondit allatis verbis, palam ostendens, ei qui videt Christum, necessarium esse, vt videat & Patrem, eò quòd vna & eadem sit natura vtriusq; cum eis identificata, ratione cuius Pater in Filio, & Filius in Patre est, per circum incessionem, vt aiunt Theologi. Quasi Christus in hunc modum argumentaretur: Ego sum in Patre, & Pater est in me, quia sumus idem in vna numero naturâ diuinâ: ergo necessarium est, vt qui videt me, videat & Patrem. Ergo cùm sit eadem ratio de essentia diuina, collatâ cum relationibus, & è contra, manifestè sequitur, non posse à beatis videri diuinam essentiam sine personis.

Probatur II. Authoritate sancti Thomæ 22. qu. 2 ar. 8. ad 3. vbi dicit: *Summa Dei bonitas secundùm modum, quo nunc intelligitur per effectus, potest intelligi absq; Trinitate personarum, sed secundùm quod intelligitur in seipsa, prout videtur à beatis, non potest intelligi sine Trinitate personarum.* Et 3. p. q. 3. ar. 3. dicit: *Intellectus dupliciter se habet ad diuina: vno modo, vt cognoscat Deum, sicuti est, & sic impossibile est, quod circumscribatur per intellectum aliquid à Deo, & quod aliud remaneant: quia totum quod in Deo, est vnum, salua distinctione personarum. Quarum tamen vna tollitur sublatâ aliâ: quia distinguuntur solùm relationibus, quas oportet esse simul.* Et 1. p. qu. 12. ar. 7. expressè docet, Deum, quia est omninò simplex, non posse videri per essentiam, nisi videatur totus, nihilq; eius lateat videntem, Id ipsum docet S. Augustinus in Psal. 84. & 85. & tract. 70. in Ioannem, & lib. 1. de Trinit. cap. 8. his verbis: *Siue ergo audiamus, ostende nobis Patrem, tantundem valet: quia neuter sine altero potest ostendi.* Ergo impossibile est videri à beatis diuinam essentiam, sine attributis, & personis.

Probatur III. *Ratione.* Non potest videri vnum sine alio, nisi vel aliqua ex parte obiecti, vnum non sit aliud actu antecedenter ad visionem; vel quia ex parte visionis, est vis inadæquatè conceptiua vnius, proinde extrinsecè in plures formalitates diuisiua eiusdem, vt communiter docent Philosophi. Sed videri deitatem, seu essentiā, diuinam, sine attributis, aut personis, saluâ naturâ visionis, impossibile est vtroq; modo: ergo diuina essentia non potest videri à beatis, sine attributis, aut personis. *Minor quo ad 1. partem patet*: quia nulla est in deitate distinctio actualis formalis, præuia modo cognoscendi creaturæ. *Quoad secundam etiam partem facilè constat*: quia quidditatiua conditio visionis intuitiuæ est, exprimere obiectum vti est in se, proinde adæquatè. Sed videri Deitatem sine attributis, non est exprimere Deum sicuti est in seipso adæquatè, vt ex ipsis terminis liquet. Ergo videri Deitatem sine attributis, & personis, est impossibile vtroq; modo. Ex hac conclusione ducuntur corollaria.

Etiam attributa & personæ sine essentia diuina videri nō possunt.

Corollarium I. Etiam videri attributa, & personas, sine essentia diuina implicat. *Ratio*: quia essentia diuina transcendentaliter includitur in relationibus, & attributis, ad eum ferè modum, quo ratio entis includitur in suis modis, & proprietatibus: nam quod conuenit enti ratione suæ transcendentiæ,

tiæ, id conuenit Deo ratione eius infinitatis. Ergo ſicut repugnat quidditatiuè cognoſci modos, & proprietates entis, non cognita ratione entis in eis imbibitâ; ita pariter implicat quidditatiuè cognoſci perſonas, & attributa diuina, non cognitâ eſſentiâ in eis tranſcendentaliter incluſâ. *Præterea*, quia perſonæ, & attributa, in viſione beatificâ, non habent rationem obiecti motiui, & ſpeciei intelligibilis: ergo non poſſunt quidditatiuè cognoſci, illâ non cognitâ. *Conſequentia patet*: quia cognitio neceſſariò dependet à ſpecie intelligibili, ac obiecto motiuo. *Antecedens etiam probatur*: nam cùm ſpecies intelligibilis effectiuè concurrat ad intellectionem, tunc ſi attributa, & perſonæ diuinæ, haberent in viſione beatificâ, rationem ſpeciei intelligibilis, perſonæ diuinæ ratione ſuæ differentiæ relatiuæ, poſſent operari aliquid ad extra effectiuè: atque ſic operationes ad extra non eſſent indiuiſæ, & communes toti Trinitati, quod repugnat.

Corollarium II. Implicat etiam vnam perſonam Diuinam videri ſine alia. *Ratio*: quia implicat vnum relatiuum cognoſci, ſine ſuo corellatiuo, eò quòd relatiua ſint ſimul naturâ, & cognitione. Sed perſonæ diuinæ ſunt relatiuæ, ſiquidem conſtituuntur per relationes: ergo non poſſunt cognoſci, ſine ſuo correlatiuo. Hinc Pater vt generans, non poteſt cognoſci ſine filio, quem generat: ſimiliter Pater, & Filius vt ſpirantes, ſine Spiritu ſancto: & è contra.

Implicat vnam perſonam diuinam videri ſine alia.

Corollarium III. Si per impoſſibile videretur diuina eſſentia, non viſis perſonis, tunc qui illam ſic videret, ex probabili ſententia, eſſet ſimpliciter, & propriè beatus. *Ratio*: quia viſio beatifica beat, quatenus viſio, quod in ſe continet totam latitudinem boni. Sed diuina eſſentia præciſè conſiderata à perſonis, continet in ſe totam latitudinem boni: ergo viſio illius efficeret hominem propriè, & ſimpliciter beatum. Vnde ſi duo æq; viderent diuinam eſſentiam, ſcilicet æque clarè, æq; intenſè, æque penetrando eam, quoad rationem formalem eſſentiæ; & per impoſſibile, vni eorum occultaretur perſonæ; alteri autem non, ambo illi eſſent æq; beati beatitudine eſſentiali. Nam cùm Deus, vt Deus, ſit qui beat, illi æq; viderent Deum vt Deum, licet vnus videret illum eſſe trinum in perſonis, alter non. Cæterùm eiuſmodi viſio non eſſet perfectè ſatiatiua, nec perfectè quietaret intellectum beati: nam videns aliquam eſſentiam, naturaliter deſiderat videre eius proprietates, & affectiones, & modum, quo illa ſubſiſtit, & exiſtit; neq; ſatiatur intellectus, donec illa omnia cognoſcat; iam verò attributa ſunt veluti proprietates, & affectiones diuinæ naturæ, illaq; cùm ſit infinitè fæcunda, & communicabilis; ſubſiſtit in tribus perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis. Ergo ſi per impoſſibile viſio beata, ad ſolam Dei eſſentiam terminaretur, neq; ſe extenderet ad attributa & perſonas, non ſatiaret plenè intellectum beati, quoniam is poſſet adhuc alicuius attributi, aut perſonæ viſionem optare, iuxta illud Prophetæ: *oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.*

Attributa & perſonæ diuinæ pertinent ad primarium viſionis beatificæ obiectum.

Corollarium IV. Attributa, & perſonæ diuinæ, pertinēt ad primarium viſionis beatificæ obiectum. *Ratio*: quia ſunt formaliter in obiecto primario, tanquàm modi, nō ſolùm exiſtentes in eſſentia, verum etiam cum ea idem prorſus ex natura rei. Proinde habent ſe reſpectu eſſentiæ diuinæ, ſicut ſenſibile commune reſpectu ſenſibilis proprij, v. g. quantitas, & figura, reſpectu coloris: vnde ſicut repugnat oculum videre colorem ſine extenſione, & figura; ita repugnat intellectum beatum videre diuinā eſſenti-

eſſentiam, ſine perſonalitatibus, & attributis. Imò dato etiam, quòd attributa & perſonæ diuinæ, pertinerent ad obiectum ſecundarium viſionis beatificæ; adhuc tamen diuina eſſentia, quæ eſt obiectum primarium, & formale, ſine illis videri non poſſet, propter neceſſariam connexionem cum illa. Nam eſſentia diuina eſt neceſſariò connexa, cum perſonis, & attributis, in illiſque tranſcendentaliter includitur.

Corollarium V. Vt perſonæ diuinæ videantur, ſufficit, quòd ſola eſſentia diuina concurrat, ad viſionem beatificam, vice ſpeciei intelligibilis, neque neceſſarius eſt concurſus ipſarummet perſonarum. Hinc perſonæ diuinæ, ex ſolo concurſu diuinæ eſſentiæ, vident eſſentiam, & ſimul vident ſeipſas eâdem viſione. *Ratio*: quia perſonæ non tantùm ſunt idem re, & ratione formali cum eſſentia; verùm etiam ſunt in ea tanquàm in fundamento, & radice, vnde reſultant. Nam ex quidditate eſſentiæ prouenit, & quòd ſit vna in tribus perſonis, & quòd ſint in ea relationes, quibus communicetur, in eaq; virtute continentur, tanquàm in radice earum. Vnde ſicut ſufficit concurſus eſſentiæ diuinæ, vice ſpeciei intelligibilis, vt Deus non tantùm videat eſſentiam, ſed etiam in ea, atq; per eam, creaturas omnes, quæ in ea eminenter, ac virtute continentur, ita imò multò magis ſufficit, vt videat etiam relationes, quibus communicari poteſt, & reipſa communicata eſt.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra concluſionem.* Eſſentia diuina poteſt communicari, & vniri in ratione ſpeciei intelligibilis cum intellectu beato, non vnitis perſonis in ratione ſpeciei prædictæ: ergo etiam poteſt videri ſine illis. *Conſequentia manifeſta*: quia non poteſt dari viſio terminata ad aliquod obiectū, quin priùs tale obiectum vniatur in ratione ſpeciei intelligibilis: proinde ſi poteſt eſſentia diuina, vniri in ratione ſpeciei intelligibilis, nō vnitis relationibus, poteſt quoque ſine illis videri. *Antecedens verò probatur*: quia eſſentia diuina communicatur Filio per generationem, vniturque filiationi cum ſumma identitate, vt ſubſiſtat per eam; cùm tamen paternitas non communicetur eidem, nec vniatur. Ergo diuina eſſentia poteſt communicari, & vniri intellectui beato, in ratione ſpeciei intelligibilis, non vnitis, neque communicatis perſonalitatibus. *Reſpondetur diſtinguendo alteram partem antecedentis.* Non vnitis perſonis vnione immediatâ ratione ſui, *conceditur*: non vnitis vnione earum mediatâ, & ratione eſſentiæ, *negatur*. Nam eſſentia diuina habet rationem ſpeciei intelligibilis, tàm reſpectu ſui, quàm reſpectu relationum, ex eo, quòd iſtæ ſint proprietates perſonales illius. *Ad probationem antecedentis, concеſſo antecedente, negatur conſequentia. Diſparitas eſt, in primis*: quia paternitas, & filiatio, opponuntur ſibi relatiuè, proinde ſunt incompoſſibiles in ratione cōmunicabilium vni, eidemq; perſonæ, atque ideò communicatâ eſſentiâ diuinâ Filio, non communicatur ei paternitas, quia prædicta communicatio hoc poſtulat. Iam verò diuina eſſentia, & omnes eius proprietates perſonales, non ſunt incompoſſibiles in ratione ſimul viſibilium, per vnam & eandem viſionem.

Solutio eiuſdem.

Obiectio ſecunda

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.* Diuina eſſentia ab attributis, & attributa inter ſe diſtinguuntur fundamentaliter, & virtualiter: ergo poteſt diuina eſſentia videri ſi-

re

ne attributis, & vnum attributum ſine alio. *Conſequentia patet* : quia iſta virtualis diſtinctio non poteſt cognoſci, niſi vnum attributum ſine alio cognoſcatur.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur, negando conſequentiam, & eius probationem : diſtinctio enim fundamentalis non ſufficit, vt res, quæ videtur, ita videatur, vt partim videatur partim lateat : ſed tantùm per ordinem ad intellectum cognoſcentem, poteſt præbere occaſionem diuerſorum conceptuū, quibus res inadæquatè concipiatur. Ad quod meliùs intelligendum, *ſciendum eſt*, vt res ſimplex ita concipiatur, vt varij de ea conceptus formari poſſint, vtq; poſſit cognoſci ſub vna ratione, & non ſub alia id non ita oriri ex ipſa re, quaſi in illa, hæc, & illa ratio diſtincta reperiatur, cùm hoc falſum ſit, ſed oritur ex imperfectione intelllectus non valentis rem adæquatè cognoſcere, ſicut eſt in ſe ; verùm inadæquatè concipientis. Cùm ergo beati Deum non cognoſcant abſtractiuè, ſed clarè ; ideò eum cognoſcunt, vt in ſe eſt, ac proinde totam eius ſimpliciſſimam entitatem, ſine vlla diſtinctione attributorum. Et licet cognoſcant illa virtualiter diſtingui tàm ab eſſentia, quàm inter ſe ; ſimul tamen vident, eſſe quid vnum in re ipſa, ſolumq; per intellectum imperfectè concipientem poſſe diſtingui, ſeu diſtinctis cōceptibus cognoſci.

Objectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium II.* Poteſt vna perſona diuina incarnari ſine alia : ergo & videri.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur concesſo antecedente, negatur conſequentia. Diſparitas eſt, inprimis, quia viſio, naturâ, & conditione ſuâ, debet eſſe clara, diſtincta, & repræſentatiua rei, vti eſt in ſeipſa, attingens adæquatè rem, ſicut eſt in ſe ; vnio autem realis ex natura ſua, non exigit hoc, vt patet inductione factâ omnium vnionum. *Præterea*, quia vniri hypoſtaticè, eſt terminare alterius naturam ſuâ hypoſtaſi, quam quia ſingulæ perſonæ habent propriam diuinam, poſſunt ſeparatim exercere terminationem ſuis perſonalitatibus proprijs. At verò videri intuitiuè, eſt affectio communis toti Sanctiſſimæ Trinitati, proinde indiuiſibilis, ſeu indiuiſim præſtabilis, cùm Deo competat, vt vni in tribus perſonis, ſicut ergo impoſſibile eſt, ab vna perſona creari mundum ſine altera ; ita quoq; impoſſibile eſt, vnam perſonam videri intuitiuè ſine altera, ſaluâ naturâ viſionis.

QVÆSTIO III.

An beati ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, cognoſcant libera Dei decreta.

QVoniam in Deo tria ſpectari poſſunt. *In primis* eſſentia, attributa, & perſonæ, quæ formaliter ac neceſſariò ſunt in ipſo. *Deinde*, libera decreta, & conſilia : ac *tandem* creaturæ, quæ in ipſo ſunt eminenter. Ideò cum iam certum ſit ex ſupra dictis, beatos videre in Deo eſſentiam, attributa & perſonas, nihilq; horum latere eos, de ſolis liberis Dei decretis, & creaturis controuerſia eſt.

In libero Dei decreto tria ſpectari debēt.

Suppono itaque duplicem eſſe actum diuinæ voluntatis. *Vnum*, quo Deus neceſſariò vult ſeipſum, ſuamq; bonitatem, nihilque aliud eſt, niſi ipſa eſſentia diuina, per modum actus vitalis ſignificata. *Alterum*, quo Deus liberè decernit aliquid circa creaturas. In decreto igitur Dei libero, tria ſpectanda ſunt. *Primò*, eſſentia Dei per modum actionis vitalis ſignificata, quatenùs neceſſariò terminatur, ad ipſam diuinam bonitatem amandam. *Secundò*, terminatio illius eſſentiæ, ad creaturas producendas, & gubernandas. *Tertiò*, relatio rationis, quæ reſultat ex illa terminatione. Eſſentia itaq; eſt ſimpliciter neceſſaria, & neceſſariò terminatur ad increatam Dei bonita-

tem ; terminatio verò ad creaturas, eſt ſimpliciter libera : deniq; relatio rationis, partim neceſſaria, partim libera eſt. Nam poſitâ terminatione, neceſſariò reſultat ; poteſt tamen non reſultare, ſi non præceſſerit terminatio. Vnde decretum Dei circa creaturas, dicitur reale ab eſſentia Dei, per modum actus vitalis ſignificata ; liberum verò à terminatione ad creaturas, quæ terminatio liberè fit. Hinc inter decretum Dei, & noſtrum, diſcrimen hoc eſt : quia noſtrum decretum eſt liberum, quoad eſſe, ſeu exiſtere ; non autem terminari. ſiquidem eſt vera actio, quæ liberè producitur à voluntate ; non poteſt autem produci, niſi circa aliquòd obiectum à ſe diſtinctum, & ideò neceſſariò terminatur ad tale obiectum. At verò decretum Dei quoad realem exiſtentiam, eſt omninò neceſſarium ; liberè tamen terminatur ad creaturas, tanquàm ad obiecta à ſe diſtinsta.

Opinio prima.

Prima itaq; opinio negat, beatos ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, videre libera decreta Dei. Hanc tenet Durandus in 3. diſt. 14. q. 12. n. 4. & 5. & in 4. diſt. 49. qu. 3. n. 12. & aliqui Neoterici.

Altera opino affirmat, beatos ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, cognoſcere libera Dei decreta. Hanc tuetur S. Thomas 3. p. q. 10. ar. 2. in corpore, & in reſponſione ad 2. & q. 8. de veritate, ar. 4. ad 1. eſtque communis præſtantiorum Theologorum.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Beati ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, poſſū videre immediatè & in ſeipſis libera Dei decreta.

COncluſio. Beati ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, poſſunt videre immediatè, & in ſeipſis libera Dei decreta. *Dixi immediatè, & in ſeipſis*, ad denotandum, prædictos actus in particulari ſumptos, non poſſe videri à beatis in eſſentia diuina immediatè, hoc eſt tanquàm in cauſa, & in obiecto priùs cognito, ac penetrato ; ad eum modum, quo creaturæ poſſunt cognoſci in eſſentia diuina, vt in cauſa, & obiecto priùs cognito, ac penetrato ; ſed immediatè, & in ſeipſis, tanquàm aliquid prædictæ eſſentiæ, eo proportionali modo, quo attributa diuina ex vi viſionis beatæ videntur. Nam licet in hoc diſtinguantur ab actibus liberis formaliter ſumptis, quòd attingantur in eſſentia priùs quodammodò viſâ, per modum radicis virtualis illorum ; ſecùs tamen actus liberi, quâ tales ; cæterùm prædicta attributa videntur etiam in ſeipſis immediatè, tanquam aliquid Dei, ita vt ſi per impoſſibile non attingerentur in eſſentia, tanquam in radice priùs quodammodò viſâ ; viſio tamen beatifica terminaretur ad ea, eò quòd ſint aliquid Dei, in eoq; formaliter exiſtant. Hinc eſſentia diuina ſolùm concurreret ad viſionem actuum liberorum, vt vitalium per modum ſpeciei intelligibilis ; non verò ſimul tanquàm cauſa, quæ priùs penetrata, & cognita, ducat in cognitionem eorum, per modum obiecti priùs viſi, vt *quod*. Vnde certum eſt, actus liberos Dei in particulari ſumptos, & quatenùs terminantur ad creaturas futuras, nō poſſe videri in eſſentia diuina, vt in cauſa, & modo explicato, eò quòd eſſentia diuina, vt viſa, non habeat neceſſariam connexionem cum actibus liberis prædicto modo conſideratis.

In ſeipſis libera Dei decreta.

Probatur itaq; concluſio. Deus per viſionem, quâ ſeipſum intuetur, attingit decreta libera ſuæ voluntatis, tanquàm aliquid ſui : ergo etiam intellectus beatus poteſt per viſionem beatam videre eadem decreta immediatè, ac in ſeipſis, tanquàm aliquid Dei. *Antecedens*

manifestum: quia cùm prædicta decreta sint realia, realitate diuinâ, ideò sunt cognoscibilia immediatè, ac in seipsis ab ipso Deo, tanquàm aliquid eius, ac per visionē, quâ seipsum intuetur; quemadmodum etiam ob eandem rationem, attributa, & relationes, videntur hoc modo à Deo, ex vi visionis suæ essentiæ. *Consequentia etiam patet*: quia cùm visio beata sit participatio visionis, quâ Deus seipsum intuetur, potest terminari ad idipsum, ad quod visio Dei increata terminatur, dummodò ad illud non desideretur infinitas; certum autem est, quòd ad hanc visionem actuum liberorum Dei, nō desideretur in eadem visione; sicut nec ad intuitionem essentiæ, attributorum, ac relationum requiritur. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Nullus beatus de facto, aut videre potest ōnia decreta libera Dei.

Corollarium I. Nullus beatus videt de facto, aut videre potest, omnia decreta libera Dei, quatenùs ad effectus creatos in particulari terminantur. Ita S. Thomas 1. p. q. 57. ar. 5. vbi dicit: *In visione beata, Angeli cognoscunt mysteria gratiæ non quidem omnia, neq; æqualiter omnes; sed secundùm quod Deus voluerit eis reuelare.* Et *ratio est*: quia libera Dei decreta non possunt videri, nisi attingantur obiecta liberè volita, ad quæ terminantur, cùm actus Dei liber constituatur, per connotationem, aut terminationem actiuam ad creaturas, defectibilem sub ratione puræ terminationis; indefectibilem verò sub ratione entitatis, & perfectionis. Sed nullus beatus cognoscit omnia obiecta liberè à Deo volita, iuxta illud Marci 13 ℣. 32. *De die autem illo, vel horâ, nemo scit, neq; Angelus in cælo, neq; Filius, nisi Pater.* Ergo nullus beatus videt de facto, aut videre potest, omnia decreta Dei libera.

Qui libet beatus per visionem beatam videt aliqua libera Dei decreta ad suum statū pertin. etiā.

Corollarium II. Quilibet beatus ex vi visionis diuinæ essentiæ, videt in Verbo aliqua libera Dei decreta, præsertim illa, quæ pertinent ad statum proprium ipsorum. Ita Concilium Senonense, in quo habetur, *beatos videre, quidquid eorum intersit.* Et S. Bernardus 5. de considerat cap. 5. vbi de beatitudine ita scribit: *Quidni videatur ibi cor Dei? Quidni ibi probetur? quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta? Patent viscera misericordiæ, patent cogitationes pacis, diuinæ salutis, mysteria bonæ voluntatis.* Et *ratio est*: quia quilibet beatus naturaliter appetit scire ea, quæ ad suum statum pertinent. Sed beatitudo perfecta implet per seipsam appetitum naturalem, & ordinatum sciendi, quem habet beatus; alias non esset beatitudo perfecta. Ergo quilibet beatus per visionem beatam, videt aliqua libera Dei decreta, ad suum statum pertinentia.

Beati per lumen gloriæ penetrant libera Dei decreta.

Corollarium III. Beati per ipsum lumen gloriæ, quo essentia diuina manifestatur, penetrant libera Dei decretata. Ita S. Thomas supra citatus, contra quosdam Neotericos, qui putant illa non cognosci a beatis in Verbo, & per lumen gloriæ, sed extra Verbum per reuelationem diuinam. *Ratio corollarij est*: quia lumen gloriæ ob suam eminentiam, vtrumq; munus habet, & quidditatiuè cognoscendi essentiam diuinam, & manifestandi per modum reuelationis ea, quæ Deus liberè vult, & quantum, & quomodò vult beatis manifestare. Ergo ex vi vitalis luminis, beati cognoscunt in essentia diuina, libera Dei decreta. *Consequētia per se clara. Antecedens probatur.* Lumen gloriæ est eminentius lumine prophetico, comparaturq; ad ipsum, sicut lumen principiorū ad ea, quæ ex principijs deducuntur, Auctore D. Thomâ 22. q. 171. ar. 2. vbi dicit: *Principium eorum, quæ per prophetiam manifestantur, est ipse Deus, qui per essentiam non videtur*

à Prophetis, videtur autem à beatis, in quibus huiusmodi lumen inest per modum formæ permanentis. Euidenter ostendens, quòd lumen beatificum ita attingat diuinam essentiam, vt attingat principium earum veritatum, quæ videntur lumine prophetico per modum transeuntis; at verò indubitatum est, per prophetiam manifestari actus liberos Dei, & ea, quæ per decreta libera Deus vult. Ergo pariter lumen gloriæ, quatenùs eminenter continet lumen propheticum, habetq; vim reuelationis, & manifestationis eorum, quæ sunt in voluntate Dei, penetrat libera Dei decreta.

Ad hoc vt beatus cognoscat actus Dei liberos, requiritur, vt Deus illos dirigat ad eius intellectum.

Corollarium IV. Ad hoc vt beatus ex vi visionis diuinæ essentiæ, cognoscat actus Dei liberos, requiritur directio, & ordinatio Dei, quâ velit dirigere, & ordinare actum suum ad intellectum beati. *Ratio*: quia actus Dei liberi, sunt obiectum occultum: omnis enim actus liber cuiuscunq; voluntatis, ex propria natura habet esse, saltem secundùm terminationem, obiectum occultum, & improportionatum respectu cuiuscunq; intellectus, præterquàm respectu intellectus diuini, & intellectus illius creaturæ, quæ eos elicit. Vnde nisi Deus ordinet per suam voluntatem, actus suos liberos ad intellectum huius beati potiùs; quàm alterius, non poterit beatus illos modo dicto intueri, non quidem ex defectu intensionis luminis præcisè, siquidem potest dari eadem, vel maior intensio luminis in alio beato; & tamen non intueri illos; verùm ex defectu prædictæ ordinationis ad intellectum eius.

Corollarium V. Actus liberi Dei, quoad realitatem, sunt per se manifesti respectu intellectus beati, videntis Deum, sed secundùm terminationē sunt per se occulti. Vnde hæc est differentia, inter actus liberos creaturæ, & Dei, quia in creaturis, in quibus entitas actuum liberorum, & terminatio eorundem est libera, debent prædicti actus, tàm secundùm suam entitatem; quàm secundùm terminationē esse liberi, proinde per se, & modo dicto occulti. Secùs autem in Deo, in quo tales actus quoad realitatem sunt necessarij; non verò quoad terminationem, & ideò quoad realitatem sunt per se manifesti, respectu intellectus videntis Deum; secùs quoad terminationem ad aliquam creaturam in particulari. Ex quo habetur, essentiam diuinam, *vno modo*, esse speculum necessarium, quatenùs scilicet seipsum manifestans, non potest occultare attributa, & relationes: *alio* liberum, quatenùs ex suis decretis, & ex creaturis existentibus, aut ex futuris contingentibus, potest hæc, vel illa, prout libuerit, beatis manifestare.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra conclusionem.* Actus Dei liber, quatenùs talis, non minus est occult' de se; quàm actus liber creaturæ rationalis. Sed hic non potest cognosci, ex sola penetratione, ac cognitione quidditatiuâ voluntatis creatæ: ergo & actus Dei liber non potest à beatis cognosci ex vi visionis diuinæ essentiæ. *Minor patet*: nam iuxta communem Theologorum sententiā, Angelus superior comprehendens intellectum, & voluntatem inferioris; tamen ex vi istius comprehensionis, non cognoscit eius cogitationes, & actus liberos. Similiter licet Angelus comprehendat voluntatem humanam; non tamen ideò attingit, aut attingere potest, ex vi talis cognitionis, actus liberos eiusdem voluntatis.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concedendo actum Dei liberum,

liberum,non minùs occultum esse, quàm actum liberum v.g. Angeli, aut hominis; proinde, quòd non possit cognosci à beatis ex vi visionis diuinæ essentiæ absolutè; quemadmodùm neq; potest cognosci actus liber Angeli, aut hominis,ex sola penetratione, & comprehensione voluntatis Angelicæ,aut humanæ. Nihilominus sicut suppositâ ordinatione, & directione,quâ vnus Angelus cogitans, vult ordinare cognitionem suam, seu suum conceptum, & actum liberum ad alterum, quem vult alloqui, statim ipsum lumen naturale intellectus Angelici, potest cogitationes cordis alterius Angeli penetrare, vt constabit ex tractatu de Angelis. Ita quoq; suppositâ diuinâ ordinatione, quâ actus Dei liber dirigitur ad aliquem beatum, cui vult illum manifestare, lumen gloriæ quo voluntas, & substantia Dei quidditatiuè cognoscitur, attingit, & penetrat libera eius decreta, sine noua reuelatione, & sine noui luminis infusione.

Instabis. Determinatio libera diuinæ voluntatis, nihil reale addit supra actum necessarium, sed tantùm relationem rationis: ergo suppositâ ordinatione, & determinatione liberâ diuinæ voluntatis, volentis alicui beato manifestare sua decreta libera, adhuc à lumine gloriæ, quo voluntas, & substantia Dei quidditatiuè cognoscitur, attingi,& penetrari libera eius decreta poterunt. *Respondetur, concesso Antecedente, negatur consequentia*; licet enim actus liber, quo Deus amore charitatis diligit creaturas, non addat aliquid reale virtualiter distinctum ab actu necessario, quo diligit suam bonitatem. Similiter licet actus misericordiæ,nihil addat etiam virtualiter distinctum ab actu necessario, quo diligit suam bonitatem, vt est ratio subleuandi miseriam creaturarum, qui quidem est virtualiter distinctus ab actu charitatis iam dicto, & sic consequenter de alijs; tamen quilibet actus liber, vt talis, semper est aliquid reale, & diuinum, licet hoc reale, ac diuinum, non sit etiam virtualiter distinctum, à realitate alicuius ex necessarijs actibus: atq; sic non addit tanquàm aliquid constitutiuum sui, vel quid ad ipsum pertinens, aliquam relationem rationis formaliter sumptam. Cæterùm hinc non sequitur, prædictos actus non posse videri à beatis, ex vi visionis diuinæ essentiæ.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. Si beati viderent libera Dei decreta, ex vi visionis beatificæ, & luminis gloriæ, penetrantis diuinam essentiam, ac voluntatem, sequeretur eum, qui perfectiùs videret essentiam diuinam, haberetque intensius lumen gloriæ, plura etiam videre decreta libera voluntatis diuinæ. Sed consequens est contra communem Theologorum sententiam, cùm quilibet beatus videat in essentia diuina omnia, quæ pertinent ad eius statum, & qui habuit maiorem curam in Ecclesia Dei, v.g. Summus Pontifex, plura videbit decreta Dei, quàm alter, qui non habuit talem curam in Ecclesia, licet sit magis beatus, & habeat intensius lumen gloriæ. Ergo beati non vident libera Dei decreta.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando sequelam maioris: cùm enim actus Dei liberi, non videantur propter necessariam connexionem, quam habeant cum essentia diuina, sed ex speciali manifestatione Dei, dirigentis & ordinantis suum actum liberum ad intellectum vniuscuiusq; beati; ideò illorum cognitio non debet proportionari, aut commensurari visioni essentiæ diuinæ, ac intensioni luminis gloriæ. Sed prædictæ ordinationi, & manifestationi diuinæ, quæ maior est, iuxta diuersitatem status, quem quilibet beatus habuit in Ecclesia militante. Hinc fieri potest, vt minus beatus, plura inter-

interdùm decreta Dei libera videat in essentia diuina; quàm magis beatus.

QVÆSTIO IV.

An beati ex vi visionis diuinæ essentiæ videant creaturas possibiles.

Certum est in primis, beatos ex vi status beatitudinis de facto, videre aliquas creaturas in Deo, vt expressè docet Scriptura Sacra Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*; in Christo autem Iesu non sola diuinitas, verùm etiam humanitas, quæ est aliquid creatum, includitur. Idem docet Concilium Senonense in decretis fidei, vbi declarando, quomodò sancti cognoscant orationes nostras, dicit: *Hæc facilè intelliget, qui beatis peruium esse non ignorat, vniforme illud diuinitatis speculum, in quo quidquid eorum interest, clarescit.* Solùm ergo controuersia est, quonam modo beati creaturas in Deo cognoscant: an nimirùm videant eas in Verbo, & in essentia diuina, tanquàm in causa, & medio priùs cognito; an certè extra Verbum per species à Deo infusas, ipsasq; creaturas immediatè repræsentantes. Circa quod,

Dupliciter aliquid potest cognosci ex vi visionis beatificæ.

Suppono I. Dupliciter aliquid posse videri, seu cognosci ex vi visionis beatificæ. *Primò formaliter*, & sic illud dicitur in Verbo videri, quod cognoscitur eadem visione, ac eodem lumine, & specie, quâ Deus ipse videtur, ratione alicuius connexionis, quam habet cum illo. *Secundò causaliter*, quando non cognoscitur formaliter per ipsam visionem beatam, neq; per speciem increatam, sed aliâ diuersâ cognitione, per reuelationem habitâ extra Verbum, & per species infusas, quæ dantur à Deo intuitu ipsius visionis beatæ, ab eaq; deriuantur, aut regulantur. Vnde Theologi duplicem scientiam in beatis agnoscunt: *vnam beatam*, per quam cognoscunt res in Verbo, & in essentia diuinâ clarè cognitâ: *alteram infusam*, per quam vident res extra Verbum, per species à Deo inditas.

Suppono *præterea*. Tribus modis contingere posse, cognosci simul & eodem actu plura obiecta. *Primò*, quia per eandem speciem repræsentantur, licet vnum non sit ratio cognoscendi aliud. Sic Angelus vnico actu potest simul cognoscere, hominem, equum, leonem, &c. quia illæ tres naturæ, licet inter se diuersæ sint, per eandem tamen speciem illi repræsentantur. *Secundò*, propter habitudinem, quam vnum obiectum dicit ad aliud, quamuis vnum in alio non contineatur, vt in causa. Sic relatio simul cognoscitur cum termino, eò quod relatiua sint simul naturâ, & cognitione. *Tertiò*, ratione connexionis, & dependentiæ, quam vnum obiectum ab alio habet. Sic quilibet effectus cognosci potest in sua causa. Et de hoc tertio modo cognoscendi creaturas in Verbo, præsens quæstio currit. An videlicet beati cognoscant aliquas creaturas possibiles in essentia diuina, vt in causa, & medio priùs cognito, ratione dependentiæ, & connexionis, quam habent cum illa.

Opinio duplex.

Prima *itaq*; opinio negat, beatos, ex vi visionis beatificæ, videre creaturas possibiles. Hanc sequuntur plurimi ex Neotericis, quorum fundamenta in obiectionibus soluentur.

Altera opinio affirmat, quòd licet beati omnes creaturas possibiles, in Deo videre nequeant, possint tamen videre aliquas, iuxta maiorem, aut minorem perfectionem, luminis gloriæ.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Beati de facto ex vi visionis diuinæ essentiæ vident aliquas creaturas possibiles in Deo.

CONclusio. Beati de facto ex vi visionis diuinæ essentiæ, vident aliquas creaturas possibiles in Deo, vt in causa, & medio priùs cognito. *Probatur I. authoritate Sanctorum Patrum.* In primis S. Augustini, lib. 13. Confess. cap. 15. vbi loquens de beato vidente diuinam essentiam, sic habet: *Non opus habet, suspicere firmamentum, hoc cognoscitur videndo verbum tuum, videt enim faciem tuam semper, & ibi legit sine syllabis temporum, quid velit voluntas tua.* Deinde S. Bernardi lib. 2. de considerat. cap. 2. vbi dicit: *Creatura cæli non indiget scalâ creaturarum, vt ascendat in cælum, sicut creatura mundi; quid enim opus scalâ tenenti soliũ: videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum.* Ergo ex mente SS. Patrum, beati ex vi visionis diuinæ essentiæ vident aliquas creaturas possibiles in Deo, vt in causa, & medio priùs cognito. Idipsum expresse docet S. Thomas 1. p. q. 12. ar. 8.

Probatur II. *ratione.* Deus videndo suam essentiam, videt in ipsa tanquam in causa, & obiecto primario, omnes creaturas possibiles: ergo cùm visio creata, sit quædam diuinæ, & increatæ visionis, formalis participatio, poterunt quoq; beati videndo Dei essentiam, in ea tanquàm in causa, & obiecto primario, aliquas creaturas possibiles cognoscere. Dixi *aliquas,* quia ad cognoscendos omnes effectus in causa contentos, requiritur omnimoda penetratio, & comprehensio eiusdem causæ. Iam verò diuinam essentiam nullus intellectus creatus, sed solus diuinus omninò penetrat, & comprehendit.

Probatur III. Quia licet aliqua visio non penetret omninò causam, proinde neque videat omnes effectus in ea contentos; visâ tamen causâ, ex vi visionis illius, possunt videri, seu cognosci effectus, qui in illa latitant, ita vt plures aut pauciores videantur, iuxta maiorem, vel minorem perfectionem luminis non penetrantis omninò illam. Et licet visio creata non sit sufficiens ad penetrandam omninò diuinam essentiam, quæ est causa creaturarum; in ea tamen visâ, ex vi visionis illius cognoscentur plures, aut pauciores effectus, iuxta maiorem, vel minorem perfectionem luminis. Vnde tantò plures creaturæ possibiles à beatis in Verbo cognoscuntur, quantò perfectiùs Deum vident, vt docet S. Thomas 3. p. q. 10. ar. 2. *Vnusquisq; ait intellectus creatus in Verbo cognoscit non quidem omnia simpliciter, sed tantò plura, quantò perfectiùs videt Verbum.* Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Visis per impossibile omnibus creaturis possibilibus, Deus à creatura non comprehenderetur.

Corollarium I. Si per impossibile, omnes creaturæ possibiles, viderentur extra Verbum, & in seipsis; hinc tamen non sequeretur Dei comprehensio. *Ratio:* quia licet videretur totum, quod Deus posset producere, materialiter & in se; non tamen in suo principio, & causâ, & vt deriuatur à sua virtute productiuâ: atq; sic ipsa virtus productiua non videretur, licet videretur res, quæ esset terminus eius; quando autem virtus productiua non videtur, etiam non comprehenditur. Dixi *per impossibile:* quia cognitio omnium possibilium extra Verbum, & in seipsis non est possibilis: nam ad illam requirerentur infinitæ species in actu, quæ sunt impossibiles; aut saltem vna, quæ esset infinitè perfecta, & quæ totum genus entis creabilis intelligibiliter repræsentaret, quæ etiam est impossibilis.

Corollarium II. Beati in essentia diuina, vt in causa, non solùm vident creaturas possibiles,

verùm etiam existentes, & futuras, itidem non omnes, sed aliquas, iuxta proportionem luminis gloriæ, quo intellectus illorum perficitur. *Ratio:* quia licet diuina potentia absolutè sumpta per modum actus primi, non inferat existentiam, aut futuritionem creaturarũ, nihilominùs adiuncto decreto, necessariò eam infert, ac necessariò cum illis connectitur. Ergo sicut in illa nudè sumptâ, ac veluti in actu primo consideratâ, cognoscuntur creaturæ possibiles; ita in eadem vt determinatâ per decretum liberum, cognosci poterunt existentes, aut futuræ. *Præterea,* quia vt docet S. Thomas 3. p. q. 10. ar. 2. anima Christi cognoscit in Verbo omnia, quæ Deus videt per scientiam visionis, proinde omnes cogitationes, & affectiones, quas homines, & Angeli beati per totam æternitatem eliciturí sunt.

Nullâ cognitâ creaturâ possibili, non implicat quidditatiuè Deum cognosci.

Corollarium III. Non implicat tamen Deum in se quidditatiuè cognosci, nullâ cognitâ creaturâ possibili. *Ratio:* quia omnipotentia diuina multò magis est absoluta, & independens à qualibet creatura in particulari; quàm virtus aut potentia creata à suis effectibus, vel obiectis materialibus. Sed causæ, & virtutes creatæ possunt in se videri, & quidditatiuè cognosci, non visis earum effectibus in particulari, aut obiectis materialibus. Sic potẽtia visiua potest quidditatiuè cognosci, licet nullus color in particulari ab ea visus percipiatur. Ergo etiam potest Deus quidditatiuè cognosci, vt in se est, nullâ cognitâ creaturâ possibili in particulari. Et hoc expresse docet S Thomas supra citatus in responsione ad 4. his verbis: *Si solus Deus videretur, qui est fons totius esse, & veritatis, ita repleret naturale desiderium sciendi, quòd nihil aliud quæreretur, & esset beatus:* iuxta illud Augustini 5. confessionum; *Infelix homo qui scit omnia ista, te autem nescit: beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat: qui verò te, & illa nouit, non propter illa beatior est, sed propter te solum beatus.*

Corollarium IV. Non potest quidditatiuè Deus cognosci in se, non visis creaturis secundùm rationem communem entis creabilis. *Ratio:* quia vt Deus quidditatiuè cognoscatur, necessariò debet videri eius omnipotentia, scientia simplicis intelligentiæ, & eminentialis continentia creaturarum; hæc autem sine creaturis secundùm rationem communem entis creabilis, cognosci nequeunt. Similiter non potest videri in Deo ratio ideæ, & exemplaris, nisi videatur ideatũ in communi, & ipsa diuina essentia vt imitabilis, & participabilis à creaturis.

Inter creaturas possibiles, & existentes aut futuras, respectu visionis beatificæ discrimen.

Corollarium V. Inter creaturas possibiles, & existentes, aut futuras, respectu visionis beatificæ, discrimen hoc est: quia cum creaturæ possibiles habeant necessariam connexionem cum essentia diuina, ideò nullius creaturæ possibilis visio (si talis creatura possit attingi ex vi luminis, ac visionis) dependet à peculiari aliqua directione, seu manifestatione diuina, sed iuxta quantitatem luminis gloriæ, & penetrationis essentiæ diuinæ, videntur creaturæ possibiles, respondentes eiusmodi penetrationi, & lumini; creaturæ verò existentes, cùm non habeant necessariam, sed liberam cum essentia diuina connexionem, non dependent solùm à lumine, & penetratione diuinæ essentiæ, sed etiam à manifestatione consilij liberi Dei, ideoq; non attinguntur de facto, nisi manifestetur de facto illa libera connexio cum essentia diuinâ. Porrò quando dicitur, beatos videre in Deo, tanquàm in causa, dictas creaturas, nomine causæ

non ſolùm intelligitur attributum omnipotētiæ, verùm etiam omnia attributa, quæ ſuo modo ad productionem creaturarum cōcurrunt: v. g. idea repræſentando eſſentiam Dei, vt imitabilem, & participabilem à creaturis; ſapientia, & ars dirigendo, voluntas applicando, iuſtitia dando, quod cuilibet debetur, & conuenit, omnipotentia exequendo.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBiicitur I. *Contra Concluſionem.* Diuina eſſentia non refertur realiter ad creaturas: ergo illas non poteſt manifeſtare, & conſequenter neq; poteſt habere rationem medij ducentis in cognitionem earum. *Conſequentia patet*: quia cauſa non relata realiter ad effectum, non poteſt illum manifeſtare.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur, conceſſo Antecedente, negatur conſequentia; res enim abſoluta poteſt eſſe mediū, & ratio cognoſcendi alias res diſtinctas: ſi ſit cauſa earum, illaſq; virtualiter, ſeu eminenter contineat. Quia effectus non cognoſcitur in cauſa ratione relationis, cùm hæc ſit poſterior extremis; verùm ratione realis continentiæ, quâ omnis effectus in virtute ſuæ cauſæ continetur.

Inſtabis *contra ſolutionem.* Sol, & aſtra continent eminenter res ſublunares; & tamen non poſſunt eas manifeſtare perfectè, neq; habere rationem medij ducentis in cognitionem earum: ergo pariter diuina eſſentia, licet eminenter contineat creaturas, non poteſt eas perfectè repræſentare, conſequenter neq; eſſe medium, in quo illæ à beatis cognoſcantur: *Reſpondetur conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Diſparitas eſt*: quia ſol, & aſtra, continent res ſublunares, continentiâ quadam eminentiali imperfectâ, ſeq; extendente tantùm ad aliquam rationem communem, & genericam, v. g. ad rationem viuentis, aut corporis corruptibilis, quam per ſe primò attingunt in generationibus rerum ſublunarium. At verò Deus cùm ſit prima, & vniuerſaliſſima cauſa, attingens per ſe primò rationem entis producibilis in omnibus rebus creatis, continet eas continentiâ eminentiali perfectiſſimâ, ſeq; extendente non tantùm ad rationes communes, & genericas, ſed etiam ad differentias atomas, & indiuiduales, in quibus ratio entis creati tranſcendentaliter imbibitur. Et propter hanc rationem, eſſentia diuina perfectiſſimo modo poteſt manifeſtare creaturas poſſibiles, etiam ſecundùm proprias earum differentias, ſpecificas, & indiuiduales, habereq; rationem medij ad eas cognoſcendas.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. Eſſentia diuina non habet neceſſariam connexionem cum creaturis poſſibilibus: ergo non poteſt eſſe ratio videndi eas, & cōſequenter prædictæ creaturæ ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ non poſſunt videri. *Antecedens patet*: quia diuina eſſentia non dicit neceſſariam habitudinem ad poſſibilia: alias ſecundùm illam habitudinem ſpecificaretur ab illis. *Conſequentia etiam manifeſta*: quia inter rationem, ſeu medium cognoſcendi, & rem cognitam, debet eſſe neceſſaria connexio.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Eſſentia diuina non habet neceſſariam connexionem dependentiæ, ex parte vtriuſq; extremi, *conceditur*: dependentiæ ex parte creaturarum, & eminentiæ ex parte Dei, *negatur*: & ſic *negatur conſequentia. Cuius probatio diſtinguitur.* Inter medium cognoſcendi, & rem cognitam, debet eſſe neceſſaria connexio, per mutuam dependentiam vtriuſq; extremi, *negatur*: per dependentiam in vno, & eminentiā in altero, *conceditur.* Et hinc facilè ad pro-

ad probationem antecedentis patet reſponſio: quia non eſt vniuerſaliter neceſſarium, omnia, quæ ſunt neceſſariò connexa cum alijs, dicere neceſſariam habitudinem ad illa, & ſpecificari ab illis. Sic obiecta ſcientiarum, quatenùs talia, ſunt neceſſariò connexa cum ſuis ſcientijs; & tamen non dicunt habitudinem realem ad illas, ſiue prædicamentalem, ſiue tranſcendentalem. Proinde licet eſſentia & omnipotentia diuina, ſit neceſſariò cum creaturis poſſibilibus connexa; non tamen hinc ſequitur, eam dicere realiater habitudinem ad illas, aut ab illis ſpecificari, eò quòd ratione ſuæ eminentiæ, ſit omninò libera, & abſoluta ab omni reſpectu, & habitudine per ſe primò terminatâ ad creaturas.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium III.* Non poteſt Deus vt eſt in ſe, videri, niſi videatur vt finis vltimus videntis ipſum, cùm viſio beata ſit aſſecutio finis vltimi ipſius beati. Sed Deus non poteſt videri, vt finis vltimus alicuius, quin in ipſo videatur ſaltem ille, cuius eſt finis. Ergo implicat Deum in ſe quidditatiuè cognoſci, nullâ cognitâ creaturâ poſſibili in particulari.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando minorem: poteſt enim beatus videre diuinam eſſentiam ſine eo, quòd ſe in ea videat. Sic Paulus in raptu, non vidit ſe in corpore, aut extra corpus. Cuius ratio hæc eſt: quia licet viſio beata, ſit aſſecutio Dei, vt finis vltimi ipſius beati, omniumq; creaturarum; non eſt tamen omninò neceſſarium, vt per viſionem ipſam beatus cognoſcat in particulari, Deum eſſe ſui vltimum finem, verùm ſufficit ad quietandum eius appetitum, vt id extra Verbum cognoſcat diſtinctâ cognitione à viſione beata, & ipſâ viſione cognoſcat, Deum eſſe finem omnis creaturæ.

QVÆSTIO V.

De Viſione Dei.

V. Intellectus creatus naturaliter impotens videre Deum clarè, & intuitiuè; ſupernaturaliter tamen eleuabilis ad id, ideoq; poſſibilitas ſupernaturalis viſionis Dei vt eſt in ſe, nequeat ſolo lumine naturali demonſtrari, ſitq; impoſſibilis ſpecies impreſſa creata propria, mouens intellectum beati ad videndum Deum, vti eſt: cuius eſſentia vnitur intellectui beatorum per ſeipſam immediatè, in ratione ſpeciei intelligibilis: egens lumine gloriæ, quo confortetur, & eleuetur ad claram Dei viſionem eliciendam, illoque perfuſus, tanquàm habitu ab ipſo Deo ſibi infuſo, & inhærenti, ſine quo etiam de abſoluta Dei potentia, Deum vt eſt in ſe, videre non poſſet; inter viſiones beatorum, qui omnia, quæ Deo formaliter & neceſſariò inſunt, vt eſſentiam, attributa, & relationes; imò & libera Dei decreta, ac creaturas aliquas poſſibiles vident in Deo, vt in cauſa, & medio priùs cognito, habeat de facto inæqualitatem, nec ne?

CONCLUSIO I.

Nullus intellectus creatus, poteſt naturaliter videre Deum clarè, & intuitiuè.

COROLLARIA.

I. Clara tamen & intuitiua Dei cognitio, eſt poſſibilis intellectui creato de potentia obedientiali.

II. Datur in homine naturale deſiderium, ſeu capacitas videndi Deum.

III. Iſte appetitus innatus, ſolùm eſt inchoatus, remotus, & quaſi radicalis; quemadmodùm & virtus, quam ex ſe habet intellectus creatus ad videndum Deum: proinde ſolùm fertur in Deum clarè viſum implicitè,

tè, & virtualiter, secundùm rationem communem entis, ac intelligibilis; non autem formaliter, & explicitè, vt est clarè visus.

IV. *Appetitus elicitus videndi Deum, non fertur per se in Dei visionem, sed tantùm per accidens.*

V. *Neque ex appetitu innato, neq; ex appetitu elicito, potest naturaliter demonstrari, aut cognosci, possibilem esse homini claram Dei visionem.*

CONCLVSIO II.

Intellectus creatus potest supernaturaliter eleuari ad videndum intuitiuè Deum, sicut est in se.

COROLLARIA.

I. *Non potest tamen dari aliqua substantia supernaturalis completa, cui visio beatifica sit connaturalis, & à qua lumen gloriæ dimanet, velut proprietas.*

II. *Licet intellectus creatus non possit eleuari ad cognitionem omnium creaturarum possibilium; potest tamen ad claram Dei visionem.*

III. *Omnes sancti Patres cognouerunt, intellectum creatum posse supernaturaliter eleuari, ad videndum Deum per essentiam.*

IV. *Probabile est præter Christum Dominum neminem mortalium in hac vita vidisse clarè essentiam Dei.*

V. *Neque tamen oculus corporeus, neque vllus sensus tàm internus; quàm externus, potest supernaturaliter ad videndum Deum eleuari.*

CONCLVSIO III.

Possibilitas supernaturalis visionis Dei, vt est in se, non potest solo lumine naturali demonstrari.

COROLLARIA.

I. *Existentia, aut futuritio beatificæ visionis, non potest lumine naturali demonstrari.*

II. *Etiam supposita fide, & diuina reuelatione, non potest naturali ratione demonstrari possibilitas claræ visionis Dei.*

III. *Etiam impossibilitas visionis Dei, non potest euidenter ostendi.*

IV. *Intellectus creatus, vt adiutus, aut excitatus lumine fidei, potest demonstratione theologicâ ostendere possibilitatem visionis Dei per essentiam.*

V. *Intellectus creatus adiutus lumine fidei ita vt illo solùm excitetur ad vtendum principijs naturalibus; non autem reuelatis in ordine ad aliquam conclusionem colligendam, solùm potest probabiliter, & aliquibus congruentijs, possibilitatem visionis Dei per essentiam ostendere.*

CONCLVSIO IV.

Impossibilis est species impressa creata propria, mouens intellectum beati ad videndum Deum, vti est in se.

COROLLARIA.

I. *Beati defacto non vident essentiam diuinam, per speciem intelligibilem, sed per ipsam essentiam diuinam.*

II. *Non potest dari species impressa creata, quæ Deum clarè, & intuitiuè repræsentet.*

III. *Falsa est sententia quorundam Neotericorum admittentium speciem impressam ad videndum Deum, ex hoc fundamento, quia putant nullum esse inconueniens admittere, quòd species creata in esse intelligibili, & repræsentatiuo, sit eiusdem naturæ cum Deo.*

IV. *In visione beatifica non datur etiam species expressa: id est beati per visionem beatificam, nullum formant verbum, seu speciem expressam, Deum vt est in se repræsentantem.*

V. *Verbum creatum non solùm non datur in visione beata, sed etiam illud dari repugnat.*

CONCLVSIO V.

Essentia diuina vnitur intellectui beatorum, per seipsam immediatè, in ratione speciei intelligibilis.

COROLLARIA.

I. *Intellectus creatus lumine gloriæ perfusus, sine concursu diuinæ essen-*

tiæ, vt speciei intelligibilis, non est sufficienter determinatus quoad specificationem actus, in ordine ad claram Dei visionem.

II. *Essentia diuina vt vnita intellectui beatorum per modum speciei intelligibilis, actiuè influit in sui visionem.*

III. *Licet essentia diuina vt vnita intellectui per modum speciei intelligibilis concurrat actiuè ad claram Dei visionem; talis tamen concursus non est necessarius, sed liber.*

IV. *Essentia diuina vnita intellectui beatorum, habet aliquomodò rationem speciei expressæ, seu verbi.*

V. *Essentia diuina vnita intellectui beatorum, non habet propriè rationem speciei expressæ, sed tantùm communiter, & impropriè.*

CONCLVSIO VI.

Intellectus creatus indiget lumine gloriæ, quo confortetur, & eleuetur ad claram Dei visionem eliciendam.

COROLLARIA.

I. *Lumen gloriæ ita requiritur in intellectu creato ad videndum clarè Deum, vt sola essentia diuina in ratione speciei intelligibilis ipsi vnita, non sufficiat.*

II. *Lumen gloriæ requiritur in intellectu beato ad recipiendam essentiam diuinam, vt habet rationem formæ intelligibilis.*

III. *Lumen gloriæ necessariò requiritur in intellectu creato ad hoc, vt recipiat visionem Dei per essentiam.*

IV. *Lumen gloriæ non concurrit ad visionem beatificam per modum speciei impressæ, proinde non concurrit tanquàm dans virtutem requisitam ex parte obiecti.*

V. *Visio Dei vt est in se, ab intellectu perfuso lumine gloriæ, non solùm attingitur quoad rationem generalem intellectionis, verùm etiam quoad suam rationem specificam, & atomam.*

CONCLVSIO VII.

Etiam de absoluta Dei potentia intellectus creatus sine lumine gloriæ Deum videre non potest, vt est in se.

COROLLARIA.

I. *Essentia diuina non potest vniri intellectui creato, in ratione luminis gloriæ, eum confortantis, & eleuantis.*

II. *Intellectus creatus non potest reddi intrinsecè potens ad videndum Deum per solam eius assistentiam, sine lumine gloriæ.*

III. *Intellectus creatus non potest reddi intrinsecè potens ad videndum Deum, per solùm concursum simultaneum ordinis supernaturalis, sine lumine gloriæ.*

IV. *Falsa est sententia quorundam Neotericorum asserentium, in singulis rebus creatis, dari potentiam quandam obedientialem, proximè & immediatè actiuam, ac productiuam actuum supernaturalium, consequenter & visionis beatificæ in intellectu creato, solo concursu simultaneo Dei, & speciali eius assistentià adiuto.*

V. *Visio beata, simul & ab intellectu, & à lumine gloriæ habet, quòd sit vitalis, sed diuersimodè.*

CONCLVSIO VIII.

Lumen gloriæ vt est in beatis; est habitus, seu qualitas habitualis intellectui creato ab ipso Deo infusa, illiq; inhærens.

COROLLARIA.

I. *Lumen gloriæ non est potentia.*

II. *Licet lumen gloriæ vt est in beatis, sit habitus; habet tamen modum potentiæ.*

III. *Lumen gloriæ est minùs perfectum; quàm gratia sanctificans.*

IV. *Lumen gloriæ est perfectius Charitate, alijsque habitibus supernaturalibus.*

V. *Intellectus creatus lumine gloriæ perfusus, velut habitu sibi inhærente, producit efficienter visionem beatificam,*

tificam, vt vera cauſa principalis.

CONCLVSIO IX.

Datur de facto inter viſiones beatorum inæqualitas, proinde Sancti in cælo non æquali modo vident Deum, nec æqualiter ſunt beati.

COROLLARIA.

I. *Iſta inæqualitas in viſionibus beatificis, non eſt eſſentialis, & ſpecifica.*

II. *Iſta inæqualitas in viſionibus beatificis, ſolùm eſt accidentalis, nimirùm in intenſione quoad Charitatem, & in extenſione quoad pluralitatem obiectorum.*

III. *Iſta inæqualitas viſionum beatarum accidentalis, proximè prouenit ab inæqualitate luminis gloriæ; non autem à naturali intellectus creati perſpicaciâ, & actiuitate.*

IV. *Licet aliqui beati minùs perfectè videant Deum, quàm alij, non tamen deſiderant eum perfectiùs videre, ſed contenti ſunt ſuo gradu beatitudinis.*

V. *Quilibet beatus, vi ſua beatitudinis, habet naturalem appetitum intellectus, & voluntatis perfectè ſatiatum, & expletum.*

CONCLVSIO X.

Beati vident omnia, quæ Deo formaliter, & neceſſariò inſunt, vt eſſentiam, attributa, & relationes.

COROLLARIA.

I. *Omnes beati vident omnes perfectiones abſolutas, & neceſſarias, formaliter in ipſo exiſtentes, quoad omnem realitatem, quàm ponunt in ipſo.*

II. *Falſa eſt ſententia Nominalium aſſerentium, à Beatis non videri omnia attributa in Deo.*

III. *Licet beati videant Diuinam eſſentiam, attributa, relationes, & omnia, quæ ſunt in Deo formaliter, ac neceſſariò; non tamen illum comprehendunt.*

IV. *Intellectus creatus etiamſi lumine gloriæ perfuſus, videat Deum, & omnia quæ ſunt in ipſo formaliter, ac neceſſariò; non poteſt tamen etiam per abſolutam potentiam eleuari ad comprehenſiuam Dei cognitionem.*

V. *Etiam anima Chriſti videns Deum, & omnia, quæ ſunt in ipſo formaliter, ac neceſſariò, non comprehendit Deum.*

CONCLVSIO XI.

Impoſſibile eſt à beatis videri intuitiuè Deum, ſeu eſſentiam diuinam, ſine attributis, & perſonis.

COROLLARIA.

I. *Etiam videri attributa, & perſonas, ſine eſſentia diuina implicat.*

II. *Implicat quoque vnam perſonam videri diuinam ſine alia.*

III. *Si per impoſſibile videretur diuina eſſentia ſine perſonis, tunc qui eam ſic videret, ex probabili ſententia eſſet ſimpliciter, & propriè beatus.*

IV. *Attributa, & perſonæ Diuinæ pertinent ad primarium viſionis beatificæ obiectum.*

V. *Vt perſonæ diuinæ videantur, ſufficit, quòd ſola eſſentia diuina concurrat ad viſionem beatificam, vice ſpeciei intelligibilis, neque neceſſarius eſt concurſus ipſarummet perſonarum. Hinc perſonæ diuinæ, ex ſolo concurſu diuinæ eſſentiæ, vident eſſentiam, & ſimul vident ſeipſas eadem viſione.*

CONCLVSIO XII.

Beati ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, poſſunt videre immediatè, & in ſeipſis libera Dei decreta.

COROLLARIA.

I. *Nullus beatus videt de facto, aut videre poteſt omnia decreta libera Dei, quatenùs ad effectus creatos in particulari terminantur.*

II. *Quilibet beatus ex vi viſionis diuinæ, eſſentiæ, videt in Verbo aliqua libera Dei decreta, præſertim illa, quæ pertinent ad ſtatum proprium ipſorum.*

III. *Beati per ipſum lumen gloriæ, quo eſſentia*

eſſentia diuina manifeſtatur, penetrant libera Dei decreta.

IV. *Ad hoc, vt beatus ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, cognoſcat actus Dei liberos, requiritur directio, & ordinatio Dei, quâ velit dirigere, & ordinare actum ſuum ad intellectum beati.*

V. *Actus liberi Dei quoad realitatem, ſunt per ſe manifeſti reſpectu intellectus beati videntis Deum, ſed ſecundùm terminationem ſunt per ſe occulti.*

CONCLVSIO XIII.

Beati de facto ex vi viſionis diuinæ eſſentiæ, vident aliquas creaturas poſſibiles in Deo, vt in cauſa, & medio priùs cognito.

COROLLARIA.

I. *Si per impoſſibile omnes creaturæ poſſibiles viderentur extra Verbum, & in ſeipſis; hinc tamen non ſequeretur Dei comprehenſio.*

II. *Beati in eſſentia diuina vt in cauſa, non ſolùm vident creaturas poſſibiles, verùm etiam exiſtentes, & futuras itidem non omnes, ſed aliquas, iuxta proportionem luminis gloriæ, quo intellectus illorum perficitur.*

III. *Non implicat tamen Deum in ſe quidditatiuè cognoſci, nullâ cognitâ creaturâ poſſibili in particulari.*

IV. *Non poteſt quidditatiuè cognoſci Deus in ſe, non viſis creaturis ſecundùm rationem communem entis creabilis.*

V. *Inter creaturas poſſibiles, & exiſtentes, aut futuras, reſpectu viſionis beatificæ, eſt magnum diſcrimen.*

TRACTATVS III.

De ſcientia Dei.

Diuiſio tractatus.

EXpeditis ijs, quæ ad naturam, & eſſentiam diuinam pertinent, deſcendunt Theologi ad tractandum de diuinis operationibus, & ante omnia de immanentibus, inter quas primum locum tenet cognitio, ſeu ſcientia Dei, de qua S. Thomas tractat 1. p. q. 14. per 16. articulos. Facilitatis cauſa totus hic tractatus diuidetur in ſeptem diſputationes. *Prima* erit de ſcientia Dei ſecundùm ſe: *altera* de ſcientia ſimplicis intelligentiæ: *tertia* de cauſalitate diuinæ ſciẽtiæ: *quarta* de ſcientia viſionis: *quinta* de ſcientia conditionatorum, ſeu futurorum ſub conditione: *ſexta* de ſcientia media: *ſeptima* de ideis in mente diuina exiſtentibus.

DISPVTATIO I.

De ſcientia Dei ſecundùm ſe.

Circa ſcientiam Dei ſecundùm ſe, duo potiſſimùm inueſtiganda occurrunt, nimirùm exiſtentia, & diuiſio eiuſdem.

QVÆSTIO I.

An detur in Deo ſcientia.

Rem per cauſam cognoſci dupliciter contingit.

SVppono, nomine *ſcientiæ* hoc loco, intelligi cognitionem intellectiuam certam, & euidentem cuiuſlibet veritatis, ſeu cuiuſlibet rei cognoſcibilis. Cùm autem ſcientia ſit cognitio rei per cauſam, ideò dupliciter poteſt intelligi, quòd res per cauſam cognoſcatur, videlicet aut per cauſam ex parte cognoſcentis, & rei cognitæ; aut per cauſam duntaxat rei cognitæ. Porrò tunc aliquid ſcitur per cauſam ex parte cognoſcentis, quando non tantùm ſcitur vnum eſſe cauſam alterius; verùm etiam cognitio rei ſcitæ cauſatur ex alia cognitione, per quam cognoſcitur cauſa. Tũc verò aliquid ſcitur per cauſam rei cognitæ tantùm, quando ſciens ſcit vnum eſſe cauſam alterius, licet cognitio vnius non cauſetur, ex alia cognitione cauſæ. Ad rationem igitur ſcientiæ propriè, & formaliter ſumptæ, non requiritur, vt ſit cognitio rei per cauſam, tam ex parte cognoſcentis; quàm ex parte rei cognitæ, ſed ſufficit cognitio

gnitio rei per cauſam, tenentem ſe ex parte rei cognitæ. *Tum*, quia ſcire nihil aliud eſt, quàm rem per cauſam cognoſcere; ad hoc autem, vt res certò cognoſcatur per cauſã, ſatis eſt, vt ſciatur per ſuam cauſam, ſeu per cauſam ex parte eius ſolummodò ſe habentem. *Tum*, quia Angeli habent veram, & propriam ſcientiam formaliter ſumptam; & tamen non cognoſcunt rem per cauſam, tenentem ſe ex parte cognoſcentis, id eſt, ita vt cognitio effectus cauſetur ex alia cognitione cauſæ: alias intelligerent diſcurrendo, & ex vna cognitione alicuius veritatis, deueniendo in cognitionem alteri⁹, quod repugnat modo proprio cognoſcendi Angelorum, ſcilicet per ſimplicem intuitum, vt docet S. Thomas 1. p. q. 58. ar. 3. & q. 2. de verit. ar. 1. ad 4.

Errores circà ſcientiam Dei.

Licet itaq; nemini dubium ſit, dari in Deo ſcientiam, ſeu cognitionem euidentem, ac perfectiſſimam; circa modum tamen ponendi eam, varij olim fuerunt errores, vt refert S. Thomas q. 2. de verit. ar. 1. Nam *aliqui* eam Deo tribuebant, quaſi diſpoſitionem, & qualitatem additam eſſentiæ diuinæ. *Aliqui* ſolum cauſaliter eam in Deo conſtituebant, quia nimirùm illã cauſat in creaturis. *Alij demùm*, ſolùm metaphoricè ſcientiam in Deo eſſe aſſerebant, ad eum modum, quo etiam ira ſolet Deo attribui.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Datur in ſcientia certa & euidens.

CONCLUSIO. Datur in Deo ſcientia, ſeu cognitio certa, & euidens. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, Eſther. 14. *Domine qui habes omnium ſcientiam.* Iob 30. *Nonne ipſe conſiderat vias meas.* Pſal. 137. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.* Et Pſal. 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua.* Et ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* Ergo ex mente Scripturæ Sacræ, datur in Deo ſcientia certa, & euidens.

Probatur II. *ratione.* Omne agens habet aliquam intentionem, & deſiderium finis, ita vt ad prædictum deſiderium præcedat aliqua cognitio præſtituens finem, dirigenſq; in illum ea, quæ ſunt ad finem: ergo primum agens, vti eſt Deus, non poteſt non habere formaliter cognitionem finis: ac proinde cognitionem intellectiuam, quæ ſola attingit finem formaliter ſumptum, vt docet S. Thomas 1 2. q. 1. ar. 2. præſertim cum cognitio certa, & euidens, ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, nullam in ſuo conceptu inuoluens imperfectionem.

Probatur III. Deus eſt ſubſtantia ſummè immaterialis, & ab omni conſortio materiæ ſegregata: ergo perfectiſſimè ſciens, ac intelligens. *Conſequentia probatur.* Quò aliqua ſubſtantia eſt magis immaterialis, magiſq; eleuata ſupra conditiones materiæ, eò magis eſt cognoſcitiua: ergo cùm Deus ſit ſubſtantia ſummè immaterialis, ſequitur eum eſſe perfectiſſimè ſcientem, ac intelligentem. *Conſequentia manifeſta. Antecedens probatur:* tum, quia plantæ ideò non ſunt cognoſcitiuæ, ſicut animalia, quòd habeant formam magis materialem, minuſq; eleuatam ſupra conditiones materiæ, vt docet Ariſtoteles 2. de Anima, tex: 112. Hinc etiam inter ſenſus exteriores, nobiliores operationes elicit viſus, eſtq; magis cognoſcitiuus alijs ſenſibus, eò quòd ſit immaterialior: & natura Angelica inter ſubſtantias creatas, eſt perfectiori modo intelligens, quia magis eſt eleuata ſupra materiam. *Tum*, quia cùm intelligere ſit perfectiſſimus gradus vitæ, debetq; oriri ex ſumma immaterialitate, & perfectiſſima eleuatione ſupra materiã: vita enim nihil aliud eſt, niſi eleuatio formæ ſupra

ſupra materiam. Ergo quò aliqua ſubſtantia eſt magis immaterialis, magiſq; eleuata ſupra conditiones materiæ, eò magis eſt cognoſcitiua. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

In Deo eſt ſciẽtia propriè & formaliter dicta.

Corollarium I. In Deo eſt ſcientia propriè & formaliter dicta. Ita Scriptura Sacra Iob. 21. *Numquid Deum docebit quiſquam ſcientiam.* Et Eccleſiaſt. 42. *Cognouit enim Dominus omnem ſcientiam.* Et ad Coloſſen. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* Quæ loca Theologi communiter accipiunt in ſenſu proprio, & formali. *Et ratio eſt:* quia Deus perfectiſſimè cognoſcit res per ſuas cauſas, ſeu per cauſas ex parte illarum ſe tenentes: ergo in Deo eſt ſcientia propriè, & formaliter dicta, imò ſcientia perfectiſſima. *Antecedens conſtat:* quia Deus cognoſcit perfectiſſime omnes effectus creatos, cauſaſq; eorum, & quod prædictæ cauſæ, ſint cauſæ talium effectuum, quamuis omnia iſta per ſimplicem intuitum, & ſine diſcurſu attingat; id autem ſufficit ad hoc, vt perfectiſſimè ſciat per cauſas, ex parte earum ſe tenentes. *Præterea*, quia De⁹ perfectiſſimè cognoſcit omnes creaturas in ſua eſſentia, tanquàm cauſa: ergo habet perfectiſſimam ſcientiam earum. *Conſequentia eſt euidens. Antecedens etiam patet:* quia cum eſſentia diuina ſit cauſa creaturarum, & Deus perfectiſſimè penetret, ac comprehendat eam, non poteſt in ea, vt in cauſa penetratã, & comprehenſã, non cognoſcere omnes effectus creatos.

Cognitio Dei eſt propriè ſcientifica.

Corollarium II. Cognitio Dei eſt propriè ſcientifica. *Ratio:* quia cognitio certa, & euidens per cauſam, eſt cognitio ſcientifica: nam talis cognitio non eſt artis, quæ circa factibilia verſatur, modo practico, & factiuo: non eſt prudentiæ, quæ eſt circa agibilia, tradendo agendorum regulas: non eſt fidei, aut opinionis, cùm fides importet obſcuritatem, & opinio incertitudinem: non eſt intellectus principiorum: nam lumen principiorum non eſt cognitio effectus per cauſam, ſed eſt cognitio ſolius cauſæ. Ergo eſt cognitio propriè, & ſtrictè ſcientifica; talis autem eſt cognitio Dei: nam Deus perfectiſſimè cognoſcit omnes effectus per ſuas cauſas, licet cauſas, & effectus per ſimplicem intuitum, & ſine diſcurſu attingat.

Deus ſuorũ attributorum habet ſcientiam ſtrictè ſumptam.

Corollarium III. Deus habet ſcientiam propriè, & ſtrictè ſumptam ſuorum attributorũ, ac proprietatum. Ita S. Thomas q. 14. ar. 16. vbi dicit: *Deus habet de ſe ſcientiam ſpeculatiuam.* *Ratio:* quia Theologia noſtra eſt vera ſcientia, demonſtrans de Deo eius attributa, ſeu proprietates, licet nulla earum habeat propriè, & in rigore veram cauſam. Ergo & in Deo eadem ratione eſt vera, & propria ſcientia de iiſdem proprietatibus. *Conſequentia patet:* quia Theologia noſtra eſt ſcientia ſubalternata reſpectu ſcientiæ beatorum, & ſcientiæ Dei; de ratione autem ſcientiæ ſubalternatæ eſt, vt ſubalternetur alteri ſcientiæ ſubalternanti, quæ veram, & propriam rationem ſcientiæ habeat. *Antecedens verò probatur:* quia ad hoc, vt aliqua cognitio habeat veram rationem ſcientiæ, non eſt neceſſe, vt attingat rem, per veram, & propriam cauſam illius, ſed ſufficit, quod attingat eam per aliquam rationem formalem ipſius. Sic metaphyſica demonſtrat paſſiones entis de ipſo ente, non per cauſam propriè dictam, ſed per rationem formalem: cùm enim ratio entis non diſtinguatur à ratione boni, & veri; ideò non poteſt eſſe cauſa vera, & propria illorum, ſed tantùm ratio formalis. Ergo licet diuina attributa, non habeant cauſam propriè dictam ſui, ſed tantùm rationem formalem,

malem, poſſunt ſciri tàm à noſtra Theologia; quàm à Deo per ſcientiam propriè dictam.

D.⁹ habet veram ſcientiã omnium rerum creatarum & creabilium.

Corollarium IV. Deus habet ſcientiam veram, & propriam, quarumcunque veritatum creatarum; & creabilium, etiam neceſſariarum. *Ratio:* quia quæcunq; veritates creatæ, & creabiles, etiam neceſſariæ, habent cauſam veram ſuæ neceſſitatis, ac veritatis: ergo ſunt ſcibiles, proinde ſciuntur à Deo per ſuam ſcientiã: cùm enim ſcientia Dei ſit infinita intra ſuam lineam, non poteſt non terminari ad omne ſcibile. *Patetq; conſequentia ex ipſo antecedēte:* nam quælibet veritas neceſſaria, habens cauſam ſuæ neceſſitatis, eſt ſcibilis: ſicut enim ſcire nihil aliud eſt, niſi rem per cauſam cognoſcere; ita quidquid habuerit cauſam, fueritq; cognoſcibile, erit etiam ſcibile. *Antecedens verò probatur*, tum ex Ariſtotele 5. Metaph. tex. 6. & 8. Phiſycorum tex. 16. vbi contra Democritum probat, entia neceſſaria habere cauſam ſuæ neceſſitatis. *Tum*, quia hæc veritas *homo eſt animal rationale*, eſt de re omninò neceſſariâ, ac ſempiternæ veritatis, quia Deus neceſſariò, & ab æterno habet potentiã ad producendum hominem, vt docet S. Thomas 1. p. q. 44. ar. 1. ad 1. *Tum denique*, quia iſta veritas, *homo eſt animal rationale*, habet in Deo cauſam formalem, ſeu exemplarem, cùm ſit in illo idea prædictæ veritatis. Vnde ſicut iſta veritas, *homo eſt riſibilis*, licet ſit valde neceſſaria; habet tamen cauſam, per quam in ſcientia de homine demonſtratur, ſcilicet rationalitatem; ita hæc veritas, *homo eſt animal rationale*, poteſt habere aliquam cauſam ſaltem increatam, per quam poſſit ſciri à Deo: quoniam homo, & quidquid eſt in homine, maiorem habet dependentiam ab ente per eſſentiam, quàm paſſiones hominis ab eſſentia illius.

Scientia Dei de rebus creatis, non eſt accidentalis, neq; a reb.⁹ hauritur, ſed eſt attributum illius.

Corollarium V. Iſta ſcientia Dei non eſt accidentalis, neq; hauritur à rebus, quas cognoſcit, ſed eſt attributum illius. *Ratio primi*, quia ſcientia Dei, eſt ipſa ſubſtantia Dei: cùm enim nulla in Deo poſſit eſſe compoſitio, nihilq; in illo ſit, niſi ſimpliciſſima & perfectiſſima ſubſtantia, hinc ſequitur, ſcientiam, & intelligentiam Dei, non eſſe aliud, niſi ipſam Dei ſubſtantiam, iuxta illud Syneſij lib. de inſomnijs: *Deo* inquit, *ſola ad cognoſcendum natura ſatis eſt. Ratio ſecundi*, quia ipſe Deus omnia in ſe, & in natura ſua cognoſcit, vt docet S. Ambroſius cap. 1. tract: in ſymb. his verbis: *Licet omnia cæleſtia, & terreſtria, ac minima quæq; perſpiciat Deus, nihil tamen extra ſe intelligere, ſed ſingula in ſe intueri dicitur*. Et S. Dionyſius lib. de diuinis nominibus, cap. 7. dicit: *Non ex ijs quæ ſunt, ea quæ ſunt, addiſcens, nouit diuina mens; ſed ſeipſa, & in ſeipſa, ſecundùm eam ſcientiam, quæ omnium eſt cauſa, non ſecundùm exemplar intentus ſingulis, ſed ſecundùm vnicam cauſæ præſtantiam omnia cognoſcens.*

Tertia deniq; pars corollarij eſt S. Thomæ, qui in prooemio q. 14. 1. p. dicit: *Poſt conſiderationem eorum, quæ ad diuinam ſubſtantiam pertinent, reſtat conſiderandum de ijs, quæ pertinent ad operationem ipſius*. Statimq; ponit ſcientiam, palam oſtendens, eam non ſpectare ad diuinam ſubſtantiam, ſeu eſſentiam; verùm eſſe quid conſequens ad eam, per modum quaſi proprietatis, ac inter attributa ad operationem pertinentia collocari. Et *ratio eſt:* quia ex mente Theologorum, *attributum eſt ratio quædam abſoluta, neceſſaria, & formaliter exiſtens in Deo, & virtualiter ad eius eſſentiam conſequens.* Sed ſcientia Dei habet omnes iſtas conditionis: ergo eſt attributum Dei. *Maior explicatur.* Dicitur in *primis* in definitione attributi, quòd ſit *ratio abſoluta.*

luta, ad excludendas diuinas relationes, quæ non ſunt attributa. Dicitur, *neceſſariò, & formaliter exiſtens in Deo*, ad excludendos actus liberos, qui ſunt in Deo formaliter: *tum* ad excludendas perfectiones ſecundùm quid creaturarũ, quæ non ſunt in Deo formaliter, ſed ſolùm eminenter. Dicitur denique, *ad eſſentiam Dei virtualiter cõſequens*, eò quòd attributa ſint veluti proprietates diuinæ eſſentiæ, quæ eam veluti trahunt ad aliam lineam, ad eamq; conſequuntur ſaltem per rationem, cum fundamento in re, tanquàm ad cauſam virtualem, ſeu rationem à priori, ad eum ferè modum, quo vnitas, veritas, bonitas, conſequuntur rationem entis. *Minor etiam facilè deducitur quoad ſingulas partes*. In primis enim, ſcientiam eſſe quid abſolutum patet: quia eſt communis tribus perſonis SS. Trinitatis. *Deinde*, eam formaliter, & neceſſariò in Deo exſiſtere, patet ex ſupra dictis in probatione ſecunda concluſionis: quia ſcientia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; talis autem perfectio, neceſſariò & formaliter in Deo exiſtit. *Præterea*, ſcientiam virtualiter conſequi ad diuinam naturam, eamq; veluti trahere ad aliam lineam, euidens eſt: quia intelligere conſtitutiuum diuinæ naturæ, reſpicit diuinam naturam, vt eſt in ſe intelligibilis abſolutè; ſcientia verò vt eſt intelligibilis determinato modo: deinde prudentia eam reſpicit, vt eſt ſuprema regula omnium agibilium, puta omnium actuum diuinorum: ars inſuper reſpicit eandem, vt eſt ratio omnium factibilium ad extra. Ergo ſcientia Dei habet omnes conditiones in definitione attributi expreſſas.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem.* S. Dionyſius de Diuinis nomin. cap. 7. ad medium ſic loquitur de Deo: *Quomodò enim intelliget aliquid intelligibilium, non habens intellectuales operationes:* ergo cenſet in Deo non dari ſcientiam, ſeu cognitionem intellectiuam certam, ac euidentem. *Reſpondetur concеſſo antecedente, negatur conſequentia:* nam ex verbis S. Dionyſij ſolùm colligitur, non dari in Deo cognitionem per defectum, ſeu defectib⁹, & imperfectionib⁹ inuolutam; non autem cognitionem per exceſſum, ſeu excedentem omnem modum cognitionis creatæ. Ita locũ hunc ſoluit D. Thomas in 1. ſent. diſt. 35. q. 1. ar. 1. ad Annibaldum, in reſponſ: ad 1. & 1. p. q. 13. ar. 3. ad 2.

Solutio eiuſdem.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.* De ratione propriæ ſcientiæ eſt diſcurſus. Sed hic repugnat Deo: ergo & ratio propriæ ſcientiæ eidem repugnat. *Reſpondetur I. negando maiorem:* diſcurſus enim non pertinet eſſentialiter ad rationem ſcientiæ, ſed eſt imperfectio eius, atq; ſic licet diſcurſus repugnet diuinæ cognitioni; nõ tamen ſcientia propriè ſumpa, quæ optimè ſine diſcurſu poteſt ſaluari, vt docet S. Thomas q. 2. de verit. ar. 1. his verbis: *Dicitur ergo in Deo ſcientia, ratione certitudinis de rebus cognitis; non autem ratione diſcurſus, qui nec etiam in Angelis inuenitur.* Reſpondetur ſecundò, *diſtinguendo maiorem.* De ratione propriæ ſcientiæ eſt diſcurſus formalis, aut virtualis, *conceditur maior:* diſcurſus determinatè formalis, *negatur.* Similiter *diſtinguitur minor.* Sed Deo repugnat diſcurſus formalis; *conceditur minor:* virtualis, *negatur:* & ſic *negatur conſequentia.* Deo itaq; non repugnat diſcurſus virtualis: quia ſicut non repugnat perfectionibus diuinis, vt vna virtualiter ab altera cauſetur, prout patet in attributis, quæ virtualiter ab eſſentia dimanant; ita non repugnat,

Solutio eiuſdem. duplex.

quòd vna cognitio Dei ab alia virtualiter causetur, in quo consistit virtualis discursus.

Obiectio tertia. Obijcitur III. *Contra Corollarium* III. De ratione scientiæ strictè, & propriè sumptæ est, vt minùs notum per aliquid notius cognoscatur, cùm talis scientia iuxta Aristotelem debeat procedere à notioribus. Sed in Deo non est aliquid magis notum, quàm attributa, per quod illa cognoscantur: ergo Deus non habet scientiam propriè, & strictè sumptam suorum attributorum. *Minor patet*: quia Deus omnia perfectissimè cognoscit, & comprehendit. *Respondetur distinguendo maiorem*. De ratione scientiæ strictè, & propriè sumptæ est, vt minùs notū per aliquid notius cognoscatur, ex parte rei cognitæ, *conceditur maior*: ex parte cognoscentis, *negatur*. Similiter *distinctâ minore*, *negatur consequentia*: Nam licet in Deo non possit dari aliquid notius ex parte cognoscentis; potest tamen ex parte rei cognitæ, quatenus vnum est ratio cognoscendi aliud, v. g. essentia diuina potest dici notior attributis, cùm sit ratio à priori, per quam cognoscuntur. Et hæc est expressa doctrina S. Thomæ q. 2. de verit. ar. 1. ad 5.

Instantia contra responsionem. Instabis. Ergo Deus cognosceret suam essentiam, vt est causa virtualis suorum attributorū, prout inde vt distinctam virtualiter ab attributis, eò quòd sicut causa realis importat distinctionem realem a suo effectu; ita & causa virtualis importat distinctionem virtualem. Sed Deus non cognoscit taliter suam essentiam: ergo diuina essentia non potest dici notior attributis. *Minor patet*: quia si essentia diuina cognosceretur à Deo, vt virtualiter distincta ab attributis, tunc intellectus diuinus formaret entia rationis, siquidem cognosceret essentiam diuinam aliter, quàm sit in se: nam distinctio virtualis de facto non reperitur in Deo, sed illi affingitur ab intellectu humano. *Respondetur concessâ maiore, negatur minor, cum sua probatione*. Licet enim Deus cognoscat eminentiam suæ naturæ, & prioritatem virtualem, quæ reperitur inter eius essentiam, & attributa; non tamen ideò format entia rationis, cùm non cognoscat talem eminentiā, & prioritatem, vt fundantem distinctionem rationis, per ordinem ad suum intellectum, sed solùm per ordinem ad intellectum humanum. Duo itaq; importat distinctio virtualis in Deo. *Vnum de materiali*, puta eminentiam diuinæ naturæ, quæ præbet intellectui humano fundamentum, concipiendi eam vt distinctam ab attributis: & hoc à Deo cognoscitur immediatè, ac sine habitudine ad intellectum humanum. *Alterum importat de formali*, videlicet distinctionem rationis, quam intellectus humanus apprehendit, concipitq; in diuina essentia: & hoc solùm cognoscitur à Deo mediatè, ac per ordinem ad intellectum creatum, atq; sic Deus cognoscendo talem distinctionem rationis, non facit ens rationis, ad cuius formationem requiritur, vt immediatè cognoscatur; non autem mediatè, & vt cognitum, vel factum, aut factibile ab alio intellectu.

Solutio eiusdem.

Obiectio quarta. Obijcitur IV. *Contra Corollarium vltimum*. Intelligere Dei constitutiuum naturæ diuinæ, formaliter quà tale, est scientificum: ergo scientia in Deo, non est attributum virtualiter ab eius essentia distinctum. *Consequentia manifesta*: quia attributum habet se ad instar proprietatis diuinæ essentiæ, & proinde id, quod pertinet ad intrinsecum eius constitutiuum, non potest habere rationem attributi. *Antecedens verò probatur*. Intelligere Dei constitutiuum naturæ diuinæ, attingit essentiam diuinam, vt habet rationem causæ: ergo formaliter quà tale, est scientificum. *Antecedens deducitur*. Intelligere infinitum, & comprehensiuum, debet attingere essentiam diuinam omnibus modis, quibus est cognoscibilis, consequenter vt est causa creaturarum, & ratio à priori attributorum. *Maior patet*: quia ad rationem cōprehensionis requiritur, vt tota cognoscibilitas obiecti exhauriatur, vtq; illud attingatur sub quacunq; ratione, & modo quo est cognoscibile. Ergo intelligere infinitum, ac comprehensiuum, debet cognoscere essentiam diuinam omnibus modis, quibus cognoscibilis est.

Solutio eiusdem. *Respondetur negando Antecedens*. *Ad eius probationem negatur item antecedens*. *Eius probationis, distinguitur maior*. Intelligere infinitum, & comprehensiuum, debet attingere essentiam diuinam omnibus modis, qui pertinent ad rationem *qua*, *conceditur maior*: qui pertinent ad rationem *sub qua*, negatur maior: & sic concessâ minore, ac similiter distincto consequente, *negatur consequentia*. Licet enim essentia diuina cognoscatur, quatenùs est causa creaturarum, & ratio à priori attributorum, per *intelligere* constitutiuum naturæ diuinæ, & per scientificum, ac attributale: nihilominus quia per primum essentia diuina, vt causa, solùm attingitur, vt ratio *qua*; per secundùm autem vt ratio *sub qua*; ideò primum virtualiter distinguitur à secundo, sicut & scientia propter eandem rationem in Deo, distinguitur à prudentia, & arte: quia licet Deus per suam scientiam, cognoscat suam essentiam esse primam rationem agibilium, & factibilium; illa tamen ratio in scientia, solùm se habet, vt ratio *qua*; in arte verò, & prudentiâ, vt ratio *sub qua*.

QVÆSTIO II.

An scientia Dei sit vna, vel multiplex.

Origo quæstionis. QVæstio hæc inde orta est, quia scientia Dei, quatenùs terminatur ad creaturas, & obiecta materialia, multiplex à Theologis assignatur, & in varias quasi species diuiditur. *Primò* enim diuidi solet in speculatiuam, & practicam. *Speculatiua est*, quâ Deus solùm cognoscit, sed non efficit, talis est de rebus possibilibus; *practica* verò est, quæ non solùm cognoscit, sed etiam efficit suum obiectum, talem scientiam habet Deus de omnibus rebus creatis, quas se solo, vel per alias causas in aliqua differentia temporis producit.

Scientia Dei liberæ, & necessaria quid sit. Secundò, diuiditur scientia Dei in liberam, & necessariam. *Libera est*, quæ antecedit decretum, & liberam determinationem diuinæ voluntatis, solamq; attingit essentiam, & quidditatem rerum, quæ se aliter habere non potest; non verò existentiam earundem. *Necessaria est*, quæ supponit decretum, in eoq; fundatur, & versatur circa res existentes, aut futuras.

Tertiò diuiditur in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis. *Prima est*, quæ versatur circa ea, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, diciturq; simplicis *notitiæ*, seu *intelligentiæ*, vt excludatur id, quod est extra genus notitiæ, sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis, aut ordo voluntatis ad res scitas producendas, quam addit scientia approbationis. Iam verò scientia visionis est eorum, quæ sunt præsentia, præterita, & futura.

Quartò diuiditur in scientiam approbationis, & reprobationis. *Scientia approbationis*, est ipsamet scientia visionis, quatenùs versatur circa res bonas, & quatenùs supponit decretum, atq; approbationem diuinæ voluntatis. At verò *scientia reprobationis*, est eadem scientia visionis, quatenùs fertur in mala, & peccata, quæ Deus non appro-

approbat, ſed ſolùm permittit, neque ſupponit in Deo decretũ poſitiuum, ſed ſolùm permiſſiuum.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Scientia Dei eſt vna & ſimpliciſſima.

CONcluſio. Scientia Dei eſt vna, & ſimpliciſſima. *Probatur:* quia cùm ſcientia Dei ſit eius ſubſtantia, quæ eſt vnica, & ſimpliciſſima, ac in ſe omninò immutabilis, ſequitur, & ſcientiam eius eſſe omninò vnam, & ſimpliciſſimam. Et hoc expreſsè docet D. Auguſtinus lib. de ciuitate Dei cap. 10. vbi explicans, quo ſenſu in Scriptura Sacra, ſpirit⁹ diuinæ intelligentiæ dicatur multiplex, ſic habet: *Caterùm dictus eſt in ſcripturis Sanctis Spiritus ſapientiæ multiplex, eò quòd multa in ſe habeat; ſed quæ habet hæc & eſt, & ea omnia vnus eſt, neq; enim multa, ſed vna ſapientia eſt, in qua immenſi quidam ſunt, atq; infiniti rerum intelligibilium theſauri.* Et Petrus Damianus opuſc. 36. Can. 7. dicit: *Deo nec nouum penitùs aliquid accedit, nec aliquid ab eo per temporis momenta recedit; ſed nec diuerſis obtutibus diuerſa conſiderat, vt cùm intendit præteritis, vacet à præſentibus, & futuris: vel rurſus, cùm præſentia ſiue futura conſiderat, oculos à præteritis auertat, ſed vno duntaxat, ac ſimplici præſentiſſimæ maieſtatis intuitu ſimul omnia comprehendit, neq; hoc confusè, atq; inexplicatè, ſed omnia diſcernit, ac iuxta proprietatem ſuam quæq; diſtinguit.* Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Scientia Dei reſpectu creaturarum diuiditur in ſcientiam viſionis & ſimplicis intelligentiæ.

Corollarium I. Scientia Dei vna, & ſimpliciſſima, reſpectu creaturarum, diuiditur, in ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ: non quidem ita, vt hæc duo membra conſtituant duo attributa ſcientiæ, ſed quòd dicant duplicem terminationem inadæquatam diuinæ ſcientiæ. *Ratio:* quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ, dicit ſaltem inter alia diuinam ſcientiam, prout terminatur ad creaturas, quatenùs poſſibiles, ſiue ſecundùm ſuas quidditates, præſcindendo ab actuali exiſtentia abſolutè, exercitâ in aliqua differentia temporis. At verò ſcientia viſionis reſpectu creaturarum, dicit eandem ſcientiam, vt terminatur ad creaturas exiſtentes in aliqua differentia temporis.

Corollarium II. Diuiſio ſcientiæ Dei reſpectu creaturarum, in ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, eſt adæquata. Ita S. Thomas q. 2 de verit. ar. 9. ad 1. *Ratio:* quia iſta diuiſio non datur de ſcientia Dei, ex parte ſcientis, ſed ex parte ſcitorum, quatenùs alterũ habet exiſtere in ſeipſo extra cauſas; alterum verò non. Vnde cùm inter exiſtere, & non exiſtere in ſeipſo, non poſſit excogitari medium, eò quòd inter iſta duo membra, detur oppoſitio contradictoria, conſequens eſt, vt ſcientia Dei reſpectu creaturarum, adæquatè diuidatur in ſcientiam, ſimplicis intelligentiæ, & viſionis reſpectu earundem.

Corollarium III. Diuiſio ſcientiæ in ſcientiam approbationis, & reprobationis, habet fundamentum in Scriptura Sacra. *Patet:* quia Deus Pſal. 1. dicitur bona, & bonos cognoſcere: *Nouit Dominus viam iuſtorum.* Similiter Lucæ 13. Dicitur peccatores neſcire: *Diſcedite à me operarij iniquitatis, neſcio vos.*

Scientia approbationis & reprobationis, non eſt media inter ſcientiam viſionis & ſimplicis intelligentiæ.

Corollarium IV. Scientia approbationis, & reprobationis, non eſt media inter ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, ſeu mixta propriè, tum per abnegationem vtriuſq; extremi, nimirùm ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, & viſionis: tum per participationem vtriuſq;, ſeu per participationem tantùm alterutrius, atq; ſic non eſt propriè media, ſed in alterutro extremo conſiſtens. *Ratio:* quia ſcientia approbationis, & reprobationis, eſt vel illa, quæ verſatur circa non exiſtens, ſed tantùm ſubiacens decreto approbatiuo, ac reprobatiuo, ſaltem poſſibili: & vno verbo circa producibile, aut volibile, produci. Vel eſt illa, quæ verſatur circa rem producendam, & ideò volita produci, cõſequenter exiſtentem pro aliqua differentia temporis: vel certè eſt de ipſa volitione actu poſitâ: vel deniq; eſt notitia intimatiua potẽtijs executiuis practicè, aut ſpeculatiuè, electionemq; eſſe factam alicuius medij, & vſurpandum eſſe hoc medium. Sed quomodocunq; accipiatur ſcientia approbationis, & reprobationis, illa eſt de exiſtenti, vel non exiſtenti: ergo eſt vel ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vel certè viſionis, proinde neutra per abnegationem, nec vtraq; per participationem, ſed alterutraque. Non enim ita ſe habet ad ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, ſicut tepor ad calorem, & frigus: qui vtrumq; formaliter participat, neq; vt viridis color ad album, & nigrum, qui vtrumq; virtualiter participat: nec vt ſubſtantia quæcunque, quæ neutrum participat in ratione formali; ſed vt id, quod in indiuiſibili conſiſtit ex ſua ratione formali; propter tamen ſpeciem externam, ſeu comparatiuè, modo ad hoc, modo ad illud reuocatur extremum, ſicut zoophiton, ſeu plantanimal, propter lineamenta exteriora, modò ſub planta, modò ſub animali ponitur: & animal dictum Amphibion, quod ſcilicet in aqua, & in aëre aquæ viuat, modò ad aquale, modò ad volatile reuocatur.

Scientia Dei non eſt habitualis, ſed ſemper in actu.

Corollarium V. Scientia Dei non eſt habitualis, ſed ſemper in actu. *Ratio:* quia intelligere diuinum eſt eius eſſe: Deus enim eſt per ſuam eſſentiã intelligens; non verò per aliquas ſpecies intelligibiles eſſentiæ ſuperadditas. Vnde Hieremiæ 1. per *virgam vigilantem*, deſignatur. Et Eccleſiaſt. 23 Oculi Domini dicuntur multò lucidiores ſuper ſolem, qui ſemper eſt in actu lucendi.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra I. Corollarium.* In bona diuiſione, membra debent eſſe formaliter oppoſita, quorum vnum non includit aliud. Sed ſcientia ſimplicis intelligentiæ, includit ſcientiam viſionis: ergo ſcientia Dei non benè diuiditur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. *Minor patet:* quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ, fertur non ſolùm ad poſſibilia, verùm etiam ad ea, quæ exiſtunt in aliqua differentia temporis: alias ſcientia Dei naturalis, & neceſſaria, non eſſet omnium.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando minorem. Eius probatio diſtinguitur. Scientia ſimplicis intelligentiæ, fertur etiam ad ea, quæ ſunt in aliqua differentia temporis, ſumpta materialiter, *conceditur:* accepta formaliter, *negatur:* non enim fertur in illa, vt actu exiſtentia, & præſentia, ſed abſtrahendo à præſentialitate, & exiſtentiâ, ac ſecundùm rationem poſſibilis.

Inſtabis. Ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, conſtituunt in Deo diuerſa attributa ſcientiæ. *Reſpondetur, negando illatum:* cùm enim ſupra rationem ſcientiæ, non addant aliquam perfectionem, ſed tantùm reſpectum rationis ad diuerſa obiecta; ideò ſcientia viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, non conſtituunt diuerſa attributa Dei.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium II.* Deus cognoſcit aliqua obiecta, quæ non poſſunt cognoſci per ſcientiam viſionis, aut ſimplicis intelligentiæ: ergo diuiſio ſcientiæ Dei in iſta duo membra, non eſt

est adæquata. *Antecedens probatur. Tum*, quia Deus cognoscit chimæras, quas nos formamus, similiter negationes rerũ possibilium. Sed non per scientiam simplicis intelligentiæ, quia suo modo existunt: neq; per scientiam visionis, quia non habent esse extra causas, neq; coëxistunt æternitati. *Tum*, quia Deus cognoscit futura contingentia, non tantum vt sunt in seipsis, & vt præsentia in æternitate; sed etiam in suis causis determinatis: cognoscit quoq; absoluta, quæ in nulla temporis differentia habent esse, v.g. mortem Ezechiæ, & subuersionem Niniue, quas prædixit futuras. *Insuper*, cognoscit futura conditionata contingentia. & libera, quæ nunquam erunt. Sed hæc non cognoscuntur per scientiam visionis, cùm Deus non videat ea extra causas existere, neq; coëxistere suæ æternitati. Non etiam cognoscuntur per scientiam simplicis intelligentiæ, cùm hæc solùm feratur ad possibilia, sitq; naturalis, & non libera. *Respondetur negando Antecedens. Ad I. eius probationem dicitur*, chimæras, quas nos possumus fingere, cognosci à Deo scientiâ simplicis intelligentiæ, quas verò in aliquo tempore confingimus, scientiâ visionis, ad quam non requiritur vt chimæræ habeant verum esse, sed sufficit, vt habeant esse suo modo, videlicet esse fictum in aliqua temporis differentia. Idem censendum est de negationibus, & priuationibus: nam si in aliqua temporis differentiâ existunt existentiâ sibi proportionatâ, id est, obiectiuâ, aut fundamentali, cognoscũtur à Deo scientiâ visionis, si verò suo modo non existant, sed tantùm possint existere, cognoscũtur scientiâ simplicis intelligentiæ. *Ad secundam probationem dicitur*, entitatem futurorum tàm absolutorũ; quàm conditionatorum, cognosci à Deo scientiâ simplicis intelligentiæ: nam hac ab illo cognoscuntur omnia, quæ non existunt in aliqua temporis differentia, neq; coëxistunt æternitati, siue illa sint solùm possibilia, siue etiam futura. Quemadmodùm enim à nobis tàm possibilia; quàm futura cognoscuntur notitiâ abstractiuâ; ita etiam à Deo cognoscũtur scientiâ simplicis intelligentiæ. Vnde sicut in Deo datur scientia visionis naturalis, vti est, quam habet de seipso; & libera, cuiusmodi est, quam habet de creaturis existentibus; ita pariter in eodem datur scientia simplicis intelligentiæ, naturalis, qualis est, quam habet de possibilibus; & libera, qualis est, quam habet de prædictis futuris. Quando igitur Doctores scientiam simplicis intelligentiæ, vocant naturalem, loquuntur de ea respectu possibilium.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO III.

Quodnam sit obiectum diuinæ intellectionis.

QVæstio præsens procedit de obiecto primario diuinæ intellectionis; non autem de secundariò, vti sunt creaturæ, cùm certum sit, Deum cognoscere omnes alias res à se distinctas, non solùm vniuersim, & in genere; verùm etiam sigillatim, & in particulari, vt expressè docet Scriptura Sacra Iob 28. *Ipse fines mũdi intuetur, & omnia quæ in cælo sunt, respicit* Et Psal. 49. *Meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues. Cognoui omnia volatilia cæli*. Deinde Scriptura Sacra testatur, Deum distinctè cognoscere actiones, verba, cogitationes vniuscuiusque. Psal. 138. *Domine probasti me, & cognouisti me &c. intellexisti cogitationes meas de longè*. Et Iob 31. *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat*. Et Hebr. 4. *Pertingens vsq; ad diuisionem animæ, ac spiritus*

spiritus &c & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Patetque hæc veritas manifestè ex eo, quia nihil est omninò in rebus creatis, ad cuius productionem, & conseruationem, vt causa prima concurrere non debeat; vnde sequitur nihil omninò esse, quod Deus non cognoscat. Nam vt docet S. Augustinus lib. 5. de Genesi ad literam, cap. 15. sufficere debet, vt quisq; nouerit, vel inconcusè credat, quòd Deus hæc omnia fecerit: non enim opinor, eum esse tam excordem, vt Deum, quæ non nouerat, fecisse arbitretur.

Certum est *præterea*, Deum res omnes cognoscere, non solùm quando sunt actu existentes, sed etiam antequàm existant vt habetur Daniel. 12. *Deus æterne, qui nosti omnia, antequàm fiant*. Et Eccl. 42. *Cognouit Dominus omnem scientiam, & inspexit in sinum æui, annuntians quæ præterierunt, & quæ superuentura sunt*. Hinc S. August. lib. 5. de ciuit. cap. 9 pulchrè cõcludit: confiteri esse Deũ, & nescire præscientiam futurorum apertissima insania est. Tota ergo controuersia in præsenti est, an Deus sit obiectum primarium suæ intellectionis, & sub qua ratione hoc illi competat.

Prima itaq; opinio affirmat, obiectum per se primarium, & specificatiuum intellectionis essentialis Dei, esse diuinam essentiam, vt complectitur omnem rationẽ, quæ formaliter est in Deo, siue illa sit ipsa essentia, vt distincta ab attributis, & relationibus; siue quæuis alia ratio absoluta, aut relatiua. Hanc tenet Gonzalez de scientia Dei, disp. 35. n. 4.

Altera opinio docet, obiectum primarium, & specificatiuum intellectionis diuinæ essentialis, seu constitutiuæ Dei, esse solam diuinam essentiam, vt distinctam ab attributis, & relationibus. Hæc est S. Thomæ I contra Gent. cap. 49. & communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

COnclusio. Obiectum primarium, & specificatiuum diuinæ intellectionis, est ipsemet Deus. *Probatur I. authoritate S. Thomæ.* q. 2. de verit. ar. 2. & I. sent. dist. 35. q I. ar. 2. ad Anibaldum, & I. contra Gent. cap. 48. vbi dicit: *Ex præmissis autem apparet, quòd Deus I. & per se solùm seipsum cognoscit*, Cuius statim rationem reddit his verbis: *Operatio intellectualis speciem, & nobilitatem habet secundùm id, quod est per se, & primò intellectum, cùm hoc sit eius obiectum: si igitur Deus aliud à se intelligeret, quasi per se, & primò intellectum, eius operatio intellectualis speciem, & nobilitatem haberet, secundùm id, quod est aliud ab ipso: hoc autem est impossibile; cùm sua operatio sit eius essentia, & hæc, quippè ens à se, nequeat ab alio distincto ab ipso Deo speciem capere, sic igitur impossibile est, quod intellectum à Deo primò, & per se sit aliud ab ipso*. Ergo ex mente S. Thomæ, obiectum primarium, & specificatiuum diuinæ intellectionis, est ipsemet Deus.

Obiectum primarium & specificatiuum diuinæ intellectionis, est ipsemet Deus.

Probatur II. *ratione*. Obiectum primarium diuinæ intellectionis, vel est Deus ipse, vel creaturæ, vel aliquid abstrahens ab vtroque sed non duo posteriora: ergo primum. *Minor patet*: quia obiectum per se primum, ac connaturale alicuius virtutis cognoscitiuæ, quale debet esse obiectum per se primum diuinæ intellectionis, cum ea collatũ, nec non & talis virtus, debent conuenire in eodem gradu immaterialitatis. Sed neq; creaturæ, neq; aliquid abstrahens à Deo, & creaturis conuenit cum diuino intellectu in gradu immaterialitatis, quoniam solus Deus est actus purus sine omni potentialitate, sicut intellectus diuinus: ergo neq; creaturæ, neq; aliquid abstrahens à Deo, & creatu-

creaturis, potest esse obiectum primarium diuinæ intellectionis. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Deus se per suam essentiam perfectissimè intelligit, & cognoscit. Ita Scriptura Sacra 1. ad Corint. 2. *Quæ sunt Dei, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei, qui in ipso est.* Et ratio id ipsum suadet: si enim Deus aliquid intelligit, & cognoscit, certè nullum excellentius, neq; dignius potest habere obiectum intelligentiæ, ac cognitionis suæ, quam seipsum, vt per se patet.

Deus se per suam essentiam perfectissimè & comprehensiue intelligit.

Corollarium II. Deus non tantum perfectissimè intelligit seipsum, sed etiam comprehendit. Ita Scriptura Sacra loco proximè citato, vbi dicitur, quod *spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* *Et ratio est*: quia Deus tàm perfectè cognoscit seipsum, sicut est in se cognoscibilis: tanta enim est virtus Dei in cognoscendo, quanta est eius actualitas in existendo, vnde sequitur, quod se comprehendat, cùm rem aliquam comprehendere nihil sit aliud; quàm illam ita perfectè cognoscere, sicut cognoscibilis est.

Corollarium III. Deitas, & omnia necessariò ac formaliter in existentia ipsi, sciuntur à Deo scientiâ visionis, idq; naturali, & necessariâ. Est sententia communis. *Ratio*: quia prædicta omnia supponuntur cognosci secundùm existentiam actualem, & ante omne decretum Dei actu positum: ergo non nisi scientia visionis, & quidem naturali, ac necessaria sciuntur.

Corollarium IV. Eadem omnia secundum essentias suas præcisè cognita, cognoscuntur à Deo scientia simplicis intelligentiæ, idq; speculatiuâ. *Ratio primi*: quia scientiæ simplicis intelligentiæ officium est, cognoscere præcisè, aut secundùm possibilitatem, aut secundùm essentiam, aut secundùm conuenientiam, seu dùmodò non secundùm existentiam actualem.

Ratio verò secundi est: quia prædicta omnia non sunt operabilia, vt potè in existendo necessaria, & præueniencia in Deo vsum omnem libertatis, vt constat ex natura eorum.

Corollarium V. Obiectum per se primum, & specificatiuum intellectionis essentialis, seu constitutiuæ Dei, est sola diuina essentia, vt distincta ab attributis, & relationibus. Ita S. Thomas 1. contra Gentes. cap. 48. *Ratio prima*: quia intelligere constitutiuum Dei, debet identificare sibi, sine aliqua distinctione virtuali, tàm intelligentem, quàm ipsum obiectum per se primò intellectum, & specificans intellectionem, vt docet S. Thomas loco citato, his verbis: *Cùm igitur Deus nihil potentialitatis habeat, sed sit actus purus, oportet, quòd in eo intellectum, & intellectus, sint idem omnibus modis.* Sed sola essentia diuina vt distincta ab attributis, & relationibus, identificatur hoc modo, cum intelligere cōstitutiuo Dei, seu cum intellectu diuino: ergo sola essentia diuina est obiectū per se primum, ac specificatiuum eiusdem intellectionis. *Ratio secunda*, quia illud est obiectum per se primum, & specificatiuum alicuius intellectus, seu intellectionis, omninò identificatæ cum intellectu, & naturâ intelligente, quod attingitur per se, & ratione sui; cætera autem non nisi ratione illius. Sed sola essentia diuina vt distincta ab attributis, & relationibus, attingitur per se, & ratione sui: ergo sola est obiectum per se primum diuini intellectus, & intellectionis cum eo, & cum natura diuina omninò identificatæ. *Maior* ab omnibus admittitur. *Minor etiam patet*: quia essentia diuina per se, & ratione sui, est primum ens, & primum intelligibile; cætera verò non attinguntur, nisi ratione essen-

Obiectum per se primū & specificatiuum intellectionis essentialis, est sola diuina essentia vt distincta ab attributis & relationibus.

essentiæ. Vnde sicut essentia diuina est prima radix entitatis eorum; ita quoq; est prima radix intelligibilitatis ipsorum: & sicut non sunt entia diuina, nisi quatenus (vt sic loquar) participant essentiam diuinam; ita non sunt intelligibilia formaliter, nisi vt participant intelligibilitatem diuinæ essentiæ.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Intellectio Dei est ipse Deus: ergo non potest habere pro obiecto primario ipsum Deum. *Consequentia patet*: quia aliàs intellectio diuina haberet seipsam pro obiecto primario, atq; sic esset intellectio reflexa, puta intellectio intellectionis. *Respondetur concesso Antecedente, negatur consequentia. Ad cuius probationem dicitur*, quod licet intellectio constitutiua Dei, non possit esse intellectio formaliter solùm reflexa supra seipsam, cum ad hoc requiratur saltem virtualis distinctio, inter ipsam, vt intellectionem, & obiectum intellectum; potest tamen eminentissimo modo esse directa simul, & reflexa respectu sui. Nam hoc ipso, quòd sit constitutiua diuinæ naturæ intra lineam intellectualem, non potest non identificare sibi, sine aliqua distinctione virtuali, quidquid pertinet ad prædictam lineam, puta rationem intellectionis, speciei intelligibilis, & obiecti per se primò, ac directè intellecti: & sic eo ipso habebit eminentissimo modo reflecti supra seipsam, esseq; simul directam, & reflexam. Reflexam quidem, vt dictum est; directam verò, quia vt terminatur ad seipsam, non habet aliud obiectum, à quo sumat speciem, sed ipsamet est intellectio, species intelligibilis, & obiectum vltimatum per se primum respectu sui.

Solutio eiusdem.

Obijcitur II. Primum intelligibile alicuius intellectus, non potest esse prima intellectio illius. Sed Deus est ipsa prima intellectio sui intellectus, ita vt non distinguatur virtualiter ab ea: ergo non potest esse primum intelligibile. *Maior probatur ex D. Thoma, 1. 2 q. 1. ar. 1* vbi docet, *primum volibile alicuius voluntatis, non posse esse primam volitionem eius, cùm volitio essentialiter supponat bonum volendum ab ipsa volitione distinctum. Sicut eodem modo primum intelligibile alicuius intellectus, non potest esse ipsa prima intellectio eius*: quia intellectio necessariò supponit verum intelligibile, tanquam obiectū cognoscendum, ab ipsa intellectione distinctum. *Respondetur concedendo maiorem*, si intelligatur in creatis; in diuinis autem *negando. Ad eius probationem dicitur*, S. Thomam loqui de primo volibili, & intelligibili, in creatis; non verò in diuinis, vbi saltem ipsum *intelligere*, est obiectum primarium diuinæ intellectionis. *Ratio autem huius discriminis est*: quia in creaturis intellectio est aliquid causatum ab ipso obiecto, vna cum intellectu; & ideò non potest esse obiectum primarium respectu sui, ne idem effectus sit verè & realiter causatus à seipso. Iam autem in Deo intellectio constitutiua illius, non est aliquid causatum ab obiecto, sed hoc ipso, quod sit constitutiua Dei, debet esse ipsissimum obiectum per se primò intellectum ab ipso Deo.

Obiectio secunda.

Solutio eiusdem.

Obijcitur III. *Contra Corollarium V.* Intellectio summè perfecta, vti est cognitio essentialis Dei, debet habere pro obiecto per se primo, & specificante, ens summè, & omnibus modis perfectissimum: ergo debet habere essentiam diuinam, prout complectitur omnem rationem formalem, siue absolutam, siue relatiuam, quæ est in Deo, non autem prout præcisè dicit

Obiectio tertia.

dicit essentiam, vt distinctam ab attributis, & relationibus. *Antecedens manifestum*: quia cùm perfectio cognitionis desumatur ex suo obiecto, necesse est, vt intellectio summè perfecta, habeat pro obiecto specificante ens summè, ac proinde omnib9 modis perfectissimũ. *Consequentia etiam patet*: quia sola essentia diuina, prout complectitur tam essentiam; quàm attributa, & relationes, est ens summè, & omnibus modis perfectissimum.

Solutio eiusdem prima.

Respondetur I. Intellectio summè perfecta &c. debet habere pro obiecto, ens summè, & omnibus modis perfectissimum, quod cum dicta intellectione summè perfecta, possit identificari sine aliqua distinctione virtuali, *conceditur antecedens*: ens summè & omnibus modis perfectissimum, quod cum dicta intellectione non potest identificari, sine tali distinctione, *negatur antecedens*. Nam ad intellectionem summè perfectam, vti est intellectio prima & essentialis Dei, requiritur obiectum, quod ita habeat omnes perfectiones, & modos earum, vt sit identificabile cum eadem intellectione modo explicato. Cùm ergo hoc tantùm possit conuenire illi formalitati diuinæ, quæ ex se est omnium nobilissima, & quæ eminenter, ac per modum primæ radicis continet omnes perfectiones diuinas, omnesq; modos eas habendi, vti est essentia diuina; ideò ipsa sola est ens, summè, & omnibus modis perfectissimum, prout ad rationem obiecti intellectionis requiritur.

Solutio eiusdem secunda.

Respondetur II. *Distinguendo alio modo idem antecedens*, debet habere pro obiecto, ens summè, & omnibus modis perfectissimum, quod ex se, & ex proprijs meritis præcisè, habeat conuenientiam in gradu immaterialitatis, cum intellectione constitutiua Dei, *conceditur antecedens*: ens summè, & omnibus modis perfectissimum, quod ex se, & ex proprijs meritis, id non habeat, *negatur antecedens*. Sola autem diuina essentia vt distincta ab attributis, est hoc modo omnibus modis perfectissima, eò quòd ipsa solummodò sit suum esse; cætera vero non nisi ratione ipsius, & vt eam includunt. Sic v. g. misericordia diuina, aut iustitia, licet secundùm id, quod a se est, & à propria linea habent, pertineant ad ordinem diuinum, quia ex se sunt capacia imbibendi, secundùm proprium vniuscuiusq; modum, essentiam diuinam, vt habet rationem transcendentis, & identificandi se realiter cum illa, vt habet rationem essentiæ, ac naturæ; non tamen ex vi propriæ lineæ, præcisè sumptæ conueniunt cum intellectu Dei in gradu immaterialitatis, quamuis absolutè, & simpliciter habeant conuenientiam cum illo: proinde conuenientiam talem, scilicet in gradu immaterialitatis, habent ratione essentiæ inclusæ. Similiter licet relationes diuinæ, vt tales, pertineant ad ordinem diuinum; non tamen ratione sui dicunt bonitatem, & perfectionem; propter quod non sunt obiectum formale voluntatis diuinæ, sed ratione essentiæ, quam includunt Vnde ex eo, quod sint in Deo, spectantq; ad ordinem diuinum, sunt proximè capaces inclusionis essentiæ, & totius bonitatis, ac perfectionis, quam ipsa habet: atq; sic ratione eiusdem essentiæ, sunt formaliter bonæ, & perfectæ, pertinentque formaliter ad obiectum diuinæ voluntatis, tanquam quid includens obiectum formale ipsius.

DISPVTATIO II.

De Scientia simplicis intelligentiæ.

EXplicatâ scientiâ Dei, absolutè, & secundùm se consideratâ, descendimus ad eandem explicandam, per ordinē ad creaturas, quæ

sunt illis obiecta materialia, & secundaria, incipiendo à possibilibus, quorum scientia solet appellari, scientia simplicis intelligentiæ.

QVÆSTIO I.

An Deus cognoscat creaturas possibiles in sua essentia, vt in causa

Possibile duplex est.

SUppono, *possibile* duplex esse, scilicet purum, & impurum. *Purum est*, quod ad statum possibilitatis pertinet, seu quod nullo decreto Dei exutum est statu possibilitatis, & indutum statu actualitatis, pro aliqua, vel nullâ differentiâ temporis, qualia possibilia erant, omnes creaturæ in primo signo rationis ab æterno, antequàm quidquam Deus de illis decreuisset. *Impurum est*, quod decreto Dei volitiuo, aut nolitiuo, applicatum est aut existentiæ pro aliqua differentia temporis, præsentis, præteriti, & futuri: aut non existentiæ pro omni differentiâ temporis, retentâ ratione possibilitatis, seu intrinsecâ non implicantiâ terminorum, quoad esse, & existere, quamuis statum possibilitatis amiserit. Controuersia igitur in præsenti est de modo, quo Deus cognoscit creaturas in seipsis: an nimirùm cognoscat eas immediatè, & independenter ab essentia diuina, priùs cognitâ; an certè solùm mediatè, & in essentiâ diuinâ, vt in causa, ac medio priùs cognito.

Medium ducens in cognitionē alterius duplex est.

Porrò duplex medium ducens in cognitionem alterius, solet à Philosophis distingui, *vnum*, vt *quo*, & hoc vocatur medium incognitum cuiusmodi est species impressa, quæ non cognoscitur vt *quod*, sed tantùm est ratio cognoscendi obiectũ, quod repræsentat. *Alterum, vt quod*, & hoc vocatur medium cognitum, vti est speculum v. g. quod priùs debet videri, quàm in eo videantur obiecta, quæ repræsentat.

Opinio Duplex.

Prima itaq; opinio negat, Deum cognoscere creaturas possibiles in seipso, seu in sua essentiâ, vt in causa prima, & medio priùs cognito, sed vult eas cognosci à Deo immediatè in seipsis. Hanc tenent non pauci ex recentioribus.

Altera opinio vniuersaliter affirmat, Deum in seipso, tanquam in obiecto primario priùs cognito, cognoscere creaturas possibiles, & hæc est communis Theologorum cum S. Thoma.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Deus cognoscit creaturas possibiles in sua essentia, vt in causa.

COnclusio. Deus cognoscit creaturas possibiles, in sua essentia, vt in causa. *Probatur authoritate SS. Patrum*, in primis S. Dionysij cap. 7. de diuin. nomin. vbi verba ista habet: *Neq; autem ea, quæ sunt, ex his quæ sunt, discens noscit diuina mens, sed ex se, & in se, per causam rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamq; anticipatam, & ante comprehensam habet, non quòd per speciem singula consideret, sed quòd vno causæ complexu omnia sciat.* Et paulò inferiùs addit: *seipsam ergo cognoscens diuina sapientia, nouit omnia.* Deinde S. Augustini lib. 4. de Genesi ad lit cap. 23. & 24. vbi duplicem creaturarum cognitionem in mente Angelorum distinguit, *vnam*, earum in Verbo, quam vocat *matutinam* asserens in Verbo, tanquam per illud, per quod omnia facta sunt, cognosci creaturas; taliter autem eas cognosci in Verbo, est eas cognosci vt in causa. *Alteram* creaturarum, in propria ipsarum naturâ, quam appellat *vespertinam*. Si ergo ex mente SS. Patrum Angeli beati cognoscunt creaturas in Deo, tanquam in causa, certè cùm Deus perfectiùs quàm Angeli seipsum vt causam creaturarum cognoscat, cognoscit quoq; creaturas in se, vt in causa.

Probatur II. Authoritate ſancti Thomæ 1. contra Gent. cap. 49 vbi dicit : *Effectûs cognitio ſufficienter habetur per cognitionem ſuæ cauſæ, vnde ſcire dicimur vnumquodque, cùm eius cauſam cognoſcimus ; ipſe autem Deus eſt per ſuam eſſentiam cauſa eſſendi alijs : cùm igitur ſuam eſſentiam pleniſſimè cognoſcat, oportet ponere, quòd etiam alia cognoſcat.* Et mox poſtea concludit, *Deum cognoſcere ſeipſum, quaſi primò, & per ſe notum, alia verò ſicut in eſſentia ſua viſâ.* Et 1. p. q. 14. ar. 6. dicit : *Si igitur eſſentia Dei habeat in ſe, quidquid perfectionis habet eſſentia cuiuſcunq; rei alterius, & adhuc amplius, Deus in ſeipſo poteſt omnia propria cognitione cognoſcere.* Sed eſſentia diuina omnium rerum perfectiones in ſe habet, cùm ſit prima cauſa effectiua rerum : ergo Deus in eſſentia ſua, vt in cauſa, omnia cognoſcit propriâ cognitione.

Probatur III. *Ratione.* Deus perfectè, & comprehenſiuè cognoſcit ſuam eſſentiam, & virtutem, vt eſt prima cauſa effectiua omnium creaturarum : ergo in illa vt ſic cognitâ, & comprehenſâ, cognoſcit omnes creaturas, etiam poſſibiles. *Conſequentia patet* : quia non poteſt aliqua cauſa, ſeu virtus perfectè cognoſci, & comprehendi, quin cognoſcantur omnia, ad quæ ſe extendit, & quæ virtualiter continet. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Deus creaturas poſſibiles cognoſcit in ſua eſſentia vt in obiecto primario & prius cognito.

Corollarium I. Deus cognoſcit creaturas poſſibiles in ſua eſſentia, vt in obiecto primario, & prius cognito. *Ratio*: quia omnis potentia ſecundarium obiectum attingit ratione primarij, quod eſt illud in primario aliquomodò attingere. Sed creataræ ſunt obiectum ſecundarium intellectus diuini ; Deus autem ſiue eius eſſentia primarium : ergo Deus cognoſcit creaturas in ſua eſſentia, vt in ſubiecto primario, & priùs cognito.

Corollarium II. Creaturæ poſſibiles cognoſcuntur à Deo in diuina eſſentia, ſicut in medio connexo cum illis. *Ratio* : quia diuina eſſentia, quatenùs eſt participabilis à creaturis, & potens eas producere, habet connexionem cum creaturis poſſibilibus, & ſuppoſito diuinæ voluntatis decreto libero, cum creaturis futuris ; & exiſtentibus : ergo in illa tanquàm in medio connexo cum illis, Deus eas cognoſcit. *Antecedens patet* : quia rectè concluditur : Diuina eſſentia eſt participabilis à creaturis, habetq; virtutem, & potentiam productiuam creaturarum : ergo creaturæ ſunt poſſibiles, Similiter ex eſſentia, & voluntate Dei, rectè concluditur eſſe rei : quia illud, quod Deus vult eſſe, cùm poſſit, & ſciat, virtute eſſentiæ ſuæ in eſſe producit ; ergo diuina eſſentia habet neceſſariæ conſequentiæ connexionem cum creaturis. *Conſequentia etiam facilè oſtenditur* : Deus cognoſcit connexionem, quam habet diuina eſſentia cum creaturis poſſibilibus : ergo eas in illa, tanquàm in medio connexo cum illis cognoſcit : imò niſi hoc modo cognoſceret, non poſſet eas cognoſcere ex vi cognitionis ſuæ eſſentiæ, vel in eſſentia ſua, vt in cauſa quomodò enim eſſentia eius duceret in cognitionem creaturarum ?

Corollarium III. Quando dicitur, Deum creaturas in ſeipſo cognoſcere, tanquàm in cauſa, hoc non debet intelligi de cauſa, ſumptâ pro principio proximo productionis creaturarum, cuiuſmodi eſt attributum omnipotentiæ, ſed de principio radicali, quod eſt ipſamet eſſentia Dei. *Ratio* : quia ſicut in nobis principium radicale operandi eſt natura, proximum verò potentia ; ita & in Deo, noſtro modo intelligẽdi principium proximum eſt eius omnipotentia ; radicale verò eius eſſentia. Licet autem

tem ſcientia, quam Deus habet de creaturis, non ſupponat modo intelligendi, quaſi proximum productionis illarum principium, nimirùm omnipotentiam, verùm ſit idem cum illa, aut illam præcedat ; præſupponit tamen principium radicale, puta diuinam eſſentiam virtualiter continentẽ omniũ creaturarum perfectiones. Nam creaturæ non tantùm virtualiter continentur in Dei omnipotentiâ, ſed etiam in eius eſſentiâ : in omni potentiâ quidem tanquàm in principio proximo ; in eſſentia verò tanquàm in principio radicali, & ſic per illam vt ſic priùs cognitam, poſſunt creaturæ à Deo cognoſci.

Corollarium IV. Ad hoc, vt Deus creaturas cognoſcat diſtinctè ſecundùm proprias earum naturas, non eſt neceſſe Deum cognoſcere ſuam eſſentiam, vt eſt multiplex creaturarum idea. *Ratio* : quia reſpectus ideales non ſunt neceſſarij ad hoc, vt Deus diſtinctè intelligat : ergo neq; cognitio diuinæ eſſentiæ, vt eſt multiplex creaturarum idea. *Antecedens verò probatur.* Perfectio diuinæ cognitionis nihil mendicat à reſpectibus rationis, neq; ab eis dependet ; cognoſcere autem diſtinctè creaturas, ſecundùm ſuas rationes particulares, eſt perfectio intellectionis diuinæ, proinde non dependet à reſpectibus idealibus, & conſequenter ij non ſunt neceſſarij ad hoc, vt Deus diſtinctè cognoſcat creaturas. *Conſequentia etiam patet* : quia per reſpectus ideales multiplicantur ideæ, fitq; diuina eſſentia multiplex creaturarum idea.

In Deo nõ datur cognitio immediata creaturarũ in ſeipſis.

Corollarium V. In Deo non datur cognitio creaturarum poſſibilium in ſeipſis immediatè, ſeu independenter ab eſſentia diuina prius viſâ, & cognitâ. Ita S. Ambroſius tract. in ſymbolum cap. 1. *Licet* inquit, *omnia cœleſtia, & terreſtria, & minima quæque proſpiciat Deus ; nihil tamen extra intelligere, ſed ſingula in ſe intueri dicitur.* Et S. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum, q. 46. ait : *Sacrilegum eſſe aſſerere, quòd Deus exeat extra ſe ad aliquid cognoſcendum.* Et S. Thomas expreſsè 1. p. q. 14. ar. 5. in fine corporis, vbi ſic concludit : *Igitur dicendum eſt, quòd Deus ſeipſum videt in ſeipſo ; alia autem à ſe videt, non in ipſis, ſed in ſeipſo.* Ergo iuxta SS. Patres, in Deo non datur cognitio immediata creaturarum in ſeipſis, ſed mediata tantùm, in eſſentia diuina tanquàm in cauſa.

Et *ratio corollarij eſt* : quia in Deo, vt potè infinitè perfecto, non poteſt admitti duplex modus cognoſcendi creaturas, quorum vnus ſit perfectior, alter minùs perfectus ; modus autem cognoſcendi creaturas in eſſentia diuinâ, tanquàm in cauſa, eſt multò perfectior, & nobilior ; quàm modus cognoſcendi eas immediatè in ipſis. Sic in Angelis beatis, cognitio matutina, per quã vidẽt creaturas in Verbo, & in eſſẽtia diuinâ, vt in cauſa, multò perfectior eſt ; quàm cognitio veſpertina, per quam cognoſcũt eas extra Verbum, & immediatè in ſeipſis. Ergo in Deo præter modum cognoſcendi creaturas poſſibiles in eſſentia diuinâ, vt in cauſa, non debet admitti alius modus cognoſcendi, quo eas in ſeipſis immediatè & independenter ab eſſentia ſua, priùs cognitâ, cognoſcat.

Ratio *ſecunda* : quia ſi Deus cognoſceret creaturas immediatè in ſeipſis, & independenter ab eſſentia diuinâ priùs cognitâ, obiectum formalè, & ſpecificatiuum diuinæ intellectionis eſſet ens creatum ; aut ens vt ſic abſtrahens à creato, & increato. Nam illud cenſetur eſſe obiectum formale, & primarium, alicuius potentiæ, aut operationis, quod primariò, & imediatè ab illa attingitur & mediatè ab alio priùs, attacto. Sic poten-

potentia visiua primò, & immediatè attingit colorem; secundariò autem parietem, aut aliud subiectum colore affectum. At verò hoc admitti non potest: quia intelligere Dei, cum sit eius esse, eiusq; natura, non potest desumere suam speciem, & perfectionem essentialem à creaturis, neq; ab illis mensurari. *Deinde*, quia ens creatum, vel abstrahens à creato, & increato, est quid potentiale; obiectum autem formale, & primarium diuinæ intellectionis, debet esse quid actualissimum, sicut & ipsa intellectio, non cognitis omnibus creaturis possibilibus, secundum proprias, & particulares perfectiones, quibus ad inuicem distinguitur.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra conclusionem.* Licet Angelus comprehensiuè cognoscat suam virtutem intellectiuam; non tamen cognoscit omnes suas intellectiones possibiles: ergo pariter licet Deus comprehensiuè cognoscat suam essentiam, & virtutem, vt est prima causa effectiua omnium creaturarum, scilicet omnipotentiam suam, non sequitur, quòd in seipso, vt in causa, cognoscat omnes creaturas possibiles.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concesso antecedente, negatur consequẽtia. Disparitas est: quia intellectus Angeli non est causa completa omnium intellectionum, quas elicere potest, cùm ratione sui non habeat sibi vnitas species, repræsentatiuas sibi omnium possibilium, quibus intellectus ad intelligendum compleri potest. At verò omnipotentia Dei est virtus completa, & perfecta respectu omnium possibilium, secundum omnem rationem: vnde quia in sola causa completa, adæquatè, & perfectè, cognosci potest effectus, ideò virtus intellectiua Angeli, potest comprehendi ab ipso, non cognitis in particulari omnibus intellectionibus in sua virtute contentis; etiamsi virtus diuina comprehendi nequeat,

Obiectio secunda & eiusdem solutio.

Obijcitur II. Si Deus creaturas possibiles cognosceret in sua essentia, vt in causa: ergo diuina essentia diceret habitudinem ad creaturas possibiles, quod admitti non potest, cùm sit absoluta, & independens à creaturis. *Respondetur negando illatum:* solùm enim tunc quando medium repræsentans, & res repræsentata, sunt intra eundẽ ordinẽ, debent ad inuicem dicere habitudinem; quando autem medium est superioris ordinis, & increatu, vt accidit in præsenti, sufficit, quòd res manifestata ad illud referatur, vt patet in Christo, & B. Virgine; nam licet in rebus creatis, pater, & filius, mutuam dicant relationem adinuicem; inter Christum tamen, & B. Virginem, non est relatio mutua, eo quod cùm suppositum Verbi diuini, sit ordinis superioris, & increati, sit incapax relationis realis ad creaturam. Cùm ergo creaturæ omnes dicant habitudinem ad diuinam essentiã, & omnipotentiam, tanquam ad causam, habeantque intimam ab illa dependentiam, ideò essentia diuina, quamuis absoluta ab omni respectu creaturarum, potest habere rationem medij ad illas cognoscendas.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. Cognitio rei in alio, vt in causa, est discursiua. Sed cognitio Dei non est discursiua: ergo Deus non cognoscit creaturas possibiles in sua essentia, vt in causa. *Maior patet:* quia discurrere nihil aliud est, nisi effectus in causa cognoscere. *Minor etiam manifesta:* quia discursus inuoluit aliquam imperfectionem Deo repugnantem.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando maiorem. Eius probatio distinguitur. Discurrere, est effectus in causa cognoscere, per plures actus distinctos, *conceditur*, quorum scilicet

cet vnus sit causa alterius: est effectus in causa cognoscere, vnico intuitu, & sine multiplicitate actuum, *negatur:* sic enim cognoscere effectus in causa, non est discurrere. Aliud ergo est, vnum in alio, tanquàm in causa cognoscere; aliud verò cognoscere illud in alio, tanquàm ex causa: nam primum potest fieri sine discursu, & per vnicum actum; iam verò ad secundum requiritur discursus, & multiplicitas actuum. Cum ergo Deus non cognoscat creaturas ex sua essentia, tanquàm ex causa per plures actus, sed vnico simplici actu & intuitu, illas in sua essentia, tanquam in causa, & veluti speculo purissimo contempletur; ideò eius cognitio discursiua non est.

Obiectio quinta.

Obijcitur IV. Obiectum priùs cognitum non potest esse medium cognoscendi aliud quidditatiuè, & propriè, si in se non continet totam rationem illius, sitq; omninò eiusdem rationis, Sed Deus non continet in se formaliter rationem creaturarum, cùm omninò in se sit eis dissimilis: ergo Deus non cognoscit creaturas possibiles, in seipso, seu in sua essentiâ, vt in obiecto primario, & prius cognito.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando maiorem: non est enim opus, vt obiectum priùs cognitum, quo aliud cognoscitur sit eiusdem rationis cum illo, & illud in se formaliter contineat. Nam si fuerit super excellens respectu alterius, eminenterq; continens illud, poterit esse medium cognoscendi aliud; talis autem est essentia diuina.

Obiectio quinta.

Obijcitur V. In essentia diuina, nihil Deo cognoscenti obijcitur, quod habeat necessariam connexionem cum creaturis: quoniam Dei omnipotentia hanc connexionem non habet, cum singulis creaturis possibilibus determinatis, ad quas fertur Dei cognitio. Neq; etiam cum creaturis existentibus, cùm totam perfectionem habeant indifferentem ad hoc, quòd illa sint, aut non sint. Similiter liberum Dei decretum non habet istam connexionem: non enim eam habet increata perfectio, quam importat: quia hæc est indifferens ad existentiam creaturarum, & ad oppositam negationem; iam verò extrinseca denominatio, quam supra increatam perfectionem addit, per habitudinem ad res futuras, nulla ratione est priùs cognoscibilis; quàm illæ creaturæ, ex quibus sumitur. Ergo creaturæ possibiles non cognoscuntur à Deo in diuina essentia, vt in obiecto, & medio necessariò connexo cum illis.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando antecedens. Quantum enim attinet ad creaturas possibiles, falsum est, quòd omnipotentia Dei non habeat connexionem cum singulis earum, cùm non possit intelligi, Deum posse eas producere, & eas non esse possibiles, siquidem non sunt possibiles per aliquam potentiam creatam, sed per solam potentiam diuinam. Vnde si creatura non esset possibilis, consequenter in Deo non esset potentia producendi eam: atq; sicut si nulla creatura posset produci, destrueretur potentia Dei productiua; ita si vel vnus culex non posset à Deo produci, Dei potentia productiua minueretur, quod non minus repugnat diuinæ perfectioni; quam funditùs destrui. Quantum verò attinet ad creaturas existentes, aut futuras, etiam cum illarum futura existentiâ, liberum Dei decretum habet connexionem necessariæ consequentiæ, cùm sit causa efficiens illius, quæ deficere non potest.

Obiectio sexta.

Obijcitur VI. *Contra corollarium V.* Deus cognoscit creaturas possibiles in se ipsis immediatè; ergo in Deo datur cognitio creaturarum possibilium in seipsis immediatè.

mediatè. *Antecedens probatur.* Si Deus non cognoſceret creaturas immediatè in ſeipſis, ſed tantùm in ſua eſſentia, vt medio priùs cognito, non cognoſceret eas ſecundùm eſſe formale, quod habent in propria naturâ, ſed ſolùm ſecundùm eſſe eminentiale, quod habent in eſſentia diuina, vt in cauſa. Sed conſequens falſum eſt: ergo & antecedens. *Sequela maioris probatur.* Creaturæ non continentur in Deo formaliter, ſed ſolùm virtualiter, ſeu eminenter, cùm Deus non ſit formaliter homo, aut leo, omneſq; perfectiones creaturarum, habeant aliquam imperfectionem admixtam, quæ Deo repugnat. Ergo ſi Deus ſolùm cognoſceret creaturas in ſua eſſentia, vt in causâ, & medio priùs cognito, non cognoſceret eas ſecundùm eſſe formale, quod in ſe habent, ſed ſolùm ſecundùm eſſe eminentiale, quod habent in eſſentia, & omnipotentiâ diuinâ.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando antecedens. Ad eius probationem negatur ſequela maioris, cum ſua probatione: licet enim creaturæ non contineantur formaliter in eſſentia diuinâ, ſed ſolùm eminenter; continentur tamen formaliter (non quidem in eſſe entitatiuo, ſed intelligibili) in aliquo attributo, quod ad earum effectionem concurrit, puta in ideis, & arte diuinâ. Nam cùm Deus ſit cauſa efficiens intellectualis, ratione ſuæ ideæ, & Verbi, præhabet omnes res in ſe formaliter, non in eſſe entitatiuo, ſed in eſſe intelligibili, & repræſentatiuo, ſicut artifex creatus ſua opera, vt docet Scriptura Sacra illis verbis: *Qui fecit cælos in intellectu*: & hoc ſufficit, vt creaturæ cognoſcantur à Deo ſecundùm eſſe formale, quòd habent in ſeipſis, & non tantùm ſecundùm eſſe eminentiale, quod in diuina eſſentia, ac omnipotentiâ habent. Continentia itaque eminentialis duplex eſt, *vna imperfecta*, quæ ſe tantùm extendit ad aliquam rationem communem, & genericam vti eſt illa, quæ conuenit ſoli, & alijs corporibus cœleſtibus, reſpectu corporum inferiorum, quæ ſolùm cauſant, quantum ad aliquam rationem communem, & genericam, v. g. rationem viuentis, aut corporis corruptibilis, quam primò in rerum inferiorum generationibus attingunt.

Continentia eminentialis duplex eſt.

Altera eſt perfecta, quæ ſe extendit non tantum ad rationes communes, & genericas, verum etiam ad differentias atomas, & indiuiduales, & hæc ſoli Deo competit: quia ipſe ſolus per ſe primò attingit in rebus creatis rationem entis producibilis, in differentijs omnium rerum creatarum tranſcendentaliter incluſam. Vnde licet primum genus continentiæ eminentialis, non ſufficiat ad manifeſtationē rei ſecundùm eſſe formale, & quantum ad eius rationem ſpecificam, ac indiuidualem; ſufficit tamen ſecundum genus: quia cùm einſmodi continentia eminentialis perfectiſſima ſit, & ad omnes rationes, tàm genericas; quàm ſpecificas, ac indiuiduales, ſe extendat, æquiualet continentiæ formali, poteſtq; præſtare omnia, quæ illa præſtat, & ducere in cognitionem rerum ſecundùm eſſe formale, quod in ſe habent.

QVÆSTIO II.

An Deus cognoſcat non entia.

SUppono I. Ex 4. Metaph. tex. 2. & 5. Metaph. cap. 1. alijſq; pluribus locis, ſicut ens; ita non ens bifariam ſumi; *incomplexè* nimirum, & *complexè*: rurſus non *ens incomplexum*, ſicut & ens, modò nominaliter, modò participialiter ſumi, ſeu quidditatiuè, aut eſſentialiter. & exiſtentialiter, potiùs non exiſtentialiter, & non quidditatiuè.

Ens & non ens dupliciter, ſumuntur.

Non ens incomplexum phyſicum, ſignificat

ſicat omnes negationes, priuationes, impoſſibilia, mala, & defectus naturæ, tam ſignatè; quàm exercitè ſumptos, & quidem tàm ſecundùm ſuum eſſe qualecunque, quam ſecundùm exiſtere. *Non ens complexum*, eſt imprimis omne id, de quo poteſt formari propoſitio negatiua vera, ſed minùs propriè; proprijſſimè autem eſt omne id, de quo poteſt formari affirmatio, aut negatio falſa, æternæ, aut temporaneæ falſitatis, atq; ſic non ens, eſt idem, quod falſum; ſicut ens complexum, eſt idem, quod verum complexum.

Suppono *præterea*. Non ens incomplexum ſignatè, aut exercitè ſumptum, bifariam itidem poſſe accipi. *Primò, incomplexè*, ſicut nos ſolemus tenebras inſtar nigredinis, Angelum inſtar iuuenis alati, punctum inſtar maculæ minimæ, & imaginari, & ſimplici apprehenſione intùs apprehendere, diciturque hic modus concipiendi *non entis*, in eſſe ſuppoſito. *Secundò complexè*, quatenùs videlicet de negationibus aliquid, aut negationes de aliquo alio verè, propoſitione affirmamus, diciturque hic modus cognoſcendi non entia, *non entis per modum entis*.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Deus non entia phyſica cognoſcit ſciétiâ viſionis.

COncluſio. Deus phyſica non entia, & mala naturæ, tàm participialiter; quàm nominaliter, tàm ſignatè, quàm exercitè ſumpta, ſecundùm eſſe incomplexum cognoſcit. Ita S. Thomas 1. p. q. 14. ar. 9. vbi dicit: *Deus cognoſcit omnia, quæ ſunt in potentiâ creaturæ, ſiuè actiuâ, ſiue paſſiuâ, ſiue in potentia opinandi, vel imaginandi.* Probatur I. ex Scriptura Sacra, ad Roman. 4. vbi de Deo dicitur: *Vocat ea, quæ non ſunt, tanquàm ea, quæ ſunt*: ergo Deus cognoſcit phyſica non entia, & quidem ſecundùm exiſtentiam qualemcunque, ſcientiâ viſionis; ſecundùm autem eſſentiam qualemcunque, ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ.

Probatur II. *ratione*. Quia omne illud Deus ſcit, quod aliquo modo eſt; omne autem illud eſt, quod in aliqua, potentia Dei, aut creaturæ eſt: creaturæ inquam ſiue phyſicè operantis, ſiue intentionaliter, hoc eſt, opinatiuè, imaginatiuè, ſignificatiuè; & phyſicè tàm efficienter qualitercunque; quàm deficienter. Sed omnia incomplexâ non entia, cogitationes, priuationes &c. ſunt in potentia creaturæ phyſicâ, vel intentionali, aut ipſius creatoris: ergo illa Deus cognoſcit. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Deus cognoſcit mala pœnæ.

Corollarium I. Deus cognoſcit etiam mala pœnæ. Ita colligitur ex Scriptura Sacra Amos 3. vbi dicitur: *Si erit malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus.* Et Prouerb. 15. dicitur: *Infernus, & perditio coram Deo*: ergo ex mente Scripturæ Sacræ, Deus cognoſcit mala pœnæ.

Corollarium II. Deus cognoſcit etiam mala culpæ. Ita Scriptura Sacra Iob 14. *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea.* Et Deut. 32. *Nonne hæc condita ſunt apud te, & ſignata in theſauris tuis.* Et *ratio eſt*: quia cognitio mali non eſt damnanda, niſi quatenus inducit voluntatem ad malum, neq; eſt deformis, neq; inducit aliquam turpitudinem. *Tum*, quia vt Deus cognoſcat mala, non debet illis aſſimilari, cùm non cognoſcat ea per propriam ſpeciē illorū, & vt obiecta formalia, ſed tantùm materialia. *Tum*, quia Deus perfectè cognoſcit bona creata, & conſequenter quidquid illis poteſt accidere, & opponi. Cùm ergo malum opponatur bono, illudq; corrumpat, ideò vt Deus perfectè cogno-

cognoscat bonum, debet cognoscere & malum. *Tum denique*, quia Deus mala culpæ prohibet, & punit, tanquàm iudex; mala autem pœnæ, & naturæ, efficit tanquam prima causa, & prouisor vniuersalis, propter bonum, & conseruationem vniuersi, atque sic pertinent ad eius prouidentiam. Quæcunque autem spectant ad prouidentiam Dei, spectant etiam ad eius cognitionem, & sapientiam: alias Deus cæco, & ignoto modo ageret.

Corollarium III. Falsò negabant Albanenses Hæretici, Deum cognoscere peccata, ex hoc fundamento, quod Deus in scriptura dicatur ignorare peccata. *Ratio*: quia Scriptura Sacra debet intelligi vel in hoc sensu, quòd Deus dissimulet peccata, differendo punitionem: vel in hoc, quòd ea non cognoscat per propriam ideam: vel in hoc, quòd non cognoscat ea per scientiam approbationis, & operatiuam; non autem simpliciter, & absolutè.

Deus mala naturæ cognoscit per bonitatem creatam.

Corollarium IV. Deus prædicta mala naturæ, non cognoscit per bonitatem increatam immediatè, sed per bonitatem creatam. Est sententia communis Theologorum contra Zumel, & quosdam Neotericos. *Ratio*: quia malum non potest cognosci, nisi in bono, & per bonum, cui opponitur. Sed malum creatum non opponitur bonitati increatæ: ergo non cognoscitur per eam, sed per bonitatem creatam. *Maior patet*: quia vel malum consistit in priuatione, & sic non potest cognosci, nisi per formam oppositam bono: vel consistit in aliquo positiuo, & sic non habet rationem mali, nisi quatenùs discordat à regula; discordantia autem non cognoscitur, nisi per concordiam. Sic v. g. Grammaticus non cognoscit incongruam locutionem, nisi per congruam. *Minor verò probatur*. Si malum opponeretur immediatè Deo, & bonitati increatæ, opponeretur illi aut contrariè, aut priuatiuè. Sed neutro modo illi opponitur: ergo malum creatum non opponitur bonitati increatæ. *Minor patet*: tum, quia opposita priuatiuè, aut contrariè, nata sunt fieri circa idem; malum autem, & bonum diuinũ, non habent commune subiectum. *Tum*, quia malum diminuit bonum, cui opponitur; bonum autem diuinum, non potest diminui per malum. *Tum denique*, quia bonum expellit malũ, cui formaliter opponitur; bonum autem diuinum non expellit formaliter malum creatum, sed solùm effectiuè: nam si formaliter illud expelleret, nullum daretur malum in rerum natura; quemadmodum si daretur lux infinita, nullæ darentur tenebræ, eò quod lux formaliter tenebras expellat. Quando ergo dicitur, Deum cognoscere mala in bono creato, cui opponuntur, per hoc non significatur, quòd bonum creatum habeat rationem speciei, aut obiecti formalis respectu intellectus diuini, ad cognitionem mali; sed solum quòd habeat rationem obiecti materialis cogniti in diuina essentia, & in eo sic cognito, vt obiecto materiali, cognoscitur à Deo malum creatum.

Corollarium V. Etiam malum morale Deus simpliciter cognoscit, per priuationem rectitudinis debitæ inesse actui, in materia talis, aut talis virtutis, siue peccatum cõsistat in priuatiuo, siue in positiuo, quod probabilius est. *Ratio*: quia illud positiuum non habet rationem completam constitutiui peccati, nisi per connotationem priuatiui.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio I. & eiusdem solutio.

OBijcitur I. *Contra conclusionem*. Scriptura Sacra negat Deum cognoscere mala: ergo conclusio falsa. *Antecedens patet*: quia Habacuc 1. versu 13. dicitur de Deo: *Respicere ad iniquitatem non poteris*. *Respondetur negando antecedens*. *Ad eius probationem dicitur*, locum illum Habacuc 1. communiter exponi à Sanctis Patribus, de scientia approbationis, dicitur enim Deus nescire, quod non approbat, iuxta illud Matthæi 7. de operarijs iniquitatis in die iudicij: *Nunquàm noui vos*. Et illud de Christo 2. ad Corinth. 5. *Qui non nouerat peccatum*. Quæ verba S. Augustinus lib. 1. contra aduersar. legis, & Prophet. cap. 14. ita exponit: *Nouerat per Sapientiam, non nouerat per experientiam*.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. Si Deus cognosceret mala, cognosceret illa per scientiam visionis. Sed hoc dici non potest: ergo Deus non cognoscit mala. *Minor probatur*. Deus per scientiam visionis solùm cognoscit res existentes. Sed malum formaliter loquendo, non est aliquid existens, cùm sit priuatio boni: ergo non cognoscitur à Deo per scientiam visionis.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando minorem: cùm enim Deus puniat omnia mala culpæ; ideò huiusmodi mala, sunt præsentia in æternitate diuinæ cognitioni, & consequenter pertinent ad scientiam visionis. Siquidem illa censentur pertinere ad dictam scientiam, quæ obijciuntur Deo, tanquàm præsentia. Similiter cùm mala pœnæ sint aliquo modo à Deo, omninò debent videri à Deo. *Ad probationem verò minoris dicitur*, malum, saltem de materiali esse aliquid existens, licet formaliter sit pura priuatio: *dicitur præterea*, ad hoc vt malum pertineat ad scientiam visionis, satis esse, quod opponatur bono pertinenti ad scientiam visionis.

DISPVTATIO III.

De causalitate Diuinæ scientiæ.

EXplicato modo, quo Deus in essentia sua, vt in causa, & medio cognito cognoscit, de eius efficacia, & causalitate tractat S. Thomas 1. p. q. 14. ar. 8. inuestigans cuinam scientiæ talis causalitas, & efficientia competat.

QVÆSTIO I.

An Scientia Dei sit causa rerum.

Occasio quæstionis.

OCcasio tractandæ huius quæstionis, est hæc, quia Scriptura Sacra passim proclamat, Deum per intellectum, & voluntatem producere creaturas, vt Psal. 103. *Omnia in Sapientia fecisti*. Et Psal. 136. *Qui fecit cœlos in intellectu*. Et ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*. Vnde controuertitur, an scientia Dei sit causa creaturarum, loquendo de scientia Dei practicâ.

Sciẽtia Dei libera duplicẽ habet respectum.

Suppono itaque, scientiam Dei liberam duplicem habere formalitatem, & respectum, *vnum* ad voluntatem Dei, & ad decretum efficax, atque absolutum, in quo fundatur: *alterum*, ad obiecta, quæ contemplatur, & videt vt præsentia, aut in propria eorum mensurâ, aut in mensura superiori æternitatis. Secundùm primum itaq; respectum, quem dicit ad voluntatem Dei, & ad decretum illius, dicitur scientia approbationis. Secundùm alterum autem, quem dicit ad obiecta, quæ intuetur vt præsentia, aut in mensura propriâ, aut in mensura æternitatis, vocatur scientia visionis. *Præterea*, secundùm primum respectum, scientia Dei est practica, & factiua sui obiecti; secundùm posteriorem verò, est speculatiua, & intuitiua illius.

Causalitas diuinæ scientiæ duobus modis consideratur.

Suppono *præterea*, causalitatem diuinæ scientiæ, duobus modis considerari posse, videlicet aut quasi *in actu primo*, quatenus nimium

cùm diuina scientia habet virtutem causatiuam rerum; aut *in actu secundo*, scilicet quoad exercitium causalitatis, & actualem productionem creaturarum. Et quoniam ad formationem operis artificiati tria concurrunt, nimirùm scientia, voluntas, & vis executiua: scientia inquam dirigendo, voluntas mouendo, vis executiua exequendo. Sensus igitur quæstionis est, an scientia Dei practica in productione creaturarum, non tantùm præstet directiuum concursum, regulando opus, ostendendo finem, & modum illas producendi; sed etiam efficienter in eas influat: aut applicando potentiam executiuam ad opus, aut immediatè imperando earum productionem.

Opinio duplex.

Prima igitur opinio censet, scientiam Dei solùm directiuè concurrere ad productionem creaturarum, dirigendo scilicet Deum in productione earundem; iam verò efficientiam earum, censet immediatè procedere, vel à voluntate Dei, vel ab aliqua potentia executiua, virtualiter ab eius intellectu, & voluntate distincta. Hanc tenent aliqui ex Neotericis.

Altera opinio docet, scientiam Dei non solùm directiuè, sed etiam effectiuè concurrere ad productionem creaturarum, scilicet imperando, & exequendo immediatè productionem illarum, per actum imperij formaliter immanentem, & virtualiter transeuntē, quod ad eas immediarè dirigitur. Et hæc est communis Theologorum cum S. Thoma.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Sciētia Dei est vera causa creaturarum.

CONclusio. Scientia Dei est vera, & effectiua causa creaturarum. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, Sapien. 8. vbi de scientia Dei sic dicitur: *Quis eorum, quæ sunt, magis quàm illa est artifex.* Et Prouer. 3 *Dominus sapientiâ fundauit terram, stabiliuit cœlos prudentiâ.* Et ibidem cap. 8. *Quando præparabat cœlos, adeeram, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens*, diuina sapientia de se loquitur. Et Ioan 1. de Verbo diuino, quod est sapientia Patris, dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt.* Sed facere, fundare, stabilire, componere &c. non solam directionem, sed etiam veram, & realem efficientiam significant: ergo ex mente Scripturæ Sacræ, scientia Dei est vera, & effectiua causa creaturarum.

Probatur II. *ratione.* Scientia Dei eo modo comparatur ad res creatas; sicut scientia artificis creati, confertur cum rebus artificialibus. Sed scientia artificis creati est causa artificialium: ergo & scientia Dei est causa creaturarum. *Maior est S. Thomæ* 1. p. q. 14. ar. 8. vbi dicit: *Scientia Dei est causa rerum, sicut scientia artificis est causa artificiatorum.* Deinde, quia in Deo reperiuntur virtutes intellectuales artis, & scientiæ; proinde scientia eius comparatur ad res creatas, quæ sub illa cadunt, eo proportionali modo, quo scientia artificis creati, in quo sunt simul scientia, & ars, confertur cum rebus artificialibus sub illa scientia, & arte, cadentibus. *Minor etiam patet:* quia scientia artificis creati præscribit modum, secundùm quem debet opus arte factum fieri, dirigitq; & influit in ordine ad illud, & sic est vera, & effectiua causa illius.

Probatur III. Primæ, & perfectissimæ causæ, debetur modus operandi perfectissimus. Sed modus operandi ad extra per scientiam, & voluntatem, est perfectissimus: ergo talis modus debetur Deo, qui est prima, & perfectissima causa, & sic Deus per suam scientiam est causa rerum, non tantùm directiua, sed etiam effectiua. *Maior est per se manifesta: Minor etiam patet*, quia agens ad extra per scientiam, & voluntatē, dirigit agens per modum naturæ, illoq; vtitur tanquam instrumento: ergo modus agendi ad extra per scientiam, & voluntatem, est perfectissimus. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Sciētia Dei quæ est causa rerū quasi in actu primo est scientia simplicis intelligentiæ.

Corollarium I. Loquendo de scientia Dei, quæ est causa rerum, quasi in actu primo, seu virtute, id est, prout habet præcisè virtutem ad operandum, tunc talis scientia, est scientia simplicis intelligentiæ. Ita S. Thomas citatus, ar. 16. vbi dicit: *Scientia Dei est causa, non quidem sui ipsius, sed aliorum: quorundam quidam in actu, scilicet eorum, quæ secundùm aliqvod tempus fiunt; quorundam verò virtute, scilicet eorum, quæ potest facere, & tamen nunquàm fiunt.* Et q. 15. ar. 3. ad 2. dicit: *quòd eorum, quæ neq; sunt, neq; erunt, neq; fuerunt, Deus non habet practicam cognitionem, nisi virtute tantùm.* In quibus locis S. Doctor, illi scientiæ tribuit, quòd sit virtute causa rerum, quæ terminatur ad res, quæ nunquam fiunt, possunt tamen fieri à Deo; eiusmodi autem scientia, est scientia simplicis intelligentiæ.

Et *ratio corollarij est*: quia scientia Dei, quæ virtute, & quasi in actu primo est causa rerum, debet antecedere actum liberum diuinæ voluntatis. Sed sola scientia simplicis intelligentiæ, antecedit hunc actum: ergo illa dicto modo est causa rerum. *Maior*, de qua solùm posset esse controuersia, patet: *Tum*, quia scientia Dei, eo proportionali modo est causa rerum, per modum actus primi, & in suo genere, quo ars est causa in actu primo respectu artificiatorum; ars autem, quæ habet prædictam vim causatiuam, est ars vt antecedit omnem actum voluntatis artificis, eò quòd ex natura sua sit habitus, seu virtus intellectualis operatiua in actu primo. *Tum*, quia scientia Dei practica, habet vim causatiuam creaturarum; ratio autem scientiæ practicæ, non conuenit scientiæ ex voluntate libera scientis, sed ab extrinseco, & per accidens, atq; sic prædicta vis causatiua, non conuenit illi ab actu diuinæ volūtatis, sed per se, & vt antecedit illum, *Tum*, quia scientia Dei habet virtutem in actu primo ad producendas creaturas, eò, quòd contineat in suo ordine omnium illarum perfectiones; hoc autem conuenit illi à voluntate, quoniam secundùm id, quod habet à se, est saltem directiua in ordine ad productionem creaturarum. Et sic prædicta scientia independenter ab actu libero voluntatis, & prout præcedit illum, habet vim saltem per modum dirigentis, causatiuam creaturarum. *Tum deniq;*, quia voluntas quoad speciem actus, determinatur ab intellectu, & scientia, licet vtrumq; quoad exercitium, determinentur ab ipsa voluntate: ideoq; respectu eorum, quæ causantur ab intellectu, & scientia, debet poni in vtroq; vis causatiua in actu primo antecedenter ad actū voluntatis. Quoniam vis causatiua in actu primo, attenditur in actu primo penes virtutem ad producendum effectum quoad speciem, licet hoc, quod est, esse applicatam ad causandum, attendatur, & dependeat à motione voluntatis.

Scientia quâ Deus causat res omnes in actu secundo, est scientia visionis.

Corollarium II. Scientia, quâ Deus res omnes efficit, & causat in actu secundo, non est scientia simplicis intelligentiæ, sed scientia visionis. Ita S. Thomas, q. 2. de verit. ar. 13. & 14. vbi dicit: *Scientia Dei secundùm quod ordinatur ad opus, quod facit voluntas, tantùm est existentium in præsenti, præterito, vel futuro.* Quibus verbis soli scientiæ visionis, tribuit causalitatē actualem. Et in 1. sent. dist. 39. ar. 1.

ad 5. vbi dicit: *Licet esse, & scire Dei, sint idem secundùm rem, tamen scire sequitur voluntatem, vt imperatum ab ipsa: esse autem non, & ideò esse suum non subiacet libertati voluntatis, sicut scire operatiuum creaturæ.* *Et ratio corollarij est:* quia illa scientia est causa in actu causans in suo genere creaturas, quæ subsequitur ad determinationem liberam, & absolutam diuinæ voluntatis: forma enim intelligibilis ad opposita se habet, eò quod eadem scientia sit oppositorum. Vnde non produceret in actu determinatum effectum, nisi determinaretur ad vnum per appetitum, ac proinde nisi præsupponeretur determinatio libera, & absoluta eiusdem appetitus, per quam applicaretur ad productionem huius effectus potius; quàm alterius, aut sui oppositi. Sed scientia, quæ subsequitur ad determinationem liberam voluntatis diuinæ, non est scientia simplicis intelligentiæ; verùm scientia visionis, seu approbationis: ergo hæc & non illa est causa actu causans creaturas. *Minor* quoad scientiam simplicis intelligentiæ, patet ex supradictis: nam scientia simplicis intelligentiæ, non versatur circa res existentes, aut futuras, neq; illas cognoscit. Vnde solet à Theologis definiri: *Est cognitio eorum, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt vnquam.* Quoad scientiam verò visionis, *etiam patet:* quia scientia hæc terminatur absolutè ad rem futuram, & existente in aliqua differentia temporis; res autem non est sic futura, nisi dependenter à decreto absoluto, & efficaci diuinæ voluntatis, & consequenter neque scientia terminatur ad eam, vt futuram, siue vt existentem in aliqua differentia temporis, nisi post decretum efficax diuinæ voluntatis. *Præterea*, quia Deus producit creaturas per actum imperij; imperium autem pertinet ad scientiam visionis.

Scientia visionis quatenus formaliter visionis est, nō est causa rerum.

Corollarium III. Scientia visionis, quatenùs formaliter visionis est, non est causa rerum; sed tantùm quatenùs est approbationis, & applicata per decretum efficax diuinæ voluntatis. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 14. ar. 8. in fine corporis, vbi dicit: *Scientiam Dei esse causam rerum, secundùm quod habet voluntatem coniunctam, & prout consueuit nominari scientia approbationis.* Et *ratio corollarij est: tum,* quia scientia Dei producit creaturas, per actū diuini imperij, quod non habet vim, & efficaciam agendi à cognitione, & directione intellectus; sed à motione, & applicatione voluntatis, quæ est primum mouens in executione, vt docet S. Thomas 1. 2. q. 17. ar. 1. in fine corporis. *Tum*, quia licet scientia visionis, & approbationis, sit vnica scientia in Deo, omninò indistincta, quæ secundùm diuersos respectus, quos dicit vel ad decretum, quod supponit, vel ad obiectum quod intuetur, hæc diuersa nomina sortitur: nihilominùs, quatenùs formaliter visionis est, & prout consideratur, vt purè intuitiua, ac contemplatiua sui obiecti, non est causa rerum, sed eas supponit in aliquo priori naturæ, & rationis factas, & productas à seipsa, quatenùs est practica & approbationis. *Tum denique*, quia si scientia visionis, vt visionis est, esset causa rerum, tunc Deus esset causa peccatorum, non tantùm quoad entitatem, quàm de materiali includunt; verùm etiam quoad malitiam, & deformitatem, quam de formali important. Sed hoc admitti non potest: ergo scientia visionis, vt visionis est, non est causa rerum. *Sequela maioris patet:* quia scientia visionis, quatenùs visionis est formaliter, attingit peccata, quantum ad malitiam, & deformitatem, quam important, siquidem illa sub hac ratione, sunt præsentia Deo in mensura æternitatis. Ergo si scientia visionis reduplicatiuè, vt visionis est, esset causa rerum, Deus esset causa peccatorum, non tantùm quoad entitatem, quam de materiali includunt, sed etiam quoad malitiam, & deformitatem, quam de formali important.

Tàm scientia visionis, quam simplicis intelligentiæ potest dici approbationis.

Corollarium IV. Vtraq; scientia, tàm visionis, quàm simplicis intelligentiæ, potest appellari scientia approbationis, si tamen habuerit adiunctum actum voluntatis diuinæ, quo Deus velit res scitas; si autem illo caruerit, neutra sic appellari potest, v. g. scientia simplicis intelligentiæ; quâ Deus cognoscit alterum mundum possibilem, & scientia visionis, quâ Deus cognoscit peccata, non potest dici scientia approbationis, ob defectum actus voluntatis, quo Deus velit esse alterum mundum, aut peccatum. At verò scientia simplicis intelligentiæ, quâ Deus cognouit hunc mundum, quem produxit, & conseruari vult, est scientia approbationis. *Ratio:* quia scientia approbationis, supra rationem scientiæ, non addit aliquid pertinens formaliter ad rationem scientiæ, sed solum actum voluntatis: vnde non est distincta à scientia visionis, & simplicis intelligentiæ, sed vtraq; scientia approbationis esse potest, si habuerit actum voluntatis adiunctum.

Corollarium V. Scientia practica Dei formaliter sumpta, connotando voluntatem, est principium, seu potentia immediatè executiua, per quam immediatè ad extra operatur: atq; sic non eget vllâ aliâ potentiâ executiuâ, virtualiter distinctâ, per quam producat creaturas. *Ratio:* quia quæ habent inter se conuenientiam secundùm aliquam formam, oportet vt ita se habeant, vt vnum sit causa immediatè effectiua, seu executiua alterius: vel certè ambo ab vna, & eadem causa immediatè producantur. Sed scientia Dei, quam habet de rebus creatis, & dictæ res habent cōuenientiam inter se secundùm aliquam formam: ergo vel scientia Dei est causa immediatè effectiua, ac executiua rerum, vel è contra: vel deniq; vtrumq; causatur à quopiam alio tertio; cùm autem scientia Dei, vt potè æterna, & increata, non possit habere aliquam causam efficientem sui, consequens est, vt ipsa sit causa immediatè executiua rerū scitarum. *Minor certa:* nam ideò res creatæ habent aliquam conuenientiam, & similitudinē cum *intelligere Dei*, vt constitutiuo illius, quia continet eas perfectissimè, videlicet intelligibili, seu intellectuali modo: cùm ergo scientia Dei contineat easdem res creatas intelligibiliter, non possunt non habere conuenientiam, & similitudinem cum illa. *Maior etiam patet:* quia cùm effectus non possint esse simpliciores suis causis, oportet, vt quilibet effectus reducatur in aliquam vnam causam; sicut omnia calida in vnū calidum, puta ignem; atq; sic cùm vnumquodq; censeatur ab eo, cum quo habet aliquam conuenientiam, necesse est vt ea, quæ inter se conueniunt, ita se habeant, vt vel vnum immediatè causetur ab alio, vel quodlibet illorum ab aliquo tertio, cum quo habeant etiam suam similitudinem, & conuenientiam.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Si scientia Dei esset causa effectiua creaturarum, non distingueretur virtualiter ab arte diuinâ. Sed consequens falsum: ergo & antecedens. *Maior patet*. quia scientia respiceret creaturas vt factibiles; quemadmodùm ars in mente diuina exi-

na existens: *Minor etiam manifesta:* quia communis Theologorum sententia, inter virtutes intellectuales in mente diuina existentes, admittit saltem virtualem distinctionem. *Respondetur concessâ sequelâ maioris, negatur minor:* licet enim in nobis scientia, & ars, distinguantur, cùm scientia in nobis habeatur de vniuersalibus; ars verò de particularibus: & scientia procedat per causam; ars verò per quandam experientiam, & vsum; nihilominùs in Deo, scientia quatenùs formaliter practica est, & respicit creaturas vt factibiles, non distinguitur etiam virtualiter ab arte diuinâ, eò quòd dictæ imperfectiones in Deo locum nō habeant, eiusq; scientia sit de particularib⁹, & ars in mente eius existens procedat per veram causam ipsius operis: atque sic scientia practica, & ars in Deo, sola distinctione rationis differunt, petitâ ex analogia ad creaturas, in quibus illæ virtutes intellectuales realiter distinguuntur. Quamuis posset etiam non improbabiliter concedi, quòd scientia practica, & ars in Deo, distinguantur virtualiter; quemadmodùm & alia attributa. Et licet scientia practica, & ars diuina respiciant creaturas vt factibiles; nō tamen eodem modo: nam scientia respicit illas, vt factibiles absolutè, & quantum ad substantiam operis; ars vero diuina non respicit eas, vt producibiles quantum ad substantiam, sed quantum ad modum, & quatenùs sunt factibiles modo quodam artificioso.

Solutio eiusdem.

Obijcitur II. *Contra primum, & secundum corollarium.* Eadem causa, quæ est causatiua in actu primo alicuius effectus, debet actu & exercitio causare illum: ergo si scientia simplicis intelligentiæ, est causa in actu primo respectu creaturarum, etiam erit causa earundem in actu secundo; non verò scientia visionis: vel si non est causa in actu secundo, neque erit in actu primo. *Consequentia clara. Antecedens etiam patet:* quia effectus non causatur in actu secundo, nisi à causa habente virtutem in actu primo ad illum causandum. *Respondetur cōcedendo antecedens*, quòd scilicet eadem debeat esse causa in actu primo, & in actu secundo alicuius effectus; non tamen ita, vt cùm intelligitur, esse causa in actu secundo, non intelligatur sub aliquo modo, vel terminatione, aut applicatione, saltem à voluntate prouenientè, ratione cuius aliquomodò habeat actu causare. Vnde quoties concipimus, & consideramus causam, saltem ex parte nostri modi concipiendi, & significandi, vt contingit in præsenti quatenùs præcisè est causatiua, non potest, vt stat sub tali conceptu, & modo significandi, a nobis concipi, & significari, vt est actu causans, & vt addit, prædictum modum, vel terminationem, aut applicationem liberam voluntatis: sed eo ipso, quòd eam cōcipiamus vt actu causantem, non concipimus illam, vt præcisè est causatiua. Cùm ergo scientia simplicis intelligentiæ, vt habet rationem scientiæ aliquomodò practicæ, denotet diuinam scientiam, vt præcisè est causatiua creaturarum; non autem vt addit modum, & terminationem, atq; applicationem requisitam ad causandum; scientia verò visionis, & approbationis, significet eandem scientiam, vt addit prædictam terminationem, & applicationem; & eo ipso, quòd hæc addatur, non censeatur illa scientia, vt stat sub tali terminatione, manere sub conceptu, & significatione scientiæ simplicis intelligentiæ; verùm sub conceptu, & expressione scientiæ visionis: hinc est, quòd licet sit eadem causa causatiua, & causans, cum noua tamen terminatione. Cæterùm non ideò scientia simplicis intelligen-

Obiectio secunda.

Solutio eiusdem.

telligentiæ, vt est sub hoc conceptu, & expressione, erit causa actu causans, licet sit causatiua: quoniam vt significatur nomine scientiæ simplicis intelligentiæ, dicitur ipsam, vt sistit in virtute ad causandum; iam verò è contra, scientia visionis tollit eam veluti sistentiam in sola virtute causatiua, dicitque eandem virtutem, vt actu causantem.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* III. Scientia visionis præsupponit res vt existentes, & factas à Deo: ergo non est causa rerum. *Consequentia patet:* quia nulla causa præsupponit suum effectum. *Antecedens verò probatur I. ex Scriptura Sacra*, Genes. 1. vbi dicitur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, quod non potest intelligi nisi de scientia visionis. *Secundò*, quia scientia visionis est intuitiua, ergo supponit res existentes, & factas à Deo: nam impossibile est intueri ea, quæ non existunt. *Tertiò*, quia scientia Dei habet se, sicut scientia artificis, quæ non fertur intuitiuè in artefactū, nisi postquàm factum est. *Quartò denique*, quia scientia visionis subsequitur decretum efficax, & absolutum de futuritione rerum, in illoq; fundatur: ergo est posterior illâ. *Respondetur I. concedendo antecedens* de scientia visionis, quatenùs formaliter, & reduplicatiuè visionis est: nam sub hac ratione præsupponit res in aliquo priori naturæ, & rationis, factas à seipsa, prout est practica, & approbationis. *Respondetur II. absolutè negando antecedens. Ad primam eius probationem*, ex scriptura adductam dicitur: *Deum vidisse creaturas iam factas*, hoc intelligi debere de scientia visionis, quatenùs est conseruatiua creaturarū: nam sub hac ratione supponit illas factas, & existentes; non autem quatenùs est creatiua, & factiua earum: quia sic non præsupponit illas, sed facit.

Obiectio tertia.

Solutio eiusdem duplex.

Ad secundam eiusdem antecedentis probationem dicitur, scientiam intuitiuam, tunc solùm supponere suum obiectum, iam factum, & existens; quando est merè speculatiua; non autem quando est eminenter speculatiua, & practica, vti est scientia uisionis in Deo, quæ etiam non mensuratur à rebus, sicut aliæ scientiæ speculatiuæ, sed est mensura earum. Hinc Pater æternus videndo Filium, ipsum producit, & producendo ipsum videt: atq; sic licet talis cognitio sit intuitiua, non supponit tamen suum obiectum productum, & existens, sed potius illud producit. Similiter si visio oculi humani, lumen aut colorem ex se funderet; quemadmodùm sol fundit lumen suum, non supponeret colorem, aut lumen, sed faceret, videndoq; illuminaret, & illuminando videret. Item intellectus humanus videndo entia rationis, illa efficit: & sic eadem cognitio simul est cognoscitiua, & effectiua entium rationis; ita quoque Deus per suam scientiam practicam, cuncta entia realia causat, creat, & conseruat.

Ad tertiam probationem negatur, quòd scientia Dei practica, ita se habeat in omnibus, sicut scientia artificis creati: solùm enim in aliquibus ita se habet; in multis autem ab illa differt. Licet enim secum conueniant in hoc, quòd vtraq; concurrat ad opus, nō tantùm directiuè, sed etiam effectiuè; *differunt tamen in eo*, quòd artifex creatus, nō operetur nudo & solo imperio, nec in instanti, sed cum mora temporis, & cum applicatione actiuorum, ac passiuorum. Vnde fit, quòd eius scientia, non possit intuitiuè ferri in opus, dum actu fit, sed tantùm postquàm factum est; at verò Deus producit res in instanti, & per solam dictionem,

actumq; imperij, neq; indiget applicatione actiuorum ad passiua, cùm educat res ex nihilo: & ideò scientia eius practica, potest in eodem instanti, quo operatur, intuitiuè ferri in creaturas, quas producit. *Differunt prætęrea*, quia scientia artificis post factũ opus est purè speculatiua, cùm artefactum dependeat ab ea solùm in fieri; non verò in conseruari; omnes autem res creatæ dependent à scientia Dei practicâ, nõ tantùm in fieri sed etiam in conseruari, vt docet S. Gregorius lib. 32. moral. cap. 6. his verbis: *Non existentia videndo creat, existentia videndo continet*. Quidquid ergo creator non videt, essentiâ subsistendi caret.

QVÆSTIO II.

An detur in Deo potentia executiua.

Sensus quæstionis aperitur.

SEnsus quæstionis est, an sicut in nobis datur aliqua potentia executiua, realiter distincta ab intellectu, & voluntate, quæ vt applicata à voluntate, operatur, & producit res ad extra; ita quoq; & in Deo admitti debeat similis potentia, ab eius intellectu, & voluntate distincta saltem virtualiter. Seu quod idem est, an voluntas diuina, vt ab intellectu directa, per scientiam simplicis intelligentiæ, aut intellectus eius practicus, vt motus, & applicatus à voluntate, per scientiam visionis, sit principium immediatè productiuum, & effectiuum rerũ ad extra. Circa quam quæstionem tres sunt sententiæ.

Sententia triplex.

Prima sententia docet, dari in Deo potentiam aliquam executiuam, distinctam virtualiter ab eius intellectu, & voluntate. Ita Durandus in 1. sent. dist. 38. & non pauci ex Neotericis. Eandem sententiam probabilẽ esse censet Marcus Serra 1. p. q. 25. ar. 1.

Altera sententia censet, potentiam executiuã in Deo, esse ipsammet voluntatem, vt connotat intellectum dirigentem. Hanc multi ex Neotericis sequuntur.

Tertia tandem sententia affirmat, Eiusmodi potentiam in Deo, esse intellectum eius practicum, vt motum, & applicatum à voluntate, illumq; producere res ad extra per actum imperij formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem. Et hæc est communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Datur verè in Deo potentia executiua, seu productiua rerum ad extra.

COnclusio. Datur verè in Deo potentia executiua, seu potentia actiua per ordinem ad creaturas, quas producit. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, 1 Paralip. 29. v. 12. vbi dicitur: *In manu tua virtus, & potentia*. Deinde Iob. 13. v. 25. *Contra foliũ quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam.* Et Psal 70. *Potentiam tuam Deus vsque in altissima, quæ fecisti, magnalia &c.* Et Psal. 105. *Quis loquetur potentias Domini.* Ergo iuxta Scripturam Sacram, datur in Deo potentia executiua, & productiua creaturarum.

Probatur II. *ratione*. Deus produxit omnes creaturas: ergo in illo admitti debet potentia executiua, seu principium actiuum, quo eas produxit. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Potentia executiua in Deo nõ distinguitur virtualiter ab intellectu & voluntate.

Corollarium I. Hæc potentia executiua in Deo, non distinguitur virtualiter ab intellectu, & voluntate. *Ratio*: quia Deus est simplicissimus, & naturæ purè intellectualis: ergo in illo non dantur aliæ potentiæ, præter illas, quæ pertinent ad gradũ intellectiuum, ad quem non nisi intellectus, & voluntas pertinent. *Consequentia patet*: quia potentia executiua secundùm se, est potentia bruta, nullam præsupponens essentialiter cognitionem, propter quod non admittitur in Angelis, vt distincta ab illorum intellectu, & voluntate, sed solùm operantur ad extra per actum imperij, virtualiter transeuntẽ, iuxta illud S. Thomæ opusc. 11. ar. 3. *Angeli mouent cælos conceptione sui intellectus efficaci.*

Ratio II. quia potentia executiua distincta, ab altera ordinante, & imperante, dicit imperfectionem, tàm ex parte potentiæ imperantis, quàm ex parte ipsius exequentis: ergo repugnat Deo. *Antecedens quoad 1. patet*: quia ideò admittitur potentia executiua ab altera ordinante, & imperante distincta, quòd ista in se non habeat sufficientem efficaciã, vt res mandetur executioni, neq; res ipsæ ad extra perfectè ei obediunt, ac subijciuntur; ideoq; indiget aliquo distincto à se, quo tanquàm instrumento res ipsi subijciantur, & illa habeat executionem; quemadmodùm quia homo manu sua, non habet vim scindendi, aut frangendi aliud, indiget securi, aut malleo ad id exequendum. *Quoad secundum etiam patet antecedens*: quia potentia executiua, quando est distincta ab altero ordinante, & sibi imperante, solùm se habet, vt purè obediens, & mota, ac per modum instrumenti respectu alterius: proinde si in Deo admitteretur potentia executiua, distincta virtualiter ab eius intellectu, & voluntate, haberet se per modum instrumenti, operareturque vt mota ab alia, ac illi obediendo, quod imperfectionẽ potentialitatis importat: atque sic diceret imperfectionem ex parte ipsius exequentis.

Potentia immediate executiua in Deo non est eius voluntas.

Corollarium II. Ista potentia in Deo immediatè executiua, non est voluntas. *Ratio*: quia in Deo illud attributum est immediatè productiuum creaturarũ, quod elicit actum, per quem Deus de facto producit creaturas, talis autem actus non procedit immediatè à voluntate: ergo potentia executiua, seu principium immediatè productiuum creaturarum, non est voluntas Dei.

Corollarium III. Ista potentia in Deo immediatè executiua, est intellectus practicus, vt motus, & applicatus à voluntate. Ita S. Thomas 1. p. q. 14. ar. 8. vbi dicit: *Forma intellectûs est principium operationis, sicut calor est principium calefactionis; non tamen nisi voluntate adiunctâ*. Ergo sicut calor est principium immediatè productiuum caloris; ita intellectus diuinus per scientiam practicam, est principium rerum ad extra. Et *ratio est*: quia in scriptura Sacra, dicitur Deus producere creaturas, per dictionem, & locutionem internam; hæc autem pertinet ad intellectũ, qui est quasi os, aut lingua substantiæ spiritualis, iuxta illud Psal. 31. *Os iusti meditabitur sapientiam.* Vnde sicut Pater æternus producit Filium per dicere notionale; ita & omnes personæ SS. Trinitatis, producunt creaturas per dicere commune, & essentiale: seu per actum imperij formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem.

Corollarium IV. Quando S. Thomas supra citatus, q. 19. ar. 4. dicit: *Eiusdem effectus scientia in Deo, est causa vt dirigens, voluntas vt imperans, & potentia vt exequens.* Per potentiam exequentem, non intelligit potentiam aliquam, ab intellectu, & voluntate virtualiter distinctam, vt aliqui perperam volunt; sed per potentiam exequentem, significat ipsum intellectum vt practicum, & vt motum, applicatum à voluntate: sub qua ratione gerit vices potentiæ executiuæ in Deo, estq; immediatum principium operationis ad extra. *Ratio*: quia id expresse colligitur ex S. Doctore citato q. 25. ar. 1. in 2. solut. quarti argumenti, vbi dicit: *Scientia diuina secũdùm quod est principium effectiuum, habet rationem potentiæ*, euidenter declarans, scien-

tiam Dei, vt applicatam per decretum, habere rationem potentiæ operatiuæ, & executiuæ ad extra per actum imperij.

Potentia executiua in Deo est infinita.

Corollarium V. Hæc potentia executiua in Deo, est infinita. Ita Scriptura Sacra Psal: 144. vbi dicitur: *Magnitudinis eius non est finis.* Et Baruch 3. v. 25. *Magnus est, & non habet finem.* Et *ratio est*: *tum* quia essentia diuina est infinita: ergo & virtus, seu potentia eius executiua, est infinita, cùm sit idem realiter cum illa. *Tum* quia Deus creauit hunc mundum ex nihilo; ad creandum autem requiritur potentia infinita.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Potentia Dei non distinguitur re ipsa ab essentia, sed solùm ratione, seu modo nostro concipiendi:

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam: nam ad rationem potentiæ actiuæ sufficit, quòd sit actiuum principium producendi aliquid, quod sit ex natura rei distinctum à producente. Hoc autem conuenit potentiæ diuinæ actiuæ, & executiuæ, cùm sit actiuum principium producendi creaturas, quæ sunt realiter distinctæ à Deo producente. Quòd autem sit idem re cum essentia diuina, id nihil obstat, quominùs sit potentia actiua.

Instantia & solutio eiusdem.

Instabis. Potentia actiua, vti est potentia executiua, debet esse principium alicuius actionis à se distinctæ; quia cùm sit principium agendi, necessariò dicit essentialem ordinem ad actionem eliciendam. Sed potentia diuina executiua, non est principium alicuius actionis à se distinctæ: ergo verè non datur in Deo. *Respondetur negando maiorem*: non est enim necesse, vt potentia actiua sit principium veræ actionis. Nam in productione diuinarum personarum, nulla vera actio intercedit, sed sufficit, quòd sit principium producendi aliquid distinctum à producente, siue illud sit actio, siue terminus, siue vtrumque. Iam verò potentia Dei executiua, quamuis non sit principium veræ actionis; est tamen principiũ creaturarum, quæ immediatè & sine vlla actione, à potentia Dei emanant. Vnde inter potentiam diuinam, & creatam, hoc discrimen intercedit, quòd hæc sit principium actionis, & effectus simul; illa verò solius effectus: eò quòd creaturæ nullum effectum possint producere, nisi mediante actione; at verò Deus potest sine actione.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.* Quæ distinguuntur realiter in creaturis, translata in Deum distinguuntur in Deo virtualiter. Sed potentia executiua in nobis distinguitur realiter ab intellectu, & voluntate: ergo in Deo distinguitur virtualiter. *Confirmatur.* Illæ potentiæ distinguuntur virtualiter in Deo, quæ habent distinctos actus, & diuersa obiecta. Sed potentia executiua in Deo, habet distinctum actum ab eius intellectu, diuersumq; obiectum ab illo: nam actus diuini intellectus est scire, seu intelligere; obiectumq; illius formale, ac specificatiuum, est ipsa essentia diuina; non verò creaturæ. Iam autem potentiæ executiuæ actus est, facere, seu producere, & obiectum illius est sola creatura; non verò essentia diuina, quæ non est factibilis: ergo potentia executiua in Deo, distinguitur virtualiter ab intellectu, & voluntate.

Solutio eiusdem

Respondetur distinguendo maiorem, quæ distinguuntur realiter in creaturis, ex genere suo, & ex propria formali ratione, illa distinguuntur virtualiter in Deo, *conceditur*: quæ distinguuntur ex limitatione, & potentialitate creaturæ, *negatur*. Iam verò potentia executiua in nobis, non distinguitur realiter

realiter ab intellectu, & voluntate, & ex propria ratione formali, sed ratione potentialitatis, & limitationis naturæ humanæ, quæ non est purè intellectualis, & simplex, sed mixta ex corpore, & spiritu. *Ad confirmationem, negatur minor quoad vtramq; partem*: nam actus intellectus speculatiui, est quidem solum scire, ac intelligere; cæterùm, imperium, quod est actus potentiæ executiuæ, procedit ab intellectu practico, præsupposita tamen motione voluntatis. Similiter obiectum specificatiuum diuinæ omnipotentiæ, est essentia diuina: licet enim illa non sit factibilis, & producibilis; est tamen ratio faciendi, & producendi creaturas, quæ solùm pertinent ad obiectum materiale, & secundarium illius.

DISPVTATIO IV.

De scientia Dei libera seu visionis.

POst considerationem causalitatis diuinæ scientiæ, tractat S. Thomas 1. p. q. 14. ar. 3. de scientia Dei libera, seu visionis, quæ versatur circa futura contingentia, illaq; tanquàm propria obiecta inspicit, & contemplatur, propter quod etiam scientia futurorum contingentium dici solet. Quam nos in præsenti sufficienter enucleabimus.

QVÆSTIO I.

An Deus certò & infallibiliter cognoscat futura contingentia.

Futurum à re existenti & possibili per quid differat.

SUppono I. Dari futurum contingens, vti sunt actiones liberæ creaturarum rationalium, quæ ideò dicuntur futuræ contingentes, quòd nõ pendeant à causis necessarijs, sed liberis, & indeterminatis, possintq; pro placito earum esse, vel non esse. Est ergo futurum id, quod habet determinationem in suis causis ad hoc, vt sit in aliquo determinato tempore, aut duratione subsequẽte illud instans, pro quo dicitur esse futurum. Vnde futurum vt tale, distinguitur à re, quæ modo existit, per hoc, quòd dicta res dicat existentiam de præsenti; futurum autem connotet negationem eiusmodi existentiæ in seipso habitæ in eo instanti, in quo dicitur esse futurum. Iam verò à re præcisè possibili distinguitur per hoc: quia possibile vt tale, non est determinatum ad hoc, vt sit in seipso, in aliquo, certo, & determinato tempore.

Determinatio causarum, & futuritio duplex est.

Suppono *præterea*, quòd sicut duplex est determinatio causarũ, *vna infallibilis, & immutabilis*, vti est determinatio causæ primæ: *altera fallibilis, & mutabilis*, vti est determinatio causæ secundæ contingentis, aut liberæ; ita duplicem esse futuritionem: *vnam* certam, & infallibilem, per ordinem ad causam primam: *alteram* fallibilem, & impedibilem, per ordinem ad causas inferiores contingentes, aut liberas. Quod ergo est futurum primo modo, est simpliciter, & absolutè futurum, potestq; de eo dici simpliciter, quia erit; quod autem secundo tantùm modo futurum est, solùm est futurum secundùm quid, neq; de illo simpliciter dici potest, quia erit, sed cum addito tantùm, videlicet ex vi inclinationis, & determinationis causæ. Vnde res creatæ non nisi ex ordine ad diuinum decretum accipiunt infallibilitatem euentûs; non autem ex ordine ad causas inferiores, præsertim contingentes, & liberas.

Suppono III. Contingens illud dici, quod potest esse, & non esse, attentà lege ordinariâ. Porrò futurum contingens dupliciter sumi potest. *Primò* pro eo, quod potest esse, & non esse, respectu solius potentiæ Dei: sic cæli, & Angeli habuerunt esse futura contingen-

tingentia. *Secundò* pro eo, quod potest esse, non esse, respectu causæ secundæ, & hoc duplex est. *vnum* procedens à causa ab intrinseco determinatâ ad productionem effectus; impedibili tamen ab alia causa secundâ: sic fructus arboris, ad quem virtus ipsius est determinata, potest impediri vel à grandine, vel à gelu. *Alterum* est, quod est à causa libera, & indifferenti, vti sunt actus liberi arbitrij. *Tandem*, huiusmodi contingentia libera, alia sunt absoluta, alia conditionata. *Absoluta* dicuntur, quæ de facto erunt in aliqua differentia temporis, vt lectio crastina. *Conditionata* autem sunt, quæ licet nunquàm extitura sint; essent tamen, si aliqua cõditio nunquàm ponenda, poneretur, vt conuersio Tyri, & Sydonis, si Christus Dominus fecisset in eis virtutes, quas in Bethsaida, & Corozain fecit. In præsenti igitur inquirimus de futuris absolutis; de conditionatis autem in sequenti disputatione.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Deus certò & infallibiliter cognoscit futura contingentia absoluta.

CONclusio. Deus certò & infallibiliter cognoscit futura contingentia absoluta *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longè: semitam meam, & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti.* Et Daniel. 2. *Est Deus in cælo reuelans mysteria, qui indicauit tibi, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus.* Et cap. 13. *Deus æterne, qui absconditorum es conditor, qui nosti omnia antequàm fierent.* Et Ecclesiast 23. *Domino Deo antequàm crearentur, omnia sunt cognita.* Et sapien: 8. *Scit præterita, & de futuris æstimat, signa, & monstra scit, antequàm fiant.* Et Isaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus, quia dij estis vos.* Et Ioan. 13. *Nunc dixi vobis priusquàm fiat, vt cùm factum fuerit, credatis.* Scilicet, me Deum esse. Ergo ex mente Scripturæ Sacræ, Deus certò, & infallibiliter cognoscit futura contingentia absoluta.

Probatur II. *authoritate* SS. Patrum. *In primis*, S. Augustinus lib. 5 de Ciuit. Dei cap. 9. dicit: *Qui non est præscius omnium futurorũ, non est vtiq; Deus.* Ibidemq; dicit: *Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorũ, apertissima insania est.* Idem docet Fulgenti' de fide ad Petrum cap. 31. & 32. S. Hieronymus in cap. 41. Isaiæ, & Ezechiel. 2. S. Dionysius de diuin. nominib' cap. 9. Cyrillus lib. 9. & 10. in Ioan. S. Anselmus lib. de præscientia, & prædestinatione liberi arbitrij cap. 1. totq; alij Ergo ex mente SS. Patrum, Deus certò, & infallibiliter cognoscit futura contingentia absoluta.

Probatur III. *ratione.* Deus est causa omnium futurorum contingentium: ergo illa cognoscit, dum ea producit in tempore. *Consequentia manifesta:* quia alias Deus cæco modo, & ignaro, ac sine prouidentia, & sapientia ageret. Cùm itaq; diuina scientia sit inuariabilis, neq; possit aliquid cognoscere in tempore, quod non cognouerit ab æterno, euidenter sequitur, Deum ab æterno omnium futurorum præscientiam habuisse, & quidem certam, & infallibilem. *Tum*, quia cognitio cõiecturalis ex parte subiecti, cùm sit imperfecta, & incerta, repugnat Deo. *Tum*, quia lumen propheticum, quod est velut quædam imperfecta participatio diuinæ præscientiæ, est certissimũ, & infallibile, iuxta illud Petri 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem.* Ergo habet certam, & infallibilem cognitionem futurorum contingentium. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

De' futura contingentia absoluta cognoscit certò & infallibiliter in decreto efficaci suæ voluntatis.

Corollarium I. Deus cognoscit certò, & infallibiliter omnia futura contingentia absoluta, in decreto efficaci suæ voluntatis, seu in sua essentia, ac omnipotentiâ, diuinâ, vt per tale decretum determinatâ. Ita Scriptura Sacra Isaiæ 14. *Iurauit Dominus exercituum dicens: si non vt putaui, ita erit: & quomodò mente tractaui, sic eueniet, vt conteram Assyrium in terra mea.* Quibus verbis ostenditur, Deum ex eo futuram Assyriorum contritionem, certò, & infallibiliter prædixisse, quia ipse eam decreuerat, cui nemo resistere potest. Vnde citato loco addit Propheta: *Dominus enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? & manus eius extenta: & quis auertet eam.* Idem docet S. Hilarius lib. 9. de Trinit. vbi dicit: *Quæ Deus facere decreuit, in sua voluntate cognouit.* Ergo Deus cognoscit certò, & infallibiliter, omnia futura contingentia absoluta, in decreto efficaci suæ voluntatis, seu in essentia sua, vt per tale decretum determinatâ.

Et *ratio corollarij est:* quia voluntas diuina est vniuersalissima: ergo debet efficaciter prædefinire, tam quoad substantiã, quàm quoad modum, quidquid Deus ad extra factur' est, vel quidquid ab alijs causis secundis postea fiet; ita vt ista omnia infallibiliter eueniant, iuxta præscriptum eiusdem diuinæ voluntatis. Atq; sic Deus in hoc decreto præfinitiuo, potest, & debet, cuncta futura contingentia certò scire, cùm non stet cognitio decreti diuini, seu essentiæ diuinæ, vt determinatæ per tale decretum, certò, & infallibiliter inferentis futuritionẽ cuiuslibet futuri contingentis, & non cognosci certò futuritionẽ prædictam. *Consequentia euidenter ex antecedenti sequitur:* si enim diuina voluntas non prædefiniret omnia illa, tàm quoad substantiam, quàm quoad modum, puta necessitatis, aut cõtingentiæ, & libertatis eorundem, non esset efficacissima; quemadmodùm etiam nõ esset efficacissima, si omnia non ita infallibiliter euenirent, prout ipsa decernit. *Antecedens verò probatur.* Deus est vniuersalissimum, & efficacissimum agens, ex eo, quòd sit vniuersalissimum ens, habens infinitam efficacitatem ad operandum: ergo cùm agat etiam per voluntatem, omnino eius voluntas est vniuersalissima in volendo, & efficacissima in causando, aut inferendo, quidquid sub eius voluntate cadit, ac eo modo, quo sub illa cadit.

Deus nõ cognoscit futura contingentia absoluta antecedenter ad decretum liberum & efficax suæ voluntatis.

Corollarium II. Deus non cognoscit futura contingentia absoluta per suam essentiam, vt habet rationem speciei intelligibilis, & ideas diuinas antecedenter ad decretum liberum, & efficax suæ voluntatis, in eo existens. Ita Sanctus Thomas in 1. sent. dist. 39. q. 1 ar. 2. ad 1. vbi dicit: *Sicut ipsum scire, est subiectum libertati voluntatis, ita & idea, secundùm quod ad ipsum terminatur actus diuinæ scientiæ.* Euidenter his verbis ostendens, quod sicut diuina scientia nihil cognoscat vt futurum, nisi quatenus est subiecta decreto; ita neq; idea aliquid vt futurum repræsentet, nisi prout illi subest, ab eoq; determinatur, quasi in hunc modum argumentando. Deus non potest cognoscere creaturas in suis ideis seu in sua essentiâ, vt habet rationem ideæ, & exemplaris, nisi eo modo, quo in illa repræsentantur. Sed creaturæ antecedenter ad decretum liberum, & efficax diuinæ voluntatis, non repræsentantur in essentia diuinâ, vt habet rationem ideæ, tanquàm futuræ, sed vt merè possibiles: ergo in ea non possunt cognosci vt futuræ, sed tantùm vt merè possibiles. *Minor patet:* quia ante decretum, & prædefinitionem diuinæ voluntatis, nihil est certò, & determinatè futurum, sed res omnes sunt merè in statu possibilitatis, ac indifferentiæ ad futuritionem, & non futuritionem:

nem: nam futurum est illud, quod est determinatum in suis causis ad habendam existentiam pro determinato tempore; ante decretum autem nulla res est determinata in suis causis ad habendam existentiam pro duratione sequenti, cùm Deus sit vna & præcipua ex causis, quæ debent concurrere ad productionem rerum: iam verò antecedenter ad suum decretum, Deus non est determinatus ad productionem earum, cùm decretum sit ipsamet determinatio causæ primæ. *Tum*, quia diuina essentia repræsentat creaturas, vt causa illarum; solùm autem decretum determinat illam ad causandum.

Deus non cognoscit certò futura contingentia absoluta in decreto libero suæ voluntatis vt futuro.

Corollarium III. Deus non cognoscit certò futura contingentia absoluta, in decreto libero suæ voluntatis, vt futuro. Ita S. Thomas q. 6. de verit. ar. 3. ad 10. Et in 1. sent. dist. 39 q. 1. ar. 1. ad 1. vbi de scientia visionis, concernente decretum voluntatis ita loquitur: *Actus diuinæ scientiæ, nunquàm transit in præteritum, sed semper est in actu, & ideò semper manet in libertate diuinæ voluntatis* palam ostendens, eiusmodi actum non posse esse futurum: nam quod potest esse futurum, potest eodem proportionali modo transire in præteritum. Et *ratio corollarij est*: quia actus liberi Dei mensurantur æternitate, vt propriâ, & adæquatâ eorū mensurâ: ergo illis repugnat habere rationem futurorum, & consequenter etiam repugnat, vt in eis, sic à Deo cognitis per modum futurorum, certò cognoscantur futura contingentia, quæ per ipsos decernuntur. *Antecedens* à nemine in dubium vocatur, eò quòd prædicti actus sint increati; talium autem non est alia duratio, nisi æternitas. *Consequentia etiam prima manifesta est*: quia sicut de ratione æternitatis est, vt sit vnicum *nunc*, semper præsens, eò quòd duratio infinita tam à parte ante; quàm à parte post complectens, & virtualiter continens omnem aliam durationem, & durationum signa; ita de ratione eius, quod mensuratur æternitate, est, vt semper in quocunque signo sit præsens, & nunquam habeat rationem futuri. *Secunda etiam consequentia patet*: quia id, quod nullo modo habet rationem futuri, non potest vlla ratione certò cognosci à Deo, vt futurum: alias diuina scientia falleretur, & consequenter neq; in eo signo cognito possunt futura contingentia sciri.

Ratio II. *Corollarij*: quia si decreta libera diuinæ voluntatis, haberent rationem futurorum, tunc in illo signo, in quo præintelligerentur futura, esset voluntas Dei determinata ad habenda in sequenti signo illa decreta, quæ sunt futura, & ad non habenda ea, quæ non sunt futura: ergo eo ipso læderetur libertas diuinæ voluntatis. Vnde cum hoc admitti non possit, inde sequitur, prædicta decreta neq; habere rationem futurorum, neq; vt talia posse à Deo cognosci. *Antecedens manifestum*: quia id, quod est futurum, quà tale, habet determinationem ad essendum; quemadmodùm id, quod non est præcisè possibile, sed insuper habet esse non futurum, necesse est, vt eo ipso habeat determinationem ad non essendum: ergo si ex eiusmodi diuinis decretis liberis, quædam sunt futura, quædam non, consequens est vt voluntas Dei in illo signo antecedenti, in quo præsupponitur ad omnia sua decreta, præintelligatur determinata, ad habenda illa, quæ in eo signo sunt futura, & ad non habenda ea, quæ non sunt futura. *Consequentia etiam prior ex antecedenti patet*: quia cùm hæc determinatio diuinæ voluntatis præsupponatur ad omnia decreta libera ipsius, oportet vt sit determinatio antecedens, & simpliciter necessitans, tollensque libertatē: nam quidquid Deo competit

petit

petit ante omnem actum liberum suæ voluntatis, conuenit ei necessariò, & sine voluntate. Vnde quia cognitio diuinæ essentiæ, & creaturarum possibilium, nec non & amor, quo Deus seipsum amat, competunt ipsi ante omnem determinationem liberam, suæ voluntatis; ideò hæc omnia conueniunt ipsi necessariò, & Deus ipse per determinationem antecedentem est determinatus ad illa habenda.

Deus non cognoscit certò futura contingentia in eorum veritate obiectiua ante decretum.

Corollarium IV. Deus non cognoscit certò futura contingentia, in eorum veritate obiectiuâ ante decretum. *Ratio*: quia eiusmodi futura contingentia, ante decretum, & prædefinitionem voluntatis diuinæ, non habent determinatam, & infallibilem futuritionem, aut infallibilem, & determinatam non futuritionem: & consequenter non habent determinatam veritatem obiectiuam in ratione futurorum, in qua possint certò cognosci, vt docet ipsemet Aristoteles lib. 1. de Interpret. cap. 8. illis verbis: *In ijs igitur, quæ sunt, & fuerunt, necesse est, affirmationem, vel negationem veram, aut falsam esse. In singularibus autem, atq; futuris, non similiter sese res habet.* Et *ratio manifesta est*: quia si futura contingentia haberent determinatam futuritionem, ante decretum efficax diuinæ voluntatis, propositionesq; de illis efformatæ, essent in illo priori, seu independenter à diuino decreto, prius existenti, determinatè veræ, aut determinatè falsæ, tunc prædicta futura haberent rationem futurorum ex natura rei, & ab intrinseco. Similiterq; diuinæ propositiones, essent eodem modo ex natura rei, & omninò necessariò veræ: ergo eo ipso tolleretur contingentia rerum, & indifferentia ad vtrumlibet. *Consequentia manifesta*: quia eatenùs potest manere contingentia rerum, quatenùs futura contingentia non necessariò, & ex natura rei; sed contingenter, seu liberè habent rationē futurorum, & propositiones de illis enuntiatæ, non sunt ex natura rei, & necessariò veræ. *Antecedens etiam patet*: quia quidquid conuenit rebus antecedenter ad decretum liberum diuinæ voluntatis, quæ est prima & vniuersalissima radix totius libertatis, aut contingentiæ, non conuenit illis liberè, aut contingenter, sed ex natura rei, & omninò necessariò. Sicut etiam quod conuenit eisdem dependenter ab eodem decreto, & ratione illius, non potest non contingenter, & liberè eisdem conuenire.

Deus futura contingentia in suis causis determinatis certò cognoscit.

Corollarium V. Deus futura contingentia in suis causis determinatis, vt non impediantur, sed infallibiliter inferant suos effectus, cuiusmodi sunt causæ secundæ, à Deo præmotæ, prædeterminatæ, cognoscit certò: in causis verò inclinatis, ac determinatis secundùm exigentiam talium causarum; impedibilibus tamen, & quæ non infallibiliter inferunt suos effectus, cognoscit illa solùm coniecturaliter. Ita S. Thomas q. 12. de veritate, ar. 12 ad 12. vbi dicit: *Causæ superiores, quæ sunt rerum rationes, in diuina præscientia, nunquàm deficiunt ab impletione suorum effectuum; sicut deficiunt causæ inferiores, & ideò in causis superioribus, cognoscuntur euentus absolutè, sed in inferioribus non nisi sub conditione.* Et 1. contra Gent. cap. 67. ratione 3. dicit: *Sicut ex causa necessariâ sequitur effectus certitudinaliter; ita ex causa contingenti completâ, si non impediatur: sed Deus cùm cognoscat omnia, scit non solùm causas contingentium, sed etiam ea, quibus possunt impediri, scit igitur per certitudinem, an contingentia sint, vel non sint.* Sed causæ secundæ à Deo præmotæ, aut prædeterminatæ, sunt completæ, & non impediuntur, licetq; possint non agere; infallibiliter tamen agent: ergo

Deus

Deus in illis certò cognoſcit futuros effectus contingentes, & liberos. *Præterea*, quia phyſica prædeterminatio, cùm ſit vis quædam intentionalis, deriuata à diuino decreto, eiuſq; veluti cauſalitas, ac inſtrumentum; eſt de ſe efficax, & habet connexionem infallibilem cum noſtris actibus liberis, prout & diuinum decretum. Sed Deus in ſuo decreto libero, tanquam in medio, poteſt certò præſcire futura contingentia, ac libera: ergo etiam in cauſis ſecundis naturalibus, aut liberis, vt à Deo prædeterminatis, eodem modo illa præſcire poteſt.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem.* Si Deus certò, & infallibiliter cognoſceret futura contingentia, abſoluta: ergo vana, & otioſa eſſet prouidentia, ac ſolicitudo hominum, tàm circa temporalia, quàm circa ſpiritualia. *Ratio*: quia homine etiam nihil curante, illa euenient infallibiliter, eò quòd diuina præſcientia falli non poſſit.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando ſequelam: quando enim Deus præſcit, & prædefinit aliquem effectum futurum, ſimul quoq; præſcit, & prædefinit cauſas, ac media, quibus debet euenire. Vnde ſcit quidem illum infallibiliter euenturum, ſed per tales cauſas, & per talia media: cùm ergo induſtria, & ſolicitudo humana, ſit vnum ex illis medijs, atq; cauſis, quibus mediantibus res tàm ſpirituales, quàm temporales fieri, & contingere debent; ideò illa neceſſariò eſt adhibenda, tàm in ſpiritualibus; quàm in temporalibus. Et licet futurum contingens à Deo certò præſcitũ poſſit aliter euenire; per hoc tamen diuina præſcientia nõ fallitur, nec poteſt falli, propterea, quia cùm Deus illud futurum contingens, quod de facto erit, ſciat eo modo, quo futurum eſt, & modus illius conſiſtat in hoc, quòd licet in ſuo determinato tempore, habeat poſtea de facto exiſtentiam; potuerit tamen non habere eam, ideò per hoc, quod prædictum futurum potuerit non exiſtere, non fallitur diuina præſcientia: imò potiùs falleretur, aut fallibilis eſſet, ſi tale futurum non poſſet non eſſe, aut ſi de facto non daretur.

Obiectio ſecunda.

Obiicitur II. *Contra Corollarium I.* Decretum diuinum eſt cauſa ſolùm remota, & vniuerſalis rerũ contingentium, actuumq; noſtrorum liberorum: ergo futura contingentia non poſſunt certò, & infallibiliter à Deo cognoſci in Decreto efficaci eius voluntatis. *Conſequentia patet*: quia in cauſa remota, & vniuerſali, non poteſt certò, & infallibiliter cognoſci effectus.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Eius probatio diſtinguitur. In cauſa remota, & vniuerſali, non poteſt effectus certò cognoſci, quando cauſa vniuerſalis, & remota, eſt impedibilis à proxima, & particulari, *conceditur*: quando non eſt impedibilis, *negatur*. Iam verò decretum diuinum, cùm ſit infinitæ virtutis, & efficaciæ, non poteſt impediri à cauſis ſecundis contingentibꝰ, aut liberis, ne ſuum effectum conſequatur, non ſolùm quoad eius ſubſtantiam, verùm etiam quoad modum libertatis, & contingentiæ.

Licet autem ſcientia Dei reſpectu futurorum contingentium abſolutorum, fundetur in decreto; hinc tamen non ſequitur, ſcientiam viſionis in Deo differre attributaliter à ſcientia merè poſſibilium. *Ratio*: quia decretũ liberum diuinæ voluntatis, non eſt motiuum, ſeu medium, in quo Deus cognoſcat futura, per modum rationis formalis, ſed tantùm per modum applicationis omnipotentiæ, in qua vt per decretum applicatâ, cognoſcuntur futura, ingrediente omnipotentiâ vt ratione formali obiectiuâ; decreto verò vt conditione applicante. Nam cùm repræſentatio creaturarum in Deo, ſuper continentiâ earum fundetur, & decretum non ſit ratio continendi illas, ſed tantùm applicatio omnipotentiæ, ratione cuius Deus eas præcontinet; ideò decretum nec eſt, nec poteſt eſſe, ex parte obiecti, ratio formalis repræſentandi eas. Si autem inter prædictas ſcientias eſſet diſtinctio virtualis, tunc iſta diſtinctio deberet inueniri non tantùm in conditione applicante, ſed etiam inter illorum motiua, quod non contingit in præſenti.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium II.* Eſſentia diuina, & ideæ antecedenter ad decretum liberũ, ſunt infinitæ in repræſentando: ergo in illo priori repræſentant futura contingentia, & per conſequens antecedenter ad decretum, Deus illa cognoſcit per ſuam eſſentiam, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis, & per ideas. *Hæc vltima conſequentia manifeſtè ſequitur ex priori*: quidquid enim repræſentatur intellectui diuino per diuinam eſſentiam, & ideas, antecedenter ad diuinum decretum, poteſt in illo priori certò ab illo cognoſci. *Prima etiam conſequentia facilè ex antecedenti conſtat*: tum, quia alias eſſentia, & ideæ diuinæ non eſſent infinitæ in repræſentando, quia non extenderentur ad futura contingentia. *Tum*, quia alias variaretur earum repræſentatio, ſiquidem poſt decretum repræſentarent aliquid, quod antea non repræſentabant.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur conceſſo antecedente, negatur vtraque conſequencia. Ad 1. eius probationem, negatur ſequela: nam ad infinitatem illius repræſentationis ſufficit, quòd repæſentet omne repræſentabile: iam verò futura contingentia, ſicut antecedenter ad decretum Dei de illorum futuritione, non habent eſſe futurum, ita neq; poſſunt antecedenter ad illud, repræſentari, vt futura. *Secunda itidem probatio conſequentiæ negatur*: nam variatio repræſentationis propriè ſumpta denotat, quòd prius fuerit repræſentatio alicuius, & poſtea deſierit eſſe; hoc autem in diuina eſſentia, & ideis menſuratis æternitate reperiri non poteſt. Cæterùm cum hoc ſtat, quòd eſſentia diuina accedente decreto repræſentet futurũ contingens, quod antea non repræſentabat: non quidem ex defectu ipſius, ſed ex defectu obiecti, quod pro illo priori, ſicut non habebat rationem futuri; ita neq; vt futurum habebat eſſe repræſentabile: atque ſic eo ipſo, quòd in ſequenti ſigno habeat rationem futuri, repræſentabitur vt tale à diuina eſſentiâ, & ideis, ſine earum variatione.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium III.* Deus pro illo ſigno rationis, antequàm intelligatur habere decretum liberum, comprehendit ſuam eſſentiam, & voluntatem: ergo ſcit, quid ſua voluntas in ſequenti ſigno volitura ſit: ergo in illis decretis futuris, cognoſcit certò futura contingentia. *Conſequentia prima eſt manifeſta*: nam eo ipſo, quòd illa cognitio ſit comprehenſiua, debet eſſe omnibus modis perfectiſſima: atq; ſic debet extendi ad omnem veritatem: ergo per illam Deus ſcit, quidquid eius voluntas in ſequenti ſigno volitura ſit, circa productionem alicuius creaturæ poſſibilis. *Antecedens etiam patet*: quia ex illa cognitione, ſecundùm ea, quæ ipſi conueniunt in prædicto ſigno, procedit Verbum diuinum: nam priùs eſt illud procedere, quàm quòd ſit decretum de productione creaturarum:

rum: ergo talis cognitio pro illo priori est comprehensiua: alias Verbum non procederet ex comprehensione essentiæ, & sic non procederet ex perfectissima cognitione illius. *Respondetur falsum esse suppositum antecedens*, scilicet dari aliquod signum rationis, in quo Deus comprehendat suam essentiam, & non intelligat, aut non habeat sua decreta libera. Nam ista signa rationis *in quo*, non debent distingui respectu diuini intellectus, cognoscentis seipsum prout est in se, & vnico, ac eodem simplicissimo intuitu mensurato æternitate, cuncta attingentis; imò nec cum fundamento in ipso Deo, debent distingui prædicta signa respectu intellectus nostri, dum cognoscit modũ, quo Deus seipsum comprehendit, licet inter prædictam comprehensionem, & decretum liberum, sit sua prioritas *à quo*. Vnde *prima consequentia falsa est*: solùm enim ex illo antecedente sequitur, Deum scire, quid sua voluntas tunc velit; non autem quid in sequenti signo *in quo* volitura sit, cum ad hoc requiratur multiplicitas signorum *in quo*, iuxta rationem diuini intellectus, ac proinde, quòd volitio illa habeat rationem futuræ; ad illud verò satis est; quòd in illo priori *in quo*, habeat esse præsens, & intelligatur vt præsens volitio illa, quam Deus de facto habuit, licet sit posterior posterioritate præcisè *à quo*; quam cognitio comprehensiua Dei. *Ad probationem itidem eiusdem consequentiæ, negatur consequentia*: non est enim verum, Deum in sequenti signo *in quo*, adhuc secundum rationem aliquid voliturum, sed tantum in eodem signo *in quo*, velle de præsenti. Vnde ex eo, quòd cognitio illa sit comprehensiua, & perfectissima, non sequitur, per eam cognoscendum esse, quid voluntas Dei in sequenti signo sit volitura. *Tandem ad probationem antecedentis, negatur antecedns*, scilicet, quòd Verbum diuinum procedat ex cognitione Dei, prout in aliquo signo *in quo*, adhuc secundum rationem præsupponitur ad decreta libera.

Solutio eiusdem.

Instabis. Decreta Dei libera in illo signo, in quo scientia Dei præcedit ipsa, non intelliguntur esse actu præsentia in seipsis, sed tantùm futura: ergo sciuntur à Deo vt futura: atque sic in ipsis scitis, sciuntur etiam futura contingentia, quæ per illa decernuntur. *Antecedens patet*: quia decreta Dei libera, subsequuntur ad scientiam Dei, à qua diriguntur, & sunt posteriora in collatione ad eam. *Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem dicitur*, decreta Dei libera, non subsequi ad scientiam Dei subsecutione posterioritatis *in quo*, adhuc secundum rationem; sed tantùm subsecutione posterioritatis *à quo*: atq; sic in illo signo *in quo*, intelliguntur esse præsentia in seipsis, vna cum diuina scientia.

Instantia.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO II.

An futura contingentia absoluta sint realiter & physicè præsentia Deo in mensura æternitatis.

OCcasio tractandæ istius quæstionis hæc est, quia in præcedenti quæstione declaratum est, Deum certò, & infallibiliter cognoscere futura contingentia absoluta, eò quòd eius æternitati sint actu præsentia; ideò controuertitur in præsenti, qualis nam sit ista præsentia futurorum contingentium, an obiectiua solùm, & intentionalis, num certè physica, & realis? Porrò *præsentia obiectiua & intentionalis*, illa est, quam res creatæ habent in mente cognoscentis: nam omnis cognitio habet, quòd sit obiecti sui repræsentatio, ipsumque quatenùs est quædam eius similitudo, potentiæ cognoscenti quodam modo sistat, ac præsens efficiat. *Præsentia*

Occasio quæstionis.

Præsentia alia obiectiua, alia physica.

verò realis, & physica est, quam eædem res habent, dum producuntur, ponunturq; extra suas causas.

Suppono itaque I. In scientia Dei duplicem præsentiam distingui posse, respectu futurorũ contingentium. *vna est ipsi soli propria*, quatenus est viua, clara, & intuitiua sui obiecti similitudo, & repræsentatio. *Altera*, quæ ipsi conuenit ratione æternitatis, quæ ratione suæ infinitatis virtualiter se extendit ad dicta futura, illaq; in suo vastissimo, ac infinito sinu continet, & complectitur; ita quòd si per impossibile Deus non haberet futura contingentia in sua præscientia, & cognitione præsentia; videret nihilominùs illa præsentia, in sua æternitate. Vnde controuersia est in præsenti, an futura contingentia ab æterno sint præsentia Deo hoc vtroq; modo, an certè solum primo.

Præsentia realis futurorum cõtingentiũ in æternitate tripliciter concipi potest.

Suppono *præterea*, præsentiam realem, & physicam futurorũ contingentium in æternitate, tripliciter posse concipi. *Primò*, per quandam anticipatam illorum productionem in æternitate, distinctam ab ea, quà in tempore producuntur. Sic Antichristum possumus concipere vt præsentem in æternitate, quia in illa iam productus est, & extra suas causas positus. *Secundò*, per coëxtensionem ipsius rei temporalis ad totam æternitatem, eo ferè modo, quo illi coëxtenderetur tempus infinitum, si daretur. *Tertiò*, per coëxtensionem ipsius æternitatis, ad eam temporis differentiam, in qua futura contingentia aliquando existent, fientque præsentia. Nullum itaq; dubium est de primo, & secundo modo, cùm taliter futura contingentia, non esse ab æterno præsentia, sed omninò in tempore incepisse, constet ex Genes. 1. Sed controuersia solum est de tertio modo, scilicet per coëxtensionem ipsius æternitatis ad illam differentiam temporis futuri, in quo Antichristus v. g. producetur.

Suppono III. Æternitatem diuinam dupliciter considerari posse. *Primò*, quatenùs se tenet ex parte diuini decreti, tanquàm eius mensura propria, & adæquata. *Secundò*, prout se tenet ex parte futurorum contingentium, ad quæ ratione suæ infinitatis virtualiter se extendit, eaq; suo sinu vastissimo, & infinito complectitur, ac comprehendit, sunt autem in præsenti quæstione duæ opiniones.

Prima negat, futura contingentia ab æterno esse realiter, & physicæ præsentia Deo ratione suæ æternitatis, sed solùm obiectiuè & intentionaliter ratione diuinæ præscientiæ, & cognitionis. Hanc tenent Durandus, Scotus, Ægydius Romanus, Herueus, & ex recentioribus non pauci.

Opinio prima.

Altera opinio docet, quòd licet res omnes creatæ, in tempore, & in propria duratione incipiant existere, atque sic in illa physicè ab æterno, Deo non coëxistant; in æternitate tamen coëxistunt illi ab æterno realiter, & physicè, & non solùm obiectiuè, ac intentinaliter, quatenùs æternitas ratione suæ infinitatis, & indiuisibilitatis, eas ambit, ac continet *in vnico* nunc indiuisibili, virtualiter correspondente illi differentiæ temporis, in qua res producuntur, & existunt. Et hæc est communis Theologorum.

Opinio secunda.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

COnclusio. Futura contingentia absoluta, ab æterno sunt Deo præsentia realiter, & physicè, ratione suæ æternitatis, & non solùm obiectiuè, ac intentionaliter ratione

Futura contingentia absoluta sunt præsentia Deo realiter ab æterno.

ratione ſuæ præſcientiæ. *Probatur I. authoritate S. Thomæ.* 1. p. qu. 14. ar. 3. vbi dicit: *Æternitas ſimul exiſtens ambit totum tempus: vnde omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolùm ea ratione, quâ habet rationes rerum apud ſe præſentes, ſed quia eius intuitus fertur ab æterno ſupra omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate.* Sed hoc non poteſt intelligi de præſentialitate obiectiuâ, vt aliqui perperam interpretantur: ergo intelligi debet de præſentialitate reali, & phyſica. *Minor patet*: tum quia præſentialitate obiectiuâ omnia ſunt Deo ab æterno præſentia, per rationes rerum, ſeu ideas, quæ vt habent adiunctam voluntatem diuinam, futura contingentia repræſentant; quemadmodum etiam illa repræſentat diuina eſſentia, vt ſpecies intelligibilis. *Tum*, quia præſentialitas obiectiua non eſt illa, quâ vnumquodq; eſt actu in ſeipſo, in ſuo eſſe, ſed quâ aut eſt in intellectu, neq; eſt ſua cuiuſq; præſentialitas, cùm non ſit vnumquodq; præſens per ſeipſum, ſed per ſpeciem, quâ præſentatur. *Tum*, quia alias fruſtra S. Thomas recurreret ad æternitatem, quâ menſuratur Dei cognitio: quia cognitio, quæ menſuratur tempore, & fertur in rem realiter abſentem, habet eam obiectiuè præſentem. *Tum*, quia D. Thomas in citatis verbis infert, omnia quæ ſunt in tempore, eſſe Deo ab æterno præſentia, eò quòd æternitas tota ſimul exiſtens, ambiat omne tempus. Ergo ea quæ ſunt in tempore, non ſolùm obiectiuè, ſed etiã verè & realiter ſunt Deo ab æterno præſentia. *Tum denique*, quia cùm æternitas non ſit attributum pertinens ad cognitionem, ſed ad durationem, non cauſat præſentiam obiectiuam, ſed realem, & phyſicam.

Probatur II. *ratione*. Deus ab æterno ſcientiâ viſionis cognoſcit omnia, quæ ſunt in tempore; ergo omnia ſunt ab æterno Deo realiter præſentia. *Antecedens* conſtat ex Scriptura Sacra Eccleſ: 39. v. 24. vbi dicitur: *opera omnia carnis coram illo, & non eſt quidquam abſconditum ab oculis eius. à ſæculo & vſq; in ſæculum reſpicit.* Et *ratio eſt*: quia alias diuina ſcientia eſſet variabilis: inciperet enim videre res, quas antea non videbat. *Conſequentia etiam patet*: Tum quia alias notitia intuitiua Dei, quam habet eorum, quæ ſunt in tempore, mutaretur: nam de nouo videret rem, in ſe ipſa præſentem, quam antea ſolùm vt futuram videbat. *Tum*, quia præſentialitas obiectiua non ſufficit ad notitiam intuitiuam, cum etiam reſpectu notitiæ abſtractiuæ ſit res obiectiuè præſens; notitia autem intuitiua ab abſtractiua per hoc diſtinguitur, quòd intuitiua ad rem exiſtentem, realiterq; præſentem terminetur; abſtractiua verò abſtrahit à rei exiſtentiâ, & præſentialitate. *Tum denique*, quia S. Thomas q. 2 de verit. ar. 9. ad 2 de ſcientia viſionis ita ſcribit: *Dicitur ſcientia viſionis in Deo ad ſimilitudinem viſus corporalis, qui res extra poſitas intuetur: vnde per ſcientiam viſionis Deus ſcire non dicitur, niſi quæ ſunt extra ipſum.* Sed quæ ſolùm ſunt Deo obiectiuè præſentia, non ſunt extra ipſum: ergo non videntur à Deo per ſcientiam viſionis.

Probatur II. Æternitas eſt menſura indiuiſibilis, & tota ſimul, quæ ſine aliqua ſucceſſione ambit omne tempus præteritum, præſens, & futurum: ergo omnia quæ ſunt in tempore, ſunt illi realiter præſentia. *Conſequentia patet*: quia alias daretur ſucceſſio in æternitate: nam illa duratio, in qua non ſunt præſentia, eſſet prior; illa verò in qua ſunt præſentia, eſſet poſterior. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Futura contingentia abſoluta, eſſe ab æterno realiter

aliter & phyſicè præſentia Deo in menſura æternitatis, eaq; ratione huius præſentiæ à Deo certò cognoſci, eſt ad mentem Scripturæ Sacræ, & SS. Patrum. *Prima pars patet*, ex illo Iob 14. *Numerus menſium eius apud te eſt*, id eſt, nunquam reſpectu tui menſes mei ſunt futuri, ſed ſemper præſentes, & ſtantes, ex eò, quòd eſſe tuum æternitate menſuretur. Et Eccleſiaſt. 39 *opera omnis carnis coram illo à ſæculo, & vſq; in ſæculum reſpicit, & nihil eſt mirabile in conſpectu eius.* Quibus verbis oſtenditur, omnia opera noſtra eſſe Deo præſentia ab æterno, eaq; omnia Deum ab æterno percipere intuitiuè: proinde quòd ſint ei ab æterno realiter, & phyſicè præſentia, ſiquidem eiuſmodi præſentia ad notitiam intuitiuam omninò requiritur: ergo corollarium hoc eſt ad mentem Scripturæ Sacræ. *Secundam etiam partem corollarij*, expreſsè docet S. Auguſtinus lib. 11. Confeſſ: cap. 10. vbi ſcribit: *Quis tenebit cor, & figet illud, vt paulatim rapiat ſplendorem ſemper ſtantis æternitatis, & comparet cum temporibus nunquàm ſtantibus, & videat eſſe incomparabilem; nec præterire quidquid in æternitate, ſed totum eſſe præſens.* Et ſuper Pſal. 101. exponens illa verba: *In generationem, & generationem anni tui*, ita diſcurrit: *Æternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile. Nihil ibi eſt præteritum, quaſi non ſit, nihil eſt futurum, quaſi nondum ſit, ſed quidquid ibi eſt, non niſi eſt.* Et Richardus de S. Victore lib. 2. de Trinit. cap. 3. dicit: *Sicut eorum, quæ nondùm ſunt, nihil eſt Deo futurum; ſic eorum omnium, quæ iam non ſunt, nihil eſt prætæritum: ſic eorum omnium, quæ iam præſentialiter ſunt, nihil eſt ei tranſitorium.* Idemque vnanimiter docent alij SS. Patres, vt S. Gregorius lib. 10. moral. cap. 23 Anſelmus lib. de caſu diaboli cap. 21. & lib. de concordia præſcientiæ, ac Prædeſt. cap. 1. Ambroſius, Proſper, & alij. Ergo hæc veritas eſt ad mentem Sanctorum Patrum.

Corollarium II. Æternitas quatenùs tenet ſe ex parte diuini decreti, & illud menſurat, neceſſaria eſt ad fundandam in Deo certam, & infallibilem ſcientiam futurorum contingentium. *Ratio*: quia vt aliquod medium poſſit fundare certam, & infallibilem notitiam alicuius effectus, debet eſſe omninò inuariabile, & indefectibile. Quemadmodùm etiam, vt ex aliquo principio deducatur concluſio demonſtratiua, neceſſe eſt illud eſſe omninò infallibile, ac immutabile. Iam verò ſi diuinum decretum non menſuraretur æternitate, ſed tempore, aut æuo, non eſſet omninò immutabile, & indefectibile, ſiquidem æuum, & tempus, omniſq; menſura æternitate inferior, mutabilis, & defectibilis eſt, ſaltem de potentia Dei abſoluta. Ergo ſi diuinum decretum non eſſet æternitate menſuratum, non poſſet fundare certam, & infallibilem ſcientiam futurorum contingentium. Nam ſi diuinum decretum non eſſet æternitate menſuratum, ſed aliâ menſurâ ab intrinſeco, aut extrinſeco defectibili, ac mutabili, antequàm futura contingentia in propria menſura, & duratione exiſterent, tunc Deus non poſſet certò ſcire, an ipſe perſiſteret in ſuo decreto vſque ad illam durationem, num verò loco illius oppoſitum decretum haberet: quoniam decretum illud cum ſua menſura, eſſent defectibilia; proinde ſicut poſſent perſiſtere; ita etiam poſſent non perſiſtere vſque ad prædictam durationem.

Corollarium III. Ex parte cauſarum contingentium, nulla alia poteſt eſſe ratio certitudinis cognitionis

Ex parte cauſarum contingentiũ ſola il-

lorum præsentia in æternitate potest esse ratio certitudinis cognitionis diuinæ.

tionis diuinæ, respectu futurorum contingentium, nisi illorum præsentia in æternitate. Ita expressè S. Thomas 1. p. q. 14. ar. 13. his verbis: *Contingens vt est in sua causa, consideratur vt futurum, & nondùm determinatum ad vnum; quia causa contingens se habet ad opposita, & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni.* Et *ratio est*: quia causa contingens secundùm se spectata, est indifferens ad esse, & non esse effectûs, quem continet; in medio autem indifferenti, non potest aliquid determinatum cognosci: proinde solùm potest terminare certam cognitionem, quatenùs actu extra causas existit. Cùm ergo ab æterno non existat extra causas in propria duratione, sed solùm in æternitate, quæ ratione suæ infinitatis, ad eam durationem & differentiam temporis, in qua aliquandc extra causas debet exire, se extendit; ideò sola præsentia futurorum contingentium in æternitate, est ratio, cur Deus dicta futura ab æterno certò cognoscat.

Corollarium IV. Præsentia futurorum contingentium in æternitate, non est solùm, & vnicum medium, in quo Deus illa certò, & infallibiliter possit cognoscere. *Ratio*: quia licet per impossibile eiusmodi futura in æternitate Deo realiter non cöexisterent; adhuc tamen Deus certò, & infallibiliter illa cognosceret in suo decreto efficaci, æterno, & immutabili. Nam medium infallibiliter connexum cum aliqua re, est sufficiens ratio infallibilis cognitionis illius: cùm ergo decretum efficax diuinæ voluntatis indefectibile, & æternitate mensuratum, infallibiliter cum futuritione contingentium absolutorum connectatur; ideò ratione illius futura contingentia possunt à Deo certò cognosci, atq; sic physica illorum præsentia in æternitate, non est solum, & vnicum medium, in quo Deus certò, & infallibiliter possit ea cognoscere. Et certè si futura contingentia absoluta possunt à Deo certò cognosci in suis causis secundis prædeterminatis, multò magis poterunt certò cognosci in ipso efficaci diuino decreto prædeterminanre, à quo præmotio physica, & gratia efficax desumunt totam suam vim, totamque certitudinem, & infallibilitatem.

Præsentia physica futurorũ contingẽtium in æternitate requiritur ad hoc, vt cognitio diuina terminata ad illa, habeat rationem intuitionis.

Corollarium V. Præsentia physica, & realis futurorum contingentium in æternitate, est necessaria ad hoc, vt cognitio diuina ad illa terminata, habeat rationem intuitionis. Ita S. Thomas citatus, & in 1. dist. 38. q. 1. ar. 5. ad 2. vbi docet, ideò futura videri à diuino intellectu, quia sunt eius æternitati præsentia. Et *ratio corollarij est*: quia de ratione cognitionis intuitiuæ est, vt terminetur ad obiectum extra causas existens, & consequenter præsens in aliqua duratione. Sed futura contingentia absoluta non existunt ab æterno in propria duratione extra causas: ergo vt ab æterno terminent intuitiuam Dei cognitionem, necesse est, vt ab æterno existant, sintq; præsentia in mensura æternitatis. Et hoc expressè docet S. Thomas q. 3. de verit. ar. 3. ad 8. vbi dicit: *Visio addit supra simplicem cognitionem aliquid extra genus notitiæ, quod est existentia rei,* quod non potest intelligi de existentia obiectiua, & intentionali, cum hæc non sit extra genus notitiæ, solumq; sit in intellectu cognoscentis; sed intelligi debet de existentia physicâ, & reali, vt constat ex definitione notitiæ intuitiuæ, quæ definitur, quòd sit *notitia rei præsentis vt præsens est.*

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem* S. Thomas 1. p. qu. 14. ar. 13. dicit:

dicit: *Omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solùm ea ratione, quâ habet rationes rerum apud se præsentes, vt quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate,* quibus verbis ostendit, præsentiam rerum in æternitate non aliter poni, nisi vt cognitæ sunt à Deo, & prout sunt in eius præscientia æterna. Ergo S. Thomas solam præscientiam obiectiuam, & intentionalem rerum temporalium in æternitate agnoscit.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam, imò S. Thomas ex præsentia futurorum contingentium, infert illa à Deo intuitiuè videri, euidenter ostendens, intuitionem non esse rationẽ præsentiæ, sed potius physicam, & realem futurorũ in æternitate præsentiam, esse rationem intuitionis, seu visionis. Non sunt tamen res temporales Deo præsentes in æternitate, per anticipatam earum productionem in æternitate, distinctam ab illa, quâ in tempore producuntur, (vt quidam Neoterici crassè imaginantur) sed tantùm per extensionem virtualem ipsius æternitatis, ad illam temporis differentiam, in qua res fuerunt à Deo in propria mensura, & duratione productæ.

Instantia & solutio eiusdem.

Instabis. S. August. 12. de Ciuit. cap. 15. dicit: *Res antequàm fierent, non fuerunt, sed ante dico, æternitate, non tempore*: ergo res temporales non fuerũt ab æterno præsentes Deo in æternitate, per virtualem ipsius æternitatis extensionem, ad eam temporis differentiam, in qua productæ sunt. *Respondetur negando cõsequentiam*: S. enim Augustinus in citatis verbis solùm intendit, res antequàm essent, non fuisse priùs in æternitate, tanquàm in propria, & adæquatâ mensurâ. Vel certè non fuisse priùs in æternitate, vt virtualiter correspondente tempori imaginario, quod earum productionem præcessit. Per hoc tamen non negat, illas fuisse in æternitate, secundùm quod æternitas ratione suæ infinitatis, virtualiter se extendit ad illam differentiam temporis, in qua fuerunt productæ. Sic res quæ nondùm existunt in se, vt est Antichristus, iam nunc cöexistunt Deo in æternitate, non quidem in propria duratione, & in *nunc* nostri temporis; sed in *nunc*, seu mensura æternitatis inadæquatâ, & superexcedente.

Instantia secunda.

Instabis vlteriùs. Si Antichristus nunc existeret in æternitate, esset ab æterno: nam existere in æternitate idem est, quòd ab æterno existere. Sed Antichristus non existit ab æterno: ergo non existit in æternitate. *Respondetur distinguendo maiorem.* Si Antichristus nunc existeret in æternitate, seu in *nunc* æternitatis, adæquatè sumpto, & secundùm totam extensionem virtualem, quam continet, esset ab æterno, *conceditur*: si existeret in *nunc* æternitatis, inadæquatè sumpto, & secundùm aliquam tantùm ejus virtualitatem, esset ab æterno, *negatur*. Aliud itaq; est, Antichristum esse ab æterno, & aliud, illum existere in æternitate: nam vt esset ab æterno, deberet eius existentia ad totam æternitatem cöextendi, ad eum ferè modum, quo illi cöextenderetur tempus infinitum, si daretur: & sic deberet mensurari æternitatè adæquatè sumprâ, & secundùm omnes sinus, ac partes virtuales, quas continet. Iam verò, vt dicatur nunc esse præsens, & existens in æternitate, id non requiritur, sed sufficit, quòd illa differentia temporis, in qua aliquando existet, & erit præsens, nũc contineatur ab ipsa æternitate; & quòd hæc ratione suæ infinitatis, virtualiter se ad eam extendat: quod est existere in æternitate inadæquatè,

& ſecundùm aliquam ſolum eius virtualitatem.

Inſtantia tertia.

Inſtabis III. Implicat aliquid exiſtere in menſura alienâ, & ſuperiore, niſi priùs exiſtat in propria, & intrinſeca ſibi. Sed Antichriſtus v. g. non exiſtit ab æterno in propria menſurâ: ergo neq; exiſtit in æternitate etiam inadæquatè, quæ eſt aliena, & extrinſeca illi. *Reſpondetur diſtinguendo maiorem.* Implicat aliquid exiſtere in menſura alienâ, & ſuperiore, niſi priùs exiſtat in propria, & intrinſecâ ſibi, quando menſura extrinſeca, & ſuperior, eſt limitata, finita, *conceditur*: quando eſt infinita, *negatur*: tunc enim non eſt neceſſarium, vt priùs aliquid exiſtat in duratione propriâ, & intrinſecâ, prout eſt in ſeipſa, ſed poteſt exiſtere in illa, vt in ſuperiori contentâ. Et ſic res omnes creatæ, ſunt in propria duratione ab æterno, non in illa vt in ſe eſt, ſed vt contentâ in æternitate, tanquam in menſura ſuperiori.

Obiectio ſecunda

Obijcitur II. *Contra Corollarium* V. Cognitio Dei reſpectu futurorum contingentium, eſt intuitiua ab æterno adæquatè, & ſecundùm omnem æternitatis virtualitatem: ergo preſentia realis, & phyſica futurorum contingentium in æternitate, non eſt neceſſaria ad hoc, vt cognitio diuina ad illa terminata, ſit intuitiua. *Conſequentia patet*: quia futura cõtingentia non ſunt phyſicè preſentia æternitati adæquatè ſumptę, & ſecundùm omnem eius virtualitatem. *Reſpondetur concedendo maiorem in ſenſu ſpecificatiuo, & negando in ſenſu reduplicatiuo.* Nam verum eſt, quòd cognitio diuina, vt intuitiua, menſuratur æternitate, vt coëxiſtenti omni durationi verę, aut imaginariè; quòd tamen ſit intuitio, id non habet ex illa coëxiſtentiâ ad omnẽ durationem, ſed tantùm ad eam, in qua erit res phyſicè pręſens, & exiſtens. Vnde licet cognitio, quâ Deus cognoſcit Antichriſtum v. g. vt pręſentem in *nunc* ſuæ æternitatis, ſit intuitiua illius, ſecundùm quod tale *nunc* ratione ſuæ infinitatis, virtualiter ſe extendit ad illam differentiam temporis, in qua Antichriſtus erit aliquando præſens, & exiſtens; non tamen eſt intuitiua, ſed abſtractiua, ſecundùm quod illum cognoſcit in *nunc* æternitatis, vt correſpondet tempori præſenti. Sub illa enim æternitatis virtualitate, Antichriſtus vt potè nondum præſens, ſed futurus, non poteſt terminare cognitionem intuitiuam, ſed ſolùm abſtractiuam. Nulla autem res cognoſcitur à diuino intellectu, vt futura reſpectu æternitatis; ſed tantùm reſpectu propriæ durationis.

Solutio eiuſdem.

DISPVTATIO V.

De ſcientia Conditionatorum.

Habitâ notitiâ de futuris contingentibus abſolutis, ad explicanda futura ſub conditione, recto ordine procedimus, quonam modo à Deo cognoſcantur.

QVÆSTIO I.

An Deus certò, & infallibiliter cognoſcat futura contingentia conditionata.

SUppono I. Futurum conditionatum dupliciter accipi. *Primò* ita, vt denotet futurum, quod de facto erit, quia etiam conditio, à qua dependentiam habet, erit: & ſic dicitur futurum cõditionatum, eò quòd pendeat ab aliqua conditione. Sic incarnatio Verbi habuit rationem futuri conditionati, quia pendebat à peccato Adæ: ſi enim hoc peccatum non fuiſſet, neq; Incarnatio foret, Auctore D. Thomâ 3. p. q. 1. ar. 3. *Secundò*, dicitur futurum contingens conditionatum, quod de facto re ipſa nunquam habebit exiſtentiam; haberet tamen eam, ſi conditio, à qua pendet, poneretur, licet re ipſa nunquam

Futurum conditionatum dupliciter accipitur.

ponenda ſit. v. g. *Si Iudas non ſe ſuſpendiſſet, ſaluus eſſet.* Et hoc futurum conditionatum adhuc eſt duplex, *vnum*, quod aliquando nectitur cum conditione, eò quod conditio aliquomodò influat in illud, ſiue talis influxus ſit per modum cauſæ, ſiue occaſionis, aut conditionis, *ſine qua non.* v. g. *Si Petrus audiret concionem, conuerteretur. Alterum*, quod nullam habet, quantum eſt ex ſe, connexionem cum conditione, ſed ſecundùm ſe ſpectatum, habet ſe concomitanter ad eam. Et talia futura conditionata, vocantur diſparata. v. g. *Si Petrus comederet Cracouiæ, Paulus oraret Varſauiæ.*

Suppono *prætereà*, vtrumque hoc poſtremum conditionatum, adhuc ſubdiuidi in alia membra. *In primis* enim futurum conditionatum, habens aliquam connexionem cum conditione, aliud eſt, quod nectitur cum illa neceſſitate ſimpliciter, v. g. *Si ſol luceret, Dies eſſet: ſi Petrus ambularet, moueretur.* Aliud, quod ſolùm habet connexionem infallibilem cum conditione, ſeu connexionem neceſſariam neceſſitate ſecundùm quid, & præcisè ex ſuppoſitione, v. g. *Si Iudas efficaciter vocatus fuiſſet à Chriſto, non ſe ſuſpendiſſet, ſed fuiſſet conuerſus*: vel, *ſi prædeſtinatus eſſet, nõ damnaretur, ſed ſaluus fieret.* Aliud denique, quod probabiliter, aut coniecturaliter coniungitur cum conditione, v. g. *Si Petro ſitienti propinaretur potus, biberet illum.* Similiter futurum conditionatum diſparatum, *aliud eſt*, in quo poſitio conditionis habet dependentiam à cauſa liberâ; effectus autem concomitans à cauſa neceſſariâ. v. g. *Si Petrus pergeret Varſauiam, Paulus occideretur à fulmine. Aliud* in quo tàm poſitio conditionis; quàm effectus ipſe ſecut⁹, habent depẽdentiam à cauſa liberâ creatâ. v. g. *Si Petrus caneret Varſauiæ, Paulus dormiret Cracouiæ.* Præſens igitur quæſtio, ſolùm procedit de futuris conditionatis, quæ re ipſa nunquàm exiſtent; exiſterent tamen liberè, id eſt ab aliqua cauſa libera fierent, ſi certa aliqua conditio poneretur, cum qua habent aliquam connexionem.

Opinio duplex.

Prima itaq; opinio negat, futura contingentia conditionata, cognoſci à Deo certò, & infallibiliter, ſed ſolùm vult illa cognoſci coniecturaliter. Hanc tenet Curiel. lib. 1. controuer. controuerſia 7. Corneio 1. p. q. 14. ar. 13. diſp. 3. dub. 2. & alij ex recentioribus. *Altera opinio* conſtanter oppoſitum affirmat, & hæc eſt communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

COnclusio. Deus cognoſcit certò, & infallibiliter futura contingentia conditionata: ſeu quod idem eſt, Deus ab æterno præuidit, quid Angeli, aut homines liberè facturi eſſent, ſi in tali, aut in tali rerum ordine, cum his aut illis circumſtantijs collocarentur. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, 4. Reg. 13. vbi dicitur: *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem.* Huiuſmodi autem futuri conditionati prædictio, denotat illius conditionem, & quidem non coniecturalem ex vi connexionis conditionis cum euentu, ſiquidem percuſſio terræ, nullam cõnexionem etiam probabilẽ habebat cum debellatione, aut vaſtatione Syriæ: ergo certam, & infallibilem. Et 3. Reg. 11. *Non ingrediemini ad eas* (id eſt filias Gentium) *neq; de illis ingredientur ad veſtras: certiſſimè enim auertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum.* Quibus verbis prænuntiata fuit ſeductio, & auerſio cordis, ſi filij Iſraël connubia duce-

Deus ab æterno præuidit, quid Angeli aut homines, liberè facturi eſſent.

ducerent cum alienigenis eis vicinis. Et Matth. 11. v. 12. *Si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ in vobis factæ sunt, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent.* Quibus verbis prænuntiata fuit conuersio Tyriorum, & Sydoniorum, si Christus apud illos prædicasset Euangelium, & fecisset signa, quæ fecit apud Iudæos. Ergo Deus certò, & infallibiliter cognoscit omnia futura contingentia conditionata.

Probatur II. *ratione.* Scientia Dei est vndequaq; perfecta: ergo attingit omne verum. *Consequentia patet:* quia nisi attingeret omne verum, non esset vndequaq; perfecta. Sed futura cōditionata sunt vera; imò prius secundùm rationem, futurum cōtingens est verum conditionatè; quàm absolutè: si enim verum est, quòd Petrus positus in talibus circumstantijs peccet, profectò antequam in illis positus esset, verum erat, quòd si in ijs poneretur, peccaret. Ergo scientia Dei attingit futura contingentia conditionata.

Probatur III. Cognitio quæ fundatur in medio certo, & infallibili, est certa, & infallibilis. Sed cognitio Dei, quam habet de futuris cōditionatis, fundatur in medio certo, & infallibili: ergo est certa, & infallibilis. *Minor patet:* quia dicta cognitio fundatur in decreto ex se efficaci absoluto ex parte subiecti, & conditionato solùm ex parte obiecti: ergo fundatur in medio certo, & infallibili. Et licet verum sit, quòd sublatis decretis conditionatis, non daretur in Deo certa, & infallibilis conditionatorum scientia, sed tantùm coniecturalis, & probabilis; nihilominus illis admissis, certa conditionatorum scientia admitti debet. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Deum certò cognoscere futura contingentia conditionata, est consonum scripturæ Sacræ.

Corollarium I. Deum certò, & infallibiliter cognoscere futura contingentia conditionata, est consonum scripturæ Sacræ. Ita communis Theologorum sententia. *Ratio:* desumitur ex scriptura Sacra 1. Reg. 23. cùm Dauid esset in Ceila, audissetq; quòd Saul venturus esset illuc, vt euerteret vrbem propter Dauidem, consuluit Dominum: *Si tradent me Ceilitæ in manus eius, & si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus, indica seruo tuo.* Et ait Dominus, *descendet.* Dixitq; Dauid, si tradent me viri Ceilitæ? & viros, qui sunt mecum, in manus Saul? & dixit Dominus, *tradent.* Vbi duplex futurum conditionatum asseueranter, proinde certò, & infallibiliter prædixit Deus, videlicet descensum Saulis, & traditionem Ceilanorum, si Dauid ibidem permansisset. Similiter Hieremiæ 38. ad Regem Sedechiam Deus locutus est: *Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non succendetur igne, & saluus eris tu, & domus tua.* Vbi tria futura conditionata asseueranter prædicta sunt, videlicet Regem viuum conseruandum, vrbem non succendendam, & totam eius domum fore saluam. Vnde, quia Rex præmonitus non exiuit, oppositum illorum trium, quæ reuelata fuerant, euenit. Ergo asserere, quòd Deus certò, & infallibiliter sciat futura contingentia conditionata, est consonum Sacræ Scripturæ.

Deum certò cognoscere futura contingentia conditionata, est ad mentem SS. Patrum.

Corollarium II. Deum certò, & infallibiliter cognoscere futura contingentia conditionata, est ad mentem SS. Patrum. *Ratio* desumitur ex doctrina à SS. Patrib⁹ tradita. *In primis* enim S. Augustinus id expressè docet lib. de correp. & gratiâ, cap. 8. vbi ex illis verbis sap. 4. *Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores, translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Colligit prædestinatos singulari Dei beneficio, ex hac vita morte immaturâ subtrahi, quos, si diutiùs viuerent, in peccatum

tum lapsuros, & ex inde gratiâ, atq; salute priuandos fore præsciuit. Ergo Deus certò, & infallibiliter cognoscit id, quod reuera non contigit; contigisset autem certissimè, si vita illorum longiùs producta fuisset. Idem doces S. Greg. Nyssenus orat. de infantibus, qui præmatura morte rapiuntur, vbi dicit: *Consentaneum est ab illo, qui peræq; futurum nouit, ac præteritum, prohiberi paruuli progressionem ad perfectam ætatem, ne malum illud, quod præsciens illa vis, & facultas cognouerit in eo, qui victurus esset, ita perficiatur, eique materia nequitiæ vita fiat.* Idem quoq; docet S. Augustinus tom. 10. serm. 7. de verbis Domini cap. 1. qui, dum quidam homo offerret se in obsequium Christo, Matth. 9. & Lucæ 9. *Magister sequar te, quocunq; ieris;* Christus autem respondisset: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Quærens quare Christus hunc hominem repudiauerit, sic respondet: *Sed quia talis Magister erat, qui futura præuideret, intelligimus fratres, istum hominem, si sequeretur Christū, sua quæsiturū fuisse, non quæ Iesu Christi.* Euidenter ostendens Christū ideò hunc hominem reiecisse, qui ita paratum se exhibebat ad illum sequendum, quia præcognoscebat hoc futurū conditionatum, nimirùm quòd si fuisset admissus, non quæreret, quæ Christus sua prædicatione intendebat, puta animarum vtilitatem, & Dei gloriam; sed proprium commodum temporale. Ergo asserere, quòd Deus certò, & infallibiliter sciat futura contingentia conditionata, est consonū Sacræ Scripturæ, & Sanctis Patribus.

Cognitio Dei circa futura contingentia conditionata est infallibilis tā ex parte subiecti, quàm ex parte obiecti materialis.

Corollarium III. Deus ita certò, & infallibiliter cognoscit futura contingentia conditionata, vt ista eius cognitio sit infallibilis tàm ex parte subiecti, quàm ex parte obiecti materialis. *Ratio:* quia Deus habet decretum efficax, & conditionatum ex parte obiecti, circa quodlibet futurū conditionatum, quo efficaciter decreuit, quòd posita conditione, determinatè erit pro tempore futuro, vel determinatè non erit pro eodem tempore. Quemadmodùm etiam de quolibet futuro absoluto, efficaciter decreuit, quòd pro tempore futuro determinatè habebit existentiam, vel determinatè eam non habebit. Ergo Deus in hoc suo decreto, certò & infallibiliter tàm ex parte subiecti, quàm ex parte obiecti materialis, cognoscit futura contingentia conditionata. *Consequentia manifesta:* quia prædictum decretum conditionatum, habet certam, & infallibilem connexionem cum prædicto futuro, ita vt non stet in sensu composito, neq; stare possit, quòd Deus efficaciter prædefinierit, quòd positâ illâ conditione, habeat esse libero modo pro tempore futuro, & quòd prædicto tempore infallibiliter non sit. Quemadmodùm etiam semel Deo efficaciter prædefiniente conuersionem absolutam, & liberam Petri, infallibiliter erit talis conuersio: ergo eo ipso, quòd Deus certò sciat suum decretum efficax, & conditionatum, non poterit non certò, & infallibiliter scire euentum futurū posita conditione. *Antecedens etiam sufficienter deducetur quæstione sequenti.*

Infallibilis Dei præscientia futurorum contingentium liberorum nullo modo repugnat humanæ libertati.

Corollarium IV. Licet Deus certò, & infallibiliter cognoscat futura contingentia, tàm absoluta, quàm conditionata; ista tamen præscientia futurorum contingentium liberorum, nullo modo repugnat humanæ libertati. Ita S. Hieronymus in cap. 26. Hieremiæ, vbi explicans illa verba Prophetæ: *Noli subtrahere verbum, si fortè audiant,* sic concludit: *Nostro Dominus loquitur affectu, vt liberum homini seruetur*

uetur arbitriũ, nec ex præſcientia eius, quaſi ex neceſſitate, vel facere quid, vel non facere cogatur: non enim ex eo, quòd Deus ſcit futurum aliquid, ideò futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus nouit, quaſi præſcius futurorum. Et S. Auguſtinus lib. 5. de ciuitate, cap. 10. dicit: *Quocirca nullo modo cogimur, aut retentâ præſcientiâ Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum* (quod nefas eſt) *negare præſciũ futurorum, ſed vtrumq; amplectimur, vtrumq; fideliter, & veraciter confitemur.* Et lib. 3. de lib. arb. cap. 4. dicit: *Sicut tu memoriâ tuâ non cogis facta eſſe, quæ præterierunt; ſic Deus præſcientiâ ſuâ non cogit facienda, quæ futura ſunt.*

Et *ratio corollarij eſt*: quia in ſcriptura Sacra ex vna parte habetur, Deum certò præſcire omnia, quæ liberè ab hominibus fiunt, antequàm fiant: ex altera quoq; parte habetur, ea, quæ ab hominibus fiunt, ab eorũ libera electione pendere, eſſe in eorum libera poteſtate, ab illiſq; ita liberè fieri, vt poſſint, ſi velint, ea facere. vt facilè colligitur ex illa admonitione, Caino cædem fratris meditanti datâ, Geneſ. 4. *Nonne ſi benè egeris, recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Præterea, quia futura contingentia, eodem modo reipſa futura ſunt, quo à Deo per præſcientiam futura cognoſcuntur. Sed cognoſcuntur futura liberè: neque enim præſcientia Dei deſtruit voluntatis noſtræ naturam, quæ vt docet S. Auguſtinus citatus, *voluntas non eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate*: ergo liberè futura ſunt, vt concludit S. Doctor his verbis: *Non igitur* per Dei præſcientiam, mihi poteſtas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cuius præſcientia non fallitur, adfuturam mihi eſſe præſciuit.

Corollarium V. Deus ante omne voluntatis ſuæ decretum, futura contingentia, & libera conditionata, non cognoſcit certò, & infallibiliter. Ita SS. Patres, impugnantes hæreticos, & ſcientiam ſimul, quâ illi ad tuendos ſuos errores, dicebant Deum cognoſcere futura conditionata, ante omne ſuæ voluntatis decretum. Præſertim D. Auguſtinus lib. 1. de anima, & eius origine, cap. 12. vbi errorem Hereticorum aſſerentium: *Eas animas paruulorum ſine baptiſmate, moriturorum, à iuſto Deo in carnem peccatricem religari, atq; damnari, quas præſciuit, ſi ad ætatem perueniſſent, in qua liberè vterentur arbitrio, malè fuiſſe victuras*, ſic impugnat. *Quid, quòd ipſa exinanitur omninò præſcientia, ſi quod præſcitur, non erit. Quomodò enim rectè dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum?* Similiter S. Proſper in epiſt. ad Auguſtinum, Maſſilienſium errorem referens, qui cenſebant paruulos ideò morte immaturâ abripi, & alios ſaluari, alios perdi, quia Deus præſciuit illos tales futuros, ſic impugnat: *Quia præterita, quæ non extant, futura quæ non ſint futura, confingant. Nouoq; apud illos abſurditatis genere, & non agenda, præſcita ſint.* Inſuper S. Hilarius in epiſt. ad Auguſtinum, de iiſdem Maſſilienſibus, & alij SS. Patres aſſerentes. *Præſciuiſſe Chriſtum qui, & quando, & quibus locis, in eum erant credituri, docent id Chriſtum præſciuiſſe poſt decretum prædeſtinationis, & electionis; non verò ante decretum.*

Deus ante omne decretum ſuæ voluntatis non cognoſcit certò futura contingentia libera, & conditionata.

Et *ratio corollarij eſt*: *tum* quia futura contingentia conditionata, & libera, ante decretum diuinæ voluntatis, non habent eſſe determinatum, & conſequenter determinatam virtutem, proinde cognoſci à Deo non poſſunt. Vnde S. Auguſtinus, & Proſper cit. cap. 12. 13. & 14. lib. de Prædeſt. Sanctorum, eiuſmodi futura docent eſſe conficta. *Tum*, quia ſi in Deo ante omne decretum eius voluntatis, daretur ſcientia futurorum

contingentium, ac liberorum, (quam aliqui Neoterici mediam vocant) Deus illâ directrice diſponeret prædeſtinationem hominũ, conuerſionem, & perſeuerantiam in gratia, aliaque ſupernaturalia. Quod falſum eſſe ex eo conſtat: quia alias poſſet Deus tali ſcientia directrice, cum æquali auxilio, & motione gratiæ exhibitâ omnibus, & ſupernaturalibus omninò inuariatis, diſponere quorundam prædeſtinationem, conuerſionem, & perſeuerantiam; ſiquidem ſciret, ſi illi tales, complexiones, inclinationes, humores, ingenium, & indiuiduales conditiones haberent, conſentirent auxilio ſufficienti, & communi, quod omnibus datur, & ſic conuerterentur, perſeuerarent, & ſaluarentur, quod omninò dici non poteſt. Sic enim qui conuertuntur, perſeuerant, & ſaluantur, nihil amplius ſupernaturale haberent; quàm alij, qui nec perſeuerant, nec conuertuntur, nec ſaluantur: ſed ſolùm haberent inclinationes illas, cõplexioneſq; naturales. Cùm tamen S. Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. cap. 16. & 19. aſſertiuè dicat: *Deus prædeſtinatos, vt efficiat membra prædeſtinati vnici Filij ſui, vocat certa, & ſpeciali vocatione*, (id eſt, ſecundùm propoſitum) *& hoc in cordibus eorum operatur, vt non inaniter audiant Euangelium, ſed eo audito conuertantur, & credant.* Id ipſum docet Concilium Trident. ſeſſ. 6. can. 22. his verbis: *Si quis dixerit, iuſtificatum ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, anathema ſit.*

Articvlvs II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem.* Scriptura Sacra ſolùm coniecturalem notitiam Deo tribuit: ergo Deus futura contingentia conditionata, & libera, certò, ac infalliliter non cognoſcit. *Antecedens deducitur* ex Geneſ. 3. vbi Deus Adamum ſic allocutus fertur: *Nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* Vbi particula *fortè*, denotat iſtud futurum conditionatum: *Si Adam manſerit in paradiſo, ſumet de ligno vitæ*, non eſſe omninò certum, neq; vt tale cognoſci à Deo; ſed ſolùm coniecturaliter, attentâ occaſione, & opportunitate loci. Similiter Deut. 4. dicitur: *Cuſtodite igitur ſolicitè animas veſtras, ne fortè decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem.*

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur, *negando Antecedens. Ad eius probationem dicitur*: particulam illam *fortè*, in Scriptura Sacra non ſemper denotare dubitationem, ſed Deũ more humano loqui, aut ad oſtendendam liberi arbitrij mutabilitatem, aut ad expendendam ipſius rei difficultatem, vt facilè colligitur ex illo Ioan. 8. *Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.* vbi particula *forſitan*, non deſignat affectũ dubitantis, ſed operis difficultatem, & magnitudinem. Ita reſoluit S. Hieronymus ſupra cap. 26. Hieremiæ, vbi dicit: *Verbum ambiguum forſitan, Maieſtati Domini non poteſt conuenire: ſed noſtro loquitur affectu, vt liberum hominis ſeruetur arbitrium.* Similiter D. Auguſtinus tract. 37. in Ioan: explicans illa verba: *Forſitan & Patrem meum ſciretis*, ſic dicit: *Quando dicit forſitan, non dubitat, ſed increpat. Dubitationis verbum eſt, cùm dicitur ab homine, ideò dubitante, quia neſciente: cùm verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cùm Deum nihil vtiq; lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Diuinitas.*

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. S. Auguſtinus lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagij, & lib. de origine animæ contra Vincentium Victorem cap. 12. & alibi ſæpè aſſerit, figmentum eſſe, præſciri à Deo, quæ non ſunt futura;

ergo Deus futura cõtingentia conditionata, quæ nunquam euenient, non cognoſcit certò, & infallibiliter. *Reſpondetur conceſſo antecedente, negatur conſequentia.* D. enim Auguſtinus in citatis locis, & alibi, non negat abſolutè Deo certam futurorum conditionatorum notitiam; ſed ſolùm in eo ſenſu, & modo, quo Pelagiani, & Semipelagiani aſſerebant, ſcilicet independentem à diuino decreto, eoq́; anteriorem. Vel certè negat præſcientiam futurorum, quæ haberent rationem meriti, actualiter Deum mouentis, ad dandam primam gratiam, & primam vocationem ad fidem. Nam Semiplegiani admittebant præſcientiam futurorũ conditionatorum in Deo, decreto diuino anteriorem, volentes conciliare humanam libertatem cum diuina prædeſtinatione, & decretis abſolutis, per quæ liberum arbitrium lædi putabant, Auctore S. Broſpero in epiſt: ad Auguſtinum. Partim vt per hanc præſcientiam à decreto, independentem, inueherent merita antecedentia primam gratiam, redderentq́; rationem, cur Deus hunc vocet ad fidem, alium non: cur alicubi prædicetur, vel non prædicetur Euangelium.

Solutio eiuſdem.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* III. Cauſa immediata effectus liberi, eſt liberum arbitrium creatum, quod poteſt diſſentire Deo mouenti, & excitanti: ergo in tali determinatione diuinæ voluntatis, circa futuritionem talis effectus contingentis, non erit certò cognoſcibilis, eò quòd diuina voluntas impedibilis maneat per cõcurſum creatæ voluntatis; in cauſa autem impedibili ab altera, non eſt effectus certò cognoſcibilis, quouſq́; determinatio certò cognoſcatur. *Reſpondetur conceſſo Antecedente, negatur conſequentia*: licet enim voluntas creata poſſint deficere ab ordine illo, quem diuina prouidentia ſtatuit, poſſitq́; velle oppoſitum eius, quod Deus prouidit; quia tamen Deus in omnibus operatur pro arbitrio ſuæ voluntatis, poteſtq́; efficaciter velle, vt voluntas creata velit, & libero modo velit; ideò ratione ſummæ efficacitatis ſui decreti, cauſas defectibiles quandoq́; ſine defectu conſeruat: atque ſic in hoc decreto poteſt omnes effectus liberos, ſiue abſolutos, ſi decretum ſit abſolutum, ſiue conditionatos, ſi decretum ſit conditionatum, certò ac infallibiliter cognoſcere.

Obiectio tertia.

Solutio eiuſdem

Obijcitur IV. *Contra Corollarium* IV. Quidquid Deus præſcit faciendum, illud fiet: alioqui præſcientia Dei non eſſet certa. Sed Deus præſciuit Antichriſtum v.g. peccaturum: ergo Antichriſtus neceſſariò peccabit: atq́; ſic iſta præſcientia futurorum repugnat libertati humanæ. Ante ſolutionem obiectionis *ſciendum eſt*, duplicem eſſe neceſſitatẽ, vnam antecedentem, alteram conſequentem. *Antecedens illa eſt*, quæ oritur ex cauſa antecedente, & neceſſariò operante: nam poſitâ tali cauſâ, neceſſariò ſequitur effectus. *Conſequens neceſſitas illa eſt*, quæ oritur ex ſola poſitione effectus, licet à cauſa libera proueniat. *Reſpondetur itaq; diſtinguendo maiorem.* Quidquid Deus præſciuit faciendum à cauſa libera, illud neceſſariò fiet, neceſſitate antecedente, *negatur*: neceſſitate conſequente, *conceditur*: hæc autem neceſſitas nullo modo libertati præiudicat, cùm ideò ſolùm aliquid faciendum neceſſariò dicatur, quia reuera fiet, etiamſi liberè fiat; ſicut etiam de eo, quod iam factum eſt, poteſt dici, quòd neceſſariò factum ſit, id eſt, quia fieri non poteſt, quin factum ſit, etiamſi liberè factum ſit.

Obiectio quarta.

Neceſſitas antecedens & cõſequẽs quid ſit.

Solutio obiectionis.

Obijcitur V. *Contra V. Corollarium.* Illud Matth. 11. *Si in Tyro, & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*, fuit cognitũ à Deo antecedẽter ad omne decretum, quo decreuit Tyrios, & Sydonios eligere, eiſq́; dare auxilia efficacia, cum quibus pœnitentiam agerent, ſi poneretur talis conditio: ergo Deus futura contingentia conditionata & libera, ante omne decretum certò cognoſcit. *Antecedens patet*: tum quia ſuperfluè poneretur illud decretum, ſiquidem illa conditio dependeret ab ipſo Deo; non autem ab hominibus. *Tum*, quia non haberet locum obiurgatio, quâ Chriſtus Dominus Iudæis exprobrauit: quandoquidem Tyrij, & Sydonij, maiora auxilia recepiſſent, quæ ſi data fuiſſent Iudæis, vtiq́; & ipſi pœnitentiam egiſſent. *Reſpondetur, negando Antecedens. Ad primam eius probationem dicitur*, non ſuperfluè poni illud decretum: ſicut enim non ſuperfluè ponitur, quando conditio pendet à noſtra voluntate; ita nec ſuperfluè ponitur, quando à ſolo Deo dependet. *Ad ſecundam Antecedẽtis probationem dicitur*, non eſſe opus æqualia auxilia præparari, vt vni comparatione alterius exprobrari poſſit; verùm ſufficere, vt ille, qui obiurgatur, habuerit auxilium ſufficiens, quo adiutus, poſſet, ſi vellet, obedire Deo. Sicut ergo in die iudicij, iuſtè Deus reprehendet reprobos, quòd nõ ſeruauerint mandata, ſicut prædeſtinati: neq́; illi ſe poterunt excuſare dicentes, ſi nos, ſicut alios prædiſtinaſſes; aut ſi nobis, ſicut illis dediſſes auxilium efficax, aut vocationem congruam, ſeruauiſſemus. Ita pariter in præſenti ſentiendum eſt, eò vel maximè, quòd Iudæi peiores eſſent Tyrijs, & Sidonijs, dureoreſque, & minùs digni auxilio efficaci.

Obiectio quinta.

Solutio eiuſdem.

QVÆSTIO II.

An in Deo ſint admittenda decreta conditionata poſitiua, & efficacia.

SUppono. Decretum conditionatum dupliciter poſſe dici. *Primò*, ex parte ſubiecti, ſiue actus, quando nimirùm ſubiectum habet quandam quaſi velleitatem, non tàm de obiecto ipſo; quàm de voluntate efficaci habenda circa illud, ſi conditio poneretur: v. g ſi religioſus diceret: *Ego vellem venari, ſi hoc liceret religioſo*: nam per talem modum loquendi, non deſignaret ſe habere actu volitionem circa venationem; ſed potiùs ſignificaret, ſe illam habiturum, ſuppoſito, ſi id liceret religioſo. *Secundò*, ex parte obiecti tantùm, quando nimirùm habetur volitio efficax ex parte volentis; eius tamen effectus ſuſpenditur, donec ponatur conditio. v. g. ſi quis dicat: *volo ſi Petrus cras venerit domũ, prandeat mecum*, vbi iſta conditio, ſolùm eſt conditionata ex parte obiecti, cùm ſit vera, & abſoluta volitio prandij; dependens tamen ab aliqua conditione, ſcilicet à reditu Petri domum. Vnde quæſtio præſens non procedit, de decretis conditionatis ex parte ſubiecti: quia hæc cùm inuoluant imperfectionẽ potentialitatis, & ſuſpenſionis, Deo repugnant. Sed ſolùm procedit de decretis cunditionatis ex parte obiecti. Et hoc decretum, quod ex parte obiecti voliti dicitur eſſe conditionatum, poteſt eſſe duplex, ſcilicet efficax, aut inefficax. *Decretum efficax eſt*, per quod infallibiliter res decreta eſt, dummodò ponatur conditio ex parte obiecti. *Decretum verò inefficax eſt*, per quod res non erit, ſeu non habebit de facto exiſtentiam, licet poneretur conditio.

Decretum conditionatum dupliciter poteſt dici.

Suppono *præterea*. Decreta conditionata adhuc eſſe in duplici differentia. *Quædam poſitiua*, ſeu dicentia actum poſitiuum diuinæ voluntatis, quo poſitiuè velit obiectum conditionatum. *Quædam negatiua*, non quidem vtcunq́;, qua-

tenùs per hoc præcisè ſignificatur, Deum nõ velle aliquod obiectum determinatè, & in particulari; ſed quatenùs per id denotatur, quòd adhuc in eo ſigno, quod noſtro modo concipiendi deputatur ad hoc, vt poſt volitionem neceſſariam eorum, quæ ſunt formaliter in ipſo, ſtatim velit, vel non velit obiecta, quæ ſunt liberè volibilia, tunc accedente prædicto ſigno deputato ad hanc volitionẽ liberam habendam, ſi Deo placuerit, habeat ſe diuina voluntas negatiuè circa aliqua obiecta in particulari, v. g. circa futura conditionata, de quibus in præſenti agimus, inquirendo non de decreto conditionato, tàm ex parte ſubiecti, ſiue actus; quàm ex parte obiecti; ſed de decreto poſitiuo abſoluto ex parte ſubiecti, & conditionato ex parte obiecti: idq; de decreto conditionato, & efficaci.

Opinio prima.

Prima igitur ſententia negat, admittenda eſſe in Deo decreta cõditionata, & efficacia, de futuris contingentibus, & liberis. In hanc videtur propẽdere Ledeſma lib. de auxil: diſp. 2. & aliqui ex recentioribꝰ Thomiſtis. Quorum *fundamentũ eſt hoc:* quia putant, cõditionalia in tantùm habere veritatẽ, in quantum habent bonitatem illationis: vnde cùm in futuris conditionatis, de quibus in præſenti controuertitur, illatio non ſit neceſſaria, & certa; ſed tantùm coniecturalis, inde inferunt, quòd Deus prædicta futura conditionata, in quibus inuoluitur coniecturalis illatio, ſolùm coniecturaliter ex parte obiecti cognoſcat.

Opinio ſecunda.

Altera ſententia affirmat, omninò in Deo admittenda eſſe dcreta conditionata poſitiua, & efficacia. Et hæc eſt communis Theologorum.

Articvlvs I.

Reſoluitur Quæſtio.

Decretã cõditionata efficacia circa futura cõtingentia in Deo omninò admitti debet.

COnclusio. Decreta conditionata, & cõtingentia, in Deo omninò admitti debent. *Probatur I.* Quia in Scriptura Sacra adſũt plures promiſſiones, & pacta de rebus ſub conditione futuris, nunquàm implendis. Sed promiſſiones, & pacta, exprimunt voluntatem internam paciſcentis, quâ vult implere, quod promittit, ſi adſit conditio appoſita: ergo iuxta ſcripturam Sacram dantur in Deo volitiones, ſeu decreta conditionata, ſcilicet cum conditione obiecti nõ apponendâ. *Minor eſt per ſe euidens. Maior probatur.* In primis, Deus fecit pactum cum primo homine, quòd filij eius naſcerentur cum gratia, & iuſtitiâ originali, ſi ipſe non peccaſſet, vt communiter docetur contra Ianſenium, ex illo Eccleſiaſt. 17. *Teſtamentum æternum conſtituit cum illis,* (id eſt cum Adamo, & Eua) *& iuſtitiam, & iudicia ſua oſtendit illis.* Et ex illo Oſeæ 6. *Ipſi ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, ibi præuaricati ſunt omnes.* Item cum Dauide, & Salamone fecit Deus pactum, quòd filij eorũ ſeſſuri eſſent vſq; in ſeculum ſupra thronum Iſraël, ſi cuſtodirent mandata eius, vt habetur 3. Reg. 9. v. 4. conſtat autem, quòd filij Salomonis, non regnauerint ſupra Iſraël, ſed ſciſſum eſt regnũ in Roboam, ſolumq; regnauit ſupra Iudam, & Beniamin, idq; non niſi ad Sedechiam, qui Regum Iuda vltimus fuit. Ergo in Scriptura Sacra, reperiuntur multæ promiſſiones, & pacta de rebus ſub conditione futuris, nunquàm implendis.

Probatur II. Eiuſmodi futura conditionata, habent aliquam futuritionem, puta conditionatam. Sed non poſſunt ſe ipſa extrahere à ſtatu puræ poſſibilitatis, ad ſtatum huius futuritionis conditionatæ: ergo vt ab illo ſtatu extrahantur in hunc, id debet fieri à prima cauſa: alias fieret aliquid, extraheretúrq; à ſtatu puræ poſſibilitatis, ad ſtatum

tum aliquem futuritionis independenter à primo ente, eiuſq; cauſalitate, quod implicat. Vnde cùm Deus non aliter operetur, neq; extrahat res ad ſtatum alicuius futuritionis, niſi mediante ſuo decreto efficaci, ac proportionato in ordine ad talem extractionem; ideò neceſſe eſt, vt habeat decretum efficax proportionatum, ſeu conditionatum, ratione cuius velit prædicta futura, aut determinatè eſſe, aut determinatè non eſſe pro tempore futuro, ſi conditio illa poneretur. *Præterea*, quia eiuſmodi futura conditionata, non habent eſſe futurum determinatũ in ſe ipſis: nam quamdiu ſunt futura, præſertim conditionata, nihil ſunt in ſe; in nihilo autem non poteſt fundari vera, & realis determinatio: ergo neceſſe eſt, vt habeant iſtam determinationem in ſuis cauſis determinatis, potiſſimùm in prima. Atque ſic neceſſe eſt, quòd cauſa prima habeat decretum efficax, & proportionatum, quo decernat, aut quòd determinatè poſita conditione, ſint pro tempore futuro, aut quòd determinatè non ſint. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Sancti Patres decreta conditionata in Deo agnoſcunt.

Corollarium I. Dari in Deo decreta abſoluta ex parte ſubiecti, & conditionata, ex parte obiecti, eſt ad mentem SS. Patrum. *Ratio:* quia S. Auguſtinus epiſt. 105. ad Sixtum, & in pluribꝰ alijs locis expreſsè docet, Deum certò, & infallibiliter cognoſcere eiuſmodi futura conditionata in ſua prædeſtinatione, ſeu electione, ſeu efficaci decreto. Sed nõ in decreto abſoluto ex parte obiecti, vt manifeſtè patet: ergo in decreto ex parte obiecti conditionato. Idem docet S. Thomas 1. p. q. 19. art. 7. ad 2. vbi dicit: *Multa ſunt in virtute, & ſcientia, & voluntate diuina, quæ non continentur ſub ordine cauſarum inferiorum, ſicut reſuſcitatio Lazari.* Et Paulò poſt concludit: *Et vtrumq; horum Deus vult, ſcilicet quòd aliquid quandoq; ſit futurum ſecundùm cauſam inferiorem; quod tamen futurũ non ſit ſecundùm cauſam ſuperiorem, vel è conuerſo.* Ex quo loco eruitur tale argumentum. Deus vult aliquid, quod quandoq; eſt futurum ſecundùm cauſam inferiorem; non tamen ſecundùm ordinem cauſæ ſuperioris. Sed illud, quod eſt futurum ſecundùm ordinem cauſarũ inferiorum; non autem ſecundùm ordinẽ cauſæ ſuperioris, eſt futurum conditionatè, quia nimirùm eſſet, niſi Deus aliter ordinaſſet, propter rationes occultas ſuæ prouidentiæ: ergo admittere eiuſmodi decreta conditionata, ex parte obiecti, eſt ad mentem SS. Patrum.

Decreta cõditionata ex parte obiecti in Deo admiſſa nullam inuoluunt imperfectionem.

Corollarium II. Decreta conditionata ex parte obiecti in Deo admiſſa, nullam inuoluunt imperfectionem. Ita S. Thomas in 1. diſt. 46. q. 1. art. 1. ad 2. vbi dicit: *Voluntas antecedens poteſt dici conditionata; nec tamen eſt imperfectio ex parte voluntatis diuinæ, ſed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumſtantijs; quæ exiguntur ad rectum ordinem in ſalutem.* Ergo iuxta S. Thomam, decreta conditionata ex parte obiecti in Deo admiſſa, nullam inuoluunt imperfectionem. *Conſequentia patet:* quia voluntas diuina antecedens, eſt voluntas beneplaciti, vt docet Sanctus Thomas q. 23. de verit. ar. 3. in corpore his verbis: *Inuenitur enim propriè in Deo ratio voluntatis, & ſic voluntas de Deo propriè dicitur, & hæc eſt voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem, & conſequentem diſtinguitur.* Ergo in Deo voluntas beneplaciti conditionata, & conſequenter decretum ſubiectiuè abſolutum, & obiectiuè conditionatum, nullam inuoluit imperfectionem.

Corollarium III. Dantur in Deo ex parte obiecti decreta conditionata,

nata, etiam circa futura conditionata continentia actus prauos. *Ratio:* quia licet eiuſmodi futura conditionata nō prædeſtinentur à Deo quoad malitiam; permittuntur tamen; vnde ſicut ſub ſtatu abſoluto nunquàm fierent, niſi præcedente decreto abſoluto permiſſiuo; ita neq; ſub ſtatu cōditionato fierent, niſi ſimile decretum cōditionatum anteiret. Et hoc expreſsè docet D. Auguſtinus in Enchirid: cap. 95. his verbis: *Non fit aliquid, niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo, vt fiant, vel ipſe faciendo.*

Corollarium IV. Licet Deus in his decretis efficacibus poſitiuis, & conditionatis, certò, ac infallibiliter cognoſcat dicta futura conditionata; adhuc tamen certò, & infallibiliter, certitudine tenente ſe tàm ex parte ſubiecti; quàm ex parte obiecti, ea cognoſceret, vt non habitura exiſtentiam, ſeu per modum rei habentis non futuritionem contrariè ſumptam, ſeu per modum rei extractæ extra ſtatum puræ, & nudæ poſſibilitatis ad prædictam non futuritionem, quamuis non haberet talia decreta poſitiua circa illa, ſed merè negatiuè ſe haberet; ita tamen vt priùs eſſet noſtro modo intelligendi, Deum ſe habere merè negatiuè in eo ſigno, in quo decreturus erat circa illa, videreq; hunc modum ſe habendi negatiuè circa ipſa, quàm quòd certò, & infallibiliter illa attingeret. Ita S. Thomas in 1. ſent. diſt. 39. q. 1. ar. 1. in corp. & ad 3. ac. 4. Et 1. contra Gent: cap. 8. *Ratio corollarij:* quia licet in eo ſigno, in quo diuina voluntas intelligitur noſtro modo intelligendi præire ad determinationem liberam, vel carentiam illius circa aliquod obiectum, ſiue abſolutè, ſiue ſub conditione futurum, ſit ei integrum velle, quod ſit, vel quod non ſit; aut non velle aliquod ex his extremis, ac proinde nihil in eo ſigno habeat determinatè rationem futuri, aut non futuri, per non futuritionem (vt ſic loquar) contrariam; adueniente tamen illo ſigno, in quo Deus decreturus eſt, vel habiturus eſt ſeipſum negatiuè, tunc eo ipſo, quòd velit futuritionem alicuius rei, non poteſt in ſenſu compoſito, facta hac ſuppoſitione, nolle eam, aut factâ ſuppoſitione nolitionis, velle eam. Neq; inſuper ſi fiat ſuppoſitio ſuppoſitionis diuinæ voluntatis, in eo ſigno, quod erat deſtinatum, ad poſitiuè volendum, ſi ipſi placuiſſet, poteſt in ſenſu compoſito habere volitionem, aut nolitionem poſitiuam, circa futuritionem talis rei. Ergo eo ipſo, quòd in illo ſigno haberet ſe negatiuè, ſeu maneret ſuſpenſa circa omnia futura conditionata, cognoſceret certò, & infallibiliter tàm ex parte ſubiecti; quàm ex parte obiecti, vt non habitura exiſtentiam, ſed quòd adhuc poſita illa cōditione nō erunt, non quidem quòd maneant in ſtatu puræ, & nudæ poſſibilitatis, ſed quia habent (vt ita loquar) contrariè, quòd ſint non futura ſub conditione, nimirum, quòd ita ſint non futura, vt eis repugnet futuritio, quod eſt eſſe extra ſtatum puræ, & nudæ poſſibilitatis.

Corollarium V. Si Deus in illo ſigno deputato ad hoc, vt poſt voluntatem neceſſariam eorum, quæ ſunt formaliter in ipſo, ſtatim velit; aut non velit obiecta, quæ ſunt liberè volibilia, non haberet poſitiua decreta, circa futura conditionata, quibus vellet aliqua eſſe, & aliqua ex illis non eſſe, poſitis ſuis conditionibus; non poſſet certò, & infallibiliter cognoſcere, quænam ex illis eſſent habitura poſitiuam exiſtentiam, & quæ non eſſent eam habitura, ſub prædictis conditionibus; verum omnia cognoſceret, per modum non futurorum conditionatorum, contrariè talium. *Ratio:* quia ſi Deus haberet ſe in illo ſigno negatiuè, tunc omnes

omnes propoſitiones negatiuæ, omnium futurorum conditionatorum eſſent veræ: nam prædicta conditionata haberent aliquid, ratione cuius eis repugnaret poſitiua exiſtentia. Similiter omnes affirmatiuæ, & inuoluentes poſitiuam exiſtentiam alicuius rei, eſſent falſæ: quia Deus non poteſt, factâ ſuppoſitione illius ſuſpenſionis, habere actum poſitiuum, quo velit, vt ſint; qui tamen actus ad eorum poſitiuam exiſtentiam requiritur. Iam verò ſi Deus haberet actum poſitiuum circa illa, tunc circa ea, quæ vellet, vt eſſent poſitâ conditione, ſciret certò habitura poſitiuam exiſtentiam, ſi poneretur conditio: diſcerneretque illa ab eis, quæ vellet, vt poſitâ conditione, non eſſent.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem.* Si darentur decreta conditionata in Deo, eſſent otioſa, & ad gubernationem inutilia: ergo non ſunt admittenda. *Reſpondetur negando Antecedens:* ſicut enim licet voluntas antecedens, quam Deus habet de ſalute omniū hominum, ſit conditionata ex parte obiecti, vt docet S. Thomas ſupra citatus, extendatq; ſe etiam ad reprobos, quibus Deus abſolutè decreuit denegare gloriam, & media efficacia ad eam conſequendam; illa tamen non cenſetur otioſa, & ſuperflua in Deo, quia Deus per eam omnibus, & reprobis præparat, & offert media ſufficientia ad ſalutem, vt docet S. Thomas in 1. ſent. diſt. 46. q. 1. ar. 1 his verbis: *Huius voluntatis effectus, eſt ipſe ordo in finem ſalutis, & promouentia in finem, omnibus communiter propoſita, tàm naturalia; quàm gratuita.* Ita quoq; decreta conditionata ex parte obiecti, non ſunt otioſa, neq; diuinæ prouidentiæ perfectioni derogant. *In primis* enim nō eſt imperfectum decretum, quod caret vltimo effectu, dummodò cauſis inferioribus imprimat inclinationem ad illum producendum; neq; defectus eſt iudicij, aut decreti practici, carere vltimo effectu, niſi id contingat impotentiâ, aut vitio facultatis dirigentis, quod in cauſam vniuerſaliſſimam cadere non poteſt. Et certè licet decreta ex parte obiecti conditionata, viderentur eſſe otioſa, ſi effectum, qui decernitur, & promittitur; nec tamen futurus eſt, ſpectemus: nihilominùs vtilia adhuc, & neceſſaria ſunt ad alios fines conſequendos, cuiuſmodi eſt certa veritas futurorum, quæ in ſcriptura reuelantur, manifeſtatio inclinationis cauſarum ſecundarium, & hoc conſilio decernenda fuit Tyriorum conuerſio, ſi apud illos edita fuiſſent miracula apud Iudæos viſa, quamuis apud ipſos nunquàm facienda, vt præ illis agnoſcerentur Iudæi peiores eſſe.

Obiectio prima & ſolutio eiuſdem.

Obijcitur II. Decreta conditionata, quorū conditio nunquam ponetur, nullam poſſunt inferre, & cauſare mutationē in creatura, ob defectum conditionis quæ nunquàm purificabitur: ergo in Deo non debent admitti. *Conſequentia patet;* quia omne decretum diuinæ voluntatis infert, & cauſat aliquam mutationem phyſicam, ac realem in creatura, cum ex illo reſultet relatio rationis in Deo de nouo, quæ cùm non poſſit aduenire per mutationem Dei, debet aduenire per mutationem creaturæ. *Reſpondetur diſtinguendo Antecedens.* Decreta conditionata non poſſunt cauſare in creatura mutationem realem, & phyſicam abſolutam, *conceditur:* conditionatam, *negatur:* quando enim eſt futurum conditionatum, tunc non debet inducere mutationem realem abſolutè, ſed tantum ſub conditione: proinde

Obiectio ſecunda.

Solutio eiuſdem.

proinde sufficit, quod ex vi illius decreti, realiter mutaretur creatura, si conditio impleretur. Atq; hæc mutatio conditionata est sufficiens, vt diuina voluntas aliter comparetur ad creaturas, post illud decretum; quàm ante: & sic in tali mutatione cõditionatâ fundatur respectus rationis, quem intellectus noster concipit aduenire Deo ratione talis decreti. *Respondetur secundò, concesso Antecedente, negatur consequentia*: non semper enim requiritur in obiecto realis, & physica mutatio ad hoc, vt terminet liberum decretum, sed sufficit moralis, sicut patet in decreto purè remissiuo culpæ, quam remitti posse, sine physica peccatororis mutatione, aliqui non improbabiliter docent. Non est ergo necessarium, vt decreta conditionata, quæ in Deo admittuntur, causent mutationem realem, & physicam in creatura, pro aliqua differentia temporis, verum sufficit, quòd causent in obiecto mutationem extrinsecam, & obiectiuam, transferendo illud à statu puræ possibilitatis, ad statum futuritionis conditionatæ, & ordinando illud ad existentiam sub cõditione habendam, à qua omninò abstrahunt, quæ purè possibilia sunt.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. Futura conditionata nõ sunt reuera futura; sed solùm habent aut rationem purè possibilium, aut ad summum rationem futurorum coniecturaliter, & probabiliter solùm talium: ergo non requiritur ad illa decretum efficax conditionatum diuinæ voluntatis: quia alias essent infallibiliter futura.

Solutio eiusdem.

Respondetur, transeat antecedens, negatur consequentia. Ratio: quia diuina voluntas ob summam suam actualitatem, & eminentiam, non potest manere suspensa circa aliquod volibile; sed est determinata ad volendum, aut nolendum, quòd sit, vel non sit; etiamsi sit libera ad volendum determinate, quòd sit, vel determinatè quòd non sit. Propterea, quia sicut ad summam actualitatem, vniuersalitatem, & perfectionem diuini intellectus spectat, vt extendatur modo sibi proprio ad omne intelligibile, sciendo, & cõprehendendo actu illud, nec possit stare, vt aliquid sit actu scibile, ac comprehensibile; & tamen actu non sciatur, nec comprehendatur ab ipso; ita pariter ad summam actualitatem, vniuersalitatem, ac perfectionem diuinæ voluntatis spectat, vt actu extendatur, saluâ sua libertate ad omne obiectum, quod actu sit liberè volibile. Cùm verò hæc libertas satis superq; saluetur in hoc, quòd licet sit determinata ad habendam vagè volitionem, aut nolitionem. Nihilominùs sit omninò libera, ad habendam determinatè volitionem, aut determinatè nolitionem; ideò consequens est, vt ad eius summã actualitatem spectet, vt circa omne volibile, atq; adeò circa omnia futura, siue absoluta, siue conditionata, habeat decretum perfectum, & efficax, quo determinatè, & proportionatè ad eorum naturam velit, aut quòd determinatè sint, aut quòd determinate non sint, ac proinde, quòd illorum *esse*, vel *non esse*, sit determinatè futurum.

DISPVTATIO VI.

De media scientia.

POst explicatam scientiam, quam Deus habet de futuris cõtingentibus conditionatis, ad considerationẽ mediæ scientiæ, quam Neoterici aliqui his temporibus acriter propugnant, descendimus.

QVÆSTIO I.

An sit admittenda media scientia.

Per scientiam mediam quid intelligatur, & cur vocetur media.

SUppono I. Per scientiam mediam hoc loco nihil aliud intelligi, nisi cognitionem certam, & infallibilem

libilem futurorum conditionatorum, ante decretum actuale, & exercitum, quo Deus prædefiniat, & prædeterminet illorum futuritionem. Vocatur autem scientia hæc media, *tum* quia vt volunt eius defensores, mediat inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, & de vtraq; participat, cùm sit necessaria ex parte subiecti, videlicet Dei, vt potè antecedens omne decretum liberum actuale de futuritione rei, libera autem ex parte obiecti, vt potè terminata ad obiecta libera, puta ad libera contingentia conditionata, quæ per eam cognoscuntur. *Tum* ideò, quia Deus per hanc scientiam attingit futura conditionata, velut medium locum tenentia, inter merè possibilia, quæ cognoscuntur per scientiã simplicis intelligentiæ; & absoluta futura, quæ cognoscuntur per scientiam visionis. *Tum denique*, quia vt alijs huius scientiæ inuentoribus placet, scientia media, est medium diuinitùs inuentum, ad euertendas Hæreses Pelagij, & Massiliensium, Lutheri, ac Caluinistarum.

Scĩetia media non est eadem cum scientia futurorũ conditionatorum.

Suppono II. Scientiam mediam non esse eandem cum scientia futurorum conditionatorum, de qua præcedenti disputatione egimus, sed diuersam. Nam scientia illa futurorum conditionatorum, supponit decretum ex se efficax, & conditionatũ, ac in Deo existens, in quo fundatur, & in quo prædicta futura contingentia ab eo cognoscuntur; scientia verò media est independens à decreto actuali, & exercito, illoq; anterior. Deinde scientia futurorum contingentium conditionatorum, est libera non tantùm ex parte obiecti, verùm etiam ex parte subiecti, vt supponens decretum, & liberam determinationem voluntatis diuinæ. Iam verò scientia media est naturalis, & necessaria ex parte subiecti; libera autem solùm ex parte obiecti. *Insuper*, quia scientia media est speculatiua, cùm non faciat sed supponat suum obiectum, puta liberum consensum voluntatis humanæ, sub conditione præuisum, & ab eo mensuretur, ac dependeat, quantum ad veritatem, ac certitudinem. At verò scientia conditionatorum, est eminenter speculatiua, & practica, neq; mensuratur à suo subiecto, quantum ad veritatem & certitudinem; sed potiùs est eius regula, ac mensura. Et licet Authores mediæ scientiæ fingant, & admittant in Deo, in signo rationis antecedente, aut cõcomitante talem scientiam, decretum quoddam genetale, & indifferens, concurrendi cum causis liberis, si illæ velint, vel ad quodcunq; illæ voluerint; negant tamen omne decretum determinatum, & de se efficax, quo Deus antecedenter ad præuisionem nostri consensus, absolutè, aut conditionatè determinet, quid v. g. homo facturus sit, & quod futuritionem nostrorum actuum, prioritate naturæ, & causalitatis antecedat, eò quòd putent tale decretum libertati creatæ repugnare.

Scientia media cur etiam vocetur conditionata.

Suppono III. Scientiam mediam, vocari etiam conditionatam, non quidem quòd sit talis ex parte subiecti: si enim hoc modo esset conditionata, non esset formaliter in Deo, sed solùm esset in illo, si conditio aliqua poneretur, vt constat ex præcedenti disputatione, circa decretum efficax, & conditionatum Dei; sed quòd sit conditionata ex parte obiecti: ex eo, quòd obiectum eius, vt hoc nomine significatæ, aut est futurum conditionatum, scilicet illud, cuius conditio nunquam purificabitur, ac proinde nunquàm de facto erit; aut futurum conditionatum, quod licet aliquando erit, quia purificabitur, seu implebitur conditio;

conditio; quatenùs tamen ſpectat ad ſcientiam mediam, conſideratur in ſtatu conditionato, & antecedenter ad diuinum decretum efficax, ac proinde vt nondùm tranſlatum, â ſtatu conditionato ad ſtatum abſolutum. Punctus igitur præſentis difficultatis eſt, an in rei veritate ſit admittenda ſciētia media in Deo, antecedenter ad eius decretum efficax, & conditionatū, in ipſo exiſtens, quâ Deus cognoſcat actus noſtros liberos, vt conditionatè futuros, v. g. conuerſionem Petri, ſi ponatur in talibus occaſionibus, & circumſtantijs, priuſquàm diuina voluntas habeat decretum actuale, & exercitum, abſolutum ex parte ſubiecti, & conditionatum ex parte obiecti, quo definiat, ac determinet talem conuerſionem, ſi Petrus in his, aut illis occaſionibus, atq; circumſtantijs conſtituatur.

Opinio duplex.

Prima itaq; ſententia affirmat, omninò admittendam eſſe ſcientiam mediam in Deo, ante omne decretū actuale, & efficax. Hanc ſequuntur Neoterici extra ſcholam S. Thomæ. Altera ſententia negat talem ſcientiam dari in Deo. Et hæc eſt communis Theologorum cum S. Thoma.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Scientia media antecedens decretum Dei efficax, nullo modo in Deo admittenda eſt.

CONcluſio. Scientia media, per quam Deus ante ſuum decretum efficax, certò & infallibiliter cognoſcat prædicta futura contingentia conditionata, nullo modo eſt admittenda in Deo. *Probatur I.* Scientia media repugnat Scripturæ Sacræ: ergo non eſt admittenda. *Antecedens deducitur*, ex illo D. Pauli 1. ad Corint. 4. *Ne ſupra quam ſcriptum eſt, vnus contra alterum infletur pro alio. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis.* Ex quo loco eruitur tale argumentum. Si Deus antecedenter ad ſuum decretum efficax, & conditionatum, per ſcientiam mediam præuidiſſet, Petrum v. g. conuertendum eſſe; ſecùs autem Paulum, ſi in tali, aut tali ordine rerum conſtituerentur, æqualiſq; voluntas Dei erga illos eſſet, tunc Petrus poſſet gloriari aduersùs Paulum, quòd ſe ipſo, & ex ſua voluntate diſcreuerit ſe ab illo: quoniam cum communi, & æquali voluntate Dei erga vtrumque, & ſine eo, quòd circa aliquem illorum, eſſet decretum Dei ex ſe efficax, diſcreuit ſe ab eo, vtens pro ſua libertate gratuitâ illâ voluntate Dei, quâ vterq; æqualiter præuentus eſt: proinde diſcretio hæc, non eſſet refundenda in diuerſam voluntatem Dei gratuitam: nam ſemel excluſa voluntate ex ſe efficaci Dei, ante præuiſum eorum conſenſum, in omnibus gratuitis eſſent æquales. Sed talis gloriatio eſt contra authoritatem Scripturæ Sacræ citatam: ergo pariter & ſcientia media, per quam Deus ad ſuum decretum efficax, antecedenter præuideret Petrum conuertendum, & Paulum non, eſt contra Scripturam Sacram.

Probatio ſecunda.

Probatur II. Authoritate S. Auguſtini, lib. de Prædeſt. Sanctorum, cap. 10. vbi dicit: *Prædeſtinatione quippè Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus.* Et paulò inferiùs: *Quando promiſit Abrahæ fidem gentium, non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed ſua prædeſtinatione promiſit: promiſit enim, quod ipſe facturus erat, non quod homines.* Ex quibus verbis eruitur argumentum tale. Quæ Deus eſt facturus, ex ſua prædeſtinatione prænoſcit. Sed Deus omnes actiones noſtras, quantumcunq; liberas, facturus eſt: ergo illas in ſua prædeſtinatione prænoſcit, ſcilicet in decreto efficaci: atq; ſic non datur in Deo ſcientia media futurorum, independens à decreto, illoq; anterior.

Item cap. 14. eiuſdem libri, diſputans contra Hæreticos aſſerentes, Deum ante decretum efficax ſuæ voluntatis præſcire, quid vnuſquiſque, ſi diu viueret, boni, aut mali egiſſet, & propter hæc bona opera ſic præuiſa, prædeſtinare, aut reprobare vnumquemque ex ijs, quos decreuit creare, ſimulq; eos præmaturâ morte rapuerit, antequàm ad adultorum ætatem peruenirent, explicās illud Sapien. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret*, ſic dicitur: *Dictum eſt enim ſecundùm pericula vitæ huius, non ſecundùm præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit, quod futurum erat, non quod futurum non erat, id eſt, quòd ei mortem immaturam erat præſtiturus, vt tentationum ſubtraheretur incerto, non quòd peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet.* Quibus verbis duplex teſtimonium inuoluitur, *vnum*, quòd ille immatura morte eſſet rapiendus, vt tentationum ſubtraheretur periculis. *Alterum*, quòd ſi hic ipſe, qui raptus eſt, maneret in hac vita, tunc in peccatum laberetur. De primo itaque, quod reuera futurum eſt, quia reuera Deus decreuit, hominem illum immatura morte rapere, vt à tentationum periculis eriperetur, docet S. Doctor, Deum habere præſcientiam vtiq; abſolutam, quia poſito tali decreto, talis effectus abſolutè futurus erat. De altero autem, quod non niſi externa ſpecie habet rationem futuri ante decretum efficax diuinæ voluntatis, in quo ſigno illud eſſe futurum, aſſerebant Hæretici, docet illud non præſciri à Deo, propterea quia Deus ſolùm præſcit futurum eſſe id, quod futurum eſt; cùm tamen illud ante prædictum decretum, non eſſet futurum. Vnde S. Auguſtinus ita concludit: *Quia hoc præſciuit, quod futurum erat, non quod futurum non erat.* Ergo iuxta S. Auguſtinum, media ſcientia in Deo admittenda non eſt.

Probatio tertia.

Probatur III. *ratione.* De ratione ſcientiæ eſt, habere obiectum, circa quod verſetur, cùm ſcientia ſit alicuius ſcibilis ſcientia. Sed ſcientiæ mediæ non datur obiectum: ergo & ipſa non datur. *Minor.* Obiectum ſcientiæ mediæ, eius Authores, volunt eſſe veritatem obiectiuā propoſitionum contradicentium de futuro contingenti ante decretum. Sed eiuſmodi veritas obiectiua non datur: ergo obiectum ſcientiæ mediæ non datur. *Minor deducitur*, ex S. Thoma, qui lect. 13. ſuper caput 8. lib. Periherm. contradictorijs de futuro contingenti veritatem determinatam negat, quia futurum contingens non habet eſſe determinatum in ſuis cauſis liberis. Et 1. ſent. diſt. 38. q. 1. ar. 5. ad 2. vbi dicit: *Futurum contingens non eſt determinatè verum, antequàm fiat, quia non habet cauſas determinatas.* Et 1. p. q. 16. ar. 7. ad 3. dicit: *Illud quod nunc eſt, ex eo futurum fuit, antequàm eſſet, quia in cauſa ſua erat, vt fieret: vnde ablatâ cauſâ non eſſet futurum illud fieri; ſola autem prima cauſa eſt æterna: vnde ex hoc non ſequitur, quòd ea, quæ ſunt, ſemper fuerit verum, ea eſſe futura, niſi quatenùs in cauſa ſempiterna fuit, vt eſſent futura; quæ quidem cauſa ſolus eſt Deus.* Sed non fuerunt in cauſa ſempiterna nudè ſumptâ, verùm per decretum determinatâ: ergo ante illud decretum S. Thomas, nullam agnoſcit veritatem in futuris contingentibus, & conſequenter agnoſcit non dari obiectum ſcientiæ mediæ, nec talem ſcientiam.

Probatio quarta.

Probatur IV. Deus non cognoſcit res immediatè in ſeipſis, ſed tantùm in ſeipſo, & in ſua eſſentia, tanquàm in cauſa, & mēdio priùs cognito, ergo Deus futura contingentia conditionata non cognoſcit antecedenter ad decretum per ſcientiam mediam, & conſequenter talis ſcientia non datur.

Conſequentia patet: quia eſſentia diuina non eſt cauſa rerum ad extra, niſi vt habet adiunctam voluntatem, & niſi vt determinata per decretum: eò quòd Deus non ſit agens ad extra per modum naturæ, ſed per modum liberi. *Antecedens* etiam expeſsè docet S. Thomas 1. p. qu. 14. ar. 5. in corp. his verbis: *Sic igitur dicendum eſt, quòd Deus ſeipſum videt in ſeipſo; alia autem à ſe videt non in ipſis, ſed in ſeipſo.* Et 1. contra Gent. cap. 49. vbi probat ex S. Dionyſio, Deum omnia cognoſcere in ſua eſſentia, tanquam in cauſa. Et cap. 65. ratione 5. dicit: *Cognitiio Dei eſt de rebus omnibus per cauſam: ſe enim cognoſcendo, qui eſt omnium cauſa, alia quaſi ſuos effectus cognoſcit.* Hanc autem ſuam doctrinam cap. 67. extendit ad futura contingentia. Et cap. 68. ad actus liberos noſtræ voluntatis, per quòd manifeſtè deſtruit ſcientiam mediam. *Præterea*, quia rem eſſe futuram, eſt denominatio extrinſeca, ſumpta à præparatione, ordinatione, & determinatione cauſarum ad illius productionem, vt docet S. Thomas q. 1. de verit. ar. 12. in corpore, & ad 7. & in 1. diſt. 38. qu. 1. ar. 5. ad 3. Ergo nullum contingens eſt futurum determinatè, abſolutè, aut conditionatè, independenter à decreto, & ordinatione, aut determinatione cauſæ primæ, per quòd manifeſtè ſcientia media ruit. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Corolarium I. Scientia media, quæ inueniatur in Deo ante decretum efficax ſuæ voluntatis, verſeturq; circa res aliquomodò futuras, non eſt admittenda. Ita S. Thomas qu. 6. de verit. ar. 3. ad 4. vbi præmiſſa obiectione, an prædeſtinatio certitudinem habeat, ita reſpondet: *Ad quartum dicendum, quòd cauſa ſecunda, quam oportet ſupponere ad inducendum prædeſtinationis effectum, etiam ordini prædeſtinationis ſubiacet: non autem eſt ita in virtutibus inferioribus, reſpectu alicuius virtutis ſuperioris agentis: & ideò ordo diuinæ prædeſtinationis, quamuis ſit cum ſuppoſitione voluntatis humanæ; nihilominùs tamen abſolutam habet certitudinem. etſi in exemplo inducto contrarium appareat.* Quibus verbis manifeſtè S. Thomas deſtruit ſcientiam mediam: quoniam aduerſarij eam adſtruentes, nituntur negare abſoluta, & efficacia decreta: ſolumq; admittunt decretum, quod innititur ſcientiæ conditionatæ, expectatque operationem cauſæ ſecundæ. Iam verò in ordine, ſeu cauſalitate diuinæ prædeſtinationis, ſiue decreti cauſantis, admitti debet abſoluta certitudo: quoniam prædeſtinatio cauſalitatem importat. Vnde futura, quæ dependent à cauſis ſecundis liberis, cuiuſmodi ſunt effectus prædeſtinationis, cognoſcuntur à ſcientia Dei per abſolutam certitudinem, & abſolutum decretum, ſine hoc, quòd expectet ea, quæ fiunt à cauſis ſecundis, vt ibi videat effectus futuros, ſecundùm certitudinem conditionalem antecedentem. *Deinde*, quia vt docet S. Doctor loco citato, ar. 8. ad 1. non ideò Deus aliquid præſcit, quòd ſit futurum, ſed è contra, ideo futurum eſt, quia Deus illud præſcit, nimirùm per ſuam ſcientiam adiunctâ voluntate efficaci: ergo ante talem præſcientiam, prout habet adiunctam voluntatem efficacem, non poteſt aliqua futuritio in rebus determinatè, ac infallibiliter à Deo cognoſci: quoniam ante hoc nulla eſt determinata & infallibilis futuritio in rebus: & ſic non poteſt dari ſcientia media, ſeu conditionata antecedenter ad decretum efficax, per quam cognoſcantur aliqua futura.

Scientia media in Concilio Tridentino nō fuit admiſſa.

Corollarium II. Scientia media in Concilio Trident. non fuit admiſſa; imò potiùs ſaltem virtualiter

tualiter reprobata. Antequàm probetur concluſio, *ſciendum eſt*, Concilium Tridentinum inſtante Carolo V. Romano Imperatore, & alijs, Catholicis principibus, à Paulo III. conuocatum fuiſſe, maximè ad ſedandam hæreſim Lutheri, tollentis libertatem arbitrij creati hoc argumento. Deus ab æterno ea, quæ in tempore fiunt, præſciuit, abſoluteq; decreuit: ergo omnia ex abſoluta neceſſitate, ac proinde ſine vlla contingentia fiunt. *Ratio itaq; corollarij eſt*: quia inuentores mediæ ſcientiæ, vtuntur ipsâ ad concordandam libertatem humanam cum diuina ſcientia, & eius decretis. Sed Patres in Concilio Tridentino congregati, ad componendum contra Lutherum, libertatem creatam cum diuina ſcientia, & prædefinitionibus diuinæ voluntatis, non ſunt vſi ſcientiâ mediâ: ergo hæc ſcientia in Concilio Tridentino non fuit admiſſa, & per hoc ſaltem virtualiter reprobata. *Minor patet*: quia ex Patribus, & Theologis, qui fermè 50. Concilio Tridentino interfuerunt, in ſuis doctiſſimis voluminibus prælo impreſſis, nullam mentionem ſcientiæ mediæ faciunt: ergo illâ ad hunc finem non ſunt vſi, & ſine vſu illius, humana libertas cum doctrina diuinorum decretorum, ex ſe efficacium conciliata fuit.

Sciētia media ab antiquis ſcholaſticis fuit cognita & reprobata.

Corollarium III. Antiqui Scholaſtici non ſolùm ſcientiam mediam cognouerunt, ſed etiam reprobârunt. *Ratio*: quia omnes antiqui Scholaſtici conciliabant libertatem creatam, cum efficacia actuum diuini intellectus, ac voluntatis, ſine interuentu mediæ ſcientiæ. Ergo illam reprobârunt. *Antecedens patet*: quia in nullo ferè ex antiquis Scholaſticis inuenitur prædicta conciliatio cum interuentu mediæ ſcientiæ. *Conſequentia etiam manifeſta*: quia cùm controuerſia de concilianda libertate creatâ cum actibus intellectus, & voluntatis diuinæ, ſit difficillima, non videtur credibile, quòd Scholaſtici antiqui, conſcij ſcientiæ mediæ, non vterentur illâ ad iſtam conciliationem, ſi talem ſcientiam admittendam eſſe ſenſiſſent. quia vbi primum hæc ſcientia media prodijt in lucem, omnibus ferè Scholaſticis Doctoribus ita diſplicuit, vt eam ad iudices fidei ſtatim detulerint: ergo illam per hoc reprobârunt.

Sciētia media eſt Pelagianorū, & Semipelagianorū inuentum.

Corollarium IV. Scientia media, ſeu præſcientia illa futurorum conditionatorum, antecedens decretum, eſt à Pelagianis, & Semipelagianis inuenta, vt per eam ſuos errores poſſent defendere, præſertim illum, quo aſſerebant, Deum homines ad gratiam, & gloriam eligere ex præuiſione meritorum. Ita S. Proſper initio epiſt. ad Auguſtinum, vbi Semipelagianorum doctrinam referens, dicit: *Hæc ipſorum definitio, ac profeſſio eſt, omnem quidem hominem in Adam peccaſſe, & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſaluari. Qui autem credituri ſunt, quiuè in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuuanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos, dignos futura electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe præſcierit.* Et iterùm in fine eiuſdem epiſt. *Penè omnium par inuenitur, & vna ſententia, quâ propoſitum & prædeſtinationem Dei, ſecundùm præſcientiam receperunt; vt ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuſcuiuſq; præuiderit, & ſub ipſo gratiæ adiutorio, in qua futurus eſſet voluntate, & actione præſcierit.* Quibus verbis euidenter oſtendit, Semipelagianos vnanimiter docuiſſe, diuinā prædeſtinationē eſſe innixā, præſcientiæ Deumq; neminē

prædeſtinare, niſi ſuppoſitâ præſcientiâ, quâ præuidet, quid faciet voluntas creata, ſub ipſo gratiæ adiutorio conſtituta, & ad quid diuinum auxilium, atq; concurſum determinabit, quod totum ſcientiæ mediæ quadrat. Eadem veritas facilè colligitur ex Fauſto Regienſi Semipelagianorum duce, & anteſignano, qui lib. 2 de gratia, & lib. arb. cap. 2. docet magis de origine voluntatis humanæ Dei præſcientiam deriuari; quàm opera, & voluntates hominum de nutu, & impulſu prouidentiæ cæleſtis incipere, ſicq; loquitur: *Prædeſtinationem Dei malè intelligunt, adſtruentes, quòd inde humanorum actuum cauſa naſcatur.* Et cap. 3 aſſerens, præſcientiam futuri conſenſus prædeſtinationem præcedere, ita *concludit: Et ſic niſi præſcientia explorauerit, prædeſtinatio nihil decernit.* Ergo ſcientia media, eſt merum Pelagianorum, & Semipolagianorum inuentum.

Sētētia negans ſcientiam mediam, eſt melior & tutior.

Corollarium V. Doctrina negans ſcientiam mediam, eſt melior, & tutior doctrinâ eam admittente. *Ratio*: quia doctrina negans ſcientiam mediam, nititur grauiſſimis authoritatibus, quibus ſententia affirmans caret: ergo doctrina, ſeu ſententia negans ſcientiam mediam, eſt melior, & tutior ſententiâ affirmante. *Antecedens patet*: quia ſententia negans ſcientiam mediam, fundatur in Scriptura Sacra, vt conſtat ex probatione concluſionis, & ex doctrina D. Auguſtini, Proſperi Hilarij. *Tum*, quia ſententiam, quæ negat ſcientiam mediam, tenent præſtantiſſimi Theologi, vt Caietanus 1. p. q. 14. ar. 13. Ferrar. 1. contra Gent. cap. 67. Capreolus in 1. diſt. 38. q. 1. ar. 2. Deza ibidem, Durandus, Albertus Magnus, Bannes, Nauarette tom. 1. controuer. 56. Aluarez lib. 2. de auxilijs diſt. 7. Scotus in 1. diſt. 39. q. 1. vſq; ad 5. & alij Plurimi.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra concluſionem.* Matth. 11. & Lucæ 10. dicit Chriſtus: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ in te factæ ſunt, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Vbi Chriſtus Dominus exprobrat Bethſamitis & habitatoribus Corozaim defectum pœnitentiæ ex eo, quòd Tyrij, & Sidonij eam egiſſent, ſi apud illos miracula patrata fuiſſent. Sed iſta exprobratio eſſet nulla, ſi Tyrij, atque Sidonij, adeò pœnitentiam acturi eſſent, eò, quòd Deus efficaciter præfiniuerit, illos eam acturos, ſi prædicta miracula vidiſſent; proinde ſi hoc futurum Chriſtus in ſuo decreto efficaci, quod vt Deus habuit, præſciuit; ergo Chriſtus hoc futurum præſciuit, ante decretum, per ſcientiam mediam.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando minorem: nam per hoc decretum efficax non tollitur libertas ab ijs, circa quæ verſatur; ſicut neq; per defectum eius aufertur libertas ab ijs, erga quos Deus illud non habet ac proinde neq; per talem ablationem deeſt aliquid ex requiſitis ad ſufficientia in ordine ad conſenſum Deo vocanti præbendum. Et ſic omnibus prauis hominibus exprobrari poteſt malitia, quam habent, etiamſi comparentur ad illos, qui non praui, ſed Sanctiſſimi ſunt, vti fuerunt Apoſtoli; licet erga hos voluntas gratuita Dei vberior fuerit. Nam prædicta voluntas vberior non computatur inter requiſita, ad ſufficientiam ipſius *poſſe* arbitrij creati, ſed ea denegatâ manet liberum arbitrium cum requiſitis, & ſufficientibus in ordine ad conſentiendum. Et hæc ſolutio eſt ad mentem S. Auguſtini, qui lib. de dono perſeuerantiæ cap. 9. de hoc futuro conditiona-

ditionato, ſcilicet de pœnitentia Tyriorum, & Sidoniorum, ſi Chriſtus apud eos feciſſet ſigna, &c. ita concludit. *Quid mirum, ſi tàm infidelibus plenum ordinem terrarum Chriſtus prioribus ſæculis nouerat, vt eis prædicari meritò nollet, quos nec verbis, nec miraculis ſuis credituros eſſe præſciebat! Hæc certè de Tyro, & Sidone, non poſſumus dicere, & in eis cognoſcimus ad eas cauſas prædeſtinationis hæc diuina iudicia pertinere, ſine quarum cauſarum latentium præiudicio, tunc iſta me reſpondere dixi. Facilè quippe eſt, vt infidelitatem accuſemus Iudæorum, de libera voluntate venientem.* Quibus verbis euidenter oſtendit, *tunc* Deum ſecundùm latentes cauſas prædeſtinationis, ſiue decreti ſui, hoc futurum de Tyrijs, & Sidonijs præſciuiſſe, non verò antecedenter ad prædictum decretum, proinde non per ſcientiam mediam. *Tum*, etiam, quomodò non obſtante, quòd Deus habuerit prædictum decretum circa Tyrios, & Sidonios, dicit: facilè eſſe, accuſare infidelitatem Iudæorum, eò quòd Deus habuerit erga illos voluntatem gratuitam, ſufficientem in ordine ad credendum: proinde ex eorum peruerſa voluntate profeciſſe, vt non crederent.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium IV.* Pelagiani, & Semipelagiani, ſolùm agnouerunt præſcientiam abſolutam, non conditionatam futurorum: ergo non agnouerunt ſcientiam mediā, ſeu conditionatam, independentem à decreto, illoque anteriorem, & conſequenter ſcientia media non eſt ab illis inuenta.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando antecedens: nam Semipelagiani dicebant, Deum habere præſcientiam bonorum, aut malorum operum, quæ in adulta ætate patraturi erant illi paruuli, qui ante eandem ætatem immaturâ morte rapiuntur; talium autem operum præſcientia, non eſt abſoluta, ſed tantùm conditionata, cùm implicet contradictionem, merita, aut demerita eſſe abſolutè futura, ætate adultâ, ad quam illi paruuli ſupponuntur nunquàm peruenturi: alias quod nunquam erit, neque in rerum natura ponetur, poſſet dici infallibiliter, & abſolutè futurum, quod nemo concedit. Ergo Semipelagiani admittebant in Deo præſcientiam futurorum conditionatorum, independentem à decreto; talis autem eſt ſcientia media.

QVÆSTIO II.

An ſcientia media ſit neceſſaria, & vtilis.

SCiendum eſt, Authores ſcientiæ mediæ, duplicem eius neceſſitatem, atque vtilitatem ſtatuere: in primis enim dicunt, neceſſitatem, & vtilitatem ſcientiæ mediæ plurimum conducere ad dirigendum Deum in eius decretis abſolutis, ſeu ad fundandum certam, & infallibilem notitiam futurorū conditionatorum. Exiſtimant enim, quòd niſi Deus priùs per ſcientiam mediam, quaſi exploratricem, creatæ voluntatis inclinationem explorauerit, viderítq; quid homo in his, aut illis occaſionibus, atque circumſtantijs poſitus, ex innata libertate voliturus ſit, ſub concurſu indifferenti, quem illi offert, non poſſit quidquam certò, & infallibilter ſtatuere, circa ſalutem, & conuerſionem hominum, exponeretq; ſe periculo, vt id non fieret, quod efficaciter intenderet. *Deinde* dicunt, ſcientiam mediam omninò neceſſariam eſſe, ad concordandam libertatem humanam cum prædeſtinatione, & gratiâ efficaci: quia putant certitudinem prædeſtinationis, diuinæq: efficaciam gratiæ, cum libertate humana nō aliter poſſe componi, quàm recurren-

recurrendo ad præuisionem futuri consensus per scientiam mediam. Vnde censent, quòd si diuinum decretum, & gratia ex illo promanans, consensum ac determinationem nostræ voluntatis, prioritate naturæ, & causalitatis antecederet, læderet eius libertatem, induceretq; necessitatem antecedentem, libertati inimicam.

Opinio duplex.

Prima itaque opinio affirmat, scientiam mediam esse omninò necessariam, & vtilem. Hanc tenent Neoterici. *Altera opinio* docet, scientiam mediam ad nihil penitùs necessariam esse, ac prorsus inutilem. Et hanc defendit communis Theologorum sententia.

Articvlvs I.

Resoluitur Quæstio.

Definitio scientiæ mediæ.

CONclusio. Scientia media ad nihil penitùs est necessaria, & prorsùs inutilis. *Probatur* ex definitione scientiæ mediæ. *Scientia media est cognitio certa, & infallibilis futurorum conditionatorum ante decretum, ac prædefinitionem voluntatis diuinæ.* Sed talis cognitio est omninò inutilis, & non necessaria: ergo scientia media est inutilis, & non necessaria. *Maior ab aduersarijs admittitur. Minor verò probatur.* Ante decretum, & prædefinitionem diuinæ voluntatis determinatis extrahere res de statu possibilitatis, & dare illis existentiam in aliqua differentia temporis absolutè, aut suppositâ aliquâ conditione, nihil absolutè, aut conditionatè futurum est, proinde nec cognoscibile vt tale ab intellectu diuino: ergo cognitio certa & infallibilis futurorum conditionatorum ante decretum, & prædefinitionem diuinæ voluntatis, ad nihil est necessaria, & prorsùs inutilis. *Consequentia manifesta: Antecedens declaratur:* quia diuinum decretum est primum principium, primaque veluti radix determinatæ futuritionis in rebus, cùm sit primum determinans, primum principium possibitatis earum, videlicet diuinam omnipotentiam. Vnde sicut res omnes sua possibilitate à Dei omnipotentia, tanquàm à causa, & in sua existentia, ab actuali influxu, & causalitate Dei, eas creantis, & conseruantis, in esse dependent; ita & in sua futuritione pendent à libera determinatione, & prædefinitone, diuinæ voluntatis determinantis illis dare existentiam in aliqua differentia temporis. Cùm ergo ante diuinum decretum, nihil sit determinatum in causa prima, ad habendam existentiam in tempore sequenti, eò quòd decretum sit libera causæ primæ determinatio, hinc euidenter sequitur, in signo rationis illud antecedente, nihil esse determinatè futurum, neque cognoscibile vt tale ab intellectu diuino.

Probatur II. In omni scientia, quæ est necessaria, & vtilis, præter rem cognitam, debet admitti medium, in quo, & per quod cognoscatur. Sed scientia media, nullum habet medium, in quo suum obiectum cognoscat: ergo scientia media ad nihil est necessaria, & vtilis. *Maior certa minor probatur.* Scientia media non cognoscit res sub conditione futuras in signo rationis antecedenti decretum, in ideis diuinis, vt vult Ægidius Romanus: neque insuper comprehensione voluntatis creatæ, aut aliarum causatum contingentium, vt aliqui Neoterici volunt: neque in decreto cognito vt futuro in sequenti signo rationis, vt alij existimant: neq; demùm in decretis ex parte subiecti absolutis, & conditionatis ex parte obiecti, cùm Authores scientiæ mediæ talia decreta in Deo non admittant. Sed præter enumerata media, nullum aliud excogitari potest, in quo Deus futura conditionata cognoscere possit.

sit. Ergo scientia media nullum habet medium, in quo cognoscat obiectum; ideoq; potiùs scientia sine medio, quam scientia media dici meretur. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Sciētia media non est necessaria ad dirigēdū Deum in suis decretis absolutis.

Corollarium I. Scientia media non est necessaria ad dirigendum Deum in suis decretis absolutis, seu ad fundandam certam, & infallibilem notitiam fururorum absolutorum. *Ratio:* quia si Deus per scientiam mediam dirigeretur in suis decretis absolutis, daretur in intellectu diuino prioritas quædam, & subordinatio inter cognitionem futurorum conditionatorum, & absolutorum, ratione cuius Deus in aliquo signo rationis exploraret res contingentes, ac liberas, sub statu conditionato pariter & absoluto, v. g. quid faceret Petrus, si in his, aut illis occasionibus, & circumstantijs poneretur, & ad quid determinaret concursum indifferentem, quem illi offerret. Sed hoc admittere, esset contra sanam Theologorum doctrinam: ergo scientia media non est necessaria ad dirigendum Deum in suis decretis. *Maior est ipsorummet fautorum scientiæ mediæ,* ex quibus Fonseca fatetur, ad vincendas difficultates, quæ passim emergebant de prædestinatione, & prouidentia, se excogitasse hanc conditionatorum, & absolutorum distinctam cognitionem, nimirùm, vt scientia conditionatorum præuisa esset, & exploratrix ad absolutorum notitiam. Idem fatetur, Annatus disp. 2. contra Anonimum, vbi concedit scientiam mediam futuri conditionati, esse priorem scientiâ absolutorum, illiq; prælucere, velut intellectionem volitioni, & illi præire, sicut generatio, Verbi processioni Spiritus sancti. *Minor etiam probatur.* Nulla potest dari prioritas, & subordinatio in intellectu diuino, inter absolutorum, & conditionatorum scientiam, neq; potest dici, Deum priùs explorare res contingentes, ac liberas, sub statu conditionato, quàm absoluto, si nullum possit dari instans, aut signum rationis, in quo res priùs sint contingentes, ac liberæ, sicut priùs cognoscibiles vt futuræ conditionatè; quàm absolutè. Sed in rei veritate, nullum potest dari instans, aut signum rationis, in quo res contingentes, ac liberæ, sint priùs cognoscibiles vt futuræ conditionatè; quàm absolutè: ergo nulla potest dari prioritas, & subordinatio in intellectu diuino, inter absolutorum, & conditionatorum scientiam. *Minor facilè deducitur,* ex ipsorummet Fautorum mediæ scientiæ doctrinâ, qui ideò volunt res contingentes, & liberas, esse conditionatè futuras, in signo antecedenti diuinum decretum, & vt tales à Deo cognosci per scientiam mediam, quia possunt de illis formari propositiones contradictoriæ, quarum vna sit determinatè vera, altera determinatè falsa, & consequenrer obiectum earum determinatè futurum, aut non futurum: seu vt alijs placet, quia in tali signo potest fieri suppositio futuri euentus, seu potest supponi, quòd res illa aliquando erit, si ponatur talis, vel talis conditio, quod censent sufficere ad rationem futuri: vnde futurum definiunt hoc modo. *Futurum est illud, quod aliquando habebit existentiam.* Sed hoc fundamentum pro veritate, & futuritione conditionatorum, in signo antecedenti diuinum decretum, est prorsùs nullum, cùm æque militer pro futuris absolutis, de quibus pariter possunt formari propositiones contradictoriæ, supponique quòd aliquando erunt. *Deinde,* quia cùm propositiones contradictoriæ de futuris conditionatis, componantur

tur ex abſolutis ſimplicibus, & quælibet pars ſit aliquomodò prior toto; ideò propoſitiones contradictoriæ de futuris abſolutis, priùs eſſe debent veræ, & cognoſcibiles à Deo; quàm contradictoriæ de futuris conditionatis, & conſequenter obiecta futura abſoluta, priùs habent rationem futuri: quam conditiona, & ſic ſcientia abſolutorum in Deo, præcedere debet notitiam conditionatorum, ſi fautorum ſcientiæ mediæ fundamentum eſt verum. Hinc Martinonus nouiſſimus ex iiſdem fautoribus docet, futura contingentia, tàm abſoluta, quàm conditionata, eſſe determinatè vera, & cognoſcibilia ab intellectu diuino, in ſigno antecedenti decretũ; imò ex veritate, & futuritione determinata, quam ſupponit ineſſe pro tali ſigno futuris abſolutis, probat determinatam veritatem in conditionatis. Atque ſic ſcientia media, non eſt neceſſaria ad dirigendum Deum in ſuis decretis abſolutis, in quibus ille formandis circa ſalutem, & conuerſionem hominum, ſufficienter dirigitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, per quam comprehendit ſuam omnipotentiam, videtq; in theſauris eius latere infinita media, ſeu auxilia efficaciſſima, & ſuauiſſima, quibus poteſt voluntates hominum potenter, & ſuauiter ad ſe pertrahere, quando, & vbi voluerit.

Scientia media non eſt neceſſaria ad certitudinem diuinæ prædeſtinationis.

Corollarium II. Scientia media non eſt neceſſaria ad certitudinem diuinæ prædeſtinationis. *Ratio*: quia eo ipſo, quòd voluntas diuina ſit ex ſe ita efficax, vt quidquid ipſa liberè velit à creatura fieri libero modo, illud liberè fiat à creatura; ideò iſta veritas cognoſcitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: quoniam hæc efficacitas pertinet ad intrinſecam perfectionem diuinæ voluntatis: ergo eo ipſo poteſt infallibiliter pro ſuo placito quem vult prædeſtinare, ſine vlla ſcientiâ mediâ, ad hoc præſuppoſitâ. *Conſequentia patet*: quia qui certò ſcit, ſe habere omnimodam, & infinitam omnipotentiam, ad inclinandam liberè voluntatem creatam, quò ſibi placuerit, ac proindè inclinandi eam perſeueranter in bonum, eo ipſo ſine interuentu ſcientiæ mediæ, poteſt quamcunque creaturam intellectualem, ac liberam, in æternam beatitudinem, certò, ac liberè conſequendam ordinare.

Prædeſtinatio, & eius certitudo, non poſſunt cohærere cũ ſcientia media.

Corollarium III. Scientia media non ſolùm non eſt neceſſaria ad prædeſtinationem, eiuſq; certitudinem, ſed etiam prædſtinatio ipſa, & eius certitudo, cum tali ſcientia non poſſunt cohærere. *Ratio*: quia non poteſt cohærere cum eſſentia prædeſtinationis, quòd non ſit cauſa mediorum efficaciter, ſeu cum effectu conducentium, ad conſecutionem vitæ æternæ, & conſequenter eiuſdem æternæ vitæ certitudinem. atq; ſit neq; poteſt cohærere cum certitudine diuinæ prædeſtinrtionis, cùm prædeſtinatio ab intrinſeco poſtulet, quòd ſit certa. Ergo non poteſt cum illa cohærere, quòd dicta media, & conſecutio vitæ æternæ, non habeant ab ea dependentiam; hinc autem vlteriùs ſequitur, non poſſe cum præſtinatione cohærere, quòd detur ſcientia media præcedens eandem prędeſtinationem. *Antecedens manifeſtum*: quia prædeſtinatio cùm ſit perfectiſſima quædam, & ſpecialis Dei prouidentia, debet eſſe eorum, ad quæ ſe extendit. *Tum*, quia prouidentia præſupponit voluntatem finis, & formaliter conſiſtit in ordinatione, ac præparatione mediorum ad illum adipiſcendum: atq; ſic eſt cauſa ſaltem directiua aſſequendi prædictum finem. Nam prædicta voluntas finis, & ordinatio mediorum, non poteſt non habere aliquem

aliquem influxum, & cauſalitatem reſpectu adoptionis illius per talia media. *Prima verò conſequentia patet*: quia non poteſt cohærere cum hoc, quòd eſt aliquid eſſe cauſam alicuius rei, quòd conſecutio talis rei, & media per quæ obtinenda eſt, non habeant ab eo dependentiam: ergo ſi prædeſtinatio eſt cauſa vitæ æternæ, mediorumq; cum effectu ad eam conducentium, non poteſt cum ea cohærere, quòd prædicta media, & conſecutio vitæ æternæ, non habeant ab ea dependentiam. *Secunda etiam conſequentia patet*: quia ſi Deus per ſcientiam mediam cognoſceret antecedenter ad prædeſtinationem, ac independenter ab illa, quòd ſi Petrus in his, aut in illis occaſionibus vocaretur, & conſtitueretur, & perſeueraret, ac tandem vitam æternam conſequeretur, tunc media iſta, & conſecutio vitæ æternæ, non penderent à prædeſtinatione, tanquàm à cauſa illorum; alias non poſſet Deus antecedenter ad peædeſtinationem, & independenter ab illa, præſcire per ſcientiam mediam prædictos effectus contingentes, & conditionatos. Ergo ſicut non poteſt cohærere cum effectu prædeſtinationis, neq; cum certitudine ipſius, quòd conſenſus, perſeuerantia, & conſecutio vitæ æternæ, non habeant dependentiam à prædeſtinatione, tanquàm à cauſa; ita neq; poterit cum ipſa, & conſequenter nec cum certitudine eius necti, quòd detur ſcientia media, præcedens eandem prædeſtinationem.

Scientia media non eſt neceſſaria ad conciliandam humanam libertatẽ, cũ prædeſtinatione & gratia efficaci.

Corollarium IV. Scientia media non eſt neceſſaria, & vtilis, ad conciliandam humanam libertatem, cum prædeſtinatione, & gratiâ efficaci. *Ratio*: quia S. Auguſtinus ſupra citatus, optimè cum noſtra libertate, tàm certitudinem prædeſtinationis, quàm efficaciam gratiæ compoſuit. Sed ad hoc non adhibuit ſcientiam mediam: ergo illa ad hoc non eſt neceſſaria. *Major eſt* S. Auguſtini de Prædeſt. & gratiâ, cuius doctrinam Cœleſtinus Papa in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, & Leo III. approbârunt. *Minor etiam patet*: quia iuxta Diuum Auguſtinum, efficacia gratiæ; & ipſius prædeſtinationis talis eſt, vt de nolentibus faciat volentes, & de repugnantibus conſentientes, vt docet lib. contra duas epiſt. Pelagianorum, cap. 19. ſed efficacia gratiæ, & prædeſtinationis, ex ſola præſcientia orta, non facit homines ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus cõſentientes; ſed tantùm de volentibus in ſtatu conditionato, volentes in ſtatu abſoluto: ergo iſta efficacia, & modus conciliandi libertatem arbitrij noſtri cum illa, non concordat cum doctrina S. Auguſtini. *Præterea*, quia certitudo, & efficacia inferens, atq; cauſans libertatem, non poteſt eam deſtruere. Sed efficacia gratiæ, & certitudo prædeſtinationis, independens à ſcientia media, cauſat, & infert libertatem conſenſus: ergo illam non deſtruit, & ſic ad conciliandam libertatem noſtram cum efficacia gratiæ, & certitudine prædeſtinationis, ſcientia media non eſt neceſſaria. *Minor patet*: quia efficacia diuinæ gratiæ, & certitudo prædeſtinationis, oriuntur, & procedunt ex ſumma efficacia voluntatis diuinæ. Sed efficacia ſumma diuinæ voluntatis poſtulat, vt non tantùm inferat ſubſtantiam conſenſus noſtri; verùm etiam modum libertatis illius, quando vult, vt fiat, & liberè fiat: ergo afficacia gratiæ, & certitudo prædeſtinationis, à ſumma efficacia diuinæ voluntatis procedens, eiq; innixa, ac in ea fundata, non tantùm infert, & cauſat ſubſtantiam noſtrorum actuum, verùm etiam modum libertatis. Corol-

Sc etiā media non est necessaria ad efficaci ter prædefiniendū consensum liberum voluntatis creatæ.

Corollarium V. Scientia media non est necessaria ad hoc, vt Deus efficaciter prædefiniat consensum liberum voluntatis creatæ, saluâ eius libertate: imò admissâ tali scientiâ, non potest eiusmodi consensum, saluâ prædicta libertate, siue voluntatis creatæ, siue diuinæ, prædefinire. *Ratio:* quia ex hoc, quòd diuina voluntas sit ex se efficax, possitque efficaciter velle, quidquid sibi placuerit, & eo modo, quo placuerit, scilicet quòd fiat libero, aut necessariò modo à creatura, oritur, quòd ipsa creatura in actu secundo sit libera: atque sic ex eo, quòd Deus sine dependentia à præuisione conscius per scientiam mediam, efficaciter prædefiniat aliquid liberè faciendum à creatura, non destruitur, sed potiùs ponitur eius libertas in actu secundo. *Altera etiam pars corollarij patet:* quia datâ scientiâ mediâ destruitur tam libertas voluntatis diuinæ, quàm creatæ, & consequenter si talis scientia esset necessaria ad diuinam prædefinitionem, non posset Deus salua libertate, tàm suæ voluntatis; quàm creatæ, aliquid prædefinire.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Licet ante decretum absolutū, nihil sit absolutè futurum; futura tamen conditionata habent futuritionem, & veritatem obiectiuam determinatam, independenter à decreto conditionato, & in signo rationis decretum absolutum antecedenti. Ergo scientia media est necessaria in Deo, ad cognoscenda eiusmodi futura conditionata ante decretum. *Respondetur negando antecedens:* alias non solùm res contingentes, & liberæ, conditionatè futuræ; sed etiam res absolutè futuræ, haberent futuritionem, & veritatem determinatam, ante omne decretum diuinum, & sic nullo modo à diuina voluntate dependerent, quod est contra fidem, & doctrinam Apostoli asserentis, Deum omnia operari secundùm consilium suæ voluntatis. *Præterea,* quia sicut repugnat Deum, cognoscere res vt possibiles, non præintellectâ suâ omnipotentiâ, à qua constituitur potens illas producere; ita repugnat eum ipsas cognoscere vt futuras, tàm absolutè, quàm conditionatè, non præintellecto decreto diuino: nam sicut possibilitas dicit ordinem ad omnipotentiam Dei; ita futuritio dicit ordinem ad eius decretum.

Solutio eiusdem.

Obiectio secunda.

Obijcitur II *Contra Corollarium II.* Deus non potest aliquem adultum prædestinare, per prædestinationem omninò certam, nisi sciat media, quibus æternam beatitudinem consecuturus est: alias enim temerè, & non per prædestinationem omninò certam prædestinaret. Sed ista media debent sciri per scientiam mediam: ergo scientia medita est necessaria ad certitudinem diuinæ prędestinationis. *Minor deducitur:* quia ista media, quorum cognitio debet præcedere prædestinationem adulti, non possunt esse alia, nisi quòd si in tali, aut tali occasione vocaretur, consentiret; & quòd si talibus, aut talibus tentationibus vrgeretur, non succumberet: ac tandem, quia ita se habebit, vt saltem in gratia decedat; hæc autem omnia, vt potè futura contingentia conditionata, videntur ad scientiam mediam pertinere, tāquàm proprium eius obiectum. *Respondetur, negando minorem. Ad eius probationem dicitur:* media, per quæ adulti cōsequuntur vitam æternā, esse bona illorum opera: ad hoc autem, vt Deus certò sciat, suam prædestinationē non esse frustrandam ex defectu eorum, sufficit, quòd per scientiam simplicis intel-

Solutio eiusdem.

ligentiæ

ligentiæ præcognoscat efficaciam suæ voluutatis, esse tantam, vt quidquid ipsa voluerit, id ipsum à creaturis fiet. Nam eo ipso poterit certò intendere quemcunque finem, qui sibi placuerit: quoniam in potestate diuinæ voluntatis sunt omnia media, ab ipsis etiam creaturis adhibenda.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium III.* Eo ipso, quòd prædestinatio supra certitudinem prouidentiæ, addat certitudinem præscientiæ, necesse est, vt etiam addat peculiarem voluntatem gratuitam, constituendi prædestinatum in his, aut illis occasionibus, in quibus præscit Deus per scientiam mediam, illum consensurum, ac tandem in gratia perseueraturum: ergo prædestinatio, & eius certitudo, potest optimè cohærere cum scientia media. *Respondetur, negando antecedens:* nam quòd hæc voluntas sit efficax, & certò habitura effectum, id non oritur ex meritis ipsius: ex eo, quòd ipsa habeat independenter, à consensu liberæ voluntatis creatæ, per scientiam mediam præuiso, efficacitatem infallibilem, ad hoc, vt faciat, quòd voluntas creata liberè consentiat, & perseueret: neq; etiam voluntas Dei habet istam efficaciam infallibilem, & certam ex vi alterius voluntatis diuinæ, vt volunt fautores scientiæ mediæ. Loquendo itaq; de ijs, quæ se tenent ex parte Dei, prædestinatio nullam aliam certitudinem addit supra prouidentiam, nisi solùm certitudinem præscientiæ; siquidem ista certitudo ex parte Dei, solùm potest oriri, aut ex certitudine, & infallibilitate suæ scientiæ, aut ex efficacitate infallibili, & certissima suæ voluntatis. Vnde si quæ erit discretio inter prædestinatum, & non prędestinatum, & si quæ infallibilitas consequendi vitam æternam in prædestinato inuenitur, hæc orietur tanquàm à prima radice, ex libera voluntate prędestinati, absolutâ tamen gratuitæ voluntati Dei; ex parte autem Dei, solùm addetur certitudo diuinæ pręscientiæ, quatenùs hoc ipso, quòd prędestinatus reipsa se discernat à non prędestinato, per suum consensum, & perseuerantiam, modo dicto sumptam, non poterit hoc non certò à Deo pręuideri.

Solutio eiusdem.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium* IV. Implicat contradictionem, quòd Deus per decretum ex se efficax, & physicè prædeterminans, causet in nostris actibus libertatem: ergo libertas humana non potest aliter cōciliari cum prædestinatione, & gratiâ efficaci, nisi per mediam scientiam. *Antecedens probatur:* quia implicat quòd decretum imponens voluntati necessitatem antecedentem causet in eius actibus libertatem, eamq; prædefiniat infallibiliter simul, & liberè operatura; quemadmodum etiam implicat Deum decernere, ac prædefinire, quòd cæcus manens cæcus, & priuatus potentiâ visiuâ, videat: sed decretum prædeterminans, cùm antecedat actus liberos nostræ voluntatis, imponit voluntati creatæ necessitatem antecedentem ad operandum: ergo implicat, quòd tale decretum causet in nostris actibus libertatem. *Respondetur negando antecedens. Ad eius probationem negatur minor:* nam licet decretum prædeterminans, antecedat actus nostros liberos, & liberam determinationem voluntatis nostræ, prioritate naturæ, & causalitatis; non tamen imponit necessitatem antecedentem. *Tum,* quia voluntas vt subest tali decreto, retinet potentiam ad actum oppositum, eò quòd illud nunquàm determinet voluntatem ad agendum, nisi priùs tempore, aut naturâ, applicet intellectum ad repræsentandum obiectum, ad quod il-

Solutio eiusdem.

lam

lam mouet, ſub indifferentiâ obiectiuâ iudicij, quæ eſt proxima radix libertatis, & quâ poſitâ in intellectu, implicat voluntatem neceſſitari. *Tum*, quia licet tale decretum, & motio, aut gratia efficax ex illo proueniens, non ſit formaliter conſequens actus liberos noſtræ voluntatis: æquiualenter tamen ad illos cõſequitur: quia conſequitur ad aliquid, in quo continetur, & à quo cauſatur noſtra libertas, videlicet ad efficaciam diuinæ voluntatis.

QVÆSTIO III.

An ſcientia media in rei veritate ſit impoſſibilis.

Occaſio quæſtionis.

OCcaſio tractandæ huius quæſtionis procedit ex abſurdis, & inconuenientibus, quæ ex ſcientia media ſequuntur. *In primis* enim, ſcientia media fauere videtur errori Semipelagianorum, aſſerentium dari in nobis initia quædam fidei, & bonæ voluntatis, quæ non erant à gratia, ſed à natura. Nam ſcientia media ab eius fautoribus ponitur ad hoc, vt Deus ante omne decretum præueniens noſtras voluntates cognoſcat, an homo poſitus ſub his, aut illis occaſionibus pro ſua libertate conſenſurus, aut diſſenſurus ſit vocationi ad fidem, v. g. ſuppoſito tamen auxilio de ſe indifferenti, & moraliter ſolùm excitante, quod per ipſum conſenſum reddendum eſt efficax, ſi de facto operetur; aut inefficax per diſſenſum, ſi nolit operari. In hac autem præſcientiâ ſic explicata inuoluitur, & diuino reſpectui offertur, aliquod initium fidei, & bonæ voluntatis, quod non eſt à gratia, ſed à natura; neq; à Deo, ſed à ſolo libero arbitrio, pro ſua innata libertate, determinante gratiam ad conſenſum. Porrò iſte error Semipelagianorum, damnatus eſt in Concilio Arauſicano, can. 5. his verbis: *Si quis ſicut augmentum; ita & initium fidei, non per gratiæ donum, ſed naturaliter in nobis eſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus Aduerſarius probatur, B. Paulo dicente, quia qui cœpit in nobis, bonum opus perficiet.*

Media ſcientia ſternit viam erroribus Semipelagianorum.

Præterea, ſcientia media, videtur ſternere viam, alteri errori Semipelagianorum, qui aſſerebant, prædeſtinationem ad gratiam, fieri ex præuiſione meritorum. Nam prædeſtinatio non ſolùm ad gloriam, ſed etiam ad gratiam, fit ex præuiſis meritis, ſi Deus in ſigno rationis antecedente decretũ, quo eligit, & prædeſtinat homines ad gratiam, præuideat merita ipſorum futura. *Tum*, quia cùm inter actus diuinos non detur alia prioritas, niſi dependentiæ, tenentis ſe ex parte obiectorum ideò ſi præſcientia meritorum ſit prior in mente diuina, prædeſtinatione ad gratiam, euidenter ſequitur, quòd illa pendeat à tali præſcientiâ, ac proinde, quòd Deus non prædeſtinet ad gratiam, niſi ex præuiſione meritorum. *Tum etiam*, quia ſi Deus in aliquo ſigno rationis, priuſquam eligat hominem ad gratiam, videt illius merita futura, nõ poteſt non moueri intuitu illorum ad dandam illi gratiam. *Et hoc eſt fundamentum Authorum ſcientiæ mediæ*, qui docent prædeſtinationem ad gratiam fieri ex præuiſis meritis, quia inquiunt Deus ante decretum electionis ad gloriam, per ſcientiam mediam præuidet merita hominũ ſub conditione futura. Iam verò datâ ſcientiâ mediâ, Deus præuideret merita hominum vt futura, in ſigno antecedenti decretum prædeſtinationis ad gratiam: nam in quocunq; ſigno rationis aliquid verum eſt, in eo Deus illud præuidet, propter infinitam virtutem ſui intellectus. Sed in ſigno rationis antecedente electionem Petri v. g. ad gratiam, altera iſtarum propoſitionum contradictoriarum, *Petrus merebitur, Petrus non merebitur*, eſt determinatè vera, videlicet iſta, *Petrus merebitur*, ex ſuppoſitione, quòd in tempore debeat elicere actus meritorios: ergo in ſigno rationis antecedente electionem Petri ad gratiam, Deus præuidet eius opera meritoria.

Media ſcientia fauet errori Arrianorum.

Inſuper, quia Arriani olim ſcientiâ mediâ vſi ſunt ad ſuum errorem comprobandum, vt coſtat ex epiſt. Alexandri Epiſcopi Alexandrini, ad alterum Alexandrũ Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quæ habetur in Actis Concilij Niceni tom. 1. Concil. contendentes enim Chriſtum non eſſe filium Dei per naturam, ſed tantùm per gratiam fuiſſe electum ad eam dignitatem, & excellentiam: cùm illis obijceretur, vnde eſſet, quòd S. Petrus, aut Paulus, non fuerint ſimiliter facti filij Dei, recurrebant ad præſcientiam boni vſus liberi arbitrij futuri, vt refert citatus Alexander. *Tum*, inquit, *omni exutâ erga Deum pietate, ac reuerentiâ, aiunt; Deum cùm præſcientiâ, & præſenſione prænouiſſet, neutiquam ipſum aſpernâturum, idcircò ex omnibus elegiſſe*. Imo Gaſpar Ram, inſignis in Academia Oſcenſi Doctor, Relect. 3. de ſcientia condit: concluſione 5. primum ſcientiæ mediæ inuentum, Arrianis tribuit, propter quod meritò inquiritur, an implicet dari talem ſcientiam, ex qua tot, & tanta abſurda ſequuntur.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Scientiam mediam dari implicat.

COncluſio. Scientia media eſt impoſſibilis, ſeu repugnat illam dari. *Probatur*. Ante decretum efficax ſiue abſolutum, ſiue conditionatum diuinæ volũtatis, in Deo exiſtens, nihil habet rationem futuri, ſiue abſoluti, ſiue conditionati: ergo implicat, quòd per aliquam ſcientiam cognoſcatur vt futurum, & conſequenter implicat dari ſcientiam mediam, ſiquidem ſcientia media excogitata eſt, ad cognoſcenda futura contingentia, ſiue abſoluta, ſiue conditionata, ante decretum efficax diuinæ voluntatis, in illa exiſtens. *Conſequentia etiam patet*: quia implicat cognoſci aliquid vt futurum, per ſcientiam diuinam, quod reuera futurum non eſt: alioqui talis ſcientia eſſet fallibilis, & conſequenter non eſſet diuina.

Probatur II. Si eſſet poſſibilis ſcientia media, ſequeretur ex ea, Deum non poſſe adimplere illa, quæ promittit circa fidem, aut conuerſionem creaturæ rationalis, ex facultate ſuæ omnipotentiæ, ſed potiùs ex præſcientia noſtri futuri conſenſus. Sed hoc admitti non debet: ergo implicat dari ſcientiam. *Sequela Maioris probatur*. Datâ ſemel ſcientiâ mediâ, vt neceſſariâ ad ſaluandam libertatem arbitrij noſtri, in ordine ad quam eam potiſſimùm, fermè omnes eius propugnatores introducunt, non potuiſſet Deus polliceri Abrahæ filios ſpirituales, puta fidem gentium, iuxta illud ſcripturæ: *Patrem multarum gentium conſtitui te*, niſi ſolùm ex præſuppoſita ſcientiâ mediâ, quâ nouerit, quòd iſtæ, vel illæ gentes, tali tempore vocatæ ad fidem, crediture eſſent, quamuis forſan eſſent vocatæ æquali vocatione internâ, & externâ; imò fortè minori; quàm aliæ gentes, quæ non crediderunt. Ergo quòd Deus illam promiſſionem potuerit adimplere, non tàm ab eius poteſtate; quàm à præſcientia dictâ, & poteſtate liberi arbitrij noſtri, tanquàm à prima radice, ſeu conditione omninò præuiâ, fuit dependens: quoniam niſi hæc præſupponeretur, non potuiſſet Deus ex tota ſuâ omnipotentiâ talem promiſſionem facere, aut certò illã adimplere; quod tamen nemo ſanæ mentis audet dicere. *Minorem* etiam expreſsè docet S. Auguſtinus lib. de Prædeſt:

Prædest: Sanctorum cap. 10. vbi dicit: *Credamus igitur cum fideli Abraham, quòd quæ promisit Deus, potens est adimplere, ita vt in hoc non pendeat Deus à potestate nostri liberi arbitrij.* Statimq; rationem reddit, his verbis: *nam pietas, & veritas probibet nos dicere, quòd quæ promisit Deus, non est in Dei, sed in hominum potestate.* Et epist. 105. dicit: *Quod enim promittit Deus, non facit nisi Deus: habet namq; aliquid rationis, & veritatis, vt homo promittat, & Deus faciat. Vt autem homo se facere dicat, quod promiserit Deus, superbæ impietatis est reprobus sensus.* Idem docet lib. de correct: & gratiâ, cap. 12 & in pluribus alijs locis. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Media scientia tollit à Deo rationem primæ causæ.

Corollarium I. Scientia media ideò est impossibilis, quia à Deo tollit rationem primæ causæ. *Ratio:* quia Deus non potest esse prima causa futuritionis conditionatæ rerum contingentium, & ordinis ad existentiam sub conditione habendam, qui in ea includitur, & per quem futura conditionata à merè possibilibus distinguuntur, nisi mediante aliquo decreto, subiectiuè absoluto, & obiectiuè conditionato, quo voluntas diuina determinet illis dare esse, si poneretur aliqua conditio. Sed scientia media excludit eiusmodi decreta: ergo tollit à Deo rationem primæ causæ. *Præterea*, quia ex positione scientiæ mediæ sequitur, primam radicem futuritionis cōditionatæ, nostri actus liberi, etiam boni, v. g. conuersionis Tyriorum, si Christus eis prædicasset, non esse primò refundendam in Deum, sed in voluntatem creatam ipsorū, & consequenter conuersio illorū in statu conditionato, non deberetur Deo, vt primo Auctori; sed propriæ illorum voluntati. Nam ei debetur conuersio illa vt primo auctori, à quo primò orta est in executione eius futuritio: vnde si sit futura antecedenter ad diuinam voluntatem, non est orta primò eius futuritio à Deo, sed à propria illorum volūtate; hoc autem aufert à Deo rationem primæ causæ, respectu actuum liberorum, rationemq; primi auctoris gratiæ.

Media scientia aufert à Deo rationem primi liberi.

Corollarium II. Scientia media aufert à Deo rationem primi liberi, & per hoc est impossibilis. *Probatur.* Primum liberum debet esse causa, non tantùm remota, & & mediata; sed etiam proxima, & immediata totius libertatis creatæ, ac participatæ; quēadmodùm etiam primum ens, debet immediatè causare, & efficere omnem entitatem, existentiamque creatam, ac participatam à rebus, cùm primum in quolibet genere, sit causa cæterorum. Sed scientia media subtrahit à Deo rationem causæ primæ, & immediatæ, respectu liberæ determinationis nostræ voluntatis, quæ est aliqua libertas creata, & participata: nam implicat liberam determinationem nostræ voluntatis, causari à decreto in differenti, & determinabili à voluntate creatâ, quantum ad speciem actus; tale autem decretum admittunt fautores scientiæ mediæ: ergo scientia media tollit à Deo rationē primi liberi. *Præterea*, quia primum liberum, debet esse primum eligens, & primum determinans: siquidem eligere, & determinare, est proprius actus libertatis. Sed scientia media subtrahit à Deo, rationem primi eligentis, & primi determinantis, cùm supponat electionem, & determinationem voluntatis humanæ conditionatè futuram, ante omnem electionem, seu ante omne decretum actuale, & exercitium voluntatis diuinæ: ergo scientia media aufert à Deo rationem primi liberi.

Media scientia supremum Dei dominium destruit.

Corollarium III. Scientia media destruit supremum Dei dominium in nostras voluntates. *Ratio:* quia positâ scientiâ mediâ, Deus non posset applicare voluntates

nostras

nostras ad liberè volendum, quidquid ipse voluerit, & quomodocunq; voluerit; sed deberet priùs explorare, ac præuidere per scientiam mediam, quid illæ ex innata libertate sint volituræ, neq; posset earum determinationem, atque consensum prædefinire, & causare, tanquàm primum liberum, & primum determinans, sed deberet illum expectare à creatura, & quasi emendicare, ac precario obtinere; atq; sic non haberet supremum, perfectum, & regale dominium in voluntates nostras; sed politicum solùm, & ciuile, vti habet magistratus in populum. Quod manifestè scripturæ Sacræ repugnat, quæ Prouerb. 21. supremum dominium Deo adscribit, his verbis: *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunq; voluerit, vertet illud.* Idem frequenter docet S. Augustinus, asserens, *Deum habere cordium inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Illum magis habere in sua potestate voluntates hominum; quàm ipsi suas. Deo volenti saluum facere, nullum humanum resistere arbitrium, illumq; de ipsis hominum voluntatibus facere, quod vult, & quando vult.* Hoc autem in sententia adstruentium mediam scientiam, nullo modo verificari potest. Nam cùm homines ratione perfecti dominij, quod habent in suos actus, possint se liberè determinare, & de facto se liberè determinant, ad quod voluerint, quando, & vbi voluerint. Ergo si De⁹ non posset sine læsione libertatis, applicare, ac determinare voluntates hominum, ad quod, & quando, & quomodò voluerit; sed deberet per scientiam mediam explorare futurum consensum voluntatis humanæ, deberetque quærere, & expectare occasiones, ac opportunitates temporis, & loci; non magis, imò nec ita haberet in sua potestate voluntates hominū, sicut ipsimet easdem habent.

Media scientia tribuit Deo modum concurrēdi cæcum ad actus nostros liberos.

Corollarium IV. Scientia media tribuit Deo modum cōcurrendi ad actus nostros liberos cæcum, & ignorantem, & sine intentione illorum in particulari: & consequenter ex hoc capite scientia media est impossibilis. *Ratio:* quia positâ scientiâ mediâ, De⁹ (vt volunt fautores scientiæ mediæ) influeret per voluntatem quandam indifferentem, quâ paratus esset influere ad id, quod Petrus v. g. voluerit, ita vt voluntas, quæ supponitur in illo priori, antequàm intelligatur scientia media esse in Deo, non fieret ad determinatè concurrendum ad consensum v. g. actus fidei: alias efficaciter prædefiniret illum ante dictam scientiam; sed ad tribuendum concursum indifferentem, seu ad concurrendum ad id, quod Petrus voluerit, puta, vel ad assensum si Petro placuerit; vel ad dissensum, si illum elegerit. Ergo influeret ignorando, quidnā sit illud, quod ex suo influxu subsequendum est; videlicet ignorando, eritne illud assensus ad fidem, an certè dissensus, ac proinde sine intentione eius in particulari, quod subsequendum est. Atq; sic modo cæco & ignoranti, sine consilio, & prouidentiâ, cōcurreret ad actus nostros liberos.

Media scientia tollit libertatem voluntatis creatæ.

Corollarium V. Scientia media in rei veritate, tollit libertatem voluntatis creatæ, & per hoc est impossibilis. *Ratio:* quia scientia media supponit res esse futuras, ex vi, & naturâ oppositionis contradictoriæ: nam fautores scientiæ mediæ, supponunt, & docent, propositiones contradictorias de futuris contingentibus, tàm conditionatis; quàm absolutis, habere determinatam veritatem, aut falsitatem, ratione oppositionis contradictionæ. Ergo cùm veritas

obiectiua futurorum contingentium, supponat illorũ futuritionem, imò sit ipsa futuritio rei contingentis, vt obiecta intellectui diuino, ab ipsoq; cognita, aut cognoscibilis, hinc euidenter sequitur in sententia fauororum scientiæ mediæ, determinatam futuritionem rerum contingentium, ex vi & naturâ oppositionis contradictoriæ prouenire. Ergo scientia media tollit libertatem voluntatis creatæ; nam cùm oppositio contradictoria, sit causa necessaria, necessitate absoluta, vt potè fundatâ in illo principio: *Quodlibet est, aut non est*, quo nihil potest esse, aut concipi magis necessarium; ideò futuritio ad illam consequens, ex illaq; proueniens, non potest esse libera, & contingens; sed tantùm naturalis, & necessaria. *Præterea*, quia libertas creata non potest subsistere, euersâ libertate primi liberi. Sed scientia media euertit libertatem primi liberi: ergo & libertatem creatam destruit, solumq; apparenter illi fauet. *Minor patet*, tum quia scientia media non proponit voluntati diuinæ, actum voluntatis creatæ, cum indifferentia ad essendum, & non essendum: nam conuersio v. g. D. Pauli, non fuit proposita voluntati diuinæ per scientiam mediam, cum indifferentia ad essendum, vel non essendum in talibus circumstantijs; sed vt determinata solùm ad hoc, vt esset, & illa determinatio præcessit omnem actualem libertatem diuinã: prius enim cognoscitur voluntas creata operatura determinatè hunc speciei actum, quam cognoscatur Deus eum determinatè voliturus, neq; potest assignari vllum signum, in quo non sit Petrus se determinaturus ad talem operationem. Ergo scientia media euertit libertatem primi liberi, simulq; creatam.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. Positâ scientiâ mediâ, non impeditur Deus in adimplendis ijs, quæ promittit circa fidem, aut conuersionem creaturæ rationalis: ergo ex hoc capite non repugnat illam dari. *Antecedens patet*: quia ad hoc, vt De' impleat, quæ promittit circa fidem, aut conuersionem creaturæ rationalis, sufficit decretum Dei obiectiuè præsens, siue conditionatè, siue absolutè, quatenùs præuidit Deus, quòd si voluntas creata in tali, aut tali serie poneretur, tunc diuina voluntas concurreret cum ea, in ordine v. g. ad consensum, & fidem. Atque sic innitendo in hoc decreto præuiso, integrum est Deo polliceri ex se, quidquid illi placuerit.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando Antecedens, & eius probationem. Tum, quia diuinum decretum, non potest habere rationem futuri, vt docet S. Thomas q. 6. de Verit. ar. 13. ad 10. vbi dicit: *Absolutè loquendo, Deus potest vnumquemq; prædestinare, vel non prædestinare: aut prædestinasse, vel non prædestinasse: quia actus prædestinationis, cùm mensuretur æternitate, nunquàm cadit in præteritum; sicut nunquam est futurus. Vnde semper consideratur vt egrediens à voluntate per modũ libertatis.* Tum, quia decretum illud Dei est de se, juxta fautores scientiæ mediæ, indifferens, per illudque, quantum est ex parte Dei, non magis vult consensum, quàm dissensum; sed quòd illa volitio deseruiat (vt ita loquar) ad consensum, id pendet ex voluntate creata, & influxu eius saltem vt à conditione præuia. Ergo quòd Deus possit præuidere illam fidem gentium, id dependet à cõsensu libertatis creatæ, vt à præuia conditione. Similiter quòd fidem illam, quam promisit, valeat præstare, id non tàm ab eius potestate; quàm ab ista præscientia, & potestate libertatis creatæ, vt à prima radice, seu saltem vt à conditione prima, & præuiâ pendet. Atq;

Atque sic stante scientiâ mediâ, Deus non tàm ex suo; quàm ex potestate, & concursu libertatis creatæ, poterit suam promissionem adimplere.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium* I. Deus est prima radix, & auctor futuritionis rerum contingentium, non quidem ratione alicuius decreti conditionati, efficacis actu existentis, quo v. g. conuersio Tyriorum volita sit sub conditione, sed ratione diuini decreti, quod obiectiuè præcedit, dandi auxilium illis hominibus sufficiens, quo possint conuerti, & concurrendi cum voluntate illorũ, si ipsa conuerti voluerit. Ergo scientia media non aufert Deo rationem primæ causæ.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando antecedens: nam ratione illius decreti, non est magis volita, v. g. conuersio Tyriorum; quàm non conuersio: ergo ratione illius decreti præcisè, non potest Deo tribui, quòd sit prima radix, & primus auctor determinatè futuræ illius conuersionis. Quippè Deus per illud decretum, solùm vult concurrere cum voluntate illorum hominum ad conuersionem, siue ad actum, qui non sit conuersio, prout ipsi ex natura sua voluerint operari: proinde quantum est ex parte illius decreti, non est magis futura cõuersio; quàm eius omissio. Vnde, quòd de facto sit futura, positâ conditione, & auxilio, id non potest refundi in diuinã voluntatem, tanquàm in primam radicem, primumque auctorem talis conuersionis.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* IV. Deus per scientiam mediam cognoscit determinatè, & in particulari, quid sit illud, quod à Petro v. g. eligendum sit: ergo positâ scientiâ mediâ, non sequitur Deum cæcè, & ignoranter; sed scienter, & sapienter concurrere ad actus nostros liberos.

Solutio eiusdem.

Respondetur distinguendo antecedens. Cognoscit in decreto subsequente ad scientiam mediam, *conceditur*: in decreto antecedenti in signo rationis ad scientiam mediam, *negatur*: scientia enim media nullum decretum actuale, & efficax præsupponit, sed solùm futurum in alio signo rationis. Vnde in sententia fauorum scientiæ mediæ, modus concurrendi causæ primæ cum secundis, qui sequitur ad scientiam mediam, est cæcus, & ignarus: quia nullum supponit intellectus iudicium, quo diuina volũtas, & omnipotentia, ad aliquem effectum in particulari producendum dirigantur, sed modo quodam vago, & in incertum, tendit in actus voluntatis humanæ, videlicet, quodcunq; voluntas humana elegerit, ac voluerit.

DISPVTATIO VII.

De ideis diuinis.

SUfficienter discussâ scientiâ, agit S. Thomas 1. p. q. 15. de ideis, seu exemplaribus creaturarum, pertinentib' ad scientiam Dei practicam, & in mente diuina existentibus, inquirendo, an dentur in mente diuina & per quid formaliter constituantur, sintque in Deo plures.

QVÆSTIO I.

An ideæ dentur in mente diuina.

SUppono. Nomine ideæ, nihil aliud significari, nisi formam illam, seu speciem intelligibilem, existentem in intellectu artificis, ad quam ille respiciens operatur: vnde idea est veluti exẽplar, quod artifex in agendo respicit, eiq; similem effectum exprimit. Porrò ideæ artificis duplex competit modus informationis, iuxta duos respectus, quos importat: secundùm quod enim comparatur ad intellectum, tanquàm eius conceptus formalis

malis, & prout gerit munus speciei, est forma intrinsecè informās, actuansq; intellectum, ac medium quo intelligit, quod à Philosophis *medium incognitum* vocari solet. Secundùm quod verò dicit ordinem ad obiectum, & prout gerit vices exemplaris, estq; ratio originandi, & exemplandi res ad extra, habet rationem causæ formalis extrinsecæ, & formæ imitabilis, ad quam respiciens artifex operatur; *tum* medij cogniti, ac repræsentantis vt *quod*, ipsum opus externum. Sunt autem in præsenti quæstione tres sententiæ.

Sententia prima.

Prima censet, ideas diuinas consistere in conceptu obiectiuo, seu in creatura, vt cognitâ à Deo, mentiq; diuinæ obiecta. Hanc tenet Scotus in I. sent. dist. 35. q. I. vbi videtur admittere in creaturis ab æternò, quoddam esse diminutum, & secundùm quid, per actum diuini intellectus productum, ac distinctum ab esse reali, in quo temporaliter fiunt.

Sententia secunda.

Altera sententia vult, essentiam diuinam habere rationē ideæ, vt est cognitio creaturarum: vel vt alijs placet, vt gerit vices verbi, & speciei expressæ, reddentis intellectum diuinū actu cognoscentem, ac intelligentem. Hanc sequuntur Neoterici quidam.

Sententia tertia.

Tertia demùm sententia docet, ideam esse ipsam diuinam essentiam, vt cognitam, non absolutè in se, sed comparatiuè ad creaturas, & quatenùs est imitabilis, atq; participabilis ab ijsdem. Et hæc est communis Theologorum, quod vt melius concipiatur.

Sciendum est, diuinam essentiam, quæ per ipsum intelligere, purissimum, & actualissimum constituitur, eminenti quodam modo, ac sine distinctione etiam virtuali, habere in Deo rationem speciei intelligibilis, intellectionis, verbi, & constitutiui naturæ diuinæ. Nam quatenùs concipitur, vt fæcundans intellectum diuinum, in ordine ad intellectionem, gerit vices speciei, & formæ intelligibilis: quatenùs habet se per modum operationis, & actus secundi, juxta nostrum modū concipiendi, egredientis à principio proximo intelligendi, habet rationem intellectionis, & cognitionis: quatenùs est terminus purissimus, & actualissimus, terminans in actu secundo diuinam intellectionem, habet rationem verbi, & speciei expressæ: quatenùs deniq; est eminenti quodam modo, quasi radix, & causa virtualis diuinorū attributorum, habet rationem naturæ. Quæritur itaque, sub quo respectu essentia diuina induat rationem ideæ.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Dantur in mente diuina ideæ creaturarum.

COnclusio. Dantur in mente diuina ideæ creaturarum. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, Ioan. I. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Ex quo loco S. Augustinus tract. I. in Ioan. colligit, dari ideas in Deo, ita discurrens. *Quid est hoc, vita erat? facta est terra, sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita. Est autem in ipsa sapientia spiritualiter ratio quædam, quâ terra facta est? hæc vita est.* Et ad Hebr. II. dicitur: *vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* vbi S. Thomas, & I. p. q. 65. ar. 4. ad I. & 3. de verit. ar. 2. intelligit ideas, seu rationes rerum, quæ sunt in mente diuinâ, secundùm quas producta sunt visibilia. Idem docet S. Dionysius, de diuin. nom. in lect. 3. his verbis: *Exemplaria autem esse dicimus in Deo, rationes substantificas existentium prædeterminatiuas, & effectiuas, secundùm quas supersubstantialis essentia, omnia prædefiniuit, & produxit.* Ergo ex mente scripturæ Sacræ, dantur ideæ creaturarum in mente diuina.

Probatur II. *ratione.* De ratione causæ intellectualis est, continere

ideas rerum. Sed Deus est causa intellectualis creaturarum: ergo continet ideas earundem. *Maior constat ex eo:* quia causa debet in se continere effectum, secundùm formam, & rationem ipsius: vnde si sit naturalis, continet rationem effectus per formam inditam naturali modo: sic ignis generans, continet formā ignis geniti. Quòd si sit causa intellectualis, continet rationem effectus, non secundùm formam inditam, sed apprehensam; forma autem & ratio effectus in esse apprehenso, est idea, & exemplar ipsius. Ergo de ratione causæ intellectualis est, continere ideas rerum. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Ideæ definitio.

Corollarium I. Idea optimè sic definitur: *Idea est forma obiecta intellectui, intra ipsum existens, ad quam aspiciens artifex operatur.* Dicitur *ideam esse forma obiecta intellectui,* ad differentiam habituum, specierumq; intelligibilium, quæ nō habent rationem obiecti intellectus, sed principij intellectionis. Dicitur, *intra ipsum existens,* ad differentiam exemplariū externorum, ad quæ artifex respicit in suis operationibus. Dicitur insuper, *ad quam respiciens artifex operatur,* ad differentiam formarum naturalium: nam forma hominis generantis, non dicitur idea, aut exemplar hominis geniti. vt docet Sanctus Thomas q. 3. de verit. art. I. quia licet agentia naturalia, producant effectus sibi similes in forma; non operantur tamen respiciendo illam. Vnde triplex est forma, videlicet *ex qua, quæ,* seu *à qua,* & *ad quam.* Forma *ex qua* illa est, quæ intrinsecè totum componit, & ex qua compositum constituitur.

Forma triplex est.

Forma *quæ,* seu *à qua,* illa est, à qua tanquàm ab agentis principio effectus egreditur. Forma insuper *ad quam,* illa est, ad cuius similitudinem effectus producitur, & ad quam respiciens artifex operatur; hæc autem est forma exemplaris, ad cuius similitudinē aliquid constituitur, & in hoc sensu accipitur *forma,* in definitione ideæ.

Corollarium II. Radix, & fundamentum ponendi ideas in Deo rerum faciendarum, est idem, atq; ponendi prædefinitiones prædeterminatiuas omnium eorum, quæ à prouidentia, & arte diuina fiunt, atq; diriguntur. Hinc Sanctus Dionysius cap. 5. de diuinis nomin. dicit: *ideas nominari in Theologia, prædefinitiones diuinas, & bonas voluntates, existentium prædeterminatiuas, & effectiuas, secundùm quas supersubstantialis essentia, omnia prædefiniuit, & produxit.* Et *ratio corollarij est:* quia cùm omnia deriuentur, & causentur à Deo, vt supremo artifice, debent causari ab idea, & exemplari diuino, tanquàm ab eo, quod Deus inspicit, vt res producat: ergo priùs debet intendere, & apud se definire, ac statuere determinatiuè, quomodò aliquid faciendum sit; quàm præsupponere cognitum, & futurum sub aliquo statu absoluto, aut conditionato, antequàm definiat: si enim præsupponit cognitū in aliquo statu, & non pro illo prædefinitum, tunc non erit sub illo statu ideatum, & ab arte Dei profectum; hoc autem est, simpliciter non esse à Deo pro illo statu. Ergo eadem radix, & fundamentum est, ponendi in Deo ideas, ac prædefinitiones rerū prædeterminatiuas. Ex quo euidenter patet veritas, in corollario IV. quæst. III. de scientia mediâ posita, quòd nimirùm ex illa sequatur, Deum cæco, & ignoranti modo agere: cùm enim scientia media reijciat diuinas prædefinitiones, consequenter & ideas diuinas tollit, facitq; Deum cæco modo agentem effectus particularis.

Corollarium III. Ideæ diuinæ non

Ideæ diuinæ, non ſunt ipſæ creaturæ, vt menti diuinæ obiectæ.

non ſunt ipſæ creaturæ, vt menti diuinæ obiectæ, & prout habent quoddam eſſe diminutū, per actum diuini intellectus ab æterno productum. Eſt ſententia communis Theologorū cōtra Scotum, quam expreſsè docet S. Dionyſius in ſuperiori corollario citatus, & S. Auguſtinus lib: 83. quæſt. q. 46. vbi ideas dicit, *eſſe formas, & rationes incommunicabiles, immortales, & æternas*, quæ appellationes creaturis non conueniunt, vt menti diuinæ obiectis; ſed ſoli diuinæ eſſentiæ, ſola eſt omnium rerum effectrix, ſola rerum exiſtentium, & futurarum prædeterminatiua, immortalis, & immutabilis, ac ſupremum omnium exemplar. Et *ratio corollarÿ eſt*: quia idea eſt cauſa realis ideati, menſuraq; ipſius. Sed creatura ſecundùm eſſe obiectiuum conſiderata, non poteſt eſſe cauſa realis ſui ipſius, vt productæ ad extra, neq; poteſt eſſe ſui ipſius regula, atq; menſura: ergo non poteſt habere rationem ideæ. *Minor patet*: quia idea eſt exēplar ideati; exemplar autem eſt cauſa realis exemplati, ac menſura ipſius, vt communiter docetur in 2. Phyſic. *Minor etiam manifeſta*: quia cùm inter cauſam, & effectum, menſuram, & menſuratum, ſit relatio realis, debet etiam eſſe realis diſtinctio; creatura autem cognita, eſt eadem cum ſemetipſa in re producendâ: alioqui non cognoſceretur idem, quod in re producendum eſt.

Eſſentia diuina vt gerit vices ſpeciei, nō habet rationē ideæ.

Corollarium IV. Eſſentia diuina vt gerit vices intellectionis, aut ſpeciei & prout comparatur ad intellectum diuinum, per modum formæ intelligibilis illū actuantis, & tanquàm id, quo redditur cognoſcens, non habet rationem ideæ. Ita S. Thomas 1. p. q. 15. ar. 2. vbi dicit: *ideam operati eſſe in mente operantis, ſicut quod intelligitur, non ſicut ſpecies, quâ intelligitur, quæ eſt forma faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente ædificatoris, eſt aliquid ab eo intellectum, ad cuius ſimilitudinem domum in materia format.* Ibidemq; in reſponſione ad ſecundum dicit: *Sapientia, & ars ſignificantur, vt quo Deus intelligit, ſed idea vt quod Deus intelligit.* Et *ratio corollarÿ eſt*: quia ad ideam ſpectat, vt ſit forma, ad quam reſpiciens artifex operatur. Sed eſſentia diuina, vt gerit vices intellectionis, aut ſpeciei, vtque reddit intellectum cognoſcentem, tanquàm medium *quo*, non eſt id, quod intellectus inſpicit, ſed id *quo* inſpicit: ergo eſſentia diuina ſub hac formalitate, non habet rationem ideæ.

Corollarium V. Eſſentia diuina vt cognita ab intellectu diuino, tanquàm eminenter in ſe rerum omnium perfectiones continens, ac proinde tanquàm id, ad cuius imitationem, res omnes ab ipſo produci poſſunt, habet rationem ideæ. Ita S. Thomas citatus ar. 1. ad 2. vbi dicit: *Eſſentia diuina habet rationem ideæ, ſecundùm quod ad alia comparatur.* Et ar. 2. ad 1. *Idea* inquit, *non nominat diuinam eſſentiam, in quantum eſſentia, ſed in quantum ſimilitudo eſt, vel ratio huius, vel illius rei.* Et *ratio corollarÿ eſt*: quia cûm eſſentia diuina ſit ſimpliciſſima, & nihilominus in ea rerum omnium perfectiones eminenter contineantur, inde ſequitur, ideas non eſſe aliquid diſtinctum ab eſſentia diuina, illamq; eſſentiam poſſe optimè, & perfectiſſimè tenere rationem ideæ in mente diuinâ, ad productionem cuiuſlibet creaturæ, quantumcunq; perfectæ, cùm in ea cuiuſlibet perfectionis exemplar abſolutiſſimum reperiatur. Et *ratio eſt*. quia idea eſt forma, quam aliquid imitatur: ergo niſi diuina eſſentia ſit cognita, vt imitabilis à creaturis, non habebit rationē ideæ. *Præterea*, quia de ratione ideæ eſt, eſſe verbum practicum; & ſic non habet rationem ideæ, niſi prout cognita, vt imitabi-

Eſſentia diuina vt cognita ab intellectu diuino, habet rationem ideæ.

imitabilis, & participabilis à creaturis. Hinc diuinus intellectus tripliciter poteſt ferri in ſuam eſſentiam. *Primò*, ſimpliciter, & abſolutè, in quantum eſt talis res, & ſic intelligendo ſuam eſſentiam, non concipit proprium exemplar rerum, propriamque rationem ipſarum formaliter. *Secundò*, in quantum vtitur ipſa, vt medio, per quod ſibi res creatæ repræſentantur; ſic etiam non intelligit ipſam in actu ſignato, vt proprium earum exemplar. *Tertiò*, in quantum intelligit ipſam, vt imitabilem à creatura, ſecundùm hunc modum perfectionis determinatè, videlicet ſecundùm gradum vitæ, & ſic cognoſcit ipſam, vt eſt exemplar formaliter talis creaturæ, eò quod ipſam apprehendat cum habitudine ad talem creaturam.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem*, authoritas S. Anſelmi, qui in monologio cap. 29. dicit: *Satis manifeſtum eſt in verbo, per quod facta ſunt omnia, ſimilitudines verum non eſſe.* Sed ideæ ſunt ſimilitudines rerum faciendarum: ergo iuxta S. Anſelmum in mente diuina nō dantur.

Solutio obiectionis.

Reſpondetur, explicando authoritatem S. Anſelmi. In Verbo, per quod facta ſunt omnia, non ſunt ſimilitudines rerum, acceptæ ab ipſis rebus, *conceditur*: potiùs enim omnes rerum formæ, & ſimilitudines ab ipſo Verbo deriuatæ ſunt: vnde ſtatim in citato loco, addit S. Anſelmus: *Verbum* non eſt ſimilitudo rerum, ſed res ſunt imitationes Verbi. Et hanc eſſe mentem S. Anſelmi docet D. Thomas q. 3. de verit. ar. 1. ad 1. Cæterùm non negat S. Anſelmus in Verbo eſſe ideas rerum ſuperſubſtantiales, incommunicabiles, æternas, vt loquuntur Sancti Patres.

Inſtabis. S. Dionyſius cap. 7. de diuin. nomin. dicit: *quòd Deus non cognoſcat res ſecundùm ideam*: ergo ideæ nullo modo admittendæ ſunt in Deo. *Reſpondetur negando conſequentiam*: nam S. Dionyſius hoc ſolùm intendit, quòd Deus non cognoſcat res per ideas, ab illis acceptas, verùm per ſuam eſſentiam, rationem ideæ, & exemplaris habentem.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. Idea debet eſſe perfectè ſimilis ideato, ſiquidem res ideata debet fieri ad inſtar illius. Sed eſſentia diuina non eſt ſimilis creaturis, niſi analogicè, & imperfectè: ergo eſſentia diuina non eſt idea creaturaum.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem. Idea debet eſſe perfectè ſimilis ideato, entitatiuè, *negatur*: repræſentatiuè, aut cauſatiuè, *conceditur*: idea enim eſt qualitas ſpiritualis, & immaterialis in mente artificis; opus verò externum, quod ad inſtar illius formatur, eſt materiale, & corporeum, neq; eſt qualitas, ſed ſubſtantia.

QVÆSTIO II.

An idea in mente diuina ſint plures.

Origo quæſtionis.

OCcaſio iſtius quæſtionis inde orta eſt, quia eſſentia diuina eſt ſimpliciſſima, proinde non videtur, quomodò cum eius ſimplicitate pluralitas idearum ſtare poſſit, & à quo intellectu illi reſpectus rationis, per quos illæ ideæ plurificarentur in Deo, fieri poſſent, circa quod.

Sciendum eſt, ideam, cùm ſit ratio rei ſecundùm ſuam ſpeciem abſolutè ſumptam, nullum ſupponere actum voluntatis diuinæ; & ideò neceſſariò Deo competit. Quamuis autem idea practicè ſumpta, afferat actum voluntatis; iſte tamen actus, vt ab idea affertur, non eſt reſpectu ordinationis rei in finem, ſed reſpectu productio-

nis

nis eius abſolutè, neq; præſupponitur, ſed ſubſequitur ad illam. Vnde hoc, quod eſt eſſe practicum, & afferre prædictum actum de productione rei, non pertinet ad rationem ideæ, ſed (vt ita loquar) per accidens coniungitur cum illa.

Articvlvs I.

Reſoluitur Quæſtio.

In mente diuina de facto ſunt plures ideæ

COncluſio. In mente diuina de facto ſunt plures ideæ. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, ad Hebr. 11. vbi dicitur: *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula Verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.* In quo loco per *inuiſibilia*, S. Thomas intelligit *ideas*, ſeu formas, quibus Deus diſponit, & facit creaturas. Idem docet S. Auguſtinus lib. 83. quæſt. vbi diait: *Omnia ratione ſunt condita, nec eadem ratione homo, quâ equus: hoc enim abſurdum eſt exiſtimare; ſingula igitur proprijs creata ſunt rationibus.* Ergo ex mente Scripturæ Sacræ in Deo ſunt plures ideæ.

Probatur II. *ratione.* Sicut ad creati artificis peritiam ſpectat, vnicuique operi artificiali ſeruare diſtinctionem ſuam, & tribuere propriam rationem ſuam, formamq; artificialem diſtinctam ab alijs, ac proinde habere diuerſas artefactorum rationes, & ideas in mente conceptas, quibus formet vnumquodq; iuxta modum ſibi proprium. Ita etiam ſecluſis imperfectionibus, ad ſupremam Dei artem, & ſapientam pertinet, plures in ſua eſſentia concipere rationes rerum faciendarum, pluresq; modos ideandi, & regulandi creaturas, prout cuiuſlibet natura, & conditio expoſcit. Ergo in Deo ſunt plures ideæ.

Probatur III. Eſſentia diuina ſecundùm ſe cognita, non habet rationem ideæ, ſed cognita prout eſt ratio rerum faciendarum, & prout à tali, vel tali creatura imitabilis eſt. Sed Deus cognoſcit in ſua eſſentia, plures rationes rerum faciendarum, videtq; eam diuerſis modis à creaturis imitabilem, atque participabilem: v. g. ab Angelo ſecundùm gradum intellectualitatis, à planta ſecundùm gradum vitæ, à lapide ſecundùm gradum entis, &c. Ergo in mente diuina ſunt plures ideæ creaturarum. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Pluralitas idearũ non repugnat Deo & eius ſimplicitati.

Corollarium I. Pluralitas idearum non repugnat Deo, & eius ſimplicitati. Ita S. Thomas 1. p. q 15. ar. 2. vbi dicit: *non eſt autem contra ſimplicitatem diuini intellectus, quòd multa intelligat; ſed contra ſimplicitatem eius eſſet, ſi per plures ſpecies eius intellectus informaretur. Ratio.* quia ſi diuinus intellectus pluribus ſpeciebus informaretur, intelligeret per plures ſpecies, proinde non ſimul, quod ſummè eius perfectioni repugnat. Nam intellectus, qui non ſimul intelligit, ſed vnum poſt aliud, aliquando eſt in potentia, aliquando in actu, & ſic non omninò ſimplex: vbi enim eſt actus, & potentia, compoſitionem quoq; eſſe, neceſſe eſt.

Pluralitas idearum in Deo, ſumitur ſecundùm diuerſos reſpect. rationis eſſentiæ diuinæ ad creaturas.

Corollarium II. Pluralitas idearum in Deo, ſumitur ſecundùm diuerſos reſpectus rationis, eſſentiæ diuinæ ad creaturas. *Ratio:* quia pluralitas idearum eſt reſpectiua, ſumiturq; ex reſpectu ad creaturas, diuerſimodè imitantes diuinam eſſentiam. Sed iſte reſpectus non eſt realis, verùm rationis: ergo pluralitas idearum ſumitur ſecundùm reſpectum rationis. *Maior eſt euidens. Minor etiam patet:* tum, quia eſſentia diuina cùm ſit ens abſolutum, & à creaturis independens, non poteſt ad eas realiter referri. *Tum,* quia in Deo non dantur aliæ relationes, reales, præter perſonales, quæ fundantur in origine, ac proceſſione reali intra Deum. Sed ideæ non ſunt relationes perſonales inter ſe oppoſitæ; verùm ſunt communes omnibus perſonis: ergo reſpectus ad creaturas, qui importatur in ratione ideæ, non poteſt eſſe realis, ſed rationis.

Corollarium III. Reſpectus rationis, ſecundùm quos in Deo ſumitur pluralitas idearum, non habet ſe vt ratio formalis conſtitutiua idearum, ſed vt modus quidam, ſeu conditio requiſita, vt ipſa entitas diuinæ eſſentiæ, exerceat officium plurium idearum. *Ratio:* quia idea eſt vera, & realis cauſa, realiter influens in ſuum ideatum: ergo non poteſt conſtitui in ſua ratione formali, etiam quatenùs ſpecialis eſt, & diſtincta ab alia, per ſolum reſpectũ rationis. Cùm autem ſine reſpectu rationis non poſſit in Deo eſſe, aut concipi multiplicitas idearum, quæ reſpectiua eſt, ſeu comparatiua, idq; non per reſpectum realem; ideò neceſſe eſt, quòd talis reſpectus rationis, intret ſaltem tanquam conditio, ſeu modus requiſitus, in diuinis ideis, ad multiplicitatem earum. ſiquidem non poteſt aliquid pertinere ad aliud, niſi vel tanquàm conſtitutiuum, vel tanquam conditio, ſeu modus requiſitus.

Pluralitas & diſtinctio idearum ab intellectu diuino quaſi efficiẽter prouenit.

Corollarium IV. Pluralitas idearum, quaſi efficienter prouenit ab intellectu diuino, cognoſcente ſuam eſſentiam, vt diuerſimode imitabilem à creaturis. Ita S. Thomas 1. p. q. 15. ar. 2. vbi dicit: *Sic igitur in quantum Deus cognoſcit ſuam eſſentiam vt ſic imitabilem à tali creatura, cognoſcit eam vt propriam rationem, & ideam huius creaturæ, & ſimiliter de alijs. Et ſic patet, quòd Deus intelligit plures rationes proprias plurium rerum, quæ ſunt plures ideæ.* Ergo ſi Deus cognoſcit plures ideas, quia cognoſcit eſſentiam ſuam, vt ideam huius, & alterius creaturæ, ipſe hanc pluralitatem, & diſtinctionem efficit. Et ibidem in ſolut. 3. dicit: *Reſpectus, quibus multiplicantur ideæ, non cauſantur à rebus, ſed ab intellectu diuino, comparante eſſentiam ſuam ad res.* Ergo pariter ab eodem intellectu fit, & cauſatur diſtinctio, ac pluralitas idearum. Et q. 3. de verit. ar. 2. dicit: *Ipſa diuina eſſentia cointellectis diuerſis proportionibus rerum ad eam, eſt idea vniuſcuiuſque rei: vnde cùm ſint diuerſæ rerum proportiones, neceſſe eſt, eſſe plures ideas.* Ergo cùm iſtæ diuerſæ proportiones, ſint cointellectæ ab intellectu diuino, ab illo quaſi efficienter prouenit pluralitas, & diſtinctio idearum.

Corollarium V. Probabilius tamen eſt, reſpectus ideales, quibus diuinæ ideæ multiplicantur, & diſtinguuntur, ſolùm fundamentaliter a Deo cauſari. *Ratio;* quia Deus non poteſt formaliter cauſare reſpectus ideales, niſi eſſentiam diuinam in ſe omninò abſolutam, referat ad creaturas, & niſi concipiat id, quod ſecundùm ſe non habet ordinem ad creaturas, velut ad illas ordinatè ſe habens. Sed hoc manifeſtam inuoluit imperfectionem in cognoſcendo: ergo Deo attribui non poteſt: quia referre aliquid ad aliud, ad quod ſecundùm ſe nullum dicit ordinem, & concipere id, quod non dicit ordinem, ad inſtar rei ordinatæ, inuoluit imperfectionem in cognoſcendo: quoniam tunc aliter res concipitur, quàm ſit in ſe, ex parte rei cognitæ, & in re omninò abſolutâ apprehenditur aliqua relatio, quę in rei veritate ipſi non conuenit, & ſic in tali cognitione interuenit aliqua fictio, ac imperfectio Deo repugnans.

Articvlvs II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBiicitur I. *Contra Concluſionem.* In Deo non ſunt plures artes, ſcientiæ, conceptus, aut ſpecies; ergo

ergo neq; sunt plures ideæ. *Consequentia patet*: quia non est maior ratio, cur plurificentur ideæ in Deo, ex diuersis respectibus ad creaturas, & non multiplicentur ars, scientia, species, ac conceptus, quæ etiam plures creaturas attingunt, atque sic fundant plures respectus rationis ad illas. *Respondetur, concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est*: quia scientia & ars, ac species, tenent se ex parte principij cognoscentis, & habent se vt principium, quo Deus cognoscit, aut operatur; iam verò idea tenet se ex parte obiecti, ac termini, quatenus est id, quod intelligitur, habetq; se vt forma ipsius ideati; non verò ipsius ideantis. Cùm ergo ad naturam perfectam pertineat, intelligere plura obiecta, & agere per pauciora principia, ideò ad summam Dei perfectionem, & simplicitatem spectat, plures habere ideas; vnicam verò artem, & scientiam, ac speciem. Vnde non obstat, quòd scientia, & ars, importent connotationem, & respectum rationis ad creaturas, quemadmodum & idea: quia iste respectus aliter importatur in idea, aliter in arte, ac scientia. Nam in idea talis connotatio habet se formaliter, ac per modum specificatiui, & constitutiui; in arte autem & scientia, secundario tantum, & de materiali importatur; quoniam ars, & scientia practica in Deo, primariò, & tanquam obiectum formale, ac specificatiuum, respiciunt diuinam essentiam, vt est ratio cognoscendi, & producendi creaturas.

Solutio eiusdem.

Obiicitur II. Si pluralitas idearum non repugnaret Deo, sequeretur ideas in Deo, esse plura Dei attributa. Sed hoc admitti non potest: ergo pluralitas idearum repugnat Deo. *Sequela patet*: quia idea est Dei attributum, & species quædam expressa, seu verbum practicum; Deo autem plures species expressæ, & plura verba practica repugnant. *Respondetur negando sequelam*: sicut enim non sequitur, plures ideas, esse plures diuinas essentias; ita non sequitur esse plura Dei attributa. Nam licet idea diuina, sit Dei attributum; tamen attributum nihil habet de principali intellectu suo, præter essentiam creatoris, & perfectionem absolutam, atq; sic non plurificatur, vt docet S. Thomas q. 3. de verit. ar. 2. ad 2. Iam verò idea de suo principali intellectu, habet aliquid præter essentiam, videlicet respectum rationis, in quo etiam completur ratio ideæ, cùm sit modus eius intrinsecus, & ratione cuius dicuntur plures ideæ.

Obiectio secunda.

Solutio eiusdem.

Obiicitur III. Si pluralitas idearum in Deo, sumeretur ex diuerso respectu rationis ad creaturas, tunc ideæ illæ sola ratione distinguerentur, atq; sic vna posset de alia prædicari. Sed consequens est falsum: ergo & antecedens. *Sequela probatur*: nam sicut ex eo, quia misericordia sola ratione differt à iustitia, concedunt Theologi, misericordiam in Deo esse iustitiam; ita quoque concedendum esset, ideam hominis v. g. esse ideam equi, si illa sola ratione inter se distinguerentur. *Respondetur concessâ primâ parte sequelæ, negatur altera*: licet enim ideæ in mente diuina realiter identificentur, & sola ratione inter se differant; vna tamen non potest prædicari de altera, neque potest dici, quòd idea v. c. hominis, sit idea equi; sicut misericordia in Deo, dicitur esse iustitia. Quando enim dicitur, *idea hominis*, importatur formaliter, & explicatè connotatio diuinæ essentiæ ad creaturam rationalem, imitantem, & participantem gradum diuinæ intellectualitatis. Quando autem dicitur idea equi, exprimitur alia connotatio diuinæ essentiæ, ad aliam naturam imitantem, & participantem aliam perfectionem,

Obiectio tertia.

Solutio eiusdem.

nem, & alium gradum vitæ diuinæ, scilicet facultatem sentiendi, quæ eminenter in Deo reperitur. Vnde quia vna connotatio ab alia virtualiter distinguitur, ratione diuersi termini extrinseci, in obliquo importati; ideò vna idea non potest de alia prædicari.

Obiicitur IV. *Contra Corollarium V.* Non potest cognosci diuina essentia, vt imitabilis à creaturis, nisi cognoscatur vt relata, & ordinata ad creaturas, cùm talis imitabilitas sit respectiuum quid, ac dicens ordinem ad creaturas imitantes, & participantes diuinam perfectionem: ergo Deus cognoscendo suam essentiam, vt imitabilem à creaturis, cognoscit eam cum aliquo ordine, & respectu ad creaturas, atq; sic formaliter, & non solùm fundamentaliter causat respectus ideales, apprehendendo, ad modum respectiui id, quod in se est omninò absolutum, & independens ab omni respectu. *Respondetur negãdo antecedens*: nam licet imitabilitas diuinæ essentiæ, non possit à nobis concipi, nisi cum aliquo ordine, & respectu ad creaturas, fingendo in essentia, omninò absoluta, aliquem respectum rationis ad eas; nihilominus à Deo potest cognosci sine tali ordine, & respectu, videlicet per modum summæ eminentiæ, & cognoscendo ipsas creaturas, vt subiectas imitabilitati suæ essentiæ, ab eaq; dependentes, & participatas. Ad hoc autem non requiritur, quòd Deus cognoscat suam essentiam, vt relatam, & ordinatam ad creaturas; sed potiùs quòd ordinet, & referat creaturas ad suam essentiam, reddendo illas imitantes, & participantes suæ perfectionis. Quemadmodùm, vt Deus cognoscat B. Virginem esse Matrem Christi, non est necesse, quòd ad eam referat personam Verbi diuini; sed potiùs quòd B. Virginem referat, & ordinet ad ipsum Verbum supplens vices subsistentiæ creatæ in humanitate Christi.

Obiectio quarta.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO III.

An in Deo solùm creaturarum, idque omnium ideæ sint.

Occasio quæstionis.

OCcasio istius quæstionis inde processit, quia ab alijs Authoribus sub hoc titulo proponi solet, *An Deus habeat scientiam omnium, quæ cognoscit*; Deus autem non solùm cognoscit res creatas, pro aliqua differentia temporis existentes, sed etiam personam Filij, & Spiritus Sancti, quę per generationem, ac spirationem producuntur. Similiter cognoscit res purè possibiles, quę nunquàm extituræ sunt: cognoscit mala, priuationes, peccata &c. vnde quęritur, an omnium istorum ideas proprias habeat.

Suppono itaque, ideam esse causam ideatorum; eius tamen causalitas, non est effectiua, aut finalis; sed formalis extrinseca: cùm enim idea sit forma, quam aliquid imitatur, vel ad quam respiciens artifex operatur, ideò propria eius causalitas, est ex passiua sui imitatione, conferre effectui speciem. Proinde sicut forma naturalis, ex sua propria ratione, habet rationem causæ formalis extrinsecæ, quatenus per sui communicationem constituit totum compositum, illudque determinat ad certam speciem; ita quoque propria causalitas ideæ, est formalis extrinseca, quatenus vt obiecta menti artificis, & per passiuam sui imitationem, determinat agens ad producendum effectum talis speciei, quamuis etiam ex consequenti, & minus principaliter, habeat quodammodò rationem causæ efficientis, quatenus artifex operatur per eam, tanquàm per formam intellectualem: imò etiam finalis, in quan-

in quantum bonitas, & perfectio exemplaris, per intellectum artificis apprehenſa, mouet ipſum ad hoc, vt formet artefactum illi ſimile.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

In Deo ſunt ideæ omnium creaturarum.

CONcluſio. In Deo ſunt ideæ omnium creaturarum, non tantùm pro aliqua differentia temporis exiſtentium, ſed etiam purè poſſibilium. *Probatur* authoritate S. Thomæ, qu. 3. de verit. ar. 6. vbi ſic habet: *Idea reſpicit practicam cognitionem, non ſolùm habitu, ſed actu: vnde cùm Deus de his, quæ facere poteſt, quamuis nunquàm ſint facta, habeat cognitionem virtualiter practicã, relinquitur quòd idea poſſit eſſe eius, quod nec eſt, nec fuit, nec erit: non tamen eo modo, ſicuti & eorum, quæ erunt, aut ſunt, vel fuerunt producenda, determinatur ex propoſito diuinæ voluntatis; non autem ad ea, quæ nec ſunt, nec erunt, vel fuerunt: & ſic huiuſmodi habet quodammodò indeterminatas ideas.* Ex quo loco eruitur argumentum tale. Deus non tantùm cognoſcit ea, quæ fecit, aut facturus eſt; verùm etiam ea, quæ poteſt facere, vti ſunt poſſibilia, modumq; artificioſum, quo poteſt ea formare; ergo format ideam de illis. *Conſequentia patet ex dictis*; quia idea eſt forma per intellectum apprehenſa, & formata, vt ad inſtar illius aliquid fieri poſſit, & repræſentans modum, quo fieri poſſit. Vnde ſicut artifex creatus, poteſt veram ideam formare, non tantùm de re, quam facit, aut facturus eſt; ſed etiam de illa, quam poteſt facere, licet nolit; ita Deus habet ideam, non tantùm rerũ exiſtentium, aut futurarum; ſed etiam merè poſſibilium; quorum tamen ideæ, cùm non ſint applicatæ à voluntate diuinâ ad agendũ, non ſunt practicæ, niſi virtualiter, & in potentia. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Diuina eſſentia non eſt idea Filij, aut Spiritus ſancti.

Corollarium I. Diuina eſſentia non eſt idea Filij, aut Spiritus S. vnde neque Filius habet ideam in intellectu Patris æterni, neq; Spiritus Sanctus in intellectu Patris, ac Filij. *Ratio*: quia idea habet rationem cauſæ exemplaris reſpectu ideati; eſſentia autem diuina non eſt cauſa Filij, & Spiritus S. atq; ſic non habet rationem ideæ, in generatione Filij, & proceſſione Spiritus S. neque Pater eſt artifex in generatione Filij, neq; habet modum artificis, cùm non ſit cauſa eius, ſed principium. *Inſuper*, quia idea eſt forma determinans agens, quod operatur ex intentione finis; Deus autem ad intra agit ex neceſſitate naturæ; non autem liberè, neq; ex intentione alicuius finis.

Materia prima non habet in Deo ideam ſibi propriam.

Corollarium II. Materia prima non habet in Deo ideam ſibi propriam, & diſtinctam ab idea formæ, ac totius compoſiti. *Ratio*: quia Deus non habet propriam ideam, niſi reſpectu eorum, quæ ſunt per ſe factibilia; iam verò materia prima, cùm non habeat propriam exiſtentiam, conſequenter non habet propriam fieri, neq; poteſt terminare propriam actionem.

Corollarium III. In Deo non ſunt ideæ mali, peccati, & priuationum. Ita S. Thomas 1. p. q. 15. ar. 3. ad 1. vbi dicit: *Malum non habet in Deo ideam, neq; ſecundùm quod idea eſt exemplar, neq; ſecundùm quod eſt ratio.* Et *ratio corollarij eſt*: quia Deus non habet ideam, niſi eorum, quæ pertinent ad eius artem, aut ſcientiam practicam, & quæ ſunt ab illo factibilia, ac cognoſcibilia per ſe. At verò mala, priuationes, & peccata, non pertinent ad ſcientiam Dei practicam, vel ad eius artem, neq; ſunt per ſe cognoſcibilia, ſed tantùm ratione formæ, quâ priuant.

In Deo nõ ſunt ideæ formarum corruptibilium.

Corollarium IV. In Deo non ſunt ideæ formarũ corruptibilium. *Ratio*: quia artifex poteſt per ideam,

& formam v. g. domus, & totam domum, & quamlibet eius partem ſeorſim efficere: ergo pariter Deus per ideam, & formam totius compoſiti, poteſt & ipſum compoſitum, & omnes eius partes efformare: atq; ſic non habet ideam propriam, & diſtinctam formarum corruptibilium. Similiter non habet propriam, & diſtinctam ideam proprietatum, quia iſtæ inſeparabiliter comitantur ſubiectum, ſimulq; fiunt cum eo, & reſultant per eandem actionem, quâ producitur eſſentia, vt docet S. Thomas citatus, ar. 3. ad 4.

Corollarium V. Non tantùm ſpecies rerum creatarum, ſed etiam omnia ſingularia habent propriam ideam in Deo. *Ratio*: quia prouidentia diuina non tantùm ſe extendit ad ſpecies, verùm etiam ad ſingularia, cùm per ſe ſubſiſtant, & exiſtant, per ſe quoque producuntur: nam eius eſt fieri, cuius eſt eſſe; iam verò Deus habet propriam ideam eorum, quæ ſunt per ſe producibilia.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra concluſionem*, authoritas S. Thomæ, loco proximè citato, vbi diſtinguens duplex officium ideæ, videlicet, quòd ſit principiũ productionis, & quòd ſit ratio cognitionis, ita concludit: *Primo modo dicitur exemplar, ſecundo modo ratio cognoſcendi, poteſtq; ad ſcientiam ſpeculatiuam pertinere.* Et ſtatim ſubiungit: *quòd primò reſpicit idea ea omnia, quæ ſecundùm aliquod tempus fiunt; ſecundo autem modo, reſpicit etiam ea, quæ nullo tempore fient.* Quibus verbis videtur negare ideam reſpectu purè poſſibilium: ergo ideæ creaturarum purè poſſibilium non ſunt in Deo.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando conſequentiam: S. enim Thomas in citato loco ſolùm intendit, excludere ideam poſſibilium, quæ ſit formaliter, & in actu ſecundo practica: ſiquidem ea, quæ ſunt purè poſſibilia, non ſupponunt propoſitum, ſeu decretum diuinæ voluntatis, per quod ideæ determinantur, & applicentur ad operandum. Cæterùm non negat reſpectu poſſibilium, ideam virtualiter ſolùm, & in potentia practicam.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium II.* S. Thomas qu. 3. de verit. ar. 5. dicit: *quòd ſi largè accipiamus ideam, pro ſimilitudine, vel ratione, nihil prohibet materia prima, etiam ſecundùm ſe ideam eſſe*: ergo materia prima in Deo, habet ideam ſibi propriam.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur conceſſo antecedente, negatur conſequentia: Sanctus enim Thomas per ly *ſecundùm ſe*, non intelligit ipſam materiæ entitatem, vt præſcindit ab ordine ad formam; ſed quatenùs à forma diſtinguitur, includitq; ordinem ad eam: nam ſub hac ratione materia, habet propriam rationem, & cognoſcibilitatem, diſtinctam à ratione, & cognoſcibilitate formæ, quamuis ab ea dependentem, & includentem ordinem, atq; habitudinem ad eam.

QVÆSTIO

De Scientia Dei.

V. In Deo præter ſcientiam eius, vnam, & ſimpliciſſimam, quâ cognoſcit creaturas poſſibiles in ſua eſſentia, vt in cauſa; non entia verò phyſica, & mala naturæ, tàm participaliter; quàm participialiter; quàm nominaliter, tàm ſignatè, quàm exercitè ſumpta, ſecundùm eſſe incomplexum: quæ ſcientia eſt vera, & effectiua cauſa creaturarum, per quam certò, & infallibiliter cognoſcit futura contingentia abſoluta, ab æterno ſibi realiter, & phyſicè præſentia ratione ſuæ æternitatis & non

solùm obiectiuè, ac intentionaliter ratione præscientiæ; tum omnia futura contingentia conditionata, ac decreta conditionata, & efficacia circa eadem futura: scientia media, per quam ante suum decretum efficax, certò & infallibiliter cognoscat prædicta futura contingentia conditionata, admitti debeat, sitq; ad aliquid necessaria, ac vtilis, aut saltem possibilis, nec ne?

CONCLVSIO I.

Datur in Deo scientia, seu cognitio certa, & euidens.

COROLLARIA.

I. In Deo est scientia propriè, & formaliter dicta.

II. Cognitio Dei est propriè, scientifica.

III. Deus habet scientiam propriè, & strictè sumptam, suorum attributorum ac proprietatum.

IV. Deus habet scientiam veram, & propriam, quarumcunq; veritatum creatarum, & creabilium, etiam necessariarum.

V. Ista scientia Dei non est accidentalis, neq; hauritur à rebus, quas cognoscit, sed est attributum illius.

CONCLVSIO II.

Scientia Dei est vna, & simplicissima.

COROLLARIA.

I. Scientia Dei vna, & simplicissima, respectu creaturarum, diuiditur in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ: non quidem ita, vt hæc duo membra, constituat duo attributa scientiæ; sed quòd dicant duplicem terminationem inadæquatam diuinæ scientiæ.

II. Diuisio scientiæ Dei respectu creaturarum, in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ, est adæquata.

III. Diuisio scientiæ Dei, in scientiam approbationis, & reprobationis, habet fundamentum in Scriptura Sacra.

IV. Scientia approbationis, non est media inter scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ.

V. Scientia Dei non est habitualis, sed semper in actu.

CONCLVSIO III.

Deus cognoscit creaturas possibiles in sua essentia vt in causa.

COROLLARIA.

I. Deus cognoscit creaturas possibiles in sua essentia, vt in obiecto primario, & priùs cognitio.

II. Creaturæ possibiles cognoscuntur in diuina essentia, sicut in medio connexo cum illis.

III. Quando dicitur, Deum creaturas in seipso cognoscere, tanquam in causa; id non debet intelligi de causa sumptâ pro principio proximo productionis creaturarum: cuiusmodi est attributorum omnipotentiæ, sed de principio radicali, quod est ipsamet essentia Dei.

IV. Ad hoc, vt Deus creaturas cognoscat distinctè, secundùm proprias earum naturas, non est necesse Deum cognoscere suam essentiam, vt est multiplex creaturarum idea.

V. In Deo non datur cognitio creaturarum possibilium in seipsis immediatè, seu independenter ab essentia diuina, priùs visâ, & cognitâ.

CONCLVSIO IV.

Deus physica non entia, & mala naturæ, tàm participaliter, quàm nominaliter, tàm signatè, quàm exercitè sumpta, secundùm esse incomplexum cognoscit.

COROLLARIA.

I. Deus cognoscit etiam mala pœnæ.

II. Deus cognoscit & mala culpæ.

III. Falsò negabant Albanenses Hæretici, Deum non cognoscere peccata, ex hoc fundamento, quòd Deus in scriptura dicatur ignorare peccata.

IV. Deus prædicta mala naturæ non cognoscit per bonitatem increatam immediatè, sed per bonitatem creatam.

V. Etiam malum morale Deus simpliciter cognoscit, per priuationem rectitudinis debitæ inesse actui, in materia talis, aut talis virtutis, siue peccatum consistat in priuatiuo, siue in positiuo.

CONCLVSIO V.

Scientia Dei est vera, & effectiua causa creaturarum.

COROLLARIA.

I. Loquendo de scientia Dei, quæ est causa rerum quasi in actu primo, tunc talis scientia, est scientia simplicis intelligentiæ.

II. Scientia quâ Deus res omnes efficit, & causat in actu secundo, non est scientia simplicis intelligentiæ, sed scientia visionis.

III. Scientia visionis quatenùs formaliter visionis est, non est causa rerum; sed tantùm quatenùs est approbationis, & applicata per decretum efficax diuinæ voluntatis.

IV. Vtraq; scientia, tàm visionis, quàm simplicis intelligentiæ, potest appellari scientia approbationis, si tamen habuerit adiunctum actum voluntatis diuinæ, quo Deus velit res scitas; si autem illâ caruerit, neutra sic appellari potest.

V. Scientia practica Dei formaliter sumpta, connotando voluntatem, est principium, seu potentia immediatè executiua, per quam immediatè ad extra operatur.

CONCLVSIO VI.

Datur verè in Deo potentia executiua, seu potentia actiua per ordinem ad creaturas, quas producit.

COROLLARIA.

I. Hæc potentia executiua in Deo, non distinguitur virtualiter ab intellectu, & voluntate.

II. In Deo potentia immediatè executiua, non est voluntas.

III. Ista potentia in Deo immediatè executiua, est intellectus practicus vt motus, & applicatus à voluntate.

IV. Quando S. Thomas 1. p. q. 39. ar. 4. ad 4. dicit: Eiusdem effectus scientia in Deo, est causa, vt dirigens, voluntas vt imperans, & potentia vt exequens, per potentiam exequentem, non intelligit potentiam aliquam ab intellectu, & voluntate virtualiter distinctam; sed significat ipsum intellectum vt practicum, & vt motum applicatumq; à voluntate: sub qua ratione gerit vices potentiæ executiuæ in Deo, estq; immediatum principium operationis ad extra.

V. Hæc potentia executiua in Deo, est infinita.

CONCLVSIO VII.

Deus certò & infallibiliter cognoscit futura contingentia absoluta.

COROLLARIA.

I. Deus cognoscit certò, & infallibiliter, omnia futura contingentia absoluta, in decreto efficaci suæ voluntatis, seu in sua essentia, ac omnipotentiâ diuinâ, vt per decretum tale determinatâ.

II. Deus non cognoscit futura contingentia absoluta per suam essentiam, vt habet rationem speciei intelligibilis, & ideas diuinas antecedenter ad decretum liberum, & efficax suæ voluntatis, in eo existens.

III. Deus non cognoscit certò futura contingentia absoluta, in decreto libero suæ voluntatis, vt futuro.

IV. Deus non cognoscit certò futura contingentia in eorum veritate obiectiuâ, ante decretum.

V. Deus futura contingentia in suis causis determinatis, vt non impediantur, sed infallibiliter inferant suos effectus, cuiusmodi sunt causæ à Deo præmotæ, aut prædeterminatæ, cognoscit certò; in causis verò inclinatis, ac determinatis secundùm exigentiam talium causarum; impedibilibus tamen, & quæ non infallibiliter inferunt suos effectus, cognoscit solùm coniecturaliter.

CONCLVSIO XIII.

Futura contingentia absoluta, ab æter-

ab æterno sunt Deo præsentia realiter, & physicè, ratione suæ æternitatis, & non solùm obiectiuè, ac intentionaliter ratione suæ præscientiæ.

COROLLARIA.

I. *Futura contingentia absoluta, esse ab æterno realiter, ac physicè præsentia Deo in mensura æternitatis, eaque ratione huius præscientiæ, à Deo certò cognosci, est ad mentem Scripturæ Sacræ, & Sanctorum Patrum.*

II. *Æternitas quatenùs tenet se ex parte diuini decreti, & illud mensurat, necessaria est ad fundandam in Deo certam, & infallibilem scientiam futurorum contingentium.*

III. *Ex parte causarum contingentiũ, nulla alia potest esse ratio certitudinis cognitionis diuinæ, respectu futurorum contingentium, nisi illorum præsentia in æternitate.*

IV. *Præsentia tamen futurorum contingentium in æternitate, non est solum, & vnicum medium, in quo Deus illa certò, & infallibiliter possit cognoscere.*

V. *Præsentia realis, & physica futurorum contingentium in æternitate, est necessaria ad hoc, vt cognitio diuina ad illa terminata, habeat rationem intuitionis.*

CONCLVSIO IX.

Deus cognoscit certò, & infallibiliter omnia futura contingentia conditionata: seu quod idem est, Deus ab æterno præuidit, quid Angeli, & homines liberè facturi essent, si in tali, aut tali rerum ordine, cum his aut illis circumstantijs collocarentur.

COROLLARIA.

I. *Deum certò, & infallibiliter cognoscere futura contingentia conditionata, est consonum Sacræ Scripturæ.*

II. *Deum certò & infallibiliter cognoscere futura contingentia conditionata, est ad mentem Sanctorum Patrum.*

III. *Deus ita certò, & infallibiliter cognoscit futura contingentia conditionata, vt ista eius cognitio sit infallibilis, tàm ex parte subiecti; quam ex parte obiecti materialis.*

IV. *Licet Deus certò & infallibiliter cognoscat futura contingentia, tàm absoluta, quàm conditionata; ista tamen præscientia futurorum contingentium liberorum, nullo modo repugnat humanæ libertati.*

V. *Deus ante omne voluntatis suæ decretum, futura contingentia, & libera conditionata, non cognoscit certè & infallibilter.*

CONCLVSIO X.

Decreta conditionata, & efficacia, circa omnia futura conditionata, & contingentia omninò admitti debent.

COROLLARIA.

I. *Dari in Deo decreta absoluta ex parte subiecti, & conditionata ex parte obiecti, est ad mentem Sanctorum Patrum.*

II. *Decreta conditionata ex parte obiecti in Deo admissa, nullam inuoluunt imperfectionem.*

III. *Dantur in Deo ex parte obiecti decreta conditionata, etiam circa futura conditionata, continẽtia actus prauos.*

IV. *Licet Deus in decretis efficacibus positiuis, & conditionatis, certò, ac infallibiliter cognoscat dicta futura conditionata; adhuc tamen certò, & infallibiliter, certitudine tenente se tam ex parte subiecti, quam ex parte obiecti, ea cognosceret, vt non habitura existentiam, quamuis non haberet talia decreta positiua circa illa; sed merè negatiuè se haberet.*

V. *Si Deus in illo signo deputato ad hoc, vt post voluntatem necessariam eorum, quæ sunt formaliter in ipso, statim velit, aut non velit obiecta, quæ sunt liberè volibilia, non haberet positiua decreta circa futura conditionata, quibus vellet aliqua esse, & aliqua ex illis non esse, positis suis conditionibus; non posset certò, & infallibiliter cognoscere, quænam ex illis essent habitura positiuam existentiam, & quæ non essent eam habitura sub prædictis conditionibus; verùm omnia cognosceret per modum non futurorum conditionatorum, contrariè talium.*

CONCLVSIO XI.

Scientia media, per quam Deus ante suum decretum efficax, certò, & infallibiliter cognoscat futura contingentia conditionata, nullo modo in Deo admittenda est.

COROLLARIA.

I. *Scientia media, quæ inueniatur in Deo ante decretum efficax suæ voluntatis, verseturque circa res aliquando futuras, non est admittenda.*

II. *Scientia media in concilio Tridentino non fuit admissa, imò potiùs saltem virtualiter reprobata.*

III. *Antiqui Scholastici Theologi, scientiam mediam reprobârunt.*

IV. *Scientia media, seu præscientia illa futurorum conditionatorum, antecedens decretum, est à Pelagianis, & Semipelagianis inuenta, vt per eam suos errores possent defendere, præsertim illum, quo asserebant, Deum homines ad gratiam, & gloriam eligere ex præuisione meritorum.*

V. *Doctrina negans scientiã mediam, est melior, ac tutior, eã admittente.*

CONCLVSIO XII.

Scientia media ad nihil est necessaria, & prorsùs inutilis.

COROLLARIA.

I. *Scientia media non est necessaria ad dirigendum Deum in suis decretis absolutis, seu ad fundandam certam, & infallibilem notitiam futurorum absolutorum.*

II. *Scientia media non est necessaria ad certitudinem diuinæ prædestinationis.*

III. *Scientia media non solùm non est necessaria ad prædestinationem, eiusque certitudinem; sed etiam prædestinatio ipsa, & eius certitudo, cum tali scientia non possunt cohærere.*

IV. *Scientia media non est necessaria, & vtilis, ad conciliandam humanam libertatem, cum prædestinatione, & gratiâ efficaci.*

V. *Scientia media non est necessaria ad hoc, vt Deus efficaciter prædefiniat liberum consensum voluntatis creatæ, saluâ eius libertate: imò admissâ tali scientia, non potest eiusmodi consensum, saluâ prædictâ libertate, siue voluntatis creatæ, siue diuinæ prædefinire.*

CONCLVSIO XIII.

Scientia media est impossibilis, seu repugnat eam dari.

COROLLARIA.

I. *Scientia media ideo est impossibilis, quia à Deo tollit rationem primæ causæ.*

II. *Scientia media aufert à Deo rationem primi liberi, & per hoc est impossibilis.*

III. *Scientia media destruit supremum Dei dominium.*

IV. *Scientiam media tribuit Deo modum concurrendi ad actus nostros liberos cæcum, & ignorantem, ac sine intentione illorum in particulari: & consequenter ex hoc capite, scientia media impossibilis est.*

V. *Scientia media in rei veritate, tollit libertatem voluntatis creatæ, & per hoc est impossibilis.*

TRACTATVS IV.

De voluntate Dei.

DIscussâ sufficienter scientiâ Dei, ad eius voluntatem considerandam progredimur, inquirendo eius existentiam, quidditatem, obiectum, libertatem, voluntatem Dei antecedentem, & consequentem, efficaciam, ac prouidentiam Dei.

DISPVTATIO I.

De voluntate Dei, eiusque obiecto.

DE voluntate Dei tractat S. Thomas 1. p. q. 19. per duodecim articulos, ante omnia inquirens, an

an voluntas in Deo ſecundùm rei veritatem inueniatur.

QVÆSTIO I.

An in Deo ſit voluntas.

Occaſio quæſtionis.

CONtrouerſia hæc inde orta eſt, quia voluntas importat ſpecialem quandam potentiam, elicitiuam proprij actus, ſiquidem voluntas eſt facultas quædam vitalis, quæ oritur ab intellectuali vita, vt talis eſt: facultas autem vitalis eſt potentia actiua, ac proinde elicitiua proprij actus, iuxta communem Philoſophorum ſententiam. Cùm ergo talis potentia repugnet Deo: quia quidquid in Deo eſt, debet eſſe puriſſimus actus, omnē excludens potentialitatem, aut potentialitatis veſtigium; id circò videtur voluntas in Deo non reperiri.

Voluntas Dei dupliciter cōſiderari poteſt.

Suppono itaq; voluntatem diuinam dupliciter conſiderari poſſe, *Primò* eſſentialiter, & vt præciſè dicit ordinem ad obiectum, ſiſtitq; intra ipſum Deum, & ſic non habet rationem potentiæ: quia neque formaliter, neq; virtualiter diſtinguitur à volitione. *Secundò*, prout dicit habitudinem producentis ad productionem, vel ad productum, ſiue ad intra, puta ad ſpirationem, & Spiritum S. ſiue ad extra, videlicet ad creationem, & creaturas, & ſic habet rationem potentiæ: quia ſub hac ratione connotat terminum, ad intra, vel ad extra productum, realiterque aut virtualiter ab illa diſtinctum. Ita expreſsè docet S. Thomas 1. p. qu. 25. ar. 1. ad 4 his verbis: *Potentia in rebus creatis, non ſolùm eſt principium actionis, ſed effectus, ſic igitur in Deo, ſeruatur ratio potentiæ, quantum ad hoc, quod eſt principium effectus; non quantum ad hoc, quod eſt principium actionis, niſi fortè ſecundùm modum intelligendi.*

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Voluntas verè in Deo reperitur.

COncluſio. Voluntas verè in Deo reperitur. *Probatur 1.* Ex Scriptura Sacra, Iſaiæ 53. v. 10. *Dominus voluit conterere eum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Matthæi 6 ac 26. *Fiat voluntas tua.* Pſal. 103. *Omnia quæcunq; voluit, fecit.* Machab. 3. *Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.* Ad Rom. 12. *Vt probetis quæ ſit voluntas Dei.* Ad Theſſal. 4. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra.* Ergo iuxta Scripturam Sacram, verè in Deo voluntas reperitur.

Probatur II. Authoritate ſancti Thomæ. qui 1. contra Gentes. cap. 72. dicit: *Illud quod conſequitur omne ens, conuenit enti, in quantum eſt ens: quod autem eſt huiuſmodi, oportet quòd in eo maximè inueniatur, quod eſt primum ens. Cuilibet autem enti competit appetere ſuam perfectionem, & conſeruationem ſui eſſe: vnicuiq; tamen ſecundùm ſuum modum. Intellectualibus quidem per voluntatē, animalibus per ſenſibilem appetitum; carentibus verò ſenſu per appetitū naturalem.* Quibus verbis euidenter oſtendit, duplicem dari in nobis appetitum. *Primus*, eſt inclinatio, & propenſio in bonum, ſiue cognitio illius, vti eſt appetitus materiæ ad formam, & lapidis ad centrum. *Secundus* eſt, qui ſequitur ad cognitionem. vnde quia duplex eſt cognitio, alia ſenſitiua, alia rationalis; ideò duplex etiam eſt appetitus elicitus, *vnus ſenſitiuus*, qui ſequitur cognitionem ſenſitiuam, qualiter bruta ex cognitione ſenſitiua obiecti propoſiti, illud appetunt, & quærunt: *alter rationalis*, qui ſequitur ad cognitionem intellectiuam, qualiter reperitur in homine, qui cognito per intellectum obiecto bono, elicit amorem illius; iſte autem appetitus vocatur *voluntas*. Vnde formatur tale argumentum: Voluntas ſequitur intellectum: ergo ſicut in Deo eſt formaliter intellectus; ita quoq; in ipſo eſt formaliter

liter voluntas. *Antecedens patet*: quia ad omnem formam ſequitur aliqua inclinatio, ad bonum conueniens ratione illius, ſic ad formam ignis, ſequitur inclinatio ad locum ſurſum: ergo ad formam intelligibilem, ſequitur inclinatio ad bonum rationi conueniens, quæ *voluntas*, ſeu *appetitus rationalis*, vocari ſolet.

Probatur III. *ratione*. Omne intelligens bonum, eſt volens, id eſt, potens velle, cùm bonum intellectum ſit obiectum voluntatis. ſed Deus eſt intelligens non ſolùm ens; verùm etiam bonum, cùm ſit perfectiſſimè intelligens, & ſic illius cognitio non ſiſtat in ente, ſed etiam entis bonitatem attingit: ergo Deus eſt volens, & conſequenter in Deo eſt voluntas. *Præterea*, quia omnis perfectio, quæ in creaturis reperitur, eſt formaliter in Deo, ſi poſſit ab omni imperfectione præſcindi. Sed voluntas reperitur in creaturis intellectualibus, poteſtq; ab omni imperfectione præſcindi, non minùs, quàm intellectus: ergo voluntas formaliter reperitur in Deo. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Voluntatis definitio.

Corollarium I. Voluntas rectè ſic definitur: *eſt appetitus boni, cum ratione*, id eſt, ratione apprehenſus. Ita Ariſtoteles 1. Rhetoricorum: vnde quia in Deo eſt intellectus, & perfectiſſima boni cognitio, etiam voluntas in illo eſſe debet.

Corollarium II. Voluntas diuina, in ordine ad volitionem eſſentialem, non habet rationem potentiæ, ex parte rei conceptæ, & ſecundùm rem. *Ratio*: quia de ratione potentiæ eſt, quòd ſit principium per ſe influens in operationem. Sed voluntas in Deo, neque poteſt eſſe, neq; concipi, vt principium influens in volitionem diuinam: ergo non poteſt habere rationem potentiæ, per ordinem ad eam. *Maior certa, Minor probatur.* Ad hoc, vt potentia tanquàm principium per ſe influat, requiritur diſtinctio formalis, aut virtualis, inter vtrumque. Sed voluntas diuina neutro modo diſtinguitur à ſua volitione: ergo neq; poteſt eſſe, neq; concipi, vt principium influens in eam. *Minor patet*: quia cùm Deus ſecundùm ſuam eſſentiam ſit actus puriſſimus, & infinitè perfectus oportet, vt tàm intra lineam volendi; quàm intra omnem aliam lineam, ſit puriſſimus actus, habens infinitam perfectionem, quoniam quælibet potentialitas repugnat actui puro: ergo non poteſt intra lineam volendi diſtingui in ipſo virtualiter voluntas à volitione; proinde ſolùm dabitur in ipſo, voluntas per modum volitionis actualiſſimæ, ac infinitè perfectæ.

Voluntas in Deo ſolùm ſecundùm noſtrū modum intelligendi, habet rationem potentiæ.

Corollarium III. Voluntas in Deo, ſecundùm noſtrum modum intelligendi tantùm, idq; non qualemcunque, ſed præcisè apprehendentem eam ad inſtar potentiæ, quæ verè, & formaliter ſit talis, habet rationē potentiæ. *Ratio*: quia cùm intellectus noſter, apprehendat diuina ad inſtar creaturarum; imò pro hoc ſtatu, ad inſtar rerum materialium, inde fit, vt apprehendat diuinam voluntatem, ad inſtar potentiæ ſecundùm rem: ſiquidem in creaturis voluntas, habet rationem potentiæ hoc modo. Cæterùm, quia idem intellectus, vt rectè procedat, debet ſiſtere præcisè in apprehenſione, quoad ea prædicata, quæ reuera in Deo non inueniuntur: nam ſi iudicaret, ea ita eſſe in Deo, ſicut ipſe concipit, falleretur; ideò non iudicat in eo eſſe rationem potentiæ, atque ſic talis ratio non ſe tenet ex parte Dei.

Corollarium IV. Voluntas in Deo, eſt actus puriſſimus, omnis potentialitatis expers. Ita S. Thomas

mas 2. contra Gentes, cap. 10. vbi dicit: Intellectus, & voluntas in Deo, non ſunt potentiæ, vt potentiæ, ſed vt actus. Et *ratio corollarij* facilè deſumitur, ex ſimplicitate Dei: quia in Deo nulla poteſt dari compoſitio; daretur autem, ſi voluntas in eo non eſſet actus puriſſimus, ſed per modum potentiæ.

Voluntas diuina non eſt de conſtitutione metaphyſica diuinæ naturæ.

Corollarium V. Voluntas, ſeu volitio diuina, non eſt de formaliſſimo conceptu, ſeu de conſtitutione metaphyſicâ diuinæ naturæ. Ita S. Thomas 1 p. q 78. ar. 1. vbi dicit: *Appetitiuum autem non conſtituit aliquem gradum viuentium.* Et *ratio eſt*: quia quod præſupponit naturam diuinam iam conſtitutam in ratione naturæ, non poteſt ad eius formale conſtitutiuum pertinere. Sed voluntas, ſeu volitio diuina, ſupponit naturam diuinam conſtitutam in ratione naturæ, per ipſum intelligere puriſſimum, & actualiſſimum: ergo ad eius cõſtitutionem metaphyſicam non pertinet. *Maior patet*: quia quæ pertinent ad conſtitutionem metaphyſicam diuinæ naturæ, nihil ſupponunt prius ſecundùm rationem, cum fundamento in re, ſiquidem natura eſt id, quod primò in re concipimus, & quod eſt veluti radix, & origo cæterorum. *Minor etiam manifeſta*: quia volitio ex proprio conceptu, præſupponit cognitionem, iuxta illud commune axioma: *nihil volitum, quin præcognitum.* quod axioma fundatur in eo, quia voluntas cùm ſit potentia cæca, indiget ductu intellectûs, vt exeat in volitionem: atq; ſic voluntas in Deo ad metaphyſicam diuinæ naturæ conſtitutionem non pertinet.

Ratio *ſecunda corollarij eſt*: quia ideò proceſſio Spiritus Sancti non eſt generatio; ſicut eſt proceſſio Verbi diuini, quia ex vi proceſſionis, & tanquàm terminus formalis, non communicatur natura diuina, ſed tantùm voluntas, ſeu ratio impulſus, & amoris diuini: Iam autem Verbo communicatur ex vi proceſſionis, & tanquàm terminus formalis, natura diuina; non tamen voluntas: ergo voluntas in Deo non pertinet ad intrinſecam conſtitutionem naturæ diuinæ, loquendo de natura Dei formaliſſimè, & in ordine ad noſtros conceptus. *Antecedens manifeſtum*: cùm enim generatio Verbi, & proceſſio Spiritus Sanctus diſtinguantur quaſi ſpecificè, conſequens eſt, vt termini per ſe primi earum, qui ex vi proceſſionis cõmunicantur, non ſint vnus idemque: vnde ſi Spiritui Sancto communicatur ex vi proceſſionis, tanquam terminus formalis per ſe primus, voluntas Dei, hæc eadem ex vi proceſſionis, non cõmunicatur Verbo diuino, tanquàm terminus formalis per ſe primus. *Conſequentia etiam patet*: quia ſi voluntas in Deo pertineret ad intrinſecam conſtitutionem naturæ diuinæ, tunc natura diuina ex vi proceſſionis, deberet quoq; communicari Spiritui Sancto. Nam cui per ſe directè communicantur ea, quæ conſtituunt in ſua quaſi ſpeciei aliquam naturam, etiam ipſa natura communicatur.

QVÆSTIO II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra concluſionem.* Voluntas idem eſt, quod appetitus. Sed in Deo non eſt appetitus: ergo neq; eſt voluntas. *Maior patet ex corollario I. Minor deducitur.* Appetitus eſt boni non habiti, & ſic ſupponit carentiam boni appetitum terminantis. Sed in Deo non reperitur carentia boni, cùm hæc ſit carentia perfectionis, quæ Deo repugnat: ergo in Deo non eſt appetitus. *Reſpondetur diſtinguendo minorem.*

Solutio eiuſdem duplex.

In Deo non eſt appetitus per modum deſiderij, in ordine ad perfectiones intrinſecas ipſius, *conceditur minor*: in Deo nõ

eſt appetitus per modum complacentiæ, & quietis in illis, *negatur.* Aliquando itaq; appetitus innatus eſt per modum deſiderij, aliquando per modum complacentiæ, vt videre eſt in materia prima, quæ ſimul deſiderat formam non habitam, complacetq; ſibi in ea, quâ informatur. *Reſpondetur II.* concedendo in Deo non eſſe propriè appetitum; hinc tamen non ſequitur, voluntatem in eo non eſſe: non enim omnis actus voluntatis, eſt appetitus voluntatis, cùm non niſi voluntas rei non habitæ, propriè dicatur appetitus, Auctore D. Auguſtino ſupra Pſal. 118. Vnde cùm bonum diuinum, perfectiſſimè habeatur à Deo; idcircò in illo propriè appetitus non eſt; eſt tamen voluntas eò perfectior, quò magis cum ſuo obiecto coniuncta.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium* II. Inter voluntatem, & volitionem diuinam, datur diſtinctio virtualis: ergo voluntas diuina habet rationem potentiæ, ſaltem virtualiter, & ex parte rei conceptæ in ordine ad ſuam volitionem. *Antecedens probatur authoritate* D. Thomæ, qui 1. p. 25. ar. 1. ad 3. dicit: *Eſſentia diuina poteſt intelligi, & ſub ratione actionis, & ſub ratione potentiæ; ſicut etiam intelligitur ſub ratione ſuppoſiti habentis naturam, & ſub ratione naturæ.* Sed natura diuina ſub conceptu ſuppoſiti, diſtinguitur à ſeipſa virtualiter, vt natura, propter ſubſiſtentiã, quam ad eam addit. Ergo iuxta S. Thomam, voluntas diuina diſtinguitur virtualiter à volitione. *Reſpondetur negando Antecedens. Ad authoritatem D. Thomæ dicitur*, eum ibi comparare eſſentiam diuinam, vt habet rationem potentiæ, cum ſeipſa, vt habet rationem ſuppoſiti, aut perſonæ, ſolùm quantum ad genus diſtinctionis, in eo ſcilicet, quòd non diſtinguantur realiter, ſed ſolùm ratione; non autẽ quantum ad modum illius. Nam ſubſiſtentia cùm ſit extra lineam naturæ, diſtinguitur ab ipſa virtualiter, nimirùm diſtinctione rationis, cum fundamento tenente ſe ex parte Dei. Iam autem velle conceptum ſub ratione operationis, cùm ſit vltima actualitas lineæ volitiuæ, non diſtinguitur virtualiter à voluntate diuinâ, ſed ſolâ diſtinctione rationis, fundatâ in modo noſtro concipiendi, & ſignificandi res diuinas, per ſimilitudinem & analogiam ad creatas, vt expreſsè citato loco docet S. Thomas.

Solutio eiuſdem.

Inſtabis. Principium radicale volitionis in Deo, diſtinguitur virtualiter ab actuali volitione: ergo & principium proximum volendi, ſeu vis proxima, ab eadem volitione virtualiter diſtinguitur. *Reſpondetur conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Diſparitas eſt*: quia principium radicale volitionis, non pertinet ad lineam volitiuã, quemadmodùm vis proxima volendi; ſed potiùs ad lineã intellectiuam: nam eſſe volitiuum radicale, nihil aliud eſt, quàm eſſe formaliter intellectiuum. Licet ergo ratio actus puri in Deo, non excludat diſtinctionem virtualem inter principium radicale volitionis, ipſamq; volitionem; excludit tamen eandem, inter principium proximũ volendi, & ipſam volitionem.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium vltimum.* Natura Dei conſtituitur metaphyſicè; vitâ intellectuali perfectâ, & completâ. Sed hæc non ſolùm importat intellectionem, ſed etiam volitionem: ergo non ſolùm intellectio, verùm etiam voluntas, ſeu volitio diuina, eſt de conſtitutione metaphyſicâ naturæ diuinæ. *Reſpondetur conceſsâ maiore, diſtinguitur minor.*

Solutio eiuſdem

Non ſolùm importat intellectionem, ſed etiam volitionem formaliter, *negatur*: radicaliter, *conceditur*. Nomen enim *vitæ*, vt docet

S. Thomas 1.p.q.18.ar.2. in corp. impositum est, à motu exteriori vitali; non tamen ipsum motum significat, si sumatur rigorosè; verùm essentiam ipsam, & naturam viuentis, consistentem in radice talis motus: vnde licet essentia diuina sit perfecta, & cõpleta; non tamen includit formaliter, sed solùm radicaliter diuinam volitionem: atq; sic negatur consequentia.

QVÆSTIO II.

Quodnam sit obiectum diuinæ voluntatis.

Obiectum formale aliud est motiuum, aliud terminatiuum.

QVæstio hæc potissimùm currit de obiecto primario, & formali, ac specificatiuo diuinæ voluntatis, quod duplex assignari solet. *vnum motiuum*, quod mouet potentiam ad sui cognitionem: *alterum terminatiuum*, quod illius habitudinem terminat. Sic ens reale est obiectum adæquatè motiuum metaphysicæ, quia illud solum potest mouere intellectum nostrum ad sui cognitionem, per speciem sui repræsentatiuam; obiectum verò terminatiuum est ens, *vt sic*, quatenus abstrahit ab ente reali, & rationis, cùm ad vtrumq; possit ferri, & terminari intellectus, aut metaphysica. Et de hoc vtroque obiecto formali, scilicet tàm motiuo, quàm terminatiuo in præsenti disquiritur. Circa quod tres sunt Authorum sententiæ.

Opinio prima.

Prima censet, obiectum formale adæquatum diuinæ voluntatis, esse bonum in communi, quatenus abstrahit à bonitate diuina, & creatâ: ac proinde censet, bonitatem etiam creatam, esse obiectum formale ipsius, licet inadæquatum. Hanc tenent Aureolus, & Durandus in 1. dist. 45. & ex Neotericis aliqui.

Opinio secunda.

Altera sententia affirmat, obiectum motiuum diuinæ voluntatis esse solam bonitatem diuinam; terminatiuum autem, esse bonitatem in communi, vt abstrahit à creata, & increata. Hanc etiam quidam Neoterici sequuntur.

Opinio tertia.

Tertia sententia docet, obiectum formale primarium, tàm motiuum; quàm terminatiuum diuinæ voluntatis, esse solam bonitatem increatam; bonitatem verò creatam, non nisi obiectum materiale, & secundarium. Et hæc est communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Obiectũ formale tàm motiuum, quàm terminatiuum diuinæ volũtatis, est sola bonitas diuina.

COnclusio. Obiectum formale, tàm motiuum; quàm terminatiuum diuinæ voluntatis, est sola bonitas diuina, & increata. *Probatur I.* authoritate S. Thomæ, 1. p.q. 19 ar. 2. vbi in solut. ad 2. dicit: *In ijs, quæ volumus propter finem, tota ratio mouendi est finis: & hoc maximè apparet in ijs, quæ volumus tantùm propter finem.* Moxq; concludit: *vnde cum Deus alia à se non velit, nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur, quòd aliquid aliud moueat voluntatem eius, nisi bonitas sua.* Ergo iuxta S. Thomam, sola bonitas increata, est obiectum motiuum, ac terminatiuum diuinæ voluntatis: non tamen vtcunque sumpta, sed etiam vt dicit terminationem ad creaturas: nam S. Thomas loquitur de volitione sumptâ formaliter, quâ vult alia à se, quæ omninò includit terminationem ad creaturas.

Probatur II. *ratione.* Bonitas diuina est obiectum simpliciter, imò & omnibus modis primarium voluntatis diuinæ: ergo est obiectum formale adæquatum, tàm motiuum, quàm terminatiuum. *Antecedens probatur*: quia alias diuina bonitas, non esset primum volibile, neq; prima bonitas, neq; primum ens: nam solũ obiectum per se primum voluntatis, est volitum ratione sui, estq; ratio volendi cætera alia, & consequenter

ter primũ volibile. Vnde si quidpiam aliud à diuina bonitate, esset obiectum omnibus modis per se primum voluntatis ipsius, tunc voluntas diuina non esset primũ volibile, proinde nec prima bonitas, nec primum ens: quandoquidem primũ volibile coincidit cum prima bonitate, & prima bonitas cum primo ente. Ergo bonitas diuina est obiectum simpliciter primarium voluntatis diuinæ. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Deus suam bonitatem necessariò diligit, & quoad specificationẽ, & quoad exercitium.

Corollarium I. Deus diligit suam bonitatẽ necessariò, & quoad specificationem, & quoad exercitium. Ita S. Thomas 1 p. q. 19. ar. 3. vbi dicit: *Voluntas diuina necessariam habitudinem habet ad bonitatem suam, quæ est proprium eius obiectum: vnde bonitatem suam Deus ex necessitate vult, sicut & voluntas nostra vult beatitudinem, & qualibet alia potentia habet necessariam habitudinem, ad proprium, & principale obiectum, sicut visus ad colorem, quia de sui ratione est, vt in illud tendat.* Ex quibus verbis hæc ratio desumitur. Quælibet potentia ad suum obiectum primarium, debitè applicatum, & secluso omni impedimento, necessariò fertur tàm quoad specificationẽ; quàm quoad exercitium, sicut potentia visiua fertur in colorem lucidum. Sed obiectũ formale primarium voluntatis diuinæ, est bonitas diuina ipsi identificata, & debitè applicata, vt potè cognitione clara, intuitiuâ, & comprehensiuâ, & insuper nullum potest impedimentum adesse. Ergo Deus suam bonitatem diligit necessariò, necessitate tàm quoad specificationem; quàm quoad exercitium.

Creaturæ solùm sunt obiectum materiale, & secundarium diuinæ voluntatis.

Corollarium II. Creaturæ solùm sunt obiectum terminatiuum, materiale, & secundarium diuinæ voluntatis. *Ratio*: quia cùm creaturæ attingantur, & amentur à diuina voluntate, habent aliquam rationem obiecti respectu illius. Sed non habent rationem obiecti formalis, neq; in mouendo, neq; in terminando: ergo solùm habent rationem obiecti terminatiui materialis, & secundarij. *Minor patet*: quia diuina voluntas nõ potest specificari à bonitate creatâ: alias penderet ab illa, cùm specificatio sit genus dependentiæ, & specificatiuum habeat rationem causæ formalis saltem extrinsecæ, respectu rei specificatæ, & sic diuina voluntas à bonitate creata non potest moueri. Neq; etiam habet rationem obiecti formalis in terminando bonitas creata, eò quòd à diuina voluntate non attingatur per se primò; sed solùm ratione bonitatis diuinæ.

Corollarium III. Deus amat omnes creaturas, pro aliqua differentia temporis existentes, idque in ordine ad se, & propter semetipsum. Ita scriptura Sacra sap. 11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Et Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et Isaiæ 43. *Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum.* Et *ratio corollarij est*: quia sicut se habet intellectus diuinus ad verum; ita voluntas diuina ad bonum: ergo sicut intellectus diuin⁹ fertur in omne verum; non tantum increatum, sed etiam creatum; ita voluntas diuina fertur in omne bonum, etiam creatum, vti est omne ens à Deo productum, iuxta illud Genes. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Præterea, quia diligere est, velle aliquod bonum. Sed Deus creaturis pro aliqua differentia temporis existentibus, vult aliquod bonum, scilicet existentiam pro aliqua differentia temporis habendam: ergo illas diligit. Quando autem dicitur, Deum creasse omnia propter semetipsum, id non debet intelligi, quasi Deus creaturis in-

ris indigeret, sed vt in ijs sapientiæ, bonitatis, & potentiæ suæ opes ostenderet, gloriamque suam clariorem, ac illustriorem redderet.

Deus non ex necessitate diligit & vult creaturas sed liberè.

Corollarium IV. Deus creaturas pro aliqua differentia temporis, non diligit, & vult necessariò, sed liberè. Ita Scriptura Sacra ad Ephes. I. *Deus operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Sed quod operamur ex consilio, illud non volumus necessariò, sed liberè: ergo Deus creaturas, non ex necessitate, sed liberè diligit, atq; vult. *Præterea*, quia ad perfectionem diuinæ voluntatis spectat, velle, & amare quodlibet obiectum, secundùm meritum ipsius. Sed nulla creatura exigit necessarium amorem, cum neq; sit bonum infinitum, neq; habeat necessariam connexionem cum Deo: ergo nulla creatura necessariò diligitur à Deo, sed liberè.

Creaturæ possibiles nō amantur à Deo.

Corollarium V. Loquendo de creaturis possibilibus, non secundùm quod sunt in Deo, & virtualiter in eius omnipotentiâ continentur, suntq; ipsa creatrix essentia, vt loquitur D. Augustinus, sed secundum esse possibile proprium, ac distinctum ab omnipotentia Dei, quatenùs scilicet considerantur secundùm sua prædicata quidditatiua, quæ licet nihil sint actu, quantum ad existentiam; sunt tamen aliquid reale obiectiuè, in illo esse obiectiuo, in quo cognoscuntur à diuino intellectu, nullo modo amantur à Deo. *Ratio:* quia si Deus creaturas possibiles amaret, non liberè, sed necessariò eas amaret; talis autem amor respectu creaturarum in Deo admittendus non est, cùm creaturæ solùm sint obiecta materialia, & secundaria diuinæ voluntatis. *Præterea*, quia si in volūtate diuina daretur amor necessarius creaturarum, tunc Spiritus Sanctus procederet ex illo, cum ex amore Dei naturali, ac necessario procedat; hoc autē communi Theologorum sententiæ repugnat. *Insuper*, quia obiectum voluntatis est quidditas rei vt exercitè existens, aut saltem vt dicens ordinem ad existentiam, siquidem voluntas fertur ad res, prout sunt in seipsis: ergo cùm quidditates purè possibiles, nullum actum voluntatis possint terminare, consequenter non possunt à Deo amari.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Dantur in Deo virtutes morales, vt iustitia, & misericordia. Sed istæ virtutes non possent in Deo subsistere, si sola bonitas increata esset obiectum formale motiuum, ac terminatiuum diuinæ voluntatis: ergo tale obiectum non est sola bonitas increata. *Minor patet:* quia obiectum formale motiuum dictarum virtutum, non est bonum increatum, sed creatum: nam obiectum misericordiæ, est aliena miseria, vt subleuanda; obiectum autem iustitiæ, est ius alienum vt seruandum. *Præterea*, quia bonitas diuina specificat amorem, quo Deus seipsum diligit: ergo non potest specificare attributum misericordiæ, ac iustitiæ. *Consequentia patet:* quia cum illa attributa virtualiter distinguantur ab amore diuino, debent habere diuersa obiecta specificatiua, virtualiter saltem distincta ab obiecto specificatiuo diuini amoris.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando minorem. Ad eius probationem, negatur minor: licet enim obiectum formale motiuum iustitiæ, ac misericordiæ creatæ, sit miseria aliena, vt subleuanda, & ius alienum seruandum, eò quòd ob sui limitationem, non repugnet illis specificari, & moueri a bonitate, atq; honestate creata: nihilominus respectu iustitiæ, & misericordiæ diuinæ, non ita se res habet, eò quòd repugnet illa attributa specificari,

& moueri à bonitate creata. Vnde misericordia diuina mouetur à bonitate diuina prout est ratio miserendi; similiter iustitia ab eadem bonitate, prout est Deo ratio præmiandi, quod præstat diuina bonitas, prout continet eminenter honestates obiectiuas, iustitiæ, & misericordiæ creatæ. *Ad secūdam probationem, concesso antecedente, negatur consequentia:* nam bonitas diuina absolutè sumpta, & vt Deo cōueniens, mouet ac specificat amorem Dei; respectiuè autem considerata, & prout est ratio terminandi, ac subueniendi alienæ miseriæ, specificat attributum misericordiæ, ac iustitiæ; hæc autem diuersitas sufficit, vt specificatiua horum attributorum, virtualiter differant à specificatiuo diuini amoris.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium IV.* Deus suam bonitatem infinitam amat necessariò: ergo & creaturas. *Consequentia patet:* quia Deus eodem actu, quo amat necessariò suam bonitatē infinitam, vt est finis creaturarū, amat quoq; creaturas, vt media ad illam ordinata. Sed idem actus non potest esse simul necessarius, & liber: ergo Deus non liberè, sed necessariò amat creaturas.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concesso antecedente, negatur consequentia. Ad eius probationem dicitur, quòd idem actus diuinæ volūtatis, etiam virtualiter indistinctus, ob suam eminentiam, potest simul esse necessarius, ac liber, secundùm diuersas illius terminationes: necessarius inquam per ordinem ad diuinam bonitatem, vt obiectum primarium; liber autem per ordinem ad creaturas, tanquàm obiecta materialia, & secundaria.

Instantia prima & eius solutio.

Instabis. Deus necessariò cognoscit creaturas in sua essentia, tanquàm in causa: ergo etiam illas necessariò vult, & amat. *Consequentia patet:* quia vt docet S. Thomas 1. p. q. 19 ar. 2. ad 2. sicut Deus alia à se intelligit, intelligendo suam essentiam; ita quoq; alia à se vult, volendo suam bonitatem. *Respondetur, distinguendo antecedens.* Deus necessariò cognoscit creaturas possibiles in sua essentia, *conceditur:* nam scientia simplicis intelligentiæ, quæ est possibilium, est naturalis, ac necessaria, cùm antecedat omne decretū diuinæ voluntatis. Cognoscit necessariò creaturas existentes, aut futuras, *negatur antecedens:* nam scientia diuina futurorum, & existentium, cùm sit innixa decreto, in eoq; fundata, est libera, vt constat ex tractatu præcedenti.

Instantia secunda & eius solutio.

Instabis *vlteriùs.* Si Deus creaturas possibiles necessariò cognoscit: ergo etiam illas necessariò amat. *Respondetur, negando illatum:* nam creaturæ possibiles habēt veritatem, & cognoscibilitatem necessariam, ratione cuius, possunt terminare scientiā Dei naturalem, ac necessariam; nulla autem in illis est bonitas saltem formalis, per quam actum diuini amoris terminare possint.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium. V.* S. Thomas citatus q. 37. ar. 2. ad 3. ait: *Sicut Pater dicit se, & omnem creaturam Verbo, quod genuit, ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu Sancto.* Vnde sic argumentor. Sicut Pater dicit omnes creaturas Verbo; ita Pater, & Filius diligunt omnes creaturas Verbo. Sed Verbum non tantum creaturas existentes, aut futuras; verùm etiam possibiles repræsentat: ergo quoq; Spiritus Sanctus non tantùm ad creaturas existentes, aut futuras, sed etiam ad possibiles per modum impulsus inclinat, & sic Deus etiam creaturas possibiles amat.

Solutio eiusdem.

Respondetur, distinguendo alterum partem maioris. Pater, & Filius, diligunt omnes creaturas, capaces terminandi amorē diuinum, *conceditur maior:* in capaces termi-

pandi illum, *negatur maior*: tales autem sunt creaturæ possibiles. Et sic concessa minore, *negatur consequentia*. Vnde sensus allatæ authoritatis est, quòd sicut Pater intelligit omne intelligibile Verbo; ita diligit omne diligibile Spiritu Sancto: creaturæ ergo possibiles, sunt intelligibiles; non tamen amabiles: & ideò Pater eas intelligit Verbo; sed non diligit eas Spiritu Sancto.

DISPVTATIO II.

De libertate voluntatis diuinæ.

QVoniam in Deo, dari voluntatem vidimus, de cuius ratione videtur esse libertas, procedimus ad explicandum modum, & naturam libertatis diuinæ.

QVÆSTIO I.

An voluntas Dei sit libera.

Libertas triplex est.

SUppono, triplicem esse libertatem, ex mente S. Bernârdi, lib. de gratia, & lib. arb. *vnam libertatem naturæ*, per quam liberamur à coactione, & necessitate. *Alteram gratiæ*, per quam liberamur à peccato. *Tertiam gloriæ*, per quam liberamur à morte, & alijs huius vitæ miserijs. Porrò inter istas libertates hæc est differentia; quia secunda, & tertia, statum quendam, & conditionem hominis propriè respiciunt; prima autem respicit actiones, ab eius voluntate elicitas. Per secundam, & tertiam, ideò liberi sumus, quia in eliciendis voluntatis nostræ actibus, non sumus coacti, aut necessitate compulsi. Et de hoc genere libertatis, scilicet de libertate naturæ, procedit quæstio præsens, quanam ratione diuina voluntas, propriè libera dici possit: quoniam certum; & per se euidens est, non ideò dici liberam, quòd sit liberata à peccato, aut à morte; sed quia est ex se, & naturâ suâ, in suis actibus eliciendis, non tantùm a coactione, verùm etiam à necessitate libera: nam si eo modo libera non esset, dicit S. Bernardus: *iam voluntas non esset*, vbi quippè necessitas, ibi non est voluntas.

Voluntas diuina dupliciter cōsiderari potest.

Suppono *præterea, voluntatem diuinam dupliciter considerari posse*, scilicet, vt *naturam*, seu vt fertur necessariò, & cum determinatione ad vnum: *deinde vt libertatem*, seu vt fertur cū indifferentia. Quidam igitur ex Antiquis Philosophis, cùm non possent libertatem Dei, cum eius immutabilitate conciliare, eam negabant, existimantes Deum omnia ex necessitate naturæ agere. A quorum errore non multum recessit Aureolus in 1. sent. dist. 40. ar. 1. vbi docet, libertatem solùm metaphoricè in Deo esse. Cæterùm Catholica, & vera Theologorum sententia, in Deo veram libertatem agnoscit.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

In Deo datur perfectissima libertas.

COnclusio. Voluntas Dei est libera, proinde datur in Deo perfectissima libertas. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, Psal. 93. *Deus vltionum liberè egit.* Matth. 11. *An non licet mihi, quod volo facere.* Et 1. ad Corint. 12 vbi de Spiritu Sancto dicitur: *Hæc omnia operatur vnus, atq; idem spiritus diuidens singulis prout vult.* Quæ verba exponens Sanctus Ambrosius lib. 2. de fide, cap. 3. dicit: *Spiritus Sanctus diuidit, prout vult singulis: id est, liberæ voluntatis arbitrio, non necessitatis obsequio.* Ergo ex mente Scripturæ Sacræ, voluntas Dei est libera: alioqui si Deus ex necessitate naturæ ageret, neq; posset misereri, neq; precibus moueri, quia ageret vt determinatus ad vnum.

Probatur II. *ratione*. Tum, quia libertas est maxima perfectio, nullum includens defectum, estq; de numero earum, quæ à Theologis

vocantur *simpliciter simplices*, vt docet S. Bernar. in Cantica his verbis: *Arbitrij libertas est planè quid diuinum, præfulgens in anima, tanquàm gemma in auro.* Ergo cùm Deus sit infinitè perfectus, omnesq; perfectiones simpliciter simplices formaliter in se contineat, est quoq; perfectè liber. *Tum*, quia libertas est quoddam dominium, aut in actus, aut in obiecta. Sed Deo competit perfectum dominium, saltem in obiecta volita, cùm sit independens à creaturis: ergo eidem competit, & perfecta libertas.

Probatur III. Omnis natura intellectualis, habet voluntatem liberam: seu non solûm habet voluntatem, sed etiam arbitrium. Sed Deus est naturæ intellectualis: ergo non solùm habet voluntatem, sed etiam liberum arbitrium. *Maior deducitur sic.* Natura intellectualis triplici gaudet vniuersalitate, & amplitudine, quâ carent aliæ naturæ rationis expertes. *Prima est vniuersalitas in essendo*, quatenùs per formas apprehensas, & per species intelligibiles, potest fieri omnia, recipereq; naturas, & quidditates omnium rerum; non quidem in esse naturali, & entitatiuo; sed in esse intelligibili, & repræsentatiuo. *Altera est vniuersalitas in iudicando*, quæ ex priore oritur, quatenùs potest in omnem faciem vertere obiecta, & considerare illa, vt sunt digna amore, aut odio, vtq; sibi necessaria, aut vtilia, vel ex conuenientia. *Tertia est in appetendo*, ratione cuius potest velle, aut nolle; eligere, aut non eligere, quæcunq; bona particularia, quæ non habet cum summo, & primario bono necessariam connexionem, & in hac tertia vniuersalitate, consistit formaliter ipsa libertas. Ergo omnis natura intellectualis, non tantùm habet voluntatem, sed etiam liberum arbitrium. Et hæc est expressa doctrina S. Thomæ, q. 23. de verit. art. 1. vbi probat, Deum esse summè liberum, ex eò, quod sit in summo gradu immaterialitatis, ibidemq; libertatem, & indifferentiam in agendo, colligit ex vniuersalitate in essendo, & iudicando. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Libertas naturæ in quo consistat.

Corollarium I. Libertas naturæ, seu liberum voluntatis arbitrium, verè & propriè in eo consistit, quòd voluntati nulla coactio, aut necessitas inferatur, sed maneat libera, & indifferens ad agendum, aut non agendum, & ad hoc, vel illud agendum, seu tàm quoad exercitium; quàm quoad specificationem actuum suorum. Ita S. Hieronym⁹ lib. 2. contra Iouinian. vbi dici: *Liberi arbitrij nos Deus condidit, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin vbi necessitas est, nec corona est.* Et S. Ambrosius lib. 2. in Lucam. *Non potes* inquit, *dicere, quia noluit te bonum facere, ante quem posuit bonum, & malum, vt non necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Et S. Augustinus homil. 12. ex quinquaginta: *Rogo*, inquit, *vos fratres charissimi, quare satanas seducit ad peccandum, cùm Deus posuerit hominem in potestate non consentire satanæ, &c. dat quidem diabolus consilium, sed Deo auxiliante vostrum est, vel eligere, vel repudiare, quod suggerit.* Et lib. de spiritu, ac litera, cap. 34. dicit: *In omnib⁹ misericordia eius præuenit nos; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Et lib. 22. contra Faustum Manichæum, cap. 78. docet, ex illa indifferentia voluntatis, & potestate eius ad agendum, vel non agendum, oriri rationem meriti, aut demeriti.

Voluntas Dei, vt natura, & vt libertas est non distinguitur virtualiter.

Corollarium II. Voluntas Dei, vt natura, & vt libertas est, non distinguitur virtualiter, seu cum fundamento in re, sed tantùm ex parte nostri modi concipiendi, ac proinde

inde solùm hoc modo seruant inter se ordinem prioris, & posterioris. *Ratio:* quia potentiæ non distinguũtur etiam virtualiter, penes obiecta materialia, ac secundaria, aut ex diuerso modo se habendi circa illa; sed tantùm penes habitudinem ad obiecta primaria, & adæquata. Cùm ergo diuinæ voluntatis obiectum primarium, & adæquatum, sit diuina bonitas; creaturæ verò secundarium; ideò voluntas diuina, vt respicit prædictam bonitatem, & vt tendit in creaturas, non distinguitur virtualiter. Vnde cùm habeat rationem naturæ, quatenùs respicit diuinam bonitatem, & rationem libertatis, prout tendit ad creaturas; inde fit, quòd vt natura, & vt libertas est, non distinguatur virtualiter, & cõsequenter non habent inter se ordinem prioris, & posterioris, nisi ex parte solùm nostro modo concipiendi.

Licet diuina bonitas, vt necessario diligibilis, nõ possit liberè amari; per hoc tamen non læditur libertas diuinæ voluntatis.

Corollarium III. Licet diuina bonitas, vt necessario diligibilis, non possit liberè amari; per hoc tamen non læditur libertas diuinæ voluntatis. *Ratio:* quia quòd non possit liberè amari, non prouenit ex defectu rationis formalis, puta diuinæ bonitatis, sed ex defectu connotati materialis, scilicet creaturarum. Nam voluntas diuina, vt natura, & vt libertas, habet ex parte rei conceptæ idem formalissimum obiectum, videlicet bonitatem Dei, vt est infinita per essentiam, ac proinde vt eminenti modo est simul necessariò diligibilis, si secundùm se sumatur, & liberè amabilis, connotando creaturas. Cæterum, quia istæ duæ rationes obiectiuæ, sunt inadæquatæ ex parte solùm nostri modi concipiendi, & voluntas vt natura, dicit voluntatem vt ex parte eiusdem modi concipiendi, terminatur præcisè ad bonitatem Dei, vt necessariò diligibilem; vt verò libertas, dicit eandem voluntatem, vt eodem modo tendit in prædictam bonitatem, quatenùs liberè diligibilem: ideò ex parte rei conceptæ, voluntas vt vt libera, est voluntas vt natura, & e contra. Quemadmodùm etiam bonitas diuina secundùm rationem formalem, quâ terminat, habet vt est necessariò diligibilis, esse simul ex parte rei conceptæ, liberè diligibilem; iam verò ex parte modi concipiendi, voluntas vt natura, non est voluntas vt libertas, neq; diuina bonitas, vt necessariò diligibilis, est eadem met vt liberè amabilis.

Corollarium IV. Libera Dei voluntas, seu volitio, non est denominatio extrinseca. *Ratio:* quia Dei volitio libera, est in Deo ab æterno; denominatio autem extrinseca oritur à productione creaturarum, quæ est temporalis.

Libera Dei voluntas non est respectus rationis, nec aliquid distinctum realiter ab essentia diuina.

Corollarium V. Libera Dei voluntas, non est respectus rationis, aut perfectio aliqua realiter ab ipsa essentia diuina distincta, sed est ipsamet volitio necessaria, quâ Deus seipsum vult, & amat; quatenùs tamen hæc extenditur, & terminatur ad creaturas, ad quas posset non extendi, & terminari; seu prout efficacitate sua illas infert, & efficit, cùm posset non inferre, & efficere; seu demùm, quatenùs indifferens est, vt sine vlla sui mutatione eas efficiat, aut nõ efficiat. *Ratio primi est*, scilicet, quòd non sit respectus rationis: quia cùm ab æterno sit in Deo, est ante omnem operationem intellectus, qui possit talem respectum rationis fingere. *Ratio etiam secundi*, videlicet quòd non sit aliquid distinctum realiter ab essentia diuina, *est hæc:* quia id omnimodæ simplicitati diuinæ repugnat.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima & solutio eiusdem.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Deus non potest peccare: ergo voluntas eius non est libera. *Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia:* nam impotentia ad peccandum, non obest diuinæ libertati: quia vt docet S. Thomas 1. p. q. 62. ar. 8. ad 3. posse peccare, non pertinet ad essentiam, sed ad defectum libertatis. Hinc Sanctus August. lib. 22. de ciuit: cap. 3. dicit: *Certè Deus ipse, nunquid quia peccare non potest, ideò liberum arbitrium habere negandus est?* neq; etiam requiritur ad perfectam libertatem, indifferentia ad diuersa obiecta, quæ non habent necessariam connexionem, cum primario obiecto diuinæ voluntatis.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium II.* Illæ facultates distinguuntur virtualiter, & cum omnimodo fundamento in re, quæ respiciunt obiecta formalia virtualiter saltem distincta: sic diuinus intellectus distinguitur virtualiter à sua voluntate, eò quòd ille ad suam essentiam vt infinitè veram, hæc ad eandem vt infinitè bonam tendat. Sed diuina voluntas, vt natura, & vt libertas, respicit obiecta formalia virtualiter distincta: ergo diuina voluntas vt natura, distinguitur virtualiter à seipsa, vt libertas est. *Minor patet:* quia obiectum diuinæ voluntatis, vt naturæ, non est vtcunq; diuina bonitas, sed vt necessariò diligibilis; obiectum verò illius, vt libertatis, est eadem bonitas, vt liberè diligibilis. Sed diuina voluntas vt necessariò diligibilis, distinguitur virtualiter à seipsa, vt liberè diligibili: quia secundùm priorem rationem, potest terminare actum necessarium, & non liberum; secundùm posteriorẽ verò potest attingi per actum liberũ, non autem per necessarium: ergo etiam voluntas vt natura, & vt libertas, distinguitur virtualiter.

Solutio eiusdem.

Respondetur concessa maiore, negatur minor. Eius probationis distinguitur maior. Obiectum diuinæ voluntatis, vt naturæ, est diuina bonitas, vt necessariò diligibilis; &c. Si iij vt *necessariò*, vel vt liberè diligibilis, reduplicent obiecta formalia, & adæquata, ex parte rei conceptæ, *negatur:* si reduplicent conditiones materiales obiectiuas, seu rationes formales inadæquatas ex parte modi concipiendi, quæ non specificent, sed sint quid materiale, respectu rationis adæquatæ, & specificatiuæ, *conceditur maior.* Et sic *negatur minor:* diuina enim bonitas, vt necessariò, aut liberè diligibilis à voluntate Dei, idem prorsùs est ratione obiecti adæquati, & formalis specificantis, licet in ratione obiecti materialis, seu per modum rationum inadæquatarum, modo dicto distinguantur: & sic bonitas diuina, vt liberè diligibilis, necessario connotat creaturas, tanquam obiecta materialia, quæ simul cum illa diligantur.

QVÆSTIO II.

Quidnam addat actus Dei liber ad perfectiones eius necessarias, seu in quo consistat?

Actus Dei liber, est actus intrinsecus & immanens Deo.

SUppono I. Actum liberum, quo Deus alia à se vult, esse actum intrinsecum, Deo immanentem, quo seipsum Deus determinat ad producendum, quod producit, distinctum à productione rerum ad extra. Ita Scriptura Sacra Psal. 17. v. 20. *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* Et Psal. 113. *Quæcunq; voluit, fecit.* Ex quibus verbis euidenter constat, *velle* & *efficere*, non esse idem; sed facere, seu efficere, quod est extrinsecum, est effectus ipsius velle intrinseci.

Suppono *præterea*, actum Dei liberum, non esse liberam perfectionem, quæ Deo possit deesse: quia omnis perfectio formaliter existens in Deo, est ipsemet Deus: vnde cùm Deus sit ens per se necessarium, sibiq; deesse, & desinere esse

re esse non possit; ideò omnis eius perfectio necessaria est, eiq; deesse, & desinere esse non potest.

Actus Dei liber, est ipsemet actus, quo Deus suam essentiam vult, cum relatiõe ad creaturas.

Suppono III. Actum Dei liberum, nihil aliud esse, nisi ipsummet actum, quo Deus suam essentiam vult, cum relatione rationis ad creaturas, aut alia, quæ vult. Voluntas enim diuina, vno eodemque actu vult se, & alia, sed habitudo eius ad se, est necessaria, ac naturalis; habitudo autem eius ad alia, est secundùm conuenientiam quandam, non quidem necessaria, & naturalis; neque violenta, aut innaturalis, sed voluntaria. Vt ergo sit Dei actus liber, duo requiruntur, videlicet entitas diuini actus, quæ eadem est cum diuina essentia: deinde, vt diuinus actus terminetur ad creaturas, aut alia à Deo; terminari autem ad creaturas nihil aliud est; quàm referri, & ordinari ad illas. Atque sic actus Dei liber, nihil aliud est, nisi ipsemet actus, quo Deus suam essentiam vult, cum relatione ad creaturas.

Prima itaque opinio asserit, actum Dei liberum, addere supra actum necessarium, realem aliquam perfectionem, licet liberam; ita tamen, vt hoc, quod est, esse liberam, sit conditio diminuens rationem perfectionis: ac proinde, quòd non sit inconueniens, hanc a Deo posse abesse & consequenter realiter, saltem modaliter ab eo distingui. Huic fauet Caietanus, & aliqui ex recentioribus:

Altera sententia docet, actum Dei liberum superaddere ad perfectiones eius necessarias, terminationem ratione distinctam, sub conceptu terminationis, & prout sic defectibilem, ac proinde actum liberum consistere in actualitate actus necessarij, vt ad creaturas liberè terminatâ. Et hæc est communis Theologorum.

ARTICVLVS II.

Resoluitur Quæstio.

Actus Dei liber ad perfectiones necessarias, addit terminationem ratione distinctam.

CONclusio. Actus Dei liber, superaddit ad perfectiones necessarias, terminationem ratione distinctam, sub conceptu terminationis, ac prout sic defectibilem, & consequenter actus Dei liber, consistit in actualitate actus necessarij, vt ad creaturas liberè terminatâ. *Probatur I.* Authoritate S. Thomæ, q 23. de verit. ar. 4. ad I. vbi sic habet: *Dicendum, quòd velle Dei est necessarium, & æternum ex parte volitionis, quæ est diuina essentia, & ex parte eius, quod est ratio volendi, quod est diuina voluntas, non autem quantum ad respectum volitionis ad volitum.* Et ibidem ad 13. *Cùm dicitur Deum velle aliquid, nõ significatur illud aliquid inesse Deo, sed tantummodò importatur ordo ipsius Dei ad illius effectionem in propria natura: & ideò ex hac parte deficit conditio absolutæ necessitatis.* Et I. contra Gent. cap. 82. dicit: *Voluntas Dei vno & eodem actu vult se, & alia, sed habitudo eius ad se, est necessaria, & naturalis; habitudo autem eius ad alia, est secundùm conuenientiam quandam, non quidem necessariam, & naturalem, sed voluntariam.* Et I. p. q. 19 ar. 2. ad I. concludit: *Dicendum, quòd diuinum velle, sit eius esse secundùm rem, tamen differt ratione secundùm diuersum modum intelligẽdi, & significandi &c. In hoc enim, quòd dico Deum esse, non importatur habitudo ad aliquid, sicut in hoc, quod dico, Deum velle: & ideò licet non sit aliquid aliud à se, vult tamen aliquid aliud à se.* Quibus verbis euidenter ostendit, duo requiri ad actum liberum Dei, videlicet rationem ipsius actus volitionis necessariæ, quo seipsum necessariò vult, proindè realitatem omninò quoad esse necessariam; deinde habitudinem volitionis, ad res liberè volitas, quæ non sit necessaria. Cùm autem ista habitudo, non possit esse

Ad actum liberũ Dei duo requiruntur.

esse realis habitudo formaliter talis, neq; habitudo rationis formaliter; ideò debet esse relatio rationis fundamentalis. Ergo iuxta S. Thomam, actus Dei liber consistit in formalitate necessariâ diuinæ volitionis, vt fundat relationem rationis, non necessariam ad obiectum volitum, nimirùm creaturas; cùm autem formalitas illa necessaria, non aliter fundet hanc relationem rationis, nisi quia est terminata ad creaturas, seu connotat illas, vt obiectum volitum, tanquàm quid in genere volitiuo causarum, & pendens ab ipsa, quatenùs determinatè tribuit eis *esse*, v. g. futurum, si talis actus sit volitio earum: aut determinatè communicat illis *esse* non futurum, si ille actus sit nolitio earundem, inde fit, quòd actus, seu volitio Dei libera, consistat in formalitate necessariâ diuinæ volitionis terminatæ ad creaturas, seu connotante eas, tanquàm obiectum volitum, vt quid in genere volitiuo causatum, & pendens ab ipsa modo dicto.

Probatur II. *ratione.* Actus Dei liber, cùm sit immanens, & vitalis, realiter, ac intrinsecè est in Deo, proinde per aliquid illi intrinsecum, identificatumq; realiter cum voluntate diuinâ, constitui debet: cùm autem aliunde possit, aut potuerit in Deo non esse, alias non esset liber, sed necessarius; ideò ad perfectiones Dei necessarias, debet addere aliquid defectibile secundùm aliquam rationem. Sed non secundùm rationem perfectionis, & entitatis: ergo saltem secundùm rationem intrinsecæ terminationis, quæ terminatio concipitur à nobis per modum habitudinis. Atque sic actus Dei liber, consistit in terminatione ad creaturas existentes, aut futuras, defectibili, sub ratione puræ terminationis; indefectibili autem sub ratione entitatis, & perfectionis. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Actus Dei liber non importat perfectionem distinctionem ab actu necessario.

Corollarium I. Actus Dei liber, non importat propriam realitatem, & perfectionem liberam, distinctam reipsa ab actu necessario, vel ab illo separabilem. *Ratio:* quia alias sequeretur in Deo esse aliquid, quod maximam importet imperfectionem. Quoniam actus iste liber, qui in suo ordine concipitur secundus, & vltimus, ita est in Deo, vt secundùm propriam, & realem perfectionem, ac entitatem posset non esse in illo: & consequenter simpliciter posset non esse, quod maximam imperfectionem inuoluit. *Præterea,* quia si actus Dei liber adderet aliquam perfectionem actui necessario; tunc Deus posset, aut potuisset habere aliquam perfectionem, quam non habet. Sed hoc repugnat actui puro, & summè perfecto: ergo actus Dei liber non importat, seu non addit aliquam perfectionem, distinctam reipsa ab actu necessario. *Sequela patet:* quia in Deo potuit esse actus liber, seu decretum, quod de facto non fuit, v. g. decretum creandi nouum mundum, aut assumendi naturam Angelicam: ergo si actus Dei liber, superadderet aliquam perfectionem actui necessario, in Deo potuit esse aliqua perfectio extensiua, quæ de facto in illo non est. *Insuper,* quia illa perfectio libera superaddita, esset realiter identificata cum entitate diuina, proinde indefectibilis entitatiuè, & solùm defectibis terminatiuè, quod est pro nobis. vel non esset realiter identificata, & sic entitas diuina, ac increata, esset in potentia in ordine ad eam, quod actui puro, & summè perfecto repugnat.

Corollarium II. Actus Dei liber non addit supra actum necessarium, formalitatem aliquam ex se rea-

ſe realem, & ſolùm virtualiter ab actu neceſſario diſtinctam, ab illo tamen liberè ſeparabilem. *Ratio*: quia hinc ſequeretur, formalitatem illam actus liberi, in rei veritate eſſe creatam, & finitam: nam iſta formalitas haberet indifferentiam, vt eſſet, vel non eſſet, atque ſic licet eſſet ab æterno, haberet eſſe creatum, & finitum: quemadmodùm licet Deus ab æterno produxiſſet Angelum; quia tamen Aegelus ille potuit ſimpliciter non eſſe, ideò eſſet ens creatum; iam verò id, quod creatum, & finitum eſt, non poteſt idem realiter eſſe cum Deo, neq; conſtituere ipſum formaliter, & intrinſecè in ratione volentis, vt ex ipſis terminis manifeſtum eſt. *Præterea*, quia id, quod à ſeipſo exiſtit, ſeu quod non habet ſui cauſam realem, eſt ens exiſtens omninò neceſſarium. Sed omnis ratio realis, quæ formaliter, & intrinſecè eſt in Deo, exiſtit à ſe, ſeu nullam ſui cauſam realem habet: ergo exiſtit omnimoda neceſſitate, ita vt nullo modo potuerit non eſſe, & ſic implicat intrinſecam entitatem ſeu formalitatem, ſolùm virtualiter ab eo diſtinctam, poſſe liberè ab illo ſeparari, dato etiam, quòd illa formalitas non imbibat per modum tranſcendentis eſſentiam diuinam.

Corollarium III. Actus Dei liber, non addit ſuper actum neceſſarium, reſpectum rationis ad creaturas, ad eius intrinſecum complementũ ſpectantem. *Ratio*. quiâ Deus ab æterno dicitur volens creaturas; & tamen ab æterno non eſt reſpectus rationis in Deo, cùm intellectus creatus ſit in tempore; increatus autem non formet entia rationis. *Præterea*, quia Deus in re eſt actu volens: ergo in re eſt omne neceſſarium, vt actu ſit volens. Sed reſpectus rationis non eſt formaliter in re: ergo non eſt neceſſarius, vt Deus ſit actus volens.

Actus Dei liber; non conſiſtit in formalitate neceſſaria diuinæ voluntatis, connotãdo actionem tranſeuntem Dei.

Corollarium IV. Actus Dei liber, non conſiſtit in formalitate neceſſariâ diuinæ volitionis, connotando actionem tranſeuntem Dei. *Ratio*: quia diuina volitio ad aliqua obiecta creata liberè terminatur, nihil poſitiuè efficiendo ad extra, ab aliqua poſitiuâ actione ceſſando: ergo hoc *velle* Dei liberum, non conſiſtit formalitate neceſſaria diuinæ volitionis, connotando reſpectum extrinſecum rationis, ſeu actionem ipſam phyſicam, & tranſeuntem. *Antecedens conſtat*. Quia quando Deo placet diſpenſare in aliqua lege poſitiuâ, quam ipſe ſtatuit, vel in aliquo voto, vt reddatur res promiſſa, tunc integrum eſt ei præſtare id liberè, quamuis nihil operetur ad extra, aut ceſſet ab aliqua ratione, quam antea, dum hæc obligabant, exerceret.

Corollarium V. Formalitas actus liberi, eſt virtualiter diſtincta, à formalitate actus neceſſarij. *Ratio*: quia actus liber, & neceſſarius, comparantur per modum actus primarij, & ſecundarij, prodeuntium ab eadem facultate, ſeu voluntate diuina; ſicut etiam obiecta, circa quæ immediatè verſatur, habẽt ſuo modo ſimilem obiecti primarij, & ſecundarij ordinem; actus autem primarius, & ſecundarius, ſaltem virtualiter diſtinguuntur. *Præterea*, quia actus neceſſarius dilectionis Dei, & actus liber amoris proximi, procedentes à gratia conſumatâ, ſunt participationes quædam diuinæ vilitionis neceſſariæ, ac liberæ; quemadmodùm & gratia ipſa, à qua procedunt, eſt diuinæ naturæ participatio: ergo ſicut actus iſti diſtinguũtur realiter, tanquàm actus primarius, & ſecundarius; ita quoq; in Deo diſtinguuntur virtualiter, habentq; prædictum ordinem virtualiter, ſiquidem eo ipſo entitas illa diuinæ voluntatis, non obſtante, quòd ſit actu, & realiter vnica, præſtat id, quod in creatis præſtant plures realiter actus.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I *Contra Concluſionem*. Actus Dei liber, ex proprio cõceptu poſtulat, quòd poſſit deficere: ergo ad perfectiones Dei neceſſarias, & intrinſecas, addit aliquid reale, & non ſolam terminationem intrinſecam. *Conſequentia manifeſta*: quia ſi non adderet aliquid reale, tunc eſſet idem realiter cum actu neceſſario, proinde eſſet intrinſecus Deo, & ſic non poſſet deficere: nam nihil voluntati diuinæ intrinſecum potuit, & poteſt deficere.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur conceſſa antecedente, negatur conſequentia. Eius probatio diſtinguitur. Nihil intrinſecum diuinæ voluntati poteſt deficere, ſub conceptu entitatis, & perfectionis, *conceditur*: ſub cõceptu puræ terminationis, *negatur*.

Inſtabis ſolutio eiuſdem.

Inſtabis. Illa terminatio ſub conceptu terminationis, eſt entitas diuina intrinſeca Deo: ergo ſi poteſt deficere ſub conceptu terminationis, poterit & ſub conceptu intrinſecæ entitatis: vel ſi hoc dici non poteſt, neque illud. *Reſpondetur diſtinguendo antecedens*, eſt entitas diuina explicitè, ſine diſtinctione virtuali ab illa, *negatur antecedens*: implicita, & ab ea virtualiter diſtincta, *conceditur antecedens*, & ſic *negatur conſequentia*. Licet ergo terminatio libera, ſub conceptu terminarionis, ſit implicitè entitas diuina; non tamen explicat conceptum diuinæ entitatis, ab illoq; diſtinguitur virtualiter, quæ diſtinctio ſufficit, vt licet deficiat, aut poſſit deficere ſub conceptu terminationis; non deficiat tamen, nec poſſit deficere ſub conceptu entitatis. Quod facilè illuſtrari poteſt deformitate peccati, quæ licet implicitè importet conceptum entitatis poſitiuæ; quia tamen prædictum conceptum non explicat, ſed ab illo diſtinguitur penes implicitum, & explicitum; ideò nihil obeſt deformitatem peccati, cauſari à Deo ſub conceptu entitatis, ſine eo, quòd ab illo cauſetur ſub conceptu deformitatis.

Inſtantia ſecunda.

Inſtabis *vlteriùs*. Iſta terminatio libera, licet non explicet conceptum diuinæ entitatis; inuoluit tamen illum: nam ſicut ens creatum tranſcendit omnes entitates, formalitates, & modos in creaturis repertos; ita ens diuinum in omni prædicato Dei, per tranſcendentiam includitur: ergo non ſequitur illam defectibilem eſſe ſub conceptu terminationis, & non ſub conceptu entitatis. *Conſequentia patet*: tum quia impoſſibile eſt, quòd aliqua ratio inferior ſit defectibilis, niſi etiam prædicatum ſuperius in ea tranſcendentaliter incluſum poſſit deficere. *Tum*, quia filiatio, ſub conceptu filiationis, dicit implicitè entitatem diuinam, vt prædicatum tranſcendens, & alias ſub conceptu filiationis nõ conuenit Patri, neq; illi conuenit ſub conceptu entitatis, ſed aliqua entitas relatiua deficit illi: ergo ſi terminatio libera inuoluens entitatem diuinam, poteſt Deo deficere, etiam entitas implicata, ſeu inuoluta poterit illi deficere.

Solutio eiuſdem

Reſpondetur, conceſſa antecedente, negatur conſequentia. Prima eius probationis, diſtinguitur antecedens. Impoſſibile eſt, aliquam rationem inferiorem eſſe defectibilem, &c. quando prædicatum ſuperius eſt finitum, & multiplicatum in inferiobus, *tranſeat*: quando eſt infinitum, & non multiplicatum in illis, *negatur*. Vnde quia entitas diuina, quæ in terminatione libera, implicata inuenitur, eſt infinita, & eadem re, ac ratione cum entitate diuina, in termanatione neceſſaria implicata; ideò licet deficiat, aut defectibilis ſit libera terminatio,

minatio, ſub conceptu terminationis; entitas tamen diuina eam implicans, manet omninò indefectibilis, ſub conceptu entitatis. *Secundæ etiam probationis diſtinguitur antecedens*: quia filiatio, ſub conceptu filiationis, dicit implicitè entitatem diuinam, ſeu quia eam implicat præciſè, *negatur antecedens*: quia eam implicat, & multiplicat, *conceditur antecedens, & negatur conſequentia*. In filiatione itaq; diuina, implicatur entitas diuina, & multiplicatur ratione oppoſitionis relatiuæ; & ideò non poteſt deficere filiatio Patri, niſi quoq; deficiat ratio entitatis ſub conceptu filiationis implicata. At verò in propoſito caſu, non multiplicatur entitas incluſa in terminatione libera; verùm eadem entitas adhuc per terminationem in terminatione libera, & neceſſaria inuenitur.

Objectio ſecunda.

Objicitur II. *Contra Corollarium I.* Iſta denominatio, ſeu quaſi effectus formalis volendi liberè creaturas, non neceſſariò conuenit Deo, & conuenit realiter: ergo debet ſumi ab aliqua ratione reali, quæ ipſi non neceſſariò, ſed liberè conueniat: proinde ab aliqua perfectione libera: nam ſicut realitas neceſſaria, affert ſuam perfectionem neceſſariam; ita libera realitas, importat ſuam perfectionem liberam. *Conſequentia patet*: tum quia forma talis eſſe debet, qualis effectus formalis, & è contra: *tum* quia quælibet realitas neceſſaria Dei, debet illi effectum omninò neceſſarium tribuere.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur, concesſo antecedente, negatur conſequentia: vt enim aliqua forma, det aliquam denominationem realem, quam antea non dabat, ſufficit, quòd addatur illi à parte rei aliquod connotatum, & ſi hoc potuerit abeſſe, & adeſſe, non mirum, quòd denominatio illa præſtanda à forma, poſſit quoque adeſſe, & abeſſe, vt in præſenti accidit.

Objectio tertia.

Objicitur III. *Contra Corollarium IV.* Actus Dei liber addit ſupra neceſſarium aliquid reale: ergo addit aliquam quidditatē realem, & conſequenter aliquam quidditatem, aut ſaltem formalitatem.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur conceſſo antecedente. negatur conſequentia; nam *aliquid* eſt paſſio entis, vnde qualiter prædicatur de aliquo ens, taliter & aliquid: ſicut ergo terminatio diuina, eſt ſuperaddita terminatio, & non ſuperaddita entitas, licet eiuſmodi terminatio ſit entitas, & realitas; ita pariter terminatio ſuperaddita, eſt quidditas, non tamen quidditas ſuperaddita, ſub ratione quidditatis. Ex hoc autem ſolum ſequitur potuiſſe Deo adeſſe aliquam quidditatem; non tamen ſub conceptu quidditatis, ſed ſub conceptu terminationis.

QVÆSTIO III.

An in Deo ſit libertas contradictionis.

SUppono. Duplicem eſſe libertatem, vnam *contrarietatis*, quæ nihil aliud eſt, niſi indifferentia ad actus contrarios, vt ſunt amare & odio habere, & de hac nulla eſt controuerſia in præſenti, cùm eam communis Theologorum ſententia in Deo admittat. Altera eſt *contradictionis*, quæ eſt potentia ad actum, & negationem eius, ſeu ad volendum, & non volendum, & de hac tota eſt difficultas, an ſit in Deo, ſeu an voluntas Dei potuerit manere ſuſpenſa, & ceſſare ab omni exercitio, ſeu terminatione libera ad obiecta creata, v, g. ad futuritionem Petri, aut non futuritionem illius.

Prima igitur ſententia negat, dari libertatem contradictionis in Deo. Hanc tenent Nauarrette, Nazarius, Gonzalez, Salmanticenſes, & alij.

Altera ſententia affirmat, voluntatem Dei potuiſſe manere ſuſpenſam, ab omni terminatione libera

libera ad creaturas, proinde illam eſſe liberam, non tantùm libertate contrarietatis, ſed etiam libertate contradictionis. Hanc ſequuntur Ferrarien Caietanus, Alphonſus Curiel lib. 1. ſuarum controuerſiarum, controuer. 7. ar. 3. fol. 273. Durandus in 4. diſt. 17. q. 7. Catherinus lib. 2. de Prædeſt. in principio, imò & Scotus in 1. diſt. 49. circa finem. Baſolius diſt. 40. q. 1. Aureolus diſt. 41. artic. 3.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Datur in Deo libertas contradictionis.

COnclusio. Datur in Deo libertas contradictionis, ſeu voluntas diuina potuit manere ſuſpenſa, ab omni terminatione libera ad creaturas. *Probatur I.* Nulla cadit imperfectio in voluntatem Dei, ex omnimoda ſuſpenſione omnis decreti, ſeu omnis exercitij libertatis erga creaturas: ergo voluntas diuina potuit manere ſuſpenſa ab omni terminatione libera ad creaturas. *Conſequentia manifeſta. Antecedens probatur.* Si ex dicta ſuſpenſione, & carentiâ exercitij libertatis, caderet in Dei voluntatem aliqua imperfectio, maximè quia ex tali ſuſpenſione, ſequeretur aliquis defectus perfectionis, aut actualitatis in diuina voluntate. Sed hoc falſum eſt: ergo ex omnimoda ſuſpenſione omnis decreti, ſeu omnis exercitij libertatis erga creaturas, nulla imperfectio cadit in Dei voluntatem. *Minor.* Exercitium liberum diuinæ volitionis, ad perfectiones neceſſarias Dei, non ſuperaddit entitatem actualem, aut perfectionem, ſed rationem puræ terminationis, vt conſtat ex præcedenti quæſtione: ergo ex eo, quòd à tali exercitio diuina voluntas omnimodè ceſſaret, maneretq; ſuſpenſa, non ſequeretur aliquis defectus perfectionis, aut actualitatis in diuina voluntate.

Probatur II. Miſericordia Dei potuit manere ſuſpenſa ab exercitio Dei, ſimiliter iuſtitia, ac omnipotentia: nam ſi Deus nihil produxiſſet ad extra, iſta omnia attributa, à principijs executiuis miſerendi, puniendi &c. ſuſpenſa manerent. Ergo pariter diuina voluntas, vt libera eſt, potuit ſine omni imperfectione, ab omni exercitio volendi ſuſpenſa manere. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

In Deo nō datu libertas contradictionis per ordinē ad actum. & negationem eius.

Corollarium I. In Deo non datur, neque poteſt dari libertas contradictionis per ordinē ad actū, & negationem eius, ſed ſolùm penes terminationē ad obiecta creata, & negationem illius. *Ratio*: quia libertas Dei non eſt potentialis, ſed per modum actus puriſſimi: *tum*, quia in Deo actus liber, non diſtinguitur à neceſſario realiter, ſed vnus idemque actus ſimpliciſſimus, eminentiſſimo modo eſt neceſſarius, & liber: neceſſarius quidem per ordinem ad diuinam bonitatem, vt obiectum primarium; liber autem per ordinem ad creaturas, vt obiecta ſecundaria, & materialia.

Corollarium II. Etiamſi diuina voluntas non ſe determinaſſet circa futuritionem, aut non futuritionem aliquarum rerum poſſibilium; id tamen minimè obeſſet perfectioni diuinæ eſſentiæ, neq; impediret, quin certò cognoſceret eas non eſſe futuras. *Ratio*: quia vt Deus cognoſcat aliquid nō eſſe futurum, non eſt neceſſe, quod habeat decretum aliquod poſitiuum de eius non futuritione, ſed ſufficit, quod nullum habeat de eius futuritione: nam eiuſmodi libera decreti negatio, ſeu tale decretum negatiuum, ſufficit ad non futuritionem alicuius rei poſſibilis, vt oſtenſum eſt in tract. de ſcientia

Dei.

Dei. Et certè cùm rem non eſſe futurã, non ſit aliquid poſitiuum. ſed ſola negatio futuritionis, & exiſtentiæ aliquando habendæ; ad negationem autem non requiritur poſitiuus influxus, ſed ſufficiat ſola eius negatio ; ideò, vt aliqua res non ſit futura, vtq; talis à Deo cognoſcatur, ſatis eſt, quòd diuina voluntas circa eius futuritionem, & non futuritionem, maneat ſuſpenſa, habeatq; circa illam decretum negatiuum, ſeu liberam decreti negationem.

Differentia libertatis creatæ & diuinæ.

Corollarium III. Licet in voluntate creata, non poſſit ſaluari ratio perfecti liberi per puram omiſſionẽ, vt plures docent Theologi ; in diuina tamen voluntate poteſt ſaluari ratio perfectæ libertatis, per ſolam voluntariã omnis decreti poſitiui ſuſpenſionem. *Ratio* deſumitur ex differentia libertatis creatæ, & diuinæ : nam libertas creata non eſt ad terminationes diuerſas eiuſdem actus, verùm ad diuerſos actus : & ſic quia in caſu puræ omiſſionis , voluntas creata nullum haberet actum, non ſaluaretur in ea perfecta libertas in actu ſecundo, quoniam actus ſecundus nominat actum. Iam autem in Deo non eſt voluntas ad diuerſos actus, verùm ad eundem actum cum diuerſa terminatione ; vnde non intellectâ adhuc in eius voluntate, aliquâ poſitiuâ terminatione ad creaturas, poteſt intelligi actus ſecundus, puta neceſſarius, qui eſt idem cum libero, ſiquidem terminatio ad obiectum ſecundarium in Deo non addit nouum actum , neq; nouam entitatem, aut actualitatem, aut perfectionem.

Inter rem eſſe futurã, & non eſſe futurã non datur medium.

Corollarium IV. Quamuis rem eſſe futuram, aut non eſſe futuram, ſit neceſſarium ; hinc tamen non ſequitur, neceſſarium eſſe, Deum velle eam eſſe futuram, aut nolle eam eſſe futuram. *Ratio* : quia inter rem eſſe futuram, & non eſſe futuram, non datur medium, eò quòd contradictoriè opponantur ; vnde propoſitio diſiunctiua ex illis extremis coaleſcens, eſt neceſſaria. At verò inter hoc, quod eſt Deum velle rem eſſe futuram, & velle non eſſe futuram, cùm non ſit oppoſitio contradictoria , ſed contraria, datur medium, videlicet non velle aliquod ex prædictis extremis, ſeu non velle negatiuè per meram ſuſpenſionem.

Si Deus in tẽpore inciperet aliquid velle, ſequeretur in illo mutatio phyſica.

Corollarium V. Si Deus in tempore inciperet aliquid velle, vel à libera voluntate deſiſteret, ſequeretur in illo mutatio phyſica. Ita S. Thomas 1. cõtra Gent. cap. 86. & q 23. de verit. ar. 2 vbi docet, Deum ex neceſſitate velle creaturas, non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, ratione ſuæ immutabilitatis, ex qua ſequitur libera Dei decreta variari non poſſe. *Ratio corollarij* : quia ſi diuina voluntas inciperet aliquando velle de nouo, aut a volitione deſiſteret, tunc id proueniret aut ex eo, quòd inciperet illi eſſe conueniens , & bonum, quod antea bonum, & conueniens non erat ; hoc autem arguit phyſicam mutationem in diuina ſubſtantiâ : vel certè ex eo, quòd de nouo, vt bonum cognoſceret, quod priùs vt tale non cognoſcebat, & hoc arguit phyſicam mutationem in eius cognitione. Ergo ſi Deus in tempore inciperet aliquid velle, aut à libera volitione deſiſteret , ſequeretur in illo phyſica mutatio *Conſequentia manifeſta : Antecedens etiam patet :* quia voluntas verſatur circa bonum cognitum, tanquàm circa proprium obiectum : ergo nouitas volitionis, aut ex nouitate boni, aut ex nouitate cognitionis eius debet prouenire.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem.* Voluntas diuina per modum naturæ

naturæ conſiderata, neceſſariò eſt in actu ſecundo, reſpectu obiecti primarij, quod neceſſariò diligit : ergo etiam vt libera neceſſariò debet eſſe in actu ſecundo, reſpectu obiecti ſecundarij, in quod liberè tendit *Conſequentia patet* : quia voluntas diuina vt libera, non minùs eſt in vltima actualitate, & actus purus ; quàm ſi conſideretur vt natura, vel vt neceſſaria : hinc autem ſequitur, eam non poſſe eſſe ſuſpenſam ab omni terminatione libera ad creaturas. *Reſpondetur diſtinguendo conſequens.* Ergo etiam vt libera, neceſſariò debet eſſe in actu ſecundo , reſpectu obiecti ſecundarij , quantum ad entitatem, & actualitatem , *conceditur conſequentia* : quantum ad exercitium , & terminationem , *negatur :* nam vt conſtat ex ſuperiùs dictis, diuina libertas non conſiſtit in indifferentia potentiæ ad actum, eiuſq; negatione ; ſed in indifferentia actus puriſſimi ad terminationem ad obiectum, & negationem terminationis. Ex hoc autem non colligitur, quòd ſit potentialis, ſeu quòd non ſit actus purus ; quemadmodùm etiam ex eo, quòd miſericordia & iuſtitia diuina, ſint indifferentes, vt terminentur, vel non terminentur ad obiecta creata, non colligitur aliqua potentialitas, aut defectus actualitatis in illis.

Inſtantia.

Inſtabis. Voluntas diuina, quia ſub conceptu naturæ eſt actus purus , omniſque potentialitatis expers, non tantùm eſt in actu ſecundo quoad entitatem, & actualitatem ; ſed etiam quoad terminationem, & exercitium illius, circa ſuum primarium obiectum : ergo pariter cùm voluntas diuina vt libera, ſit actus purus ; debet eſſe in actu ſecundo , non tantùm quoad entitatem, & actualitatem, ſed etiam, quoad omne exercitium & terminationem. *Reſpondetur negando maiorem* : non enim voluntas diuina ſub conceptu naturæ, præciſè ideò eſt in actu ſecundo, quoad terminationem circa obiectum primarium , quòd ſit actus purus ; ſed quia terminatio ad tale obiectum, eſt neceſſariò connexa cum actualitate voluntatis diuinæ, ob neceſſitatem obiecti : quoniam illo propoſito per intellectum, eò quòd repræſentetur ratio ſummi boni, non poſſit voluntas non exercere actum circa illud, quod in terminatione liberâ non contingit, ſiquidem eius obiectũ, cùm ſit creatum , & finitum, bonitatemq; finitam habeat, non poteſt neceſſariò allicere voluntatem diuinam, vt neceſſariò habeat exercitium terminationis ad illud.

Solutio eiuſdem.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. Summa perfectio diuinæ ſcientiæ liberæ, non poteſt ſtare cum omnimoda ſuſpenſione voluntaris eius liberæ : ergo hæc obeſt perfectioni diuinæ ſcientiæ. *Conſequentia minifeſta. Antecedens etiam patet :* quia ſublatis decretis abſolutis, & conditionatis, non poteſt ſtare certitudo, ac infallibilitas ſcientiæ Dei, reſpectu futurorum contingentium : ergo perfectio diuinæ ſcientiæ liberæ, non poteſt ſtare cum omnimoda ſuſpenſione eius voluntatis. *Reſpondetur negando Antecedens. Ad eius probationem concesſo antecedente, negatur conſequentia :* ſi enim diuina voluntas circa futuritionem , aut non futuritionem rerum omnium poſſibilium , manſiſſet ſuſpenſa , tunc eius ſcientia non cognoſceret res vt futuras, ſed tantùm vt poſſibiles, quod ſum̃am perfectionem in ſcientia Dei arguit, quæ debet res attingere vt ſunt, eaſq; cognoſcere eo modo, quo ſunt cognoſcibiles ; in tali autem caſu, nihil eſſet cognoſcibile vt futurum, quoniam nullum eſſet in Deo decretum, quo res extraheretur à ſtatu meræ poſſibilitatis, ad ſtatum determinatæ futuritionis. Quia verò

Solutio eiuſdem.

verò ex fide, & diuina reuelatione conſtat, diuinam voluntatem circa futuritionem omnium rerum poſſibilium, non manſiſſe ſuſpenſam, ſed abſolutè, aut conditionate, ad plurium rerum productionem, & futuritionem ſe determinaſſe, ideò certitudo diuinæ ſcientiæ, quantum ad ea, quæ ſunt futura, fundatur in decreto poſitiuo, abſoluto, aut conditionato, quo Deus abſolutè, aut conditionatè decreuit illorum productionem, ac futuritionem. Iam verò quoad ea, quæ non ſunt futura, certitudo diuinæ ſcientiæ, fundatur aut in decreto poſitiuo, quo Deus abſolutè, vel conditionatè, noluit illorum futuritionem: aut in decreto negatiuo, ſeu in libera decreti negatione, quâ noluit ſe determinare ad illorum futuritionem, aut non futuritionem: quia tale decretum negatiuum ſufficit, vt aliquid non ſit futurum, & vt tale cognoſcatur à Deo. Atq; ſic duplex eſt medium, in quo diuina ſcientia poteſt certò cognoſcere aliquid non eſſe futurum, *vnum eſt decretum poſitiuum*, quo poſitiuè vult non eſſe illius rei: *alterum eſt decretum negatiuum*, ſeu libera omiſſio, omnis decreti poſitiui, circa eius futuritionem, aut non futuritionem.

Obiectio tertia.

Objicitur III. *Contra Corollarium III.* Conceſſa omnis decreti poſitiui ſuſpenſione, in Deo non eſſet voluntarium: ergo neq; liberum, & conſequenter per talem ſuſpenſionem, non poteſt in Deo ſaluari ratio perfecti liberi. *Conſequentia manifeſta*: quia omne liberũ, eſt voluntarium, licet non è contra. *Antecedens etiã patet*: quia voluntarium in Deo deſumitur ex actu poſitiuo, & poſitiuâ terminatione: ergo illâ non ſtante in Deo circa creaturas, non erit in illo voluntarium, in ordine ad eaſdem.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur, diſtinguendo antecedens, non eſſet in Deo voluntarium poſitiuum, & formale, *conceditur antecedens*: negatiuum & virtuale, ſeu interpretatiuum, negatur & ſic *negatur conſequentia*. Nam ex eo, quòd diuina voluntas habeat actũ poſitiuum circa ſuam bonitatem, attendatq; per intellectum ad creaturas, circa quas per voluntatem non habet terminationem, interpretamur Deum ita ſe habere, ac ſi poſitiuè non vellet talem terminationem.

Inſtantia & eius ſolutio.

Inſtabis. Voluntarium purè negatiuum, & interpretatiuum, eſt imperfectè voluntarium, cum non ſit perfectè vitale: ergo in Deo admitti non poteſt. *Reſpondetur diſtinguendo antecedens*. Voluntarium purè negatiuum per defectũ entitatis, & actualitatis actus, prout in nobis contingit, eſt imperfectè voluntarium, *conceditur*. voluntariũ purè negatiuum, per defectum ſolius terminationis, ſub conceptu terminationis, *negatur antecedens*, & ſic *negatur conſequentia*. Ex hac tamen reſponſione non ſequitur, poſſe in Deo admitti reprobationem purè negatiuam, ſeu puram omiſſionem admittendi aliquos ad gloriam: quia ſuppoſitâ eleuatione creaturarum rationalium, ad finem ſupernaturalem poſitiuum, nihil decernere de aliquibus, aut purè negatiuè ſe habere circa illas, repugnat diuinæ prouidentiæ, eò quòd ſuppoſitâ tali eleuatione creaturarum rationalium ad finem ſupernaturalem, diminura eſſet ejus prouidentia, ſi conſequenter, & vltimatè, non verſaretur circa eas per poſitiuum decretum, prout cœperat. At verò, quia ante ſuſpenſionem diuinæ voluntatis, nõ præſupponitur in Deo aliquod poſitiuum decretum, circa creaturas, per quod poſitiuè illas ordinauerit ad aliquem finem, conſequenter non tenetur de illis poſitiuè decernere, eaſq; ad aliquem finem poſitiuè ordinare; ideò ex tali ſuſpenſione, nulla in diuina voluntate ſequitur, aut concipitur imperfe-

imperfectio, ſed potius perfectiſſima libertas, ac independentia à creaturis.

DISPVTATIO III.

De voluntate Dei antecedente & conſequente.

COgnitâ libertate diuinæ voluntatis, ad explicandam Dei voluntatem, tàm antecedentem; quàm conſequentem, ordine debito procedimus, inueſtigando, quidnam ſit vtraque, & reſpectu quarum rerum.

QVÆSTIO I.

Quid ſit voluntas Dei antecedens, & conſequens.

Bonum dupliciter cõſiderari poteſt.

SUppono. Bonum, circa quod voluntas verſatur, dupliciter conſiderari poſſe. *Primò* abſolutè, & ſecundùm ſe, ſiue ſecundùm ea, quæ ab intrinſeco, & ex genere, ac ſpecie ſua affert. Deinde, ſecundùm quod eſt adiunctum, ac veſtitum peculiaribus circumſtantijs, tunc occurrentibus. Et iſta duplex conſideratio, non vtcunque competit bono, ſed ordine quodam: ita quòd ſecundùm ſe ſumptum, præeat ſeipſum, vt veſtitum particularibus circumſtantijs, quoniam hæc ſuperinductio earum, eſt veluti quoddam accidens reſpectu prædicti boni. Vnde quoad præſens, conſiderare bonum ſecundùm ſe, idem eſt, quod concipere illud ſecundùm primam conſiderationem, ſeu conſiderabilitatem, quam ex ſe offert intellectui in ordine ad voluntatem; conſiderare verò illud, vt veſtitum particularibus circumſtantijs, idem eſt, ac concipere illud, ſecundùm vltimam conſiderationem, ſeu cõſiderabilitatem ſui in ordine ad voluntatem.

Voluntas antecedens nõ eſt idẽ, quod voluntas beplaciti, & ſignatis

Suppono *præterea*. Voluntatem antecedentem, non eſſe idem, quòd voluntatem beneplaciti, de qua S. Paulus ad Rom. 12 *Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta*, quæ verè, propriè, & formaliter reperitur in Deo, eſtq; actus diuinæ voluntatis, quo verè, & propriè aliquid approbat. Neq; etiam eſt idem, quod voluntas ſigni, quæ nihil aliud eſt, niſi aliqua operatio externa, ſeu aliquis effectus externus, quo diuina voluntas ſignificatur, & manifeſtatur. Et hæc voluntas non eſt in Deo formaliter, ac propriè, ſed ſolùm metaphoricè, & analogicè; quemadmodùm vrina dicitur ſana, quia ſignificat ſanitatem.

Aliqui igitur Neoterici cenſent, *voluntatem antecedentem* in Deo illam dici, quæ antecedit noſtrum conſenſum, & præuiſionem meritorum, aut demeritorum: *Conſequentem* verò illam eſſe, quæ ſupponit conſenſum liberi arbitrij, & præſcientiam meritorum, ac demeritorum. *Alij* verò communiùs docent, *voluntatem antecedentem*, illam eſſe, quâ aliquid amatur conſideratum tantùm ſecundùm ſe, & vt præciſum à circumſtantijs, cum quibus ponitur à parte rei; *conſequentem* verò illam eſſe, quæ terminatur ad res ſecundum omnes circumſtantias in particulari, vt in executione, & à parte rei ponendas.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Voluntas Dei antecedens & conſequens quid ſint.

COncluſio. Voluntas Dei antecedens eſt illa, quæ fertur in bonum abſolutè, & ſecundùm ſe conſideratum, ſeu quæ verſatur circa obiectum, vt non veſtitum omnibus circumſtantijs, quibus eſt executioni mandandum. *Voluntas autem cõſequens*, eſt voluntas eiuſdem boni, vt veſtiti particularibus circumſtantijs occurrentibus. Ita S. Thomas

Thomas I. p. q. 19. art. 7. sic voluntas, quam Deus habet circa salutem reproborum, est voluntas antecedens gloriæ, quia terminatur ad eam secundùm se, non attentis omnibus circumstantijs: & quia cõsideratio rei secundùm se, est prior, & antecedens consideratione ejusdem sub omnibus circumstantijs; ideò *voluntas antecedens* nominatur. At verò voluntas, quâ Deus vult efficaciter reprobos excludere à gloria, voluntas cõsequens appellatur, eò quòd omnes circumstantias attendat, scilicet pulchritudinem, ac diuinæ iustitiæ, aliorumque attributorum manifestationem.

Probatur *itaq; conclusio I. authoritate S. Thomæ* I. p. q. 19. ar. 6. ad I. vbi dicit: *Tertiò, secundùm Damascenum intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente, quæ quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis diuinæ, in qua nihil est prius, vel posterius, sed ex parte volitorum. Ad cuius intellectum considerandum est, quòd vnum, quodq; secundùm quod bonum est, sic est volitum à Deo: aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundùm quod absolute consideratur; quod tamen prout cum aliquo coniuncto consideratur, (quæ est consequens consideratio eius) è contrario se habet.* Et in I. sent. dist. 46. q. I. ar. I. ad 2. dicit: *Voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis diuinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantijs, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem.* Idem docet S. Damascenus, qui lib. contra Manichæum propè finem dicit: *Primaria voluntas est id, quod quispiam ex seipso vult. Secundariò verò id, quod earum rerum, quæ contingunt causâ vult.* Ergo iuxta S. Thomam, & D. Damascenum, voluntas Dei antecedens est illa, quæ fertur in bonum absolutè, ac secundùm se consideratum. Voluntas verò consequens, est voluntas eiusdem boni, vt vestiti particularibus circũstantijs occurrentibus.

Probatur II. Stante diuina voluntate, quantum est ex se in actu secundo, saltem quoad positiuum, vel quoad id, quod in recto talis actus affert, positaq; ex parte obiectorum congruâ, ac decenti volibilitate, intelligimus diuinam voluntatem terminari ad eam, iuxta exigentiam illius rationis in eo statu, in quo illam volibilem esse cognoscit. Vnde, quia prius est, quod res habent secundum se, seu in prima sui consideratione, siue considerabilitate; quàm quod habent in particulari, adiunctisque omnibus circumstantijs, quod consequens, seu posterior rei consideratio dici solet; ideò voluntas diuina prius terminari censetur ad rem in illo primo statu; quam in posteriori. Atq; sic illa volitio prior, uocatur antecedens: quemadmodùm etiam consideratio rerum secundùm se, est prior, & antecedens consideratio; posterior autem volitio propter oppositam rationem consequens dici solet. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Voluntas Dei antecedens nõ dicitur ex eo talis, quòd antecedat consẽsum nostrum; nec consequens ex eo, quòd eundẽ supponat.

Corollarium I. *Voluntas Dei antecedens*, non dicitur ex eo talis, quòd antecedat cõsensum nostrũ, aut præscientiam meritorum, vel demeritorũ; similiter *voluntas consequens*, non dicitur ex eo talis, quòd consensum, & merita, aut demerita voluntatis humanæ, vt à Deo præuisa, supponat. *Ratio primi*: quia cùm voluntas Dei consequens sit efficax, causaque nostri consensus, antecedit illum prioritate saltem naturæ, & causalitatis; siquidem omnis causa saltem hoc modo est prior suo effectu. Ergo si voluntas Dei ex eo diceretur antecedens, quòd nostrum consensum, & liberam nostræ voluntatis determinationẽ antecedat, etiam voluntas Dei efficax, & cõsequens, deberet dici antecedẽs, & sic vtraque

que voluntas confunderetur. *Ratio verò secundi est*: quia prædestinatio includit voluntatem salutis; non tantum antecedentẽ; sed etiam consequentem; prædestinatio autem non supponit præscientiam meritorum, vt constabit ex tractatu sequenti: ergo voluntas consequens non est illa, quæ supponit præscientiam meritorum.

Corollarium II. Diuisio voluntatis in antecedentem, & consequentem, est adæquata, proinde comprehendit omnem volitionem in Deo repertam. *Ratio*: quia Deus res creatas, solùm potest attingere secundùm illum duplicem statum, scilicet aut secundùm se, & præcisis circumstantijs, aut in particulari, & adiunctis ijsdem circumstantijs. Vnde voluntas concomitans in Deo, quâ ille decernit concurrere nobiscum ad consensum, quem gratiæ præbemus, ad voluntatem consequentem & efficacem reuocari debet.

Diuisio voluntatis Dei in antecedentem & consequentem sumitur ex parte rei volitæ.

Corollarium III. Diuisio voluntatis Dei, in antecedentem, & consequentem, non sumitur ex parte volũtatis diuinæ: quia in hac nihil est prius, & posterius; sed ex parte rei volitæ, quæ potest considerari aut secundùm se, & vt præcisa à circumstantijs; aut secundùm quod habet adiunctas circumstantias, cum quibus ponitur à parte rei. Vnde istæ duæ voluntates, seu volitiones, non distinguuntur virtualiter in Deo, sed solùm per ordinem ad obiecta, seu connotata materialia, ad eum modũ, quo scientia Dei diuiditur in abstractiuam, & intuitiuam, iuxta diuersum modum, quo attingit creaturas.

Voluntas antecedens solùm est voluntas secundùm quid.

Corollarium IV. Voluntas Dei antecedens, est voluntas tantùm secundùm quid; voluntas autem consequens, est voluntas simpliciter. Ita S. Thomas I. p. q. 19. ar. 6. ad I. vbi dicit: *Quod antecedenter volumus, non volumus simpliciter; sed secundùm quid, quia voluntas cõparatur ad res, secundùm quod in seipsis sunt: in seipsis autẽ sunt in particulari, vnde simpliciter volumus aliquid, secundùm quod volumus illud consideratis omnibus circumstantijs particularibus, quod est cõsequenter velle.* Ergo iuxta S. Thomam, illud est simpliciter, & perfectè volitum, quod subiacet voluntati secundùm omnes particulares conditiones circumstantes ipsum; illud autem, quod non est volitum secundùm omnes conditiones, ipsum circumstantes, non habet rationem voliti simpliciter, sed secundùm quid sic mercator ad euadendũ naufragiũ, vitamq; conseruandam, proijciens merces proprias in mare, vult per voluntatem antecedentem, & simplicẽ affectũ, eas non proijcere, ideoque tactus dolore cordis intrinsecùs proijcit illas. Quæ voluntas solùm est secundùm quid; non autem simpliciter, & absoluta, cùm hæc cohærere simul non possit, cum altera illa voluntate, quâ de facto illas in mare proijcit. Non ergo vult conseruationem mercium, vt vestitam illâ circumstantiâ periculi, quod incurrit ratione earum, proinde non vult ipsam, vt omninò in particulari occurrit, sed tantum secundùm quid, & secundum se acceptam, puta ratione commodi, quod talis conseruatio ex se affert: atq; ita quòd contingat, vt non velit conseruationem mercium absolutè, & simpliciter, non prouenit ex eo, quòd prædicta conseruatio secundùm se sumpta, non placeat actu appetitui, sed propter concursum particularium circumstantiarum tunc occurrentium.

Corollarium V. Voluntas antecedens, & consequens, non sunt ita inter se oppositæ, vt id, quod est volitum voluntate antecedente, debeat esse nolitũ voluntate consequente, licet id plerumque contingat,

fingat, ficut & oppofitum. Ita S. Thomas in 1. fent. ad Anibaldum dift. 46. q vnica ar. 2. ad 2. *Ratio:* quia plerumq; id, quod fecundùm fe eft bonum, & appetibile, poteft hîc & nunc, vt adiunctum peculiaribus circumftantijs, aut effe malum, faltem quatenus priuat maiori bono, aut non effe ita appetibile, prout non ita conducit ad aliquod aliud bonum, quod appetens intendere poteft. Vnde fecundùm iftam rationem, poteft inducere etiam aliquam rationē mali. Atq; fic poterit fecundùm priorem rationem effe volitum voluntate antecedente: & fecundùm pofteriorem effe nolitum voluntate confequente. Et fimiliter eiufmodi bonum, etiam vt veftitum peculiaribus circumftantijs, feu attentis omnibus illis, poteft aut manere fub maiori ratione boni, aut effe fatis accommodatum in ordine ad executionem alicuius finis intenti, aut intendibilis: & fic poteft fecundùm vtramq; rationem, & fecundùm vtramq; voluntatem effe volitum. Sic Incarnatio v. g. quia fecundùm fe confiderata bona eft, imò maximè bona; ideò voluntate antecedente fuit volita: & quia etiam vt coniuncta cum particularibus circumftantijs, quæ refpectu illius occurrunt, fuit adhuc valdè accommodata, ad fummam manifeftationem iuftitiæ, mifericordiæ, ac libertatis diuinæ, ac cæterorum attributorum, ideò potuit magis in particulari, & cum omnibus circumftantijs volibilibus tūc occurrentibus, effe volita voluntate confequente, & fic de facto volita eft.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur *Contra Corollarium* I. S. Damafcenus lib. 2. de fide, cap. 29. voluntatem antecedentē, docet effe eorum, quæ ita ex folo Deo manat, vt ex noftris bonis, aut malis operibus, nullam fumat occafionem; iam verò voluntatem confequentem, vocat permiffionem, feu voluntatem ortum habentem ex vitio noftro. Vnde dicit: *Voluntas antecedens eft acceptio Dei ex ipfo exiftens, & confequens eft conceffio ex noftra caufa.* Ergo iuxta S. Damafcenum, voluntas antecedens eft illa, feu ex eo dicitur talis, quia nihil fupponit ex parte noftri, fed antecedit cōfenfum noftrum, & præfcientiam meritorum, vel demeritorum, voluntas verò confequens illa eft, quæ habet caufam in nobis, fupponitq; præfcientiam meritorum, aut demeritorum. *Refpondetur negando confequentiam.* Quando enim S. Damafcenus dicit, *voluntatem antecedentem, effe eorum, quæ ex Deo manant*, loquitur in eo fenfu, quia Deus omnium hominum falutem, fecundùm fe fumptam ita vult, & ita illi placet, vt eam ex fuæ bonitatis abundantia defideret. Similiter, quando dicit, *voluntatem confequentem ortum habere ex vitio noftro*, fupponereq; præfcientiam operum, non loquitur de voluntate confequente vniuerfaliter fumptâ, & fecundùm quod fe extēdit, tam ad bona opera à Deo prædefinita, quàm ad mala ab illo permiffa; fed loquitur de voluntate confequente fpecialiter fumptâ, feu de voluntate confequente punitiuâ, quæ fupponit culpam, ex vitioq; noftro ortum ducit.

Solutio ejufdem.

Duplex igitur voluntas confequens in Deo diftingui debet, *vna iuftitiæ*, & hæc femper in his, qui damnātur, fupponit merita damnationis illorum, fcilicet peccata præuifa: non ob rationem generalem voluntatis confequentis, fed ob rationem voluntatis, quæ eft ex iuftitia. *Altera mifericordiæ*, quæ falutem electorum refpicit, & hæc non fupponit in illis vllam meritorum præuifionē, cùm ante gratiam nulla fint merita, fiquidem ipfa eft caufa, & origo omniū meritorum.

Voluntas confequens in Deo duplex.

Quæ-

QVÆSTIO II.

An Deus voluntate generali, & antecedenti, velit omnium hominum falutem.

Opinio duplex.

DVplex eft fententia Doctorum in præfenti. *Prima* docet, omnibus quidem ac fingulis hominibus ante peccatum Adæ, Deum voluntate generali, & antecedenti, voluiffe conferre beatitudinem æternam, atq; ex hac diuina voluntate profluxiffe in ftatu innocentiæ in primos parentes auxilia fufficientia, fubdita illorum voluntati, quantum ad efficaciam, & vfum; ideoq; eiufmodi voluntatem in illo ftatu fummè vtilem fuiffe. Cæterùm, poft lapfum primorum parentum, negat Deum voluntate generali, & antecedenti, velle omnium hominum falutem. Hanc tenet Ianfenius lib. 9. & 10. *de gratia Chrifti faluatoris*, vbi afferit, voluntatem antecedentem faluandi homines poft Adæ lapfū, in Deo, nihil aliud effe, nifi nudā velleitatem, qualem etiam Deus habet erga creaturas iam damnatas, quā non obftante, poteft Deus aliquos homines nolle faluos fieri, & reipfa non vult, videlicet eos, qui de facto damnantur, quos putat deftitui medijs ad falutem fufficientibus. Hinc vlteriùs infert, Chriftum non effe mortuum pro redemptione omnium hominum, fed tantùm pro electorum. Iam verò Gregorius Ariminenfis, licet admittat in Deo, voluntatem generalem, & antecedentem, faluandi omnes homines poft Adæ lapfum; putat tamen eam non extendi ad paruulos, in materno vtero decedentes, eò quod Deus nullum illis præbeat remedium pro remiffione peccati originalis.

Opinio Gregorij Ariminenfis.

Altera verò fententia conftanter affirmat, Deum voluntate generali, & antecedēte, velle omnes homines faluos facere, nullo penitùs excepto, & hæc eft communis omnium Theologorum.

ARTICVLVS I.

Refoluitur Quæftio.

COnclufio. Deus voluntate generali, & antecedente, vult omnes homines, etiam poft Adæ peccatum faluos fieri. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra. I. ad Timot 2. *Deus vult omnes homines faluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Sed ifta verba vniuerfaliter intelligi debent, de omnibus hominibus etiam poft lapfum Adæ: ergo Deus voluntate generali, & antecedente, vult omnes homines faluos fieri. *Minor patet*: tum quia Sanctus Paulus loco citato, loquitur de hominibus, prout nunc funt, fiquidem verbis antecedentib⁹ ex hortatur, vt pro omnibus hominibus cuiufcunque ftatus, & conditionis fint, fiant orationes, & obfecrationes ad Deū, vt quietam, & tranquillam vitam agant in omni pietate, & caftitate. Statimq; rationem ad id fuadendum adducit, afferens, quòd hoc fit acceptum coram Saluatore noftro Deo, qui vult omnes homines faluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. *Tum*, quia fi Apoftolus loqueretur de voluntate faluandi homines folùm in ftatu innocentiæ, non dixiffet: *Deus vult omnes homines faluos fieri*; fed potiùs *voluit*, vt fic in præterito exprimeret Dei voluntatem, cuius impletionis tempus iam interijt; quemadmodum etiam de Angelis malis non dicitur, Deus vult, fed tantùm voluit illos faluos facere. *Tum denique*, quia S. Paulus in citato loco, Chriftum ad hanc voluntatem Dei implendam, fe obtuliffe redemptionem pro omnibus, affeuerat illis verbis: *Vnus Deus, & vnus mediator Dei, & hominum, homo Chriftus IESVS, qui dedit*

Deus voluntate antecedente vult omnes homines faluos fieri.

dedit ſemetipſum in redemptionem pro omnibus nobis. Sed redemptio ſupponit lapſum Adæ in originale peccatum : ergo verba Apoſtoli debent intelligi de omnibus hominibus etiam poſt lapſum Adæ.

Probatio ſecunda.

Probatur II. *Autboritate SS. Patrum:* nam quòd Deus velit ſalutem omnium planè hominum, docet in primis Clemens Romanus, qui lib. 2. conſtit. cap. 59. affirmat, ſe id ab ore ipſius Chriſti accepiſſe. Et S. Dionyſius cap. 2. Eccleſ. Hierarch. dicit : *Sacrorum Præfectum Dei ſimilitudine ſalutem cupere omnibus, agnitionemq; veritatis.* S. Ignatius Martyr epiſt. 6. ad Philadelph. dicit : *Amatorem hominum eſſe Deum noſtrum, & velle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire ; propter quod & ſolem oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.* Gregorius Nazianz : orat : 25 vbi dicit : *Omnes citra vllam exceptionem inſtaurati ſumus per cæleſtem Adamum, qui primi Adæ participes fuimus, & à ſerpente decepti, & peccato mortui.* S. Chryſoſt. homil. 4 in cap. 2. epiſt. ad Hebr. *Vt gratia Dei guſtaret pro omnibus mortem, non pro fidelibus tantùm, ſed pro vniuerſo mundo, ipſe enim pro omnibus mortuus eſt.* S. Epiphanius Hæreſi 55. *Pro toto quidē mundo ſe obtulit ipſe victima, ipſe ſacrificium, ipſe Sacerdos, ipſe altare, ipſe Deus, ipſe homo, ipſe Rex, ipſe pontifex, ipſe ouis, omnia in nobis, pro nobis factus eſt, vt nobis omnibus, omnibus modis vita fieret.* Idem docet S. Ambroſius in Pſal 118. v 64. Leo Papa ſerm. 11. de Paſſione, & ſerm. 1. de natiuit. Domini. S. Proſper lib. 2. de vocat. Gentium, cap. 16. vbi dicit : *Nulla ratio dubitandi eſt,* IESVM *Chriſtum Dominum noſtrum, pro impijs ; & peccatoribus mortuum ; à quorum numero ſi aliquis liber inuentus eſt, non eſt pro omnibus mortuus Chriſtus; ſed prorſùs pro omnibus mortuus Chriſtus.* Ergo ex mente SS. Patrum, Deus voluntate generali, & antecedente, vult etiam poſt Adæ lapſum omnium hominum ſalutem. Et hoc expreſsè docet Scriptura Sacra ad Rom. 8. vbi de Deo ſic loquitur : *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et ibidem cap. 5. *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, , & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem.* Et 2. ad Corint. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt : & pro omnbus mortuus eſt Chriſtus, vt qui viuunt, nō ſibi viuant, ſed ei, qui pro omnibus mortuus eſt.* Et 1. Ioan 4. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi.*

Probatio tertia.

Probatur III. *ratione.* Deus non vtcunque naturam rationem produxit, ſed eam in finem ſupernaturalem ordinauit : ergo voluntate generali, & antecedente voluit, vt creatura rationalis ſic ordinata, hunc finem conſequeretur : cùm non poſſit concipi, quòd quiſpiam ordinet aliquid in finem, & non velit vuluntate ſaltem antecedente, vt res ordinata illum finem adipiſcatur. *Antecedens conſtat tum* ex vnanimi Theologorū ſententiâ, *tum* ex iuſtitia originali, quam Deus primo parenti conceſſerat, vt eam in ſuos poſteros transfunderet : *tum* ex remedio, quod humanæ naturæ in peccatū lapſæ impertitus eſt, ſcilicet, ex Chriſto prædeſtinato in remediū eiuſdem naturæ lapſæ. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Voluntas antecedens ſaluandi omnes homines verè & formaliter in Deo eſt.

Corollarium I. Voluntas antecedens ſaluandi omnes homines, eſt in Deo verè, propriè, & formaliter. *Ratio :* quia Deus vult formaliter voluntate antecedente conuerſionem omnium peccatorum, cùm illos in ſcriptura inuitet, & hortetur ad pœnitentiam, aſſeueretq; 2. Petri 1. ſe nolle quenquam perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti : ergo quoque eadem voluntate antecedente vult eorum

eorum ſalutem. *Conſequentia manifeſta:* nam ille, qui vult medium ordinatum ad aliquem finem, cenſetur pariter velle ipſum finem, eodem ſaltem modo, quo vult medium conducens ad illum. Cùm ergo pœnitentia, & conuerſio peccatoris, ſit medium conducens ad æternam ſalutem, hinc ſequitur, quòd ſi Deus habet voluntatem veram, & ſinceram de conuerſione omnium peccatorum, verè quoq; & ſincerè, voluntate antecedente velit illorum ſalutem.

Voluntas antecedens ſaluandi omnes homines, refertur ad voluntaté beneplaciti.

Corollarium II. Voluntas Dei antecedens ſaluandi omnes homines, eſt voluntas beneplaciti. Ita S. Thomas 1. p. q. 19. ar. 11. vbi dicit : *voluntas propriè dicta, vocatur voluntas beneplaciti ; voluntas autem metaphoricè dicta, eſt voluntas ſigni.* Et q. 23 de verit. ar. 3. dicit : *Voluntas de Deo propriè dicitur, & hæc eſt voluntas beueplaciti, quæ per antecedentem, & conſequentem diſtinguitur.* Et in 1 ſent. diſt. 47. q. 1. ar. 2. dicit : *Poſſumus loqui de voluntate beneplaciti, vel ſigni ; & de voluntate beneplaciti, vel conſequente, vel antecedente.* Ergo ex mente S. Thomæ, voluntas antecedens de ſalute omnium hominum, refertur ad voluntatem beneplaciti, atq; ſic propriè, & formaliter in Deo reperitur.

Voluntas Dei antecedens ſaluādi omnes homines, eſt de ſe efficax.

Corollarium III. Voluntas Dei antecedens ſaluandi omnes homines, eſt de ſe efficax, neq; expectat conſenſum, & determinationem liberi arbitrij creati, ſed illum cauſat ; dicitur tamen iſta voluntas conditionata ex eo, quòd importet actum conditionatum, quo Deus vellet ſalutem omnium hominum, niſi hoc repugnaret ordini ſuæ prouidentiæ, & niſi ex hoc impediretur bonū vniuerſale eius iuſtitiæ, , ac cæterorum attributorum manifeſtatio. *Primam partem* defendūt præſtantiores Theologi, contra quoſdam Neotericos, conſtabitq; euidenter ex ſequenti Diſput. *Alteram verò partem* expreſsè docet S. Thomas in 1. diſt. 46. q. 1. ar. 1 ad 2. his verbis : *Voluntas antecedens poteſt dici conditionata, nec tamen eſt imperfectio ex parte voluntatis diuinæ, ſed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumſtantijs, quæ exiguntur ad rectum ordinem in ſalutem.* Ergo voluntas Dei antecedens, non dicitur conditionata ex eo, quaſi dependeat à conſenſu liberi arbitrij, tanquàm à conditione, quam expectat, & ex cuius defectu reddatur inefficax, fruſtreturq; ſuo effectu ; ſed ſolùm ex eo, quòd attingat ſuum effectum, puta ſalutem hominum, vt præciſam à circumſtantijs particularib', ſcilicet manifeſtatione ſuæ iuſtitiæ, pulchritudine vniuerſi, &c. quia illam vellet, niſi tales conſiderationes obſtarent.

Et *ratio corollarij eſt:* quia ex communi Theologorum ſententiâ, voluntas antecedens comprehendit non ſolùm adultos, ſed etiam paruulos ſine baptiſmo decedentes : talis autem voluntas, prout ſe extendit ad paruulos, non poteſt dici conditionata, ſi ipſi velint, cùm non habeant vſum rationis, & liberi arbitrij. Et licet parentes eorum velint illos baptizari, aut eorum baptiſmo nō ponant impedimentum, hoc nihil prodeſt. *Tum*, quia baptiſmus pueris in vtero materno decedentibus, humanâ diligentiâ applicari non poteſt, cùm in tali ſtatu non poſſint ſubijci operationi miniſtrorum Eccleſiæ. *Tum*, quia ſic docet D. Auguſtinus lib. de bono perſeuer. cap. 12 his verbis : *Quid dicam quod paruulus aliquando, antequàm illi per miniſterium baptizantis ſuccurri poſſit, expirat : plerumq; enim feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, vt paruulo baptiſmus detur, Deo tamen nolente*

lente non datur. Inſuper, quia ſententia Neotericorum aſſerentium, voluntatem Dei antecedentem, ex eo dici conditionatam, quòd dependeat à conſenſu liberi arbitrij, eſt conformis doctrinæ Pelagij, qui verba illa Apoſtoli: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, eodem modo exponebat, aſſerens, *Deum velle omnes homines ſaluos fieri, ſi ipſi tamen vocanti Deo conſentire voluerint*. Quam expoſitionem ſecuti ſunt Semipelagiani, vt docent S. Proſper, & Hilarius, in ſuis epiſtolis ad Auguſtum. Et licet Neoterici vana quærentes effugia dicant, Pelagianos, & Semipelagianos in hoc erraſſe, quòd aſſeruerint Deum velle omnes homines ſaluos fieri, ſi ipſi velint voluntate naturali, & præcedente gratiam; id tamen eis non ſuffragatur: quia Pelagius de facto admiſit gratiam internam illuminantem, & moraliter excitantem, vt fatetur D. Auguſtinus lib. de gratia Chriſti, cap. 7. & cap. 10. vbi Pelagium ita loquentem introducit: *Operatur Deus in nobis velle, quod bonum eſt, velle quod Sanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium, tantummodò præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorũ pollicitatione ſuccendit, dum reuelatione ſapientiæ in deſideriũ Dei, ſtupentem ſuſcitat voluntatem. Dum nobis ſuadet omne, quod bonum eſt.* Ergo Pelagius locutus eſt de volitione, & conſenſu, qui erat à voluntate ſub gratia conſtitutâ; non tamen ab illa applicatâ, & determinatâ. *Præterea*, quia dato etiam hoc, quòd Pelagiani, & Semipelagiani intellexerint citata Apoſtoli verba, de voluntate merè naturali, & per gratiam nullatenùs præparatâ; tamen hoc non ſolùm in eis reprehendebant SS Patres; verùm etiam id in eis potiſſimûm damnabãt, quòd aſſererent, Deum ita velle omnes homines ſaluos fieri, quòd per voluntatem creatam poterat fruſtrari, & impediri voluntas diuina. Cum autem Neoterici idipſum aſſerant, a Pelagianis, & Semipelagianis minimè diſcedunt.

Corollarium IV. Per voluntatem antecedentẽ ſaluandi omnes homines, Deus præparat media, ſeu auxilia, quibus homines ſufficienter ordinẽtur, & promoueantur in vitam æternam. Eſt ſententia communis Theologorum contra Ianſenium lib. 9 & 10. de gratia Chriſti Saluatoris. Ita S. Proſper cap. 25. de vocat. Gent: vbi dicit: *Siue igitur nouiſſima contemplemur ſecula, ſeu media: rationaliter, & piè creditur, omnes homines ſaluos fieri Deum velle, ſemperq; voluiſſe, & hoc non aliunde, quàm de his beneficijs, atq; prouidentiâ Dei, quam vniuerſis generationibus communiter, atq; indifferenter impendit.* Palam his verbis oſtendens, Deum per voluntatem generalem, & antecedentem, quâ deſiderat hominum ſalutem, velle dare, ſeu præparare omnibus auxilia ad ſalutem ſufficientia. Et *ratio corollarij eſt*: quia Deus per voluntatem antecedentem ordinat omnes homines in finem beatitudinis æternæ: ergo per illam præparat hominibus auxilia ad ſalutem ſufficientia. *Conſequentia manifeſta*: quia cùm finis non ſit acquiſibilis, niſi per media, implicat homines per voluntatẽ Dei antecedentem, ſufficienter ordinari in finem beatitudinis æternæ, niſi per talem voluntatem media, & auxilia ad ſalutem ſufficientia eiſdem præparentur: nam velle finem ſine medijs, eſt aliquid impoſſibile velle. *Præterea*, quia Deus eo ipſo, quòd per voluntatem antecedentem ordinet homines ad ſalutem, & finem ſupernaturalem, obligat illos ad ſeruanda præcepta ſupernaturalia, quæ ſunt media ad eius conſecutionem neceſſaria, iuxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

Deus per voluntaté antecedentem prçparat hominibus auxilia ſufficientia ad ſalutem.

Iam autem ſine auxilijs ſufficientibus, non poteſt homo obligari, ad obſeruantiam præceptorum ſupernaturalium, cùm talis obſeruantia præceptorum ſupernaturalium, ſaltem ſine ſufficienti auxilio ſupernaturali, ſit prorſus impoſſibilis, proinde ſecluſo tali auxilio, nemo ad eam obligari poteſt. Ergo Deus per voluntatem antecedentem, præparat hominibus auxilia ſufficientia.

Corollarium V. Quando Sanctus Thomas docet, quòd voluntas Dei antecedens ſit illa, quæ reſpicit naturam humanam, ſecundùm rationem generalem naturæ, per hoc non intendit, quòd reſpiciat illam vt ſic, & vt præciſam ab omnibus ſingularibus. *Ratio*: quia natura humana ſub tali ſtatu, & præciſione, nullum actum diuinæ voluntatis poteſt terminare, eò quòd vt ſic præciſa, ſit in ſtatu meræ poſſibilitatis; Deus autem merè poſſibilia non vult, neq; amat etiam per amorem ſimplicis complacentiæ. Vnde voluntas antecedens dicitur, reſpicere naturam humanam ſecundùm ſe, & ſecundùm rationem generalem naturæ, quatenùs reſpicit omnes homines in indiuiduo, & in particulari, vt conueniunt, & communicant in eadem natura, ad ſalutem conditâ, & ad finem ſupernaturalem eleuatâ.

ARTICVLVS II.

Reſoluitur Quæſtio.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem*. Scriptura Sacra docet, Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus, neq; ſuam paſſionem, & redemptionem pro omnium ſalute ordinaſſe: ergo Deus voluntate generali, & antecedente, non omnes homines vult ſaluos fieri. *Antecedens deducitur*, ex illo Matth. 26. *Hic eſt ſanguis noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Si pro multis: ergo non pro omnibus. *Præterea*, quia Scriptura Sacra in varijs locis aſſerit, Chriſtum non eſſe mortuum pro impijs, Deum non velle ſaluare peccatores, nec infideles.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando antecedens. Ad eius probationem dicitur, interdùm in Scriptura Sacra, per hoc nomen *multi*, deſignari omnes. Hinc S. Paulus ad probandum, peccatum originale, in omnes, & ſingulos filios Adæ transfuſum eſſe, vtitur hoc termino ad Rom. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per vnius obedientiam, iuſti conſtituuntur multi.* Dici etiam poteſt, ſanguinem Chriſti effuſum eſſe pro multis, quoad efficaciam; pro omnibus autem quoad ſufficientiam. Ita diſcurrit S. Thomas ſupra citatum Apoſtoli locum, inquiens: *Sanguinem Chriſti fuſum eſſe, & pro multis, & pro omnibus: quia ſi conſideretur ſufficientia, ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantùm, ſed pro totius mundi: ſed ſi conſideremus efficaciam non habet, niſi in his, qui ſaluantur, & hoc ex culpa hominum.* Quantum ad infideles, & peccatores attinet, & hi non excluduntur à Chriſti redemptione, aut Dei beneuolentiâ ſubſtantialiter, ſed ſolùm exprimitur conditio, cum qua Deus reduplicatiuè non vult ſalutem in illis exequi; id eſt, ſignificatur, Deum non velle ſaluare peccatores, aut infideles, manentes in peccato, aut in fidelitate: Similiter, quando in Concilio Valentino III. cap. 4. dicitur: *Chriſtus non eſt mortuus pro his, qui in impietate mortui erant ante paſſionem eius*, intelligi debet, Chriſtum non eſſe mortuũ pro illis eo fine, vt iam poſitis in ſtatu damnationis, poſt exitum huius vitæ, applicaretur eis ſua redemptio.

Obijci-

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium* I. Nulla voluntas inefficax, est, propriè & formaliter in Deo. Sed voluntas antecedens saluandi omnes homines, est inefficax: ergo non est propriè, & formaliter in Deo, sed solùm metaphoricè. *Maior patet*: quia iuxta Scripturam Sacram, omnis voluntas Dei est efficax, iuxta illud Isaiæ 46. *Omnis volūtas mea fiet*. Et Psal. 134. *Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit*. *Tum*, quia omnis voluntas inefficax, & carens effectu, dicit imperfectionem, & sic Deo repugnat. *Minor etiam constat in reprobis*.

Solutio eiusdem.

Respondetur, negando maiorem. Ad I. eius probationem dicitur, allata Scripturæ Sacræ testimonia, debere intelligi, de voluntate Dei simpliciter, cuiusmodi est sola voluntas consequens; non autem de omni voluntate Dei, quæcunque illa sit, cùm non omnis voluntas Dei impleatur, vt constat ex illis Christi verbis Matth. 23. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas &c. quoties volui congregare filios tuos, & noluisti*. Vel certè dici potest, omnem voluntatem Dei fieri, quia à nullo impeditur, neq; ei aliquis resistere potest; si tamen aliquando non impletur, inde est, quia id ipsum est volitum ab eo, atq; ita siue aliquid fiat, siue non, totum est ex eius voluntate. Nihilominùs cum hoc stat, quod in ordine ad effectum, qui interdùm non ponitur in se, dicatur inefficax. *Ad II. probationem dicitur*, voluntatem antecedentem, quam Deus habet de salute omnium hominum, quia ex propria ordinatione, & prouidentiâ suâ, Deus vult, quòd careat effectu, sitq; inefficax, non dicere imperfectionem. Cæterùm non est inefficax ex aliquo impedimento extrinseco, veniente, aut retardante efficaciam ipsius: quia sic inuoluit imperfectionem.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* III. Deus non saluat homines, nisi velint, suæq; vocationi, & gratiæ liberè consentiant, vt docet S. Augustinus illis verbis: *Qui creauit te sine te, non saluauit te, sine te*. Ergo voluntas Dei antecedens saluandi omnes homines, dependet à volitione liberi arbitrij; tanquàm à conditione, quam Deus à voluntate humanâ expectat.

Solutio eiusdem.

Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia: licet enim Deus non saluet homines, nisi volentes, suæq; vocationi liberè consentientes; istam tamen liberam volitionem, & consensum non expectat à voluntate humana, verùm ipsemet illum intùs in corde hominis, per suam gratiam in prædestinatis infallibiliter operatur, applicando voluntatem illorum ad liberè consentiendum gratiæ vocanti, & moraliter excitanti. Per quod non negamus liberum hominis arbitrium consentire Deo, librereq; cooperari ad suam iustificationem, & salutem; sed tantùm intendimus, quòd Deus talem consensum à voluntate humana non emendicet, sed illum per suam gratiam præparantem, & applicantem intùs in corde hominis causet. Sic expressè docet S. Augustinus epist. 107. his verbis: *Quapropter vt in Deum credamus, & piè viuamus, non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei; non quia velle non debemus, & currere, sed quia ipse in nobis & velle operatur, & currere*. Et lib. de dono perseuerantiæ. cap. 13. dicit: *Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur, & operari pro bona voluntate: hoc nobis expedit & credere, & dicere: hoc est pium, & verum, vt sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo*.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium* IV. Sanctus Thomas in 1. sent. dist. 47. qu. 1. art. 2. docet, quòd operatio non respondeat voluntati antecedenti, sed cōsequenti. Ergo Deus per voluntatem an-

tecedentem saluandi omes homines, non præparat media, seu auxilia, quibus homines sufficienter ordinentur, & promoueantur in vitam æternam.

Solutio eiusdem.

Respondetur concesso Antecedente, negatur consequentia: quando enim Sanctus Thomas docet, quòd operatio non respondeat voluntati antecedenti, sed consequenti, loquitur de operatione, & effectu principali; non autem de operatione, & effectu minus principali, qualis est præparatio auxiliorum sufficientium. Principale igitur volitum, seu operatio & effectus, est salus æterna, & media ad eam efficaciter conducentia, quæ Deus per voluntatem antecedentem non vult simpliciter, sed tantùm secundum quid At verò auxilia sufficientia, quæ sunt volitum minùs principale, & quæ ad salutem afficaciter non conducunt, Deus simpliciter, & absolutè vult per voluntatem antecedentem.

DISPVTATIO IV.

De efficacia diuinæ voluntatis.

SVfficienter discussā volūtate Dei antecedente, & consequente, eius efficaciam inuestigare operæ prætium est, quanta nimirùm sit, & ad quæ se extendat.

QVÆSTIO I.

An in Deo dentur decreta efficacia circa actus nostros liberos.

SEnsus quæstionis est, an detur in Deo decretum, quo decernat, quòd causa secunda, siue necessaria, siue libera, eliciat actum, vel producat effectum bonum in tali loco, & tempore, tanta intensione, & cum omnibus alijs circumstantijs, quæ vndequaq; illum circumstant, vel ad eum pertinent. Cuiusmodi sunt actus, qui à Deo producuntur, cum cooperatione causæ creatæ liberæ, v.g. actus charitatis, contritionis, iustitiæ, temperantiæ &c Et quidem ita, vt etiamsi decretum tale versetur, circa consensum liberū voluntatis creatæ modo dicto; ex vi tamen sua habeat intrinsecam efficaciam ante talem consensum, aut præuisionem illius ad hoc, vt infallibiliter faciat, quòd arbitrium creatum eliciat prædictum consensum.

Suppono *præterea*, aliud esse decretum diuinum, seu voluntatem Dei esse efficientem; aliud verò esse efficacem. Voluntas efficiens præcisè dicitur ab effectu, qui de facto sequitur; & ad hoc sufficit, quòd concomitanti concursu, aut etiam ex associatione alterius causæ, ipsa voluntate concomitanter concurrente, effectus sequatur. At verò vt sit de se efficax, necesse est, quòd ex directione, & fine præconcepto, ita moueat ad efficiendum, quòd determinatè moueat ad talē effectū in specie, ac in indiuiduo; non autē ita indifferenter, & indeterminatè se habeat, quòd ex illa æq; benè posset sequi, vel non sequi effectus. Duæ igitur sunt Doctorum sententiæ in præsenti.

Sententia prima.

Prima negat dari in Deo decreta ex se efficacia, circa actus nostros liberos, solumq; admittit decreta purè indifferentia. Hanc cōmuniter tenent Neoterici, communi Theologorū sententiæ contradicentes. Qui asserunt, Deum voluntati creatæ offerre concursum indifferentem, ac generalem, ad actum vnum, & ad oppositum, quatenùs est de se ad vtrumq; paratus; à voluntate autem creata determinari speciē actus, ad quem Deus concurrat. Vt autem hæc sententia meliùs intelligatur, *sciendum est*, duobus modis posse decretum diuinum dici indifferens. *Primò*, quòd nullum actum determinatè respiciat, nullamq; decernat actionem in specie, verùm se habeat in-

Decretum diuinū dupliciter potest dici indifferens.

differenter ad quamcunq; operationem, expectetq; determinationem à voluntate creatâ, quantum ad speciem actus. *Secundò*, decretum diuinum potest dici indifferẽs ex eo, quòd licet determinet, & applicet voluntatem, ad aliquem actum in specie, ac in indiuiduo determinatum; illam tamen determinet per modum liberi, & relinquendo in illa indifferẽtiam positiuam, & actualem, seu potentiam ad actum oppositum. Et in hoc sensu facilè quilibet Theologorũ consentit, Deum circa actus nostros liberos, habere decreta indifferentia: solùm ergo quoad primum modum tota controuersia est.

Sententia altera.

Altera sententia constanter defendit, dari in Deo decreta ab intrinseco efficacia, quibus in nostris actibus liberis, non solùm attingit substantiam, verum etiam modum libertatis, causando in nobis liberrimam voluntatem. Et hæc est communis Theologorum, cum D. Augustino, cap. 8. de corrept. & gratiâ.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Dantur in Deo decreta ex se efficacia circa act⁹ nostros liberos.

CONclusio. Dantur in Deo decreta ex se, & ab intrinseco efficacia, circa actus nostros liberos, quæ causant liberum nostræ voluntatis consensum. seu quod idem est, Deus absoluto suo, & efficaci decreto prædefiniuit omnes actus bonos liberos nostræ voluntatis, & quemlibet alium actũ, seu effectum cujuscunque alterius causæ secundæ. *Probatur I. ex Scriptura Sacra*, quæ docet, tantam, ac talem esse diuinæ voluntatis efficaciam, vt per illam solam Deus immediatè efficiat, quidquid extra se in ratione primæ causæ efficit, nemoque ei resistere possit (saltem in sensu composito, & potentiâ cõsequenti) videlicet, quòd cum illa non possit componi, & cuniungi actualis resistentia, seu dissensus. sed hoc non posset verificari, si in Deo non darentur decreta ex se, & ab intrinseco efficacia, circa actus nostros liberos. Ergo eiusmodi decreta, ex se, & ab intrinseco efficacia, dantur in Deo circa actus nostros liberos. *Minor est manifesta*: quia decreto non efficaci, & indifferenti potest resisti etiam in sensu composito. & potentiâ consequenti, vt docet sanctus Thomas 1. p. q. 105. ar. 4. in corp. *Major* verò deducitur ex illo Esther. 13. *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Isaël.* Et iterùm: *Dominus omnium tu es, nec est, qui resistat Maiestati tuæ.* Et ad Rom 9. *Voluntati eius quis resistit* Et Isaiæ 14. *Dominus exercitium decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extensa, & quis auertet illam?* Ergo tanta, ac talis est diuinæ voluntatis efficacia, vt ei nemo resistere possit. Quod ipsum facilè colligi potest, ex illis Apostoli verbis, ad Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt.* Quæ verba S. Augustinus de corrept. & gratiâ, cap. 2. sic exponit: *Intelligant, si filij Dei sunt, spiritu Dei se agi, vt quod agendum est, agant, & cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant, non vt ipsi nihil agant; aguntur enim vt agant, non vt ipsi nihil agant.* Vbi verbum illud *aguntur*, significat veram, & realem efficientiam, & non solùm motionem moralem, ac metaphoricam. Deinde verba illa, *aguntur, vt agãt*: indicant gratiam Spiritus Sancti, non ita mouere voluntates hominum, vt illæ habeant se merè passiuè, recipiendo tantùm motum illum Spiritus Sancti, illiq; non cooperando; verum eas moueri à Spiritu sancto ad hoc, vt se ipsas moueant, ac determinent, tanquàm secundum mouens, & secundum liberum.

Probatio prima.

Probatio secunda.

Probatur II. Authoritate SS. Patrum.

In primis S. Cyrilli, qui lib. 3. contra Iulianum dicit: *Deũ solâ voluntate esse perfectorem operum.* S. Dinysij de diuin. nomin. cap. 5. *Exemplaria autem dicimus, esse in Deo existentium rationes substãtificas, & singulariter præexistentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & diuinas, & bonas voluntates existentium prædeterminatiuas, & secundùm quas substantialis essentia omnia prædefiniuit, & produxit.* Vbi per diuinas, & bonas voluntates prædeterminatiuas, prædefinitiuas, ac effectiuas omnium rerum productarum, intelligit decretum efficax, & absolutũ, quo Deus omnia prędicta prædefiniat. S. Clementis Alexandr. in Protroptico, vbi dicit: *Solâ Deus voluntate molitur, & solum eius velle factum esse consequitur.* Insuper S. August. lib. 3. de Trinit. cap. 4. docet *Voluntatem Dei esse primam, & summam causam omnium corporalium specierum, atque motionum.* Et lib. 5. de ciuit. cap. 9. dicit: *Quapropter voluntates nostræ tantùm valẽt, quantũ Deus eas valere voluit, atq; præsciuit: & ideò quidquid valent, certissimè valent, & quod facturæ sunt, ipsæ omninò facturæ sunt.* Quibus verbis euidenter ostendit, nostras voluntates id solùm valere, & agere, quod Deus illas facere decreuit, ac prædefiniuit. Ergo ex mente SS. Patrum, dantur in Deo decreta ex se, & ab intrinseco efficacia, circa actus nostros liberos.

Probatio tertia.

Probatur III. Authoritate S. Thomæ 1. p. q. 25. ar. 5 ad 1. vbi dicit: *non tamen potest esse. vt Deus aliqua faciat, quæ non præsciuerit, & præordinauerit se facturũ: quia ipsum facere subiacet præscientiæ, & præordinationi Dei.* Iam autem præordinatio Dei, necessariò includit prædefinitionem, prædeterminationem, & decretum efficax diuinæ voluntatis, circa id, quod præordinatur. Hinc S. Thomas in efficaciam summam diuinæ voluntatis, & decretorum ipsius refundit, quòd voluntas creata velit, & libero modo velit id, quod Deus de ipsa disponit: atq; sic concordat efficaciam diuinæ voluntatis cum libertate creatâ ex eo, quòd hoc ipso, quòd Deus velit illam velle, & libero modo velle, oportet, vt propter prædictam efficaciam diuinæ voluntatis, tunc voluntas creata, & liberè velit. Ergo iuxta, S. Thomam, dantur in Deo decreta ex se, & ab intrinseco efficacia, circa actus nostros liberos, quæ causant liberum nostræ voluntatis consensum.

Probatio quarta.

Probatur IV. *ratione.* Causa secunda non potest agere, nisi Deus simultaneè cum illa concurrat: ergo pariter ab ipso debet præmoueri ad agendum per eius decretum, & sic in Deo debent admitti decreta efficacia ex se circa actus causarum secundarum. *Consequentia patet*: quia quoties ad aliquam actionem indispensabiliter requiritur concursus simultaneus duarum causarum, necesse est, vt vel vna moueat aliam, vel vtraq; ab alia tertiâ moueatur: ergo cùm non possit causa secunda applicare causam primam, neq; alia tertia excogitabilis sit, quæ vtramq; præmoueat, oportet omninò, vt Deus efficaciter per suum decretũ præmoueat causam secundam. *Præterea*, quia nisi Deus tali modo prædefiniret actionem causæ secundæ, tunc concursus illius, v. g. consensus voluntatis, non ideò esset futurus, quia Deus vellet illum esse, sed potiùs ideò Deus illum vellet, quia esset futurus: siquidem priùs præuideretur futurus; quàm Deus efficaciter decerneret futuritionem illius. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

De⁹ omnes actus causarum secundarum

Corollarium I. Deus omnes actus causarum secundarum, tàm liberarum, quàm necessariarum,

prædefinit decreto suo absoluto & efficaci.

prædefinit decreto suo absoluto, & efficaci. Ita S. Thomas in 2. dist. 37. q. 2. ar. 2. ad 2 & 3. & 1. 2. q. 8. ar. 1. *Ratio*: quia licet causa prima, & secunda concurrant, ad actionem eiusdem causæ secundæ; cum hoc tamen discrimine, quòd Deus non solùm sit causa illius actionis, prout est ab ipso, verum etiam per suum decretum sit causa eiusdem actionis, prout est à creatura: iam verò causa secunda, licet sit causa suæ actionis prout est ab ipsa; non potest esse causa illius, vt est à Deo: nam cum actio illa, prout à creatura, sit aliquid creatum in rerum natura existens, oportet, quòd vt sic sit à Deo per eius decretum, tanquàm à prima causa efficiente: sicut quia eadem actio prout à Deo, est ab illo vt à prima causa; ideò prout sic ab illo procedit, non potest procedere ab alia causa, alias non influeret per modum primæ causæ. Ergo Deus non tantùm causat realiter illam actionem, sed etiam per suum decretum efficaciter facit actu, quòd causa secunda agat, & consequenter non solùm concurrit per concursum simultaneum, seu per voluntatem conditionatam influendi, si voluntas creata voluerit; sed etiam per decretum absolutum antecedens, & efficax, quo facit, vt causa secunda agat. Nam idem est actionem causæ secundæ, etiam prout est ab illa, esse actu à Deo, ac Deum facere actu, quòd creatura faciat.

Decretum Dei efficax quo præmouentur causæ liberæ ad operandũ, non lædit earũdem libertatem.

Corollarium II. Decretum Dei efficax, quo efficaciter præmouet & prædeterminat physicè, per extrinsecam prædeterminationẽ causas liberas ad operandum, iuxta earum naturam, non tollit earundem libertatem. *Ratio*: quia ista præmotio, & prædeterminatio extrinseca diuini decreti, quâ Deus præmouet causas secundas liberas ad operandum, non facit vtcunque, quod voluntas faciat, sed quod liberè, & infallibiliter faciat: ergo non tollit libertatem earundem, imò potiùs tribuit illam. *Consequentia per se manifesta: Antecedens etiam constat*: quia efficacia diuinæ voluntatis, non tantùm se extendit ad hoc, quòd voluntas creata eliciat v. g. actum amoris quoad substantiam; verùm etiam se extendit quoad modum, volendo scilicet, quòd illum eliciat liberè, ac infallibiter: ergo istius præmotionis, ac prædeterminationis efficacia, non tantum se extendit ad faciendum, quòd voluntas creata eliciat actum; verùm etiam efficaciter & actu facit, quòd illum liberè & infallibiliter eliciat, proinde non tollit libertatem. Nam causa secunda eo ipso quia secunda, subordinatur causæ primæ ad nutum, eò quòd plenariè ipsi subijciatur quoad omnes suas perfectiones, & modos bonos, tàm quoad fieri, & esse; quàm quoad operari: ergo sicut causa necessaria eo ipso, quòd Deus velit aliquid ab ea fieri, subordinatur illi iuxta suam naturam, faciendo illud necessariò; ita eo ipso, quòd Deus velit efficaciter voluntatem facere aliquid liberè, subordinatur illi faciendo libero modo, quod est valdè consonum libertati illius, quatenùs libertas secunda est.

Corollarium III. Cum libertate voluntatis creatæ, & diuinâ præmotione, ac prædeterminatione extrinsecâ ad hoc, vt liberè, & infallibiliter operetur, optimè cohæret, quòd licet voluntas creata in sensu diuiso possit dissentire; non tamen in sensu composito. Porrò quando dicimus voluntatem extrinsecè præmotam, ac prædeterminatam à Deo, ad actũ v. g. amoris, non posse in sensu composito dissentire, aut non consentire, id non ita debet intelligi, quòd quamdiu illa præmotio efficax

cax existit, non possit illi dissentire; illâ verò ablatâ possit, quasi præmotio illa existens in Deo, auferret à voluntate creata potentiam ad dissentiendum, si velit. Si enim sensus compositus sic intelligeretur, prout aliqui falsò existimant, sine dubio auferretur à voluntate creatâ libertas per dictam præmotionem; sicut etiam auferretur ab ea potentia ad oppositum. Sed ita debet intelligi, quòd voluntas adhuc præmota & prædeterminata hac prædeterminatione ad amorem, possit non amare, vel odio prosequi, licet non possit ista duo coniungere, nimirùm quòd sit extrinsecè præmota efficaciter, & quòd simul non amet, vel habeat actum odij: nam in libero arbitrio vt tali, est simul potentia ad opposita, non tamen in illo est potentia ad opposita simul habenda, cùm hoc nullo modo ad eius libertatem requiratur, v. g. in libero arbitrio est potentia ad consentiendum, aut dissentiendum, quæ sunt opposita contradictoriè; non tamen in illo est potentia ad simul habendum vtrumque extremum, siuè contrariè siue contradictoriè sumatur, eò quòd duo actus contrarij, sint impossibiles in eodem subiecto, neq; possint de eodem simul verificari, quamuis potentia ad vnum actum, non opponatur potentiæ âd actum contrarium.

Ratio *igitur corollarij est*: quia voluntatem creatam per diuinum decretum efficax præmotam, & prædeterminatam extrinsecè, v. g. ad amorem, posse in sensu composito dissentire si velit, denotat eandem posse coniungere cum hac præmotione dissensum, ita vt sit simul verum, voluntas est præmota efficaciter ad amandum; & tamen odit, vel non amat: similiter voluntatem sic præmotam efficaciter ad amandum posse in sensu diuiso dissentire, denotat, quòd adhuc præmota, licet non possit coninngere carẽtiam amoris cum præmotione illâ efficaci; possit tamen illam coniungere cum voluntate, quæ carentia destrueret tum oppositnm actum amoris, tum etiam præmotionem efficacem ad illum, per destructionem saltem indirectam: licet autem ad libertatem requiratur hoc posterius; non tamen necessarium est illud prius: ergo voluntatem dicto modo præmotam ad amandum, non posse non amare in sensu composito, non tollit libertatem, si possit, prout verè potest, non amare in sensu diuiso. Quod facilè illustrari potest exemplo. v. g. ista propositio; *iustus potest peccare mortaliter*, in sensu composito falsa est; in sensu autem diuiso vera: nihilominùs in sensu composito non reddit hunc sensum, quod nimirùm iustus hoc ipso, quia habet gratiam sanctificantem, sit impeccabilis mortaliter, & quòd si ab illo auferatur, poterit peccare; alias gratia sanctificans, non distingueretur à perfectissimo dono confirmationis in gratia. Vnde solum per eam significatur, quòd iustus non possit coniungere cum sua iustitia, seu gratia, peccatum mortale, cùm ista duo sint secum incompossibilia. At verò dicta propositio, in sensu diuiso est vera, quia solum denotat, quòd iustus, etiamsi iustus sit, possit coniungere peccatum mortale cum suo libero arbitrio, quod peccatum, si esset, gratiam sanctificantem destrueret. Sicut ergo non aufertur à iusto libertas peccandi, per hoc, quòd in sensu composito non possit tale peccatũ committere, dummodò in sensu diuiso possit; ita non aufertur à voluntate creata libertas, & potentia dissentiendi, quod præmota efficaciter, non possit in sensu composito dissentire,

te, dummodò possit, prout reuera potest, in sensu diuiso.

De⁹ decreto suo absoluto, & efficaci prędefinit etiã materiale peccati.

Corollarinm IV. Deus decreto suo absoluto, & ex se efficaci prædefinit etiam materiale peccati, v. g odium ipsius Dei materialiter sumptum, secundum omnes rationes, quæ aliquomodò malitiam moralem non exprimũt: seu quod idem est, materiale peccati, vt spectat ad ordinem physicum; non verò ad lineam moralem. Ita Scriptura Sacra Actor. 2. v. 23. vbi de Christo dicitur: *Hunc definito cōsilio, & præscientiâ Dei traditum in manus inimicorum affigentes interemistis.* Vbi actio peccaminosa affigendi Christum, tribuitur diuino consilio, & consequenter diuinæ prædefinitioni: quoniam consiliũ Dei, sicut & cuiuslibet agentis liberi, inuoluit efficax decretum suæ voluntatis. Quod ibidem his sequentibus verbis exprimitur: *Sicut conuenerunt Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus, & populis Israël facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri*: ergo cùm Deus non possit prædefinire peccatũ quoad formale, aut materiale, vt fundat rationem malitiæ, citata scripturæ verba intelligi debent de prædefinitione peccati quoad materiale materialiter sumptum.

Et *ratio coollarij est*: quia Deus suo decreto absoluto, & ex se efficaci, seu efficaciter effectiuo, prædefinit omnes actus bonos, vt tales, siue illi sint boni bonitate, naturali simul, & morali; siue solùm boni bonitate ad lineam esse naturalis, & physici præcisè pertinente. Sed actus peccati, v. g. odij Dei liberè exercitus, & consideratus præcisè quoad materiale physicum materialiter sumptum, seu quoad illud esse physicum, quod alias fundat rationem malitiæ, est actus bonus bonitate pertinente præcisè ad lineam esse naturalis, & physici; ergo secundùm hanc rationem decreto absoluto, & ex se efficaci, prædefinitur à Deo. Maiorem admittit cõmunis Theologorum sententia. *Minor etiam patet*: quia licet actus odij Dei, vt fundat malitiam odij, spectet ad lineam moralem malitiæ, per modum fundamenti formaliter sumpti respectu illius, proinde adhuc secundùm hanc præcisè rationem, sit causaliter & initiatiuè malum quid: nihilominùs idem actus quoad materiale physicum malitiæ materialiter sumptum, puta quoad illud esse physicum, quod alias fundat malitiam, non spectat ad lineam moralem, neq; mali moralis, sed ad aliam lineam, videlicet ad lineam esse naturalis, & physici. Vnde cùm ista linea, & illa, quæ ad eam pertinent, sint secundùm hanc rationem bona, bonitate esse naturalis, & physici, manifestè sequitur, prædictum actum, v. g. odij Dei, sub hac præcisione sumptum, esse actũ bonum bonitate præcisè spectante ad prædictam lineam.

Decreta indifferentia in Deo nõ sunt admittenda.

Corollarium V. Falsa est sententia quorundam Neotericorum, negantium in Deo decreta ex se efficacia, circa actus nostros liberos, solumq; indifferentia purè admittentium. *Ratio*: quia admisso decreto purè indifferenti, circa actus nostros liberos, posset resisti voluntati diuinæ, quod est contra Scripturam Sacram: nam omnis concursus indifferens, omnisque motio moralis, quæ non efficit, sed expectat consensum & determinationem liberi arbitrij, talis est, vt ei resisti possit, etiam in sensu composito, & potentiâ consequente, cum eaque coniungi actualis resistentia, & dissensus, siquidẽ omne obiectum propositum voluntati, præter Deum clarè visum, non sufficit eam determinare. *Præterea*, quia decreta purè indifferentia tollunt, aut saltem valdè limitant supremum, & absolutum dominium, quod Deus habet in voluntatem, & cor hominis, quod ita est in manu

nu eius, vt quocunque voluerit, vertat illud, quemadmodùm docet Scriptura Sacra. Prouerb. 21. Imò Deus non haberet iam in nostros actus liberos ita perfectum, & absolutum dominium, sicut habet voluntas creata: hæc enim ratione perfecti dominij, quod habet in suos actus liberos, illæsâ suâ libertate, potest seipsam liberè determinare, talemq; determinationẽ incipere, non supponendo eam, nec exspectando ab alia causa creatâ. Ergo si Deus non posset idem præstare, facereq; sine læsione libertatis, vt à voluntate creatâ incipiat, exeatq; talis determinatio, sed eam deberet à libero arbitrio expectare, ac veluti emendicare, eo ipso non haberet ita perfectum, & absolutum dominium in actus nostros liberos, sicut habet ipsa voluntas creata. Quod repugnat doctrinæ D. Augustini de corrept. & gratiâ, cap. 14. vbi dicit: *Deus magis habet in sua potestate voluntates hominum; quàm ipsi suas.*

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Scriptura Sacra Ecclesiast. 5. dicit: *Apposui tibi ignem & aquam, ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Vbi bonum, & malum, dicitur esse in manu consilij hominis. Sed si in Deo darentur decreta ex se, & ab intrinseco efficacia, circa actus nostros liberos, causantia liberum nostræ voluntatis consensum, iam bonum, & malum, non esset in manu humani consilij, quia per illa decreata ligaretur indifferentia voluntatis creatæ, impedireturque quoad vsum. Ergo eiusmodi decreta circa actus nostros liberos non dantur in Deo.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando minorem: constat enim iam ex corollario secundo, decreta Dei absoluta, & efficacia; nequaquàm lædere libertatem voluntatis nostræ. Vnde citata scripturæ verba, solùm adducuntur ad hoc, vt denotetur, hominem esse liberi arbitrij, quantumuis à Deo per suum efficax decretum, ad liberè volendum moueatur, vt docet S. Thomas 3. contra Gent. cap. 9. vbi postquàm innuit, Deum suo efficaci decreto mouere ad actiones liberas creatas, verba hæc subiunxit: *Videntur autem quædam in doctrina sacra, secundùm prædictã sonare* (puta eorum, qui res humanas non subdi diuinæ prouidentiæ asserebant) *Dicitur enim Ecclesiast. 15. Apposui tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam: ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Hæc autem verba ad hoc inducuntur, vt homines esse liberi arbitrij ostendantur, non vt eorum electiones subtrahantur.*

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.* S. Damascenus lib. 2. de fide cap. 30. dicit: *Scire interest, Deum omnia præscire; non autem omnia prædeterminare, & prædefinire: præscit enim etiam ea, quæ in nostra potestate, & arbitrio sita sunt: at non item ea prædefiniuit.* Cujus statim rationem hanc affert: *nec enim vitium admitti vult, nec rursùs virtuti vim affert.* Ergo censet Deum, non omnes actus causarum secundarum prædefinire, decreto suo absoluto, & efficaci.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concessâ anthoritate, negatur consequentia: S. enim Damascenus in citatis verbis, non negat prædeterminationẽ, & prædefinitionem actuum liberorum, sed, quòd prædefiniantur eò modo, quo prædefiniuntur, & causantur actiones causarum necessariarum, quæ à diuina prædeterminatione necessitatem accipiunt. siquidem tàm actus causarum liberarum; quàm necessariarũ, prædefiniuntur quoad substantiam, & quoad modum ratione summæ efficacita-

ficacitatis voluntatis diuinæ. Atq; sic Deus prædefinit, vt causæ necessariæ sic agant, vt necessariò agant, ac proinde à diuina voluntate habent, quòd necessariò agat. similiter prædefinit, quòd causæ liberæ ita operentur, vt liberè operentur; adeò vt licet reipsa, & de facto operentur, cùm Deus vult; possint tamen non operari, quia Deus vtrumq; vult, quod nimirum operentur, quando possint non operari; ideoq; prædictæ causæ sunt subiectæ prouidentiæ, ac prædefinitioni diuinæ, vt ab ea suam libertatem accipientes.

Obiectio tertia. Obijcitur III. *Contra Corollarium II. & III.* Decretum Dei efficax tollit libertatem arbitrij: ergo non benè cohæret cum libertate voluntatis creatæ. *Antecedēs probatur.* Libertas consistit in potentia, seu dominio, quod habet voluntas supra suos actus. sed posito efficaci decreto Dei, voluntas creata nullum habet supra suos actus dominium: ergo neq; vllam libertatem. *Minor probatur.* Liberum arbitrium non habet potentiam, seu dominium supra decretum, neq; supra connexionem infallibilem, quæ intercedit inter decretum, & actum voluntatis creatæ, cùm nihil possit operari impeditiuum decreti, aut connexionis illius cum actu: ergo non habet potentiam, aut dominium supra actus nostros. *Consequentia manifesta:* nam qui habet dominum supra actum, habet quoq; potentiam, & dominium supra omnia, à quibus talis actus essentialiter dependet: ergo si liberum arbitrium, non habet dominium supra diuinum decretum, ac motionem, seu gratiam ab illo promanantem, à quibus actus nostri essentialiter dependent; etiam supra suos actus, nullum dominium habet.

Solutio eiusdem. *Respondetur negando antecedens. Ad eius probationem, concessa maiore, negatur minor. Ad probationem minoris dicitur primò,* quòd licet liberum arbitrium non habeat dominium supra diuinum decretum, & supra connexionem infallibilem, quæ intercedit inter decretum, & actum voluntatis creatæ, prout talis connexio tenet se ex parte Dei, tanquam primi liberi, primiq; determinantis; habet tamen dominium in illam, prout se tenet ex parte consensus liberi, dependentis à voluntate creatâ, tanquam à secundo libero, & secundo determinante. *Secundò, dici potest.* De ratione quidem primi liberi esse, habere absolutè in sua potestate, & dominio omnia prærequisita ad agendum; non tamen de ratione secundi liberi. Propterea, quia primum liberum, est prima causa suæ determinationis, & electionis; ac proinde habet in eam dominium supremum, & absolutum, & à quocunq; alio omninò independens. At verò secundum liberum, solùm est causa secunda suarum electionum, ab altera priori necessariò dependens, illiq; essentialiter subordinata, & consequenter in suam determinationem, solùm habet dominium secundarium, ab alio dependens, illiq; e subordinatum. Vt ergo voluntas creata habeat dominium secundarium, & dependens, in suos actus liberos, non requiritur, quod habeat in sua potestate diuinum decretum, eiusque motionem, vel auxilia gratiæ, quæ ab illo promanant, & alia, quæ ad supremum Dei dominium pertinent. Et hoc expresse docet S. Thomas, 1. 2. q. 109. ar. 2. ad 1.

Obiectio quarta. Obijcitur IV. Scriptura Sacra Iacobi 1. dicit: *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est.* Sed si Deus decreto suo absoluto, & efficaci, prædefiniret actum peccati, quoad suum materiale, magis tentaret; quàm propria concupiscentia, à qua dicitur ibidem, hominem tentari, his verbis: *Vnusquisq; verò tentatur à concupiscentia sua.* Nam diuinum decretum magis impelleret in peccatum, quàm propria concupiscentia, eò quòd sit multò efficacius illâ, dum ipsa materiale peccati proponit. Ergo Deus decreto efficaci, non prædefinit materiale peccati. *Deinde,* Concilium Trident. sess. 6. can. 6. dicit: *Si quis dixerit, mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permittendo solùm, sed etiam propriè, & per se, adeò vt sit proprium eius opus, non minùs proditio Iudæ; quàm vocatio Pauli, anathema sit.*

Solutio eiusdem. Respondetur, *negando minorem:* nam licet concupiscentia secundùm suam speciem essentialem, secundùm quam est eiusdem rationis atomæ, cum concupiscentijs brutorum, non possit extendi ad concupiscendum id, quod obiectiuè, seu quantum est ex parte obiecti, est peccatum, & vetitum, quatenùs tale; secùs tamen concupiscentia hominis, vt habet quandam speciem, modalem superadditam ex coniunctione ad hominem, eiusq; voluntatem, etiamsi quoties talis concupiscentia fertur necessariò, & per modum naturæ ad prædictum peccatum, nō sit formaliter peccatum ex defectu libertatis; non actum ex defectu obiecti concupiti. Et ideò quia intra latitudinem sui obiecti materialis, vt sic sumptæ, continetur obiectiuè sumptum vt tale, seu obiectum vetitum, idcircò quoties per modum naturæ tendit in illud, dicitur tentare hominem, eò quòd impellat ad peccatum obiectiuè tale, seu ad id, quod quantum est ex parte obiecti, refunderet in prædictam concupiscentiam rationem peccati, si libero modo ad ipsum tenderet. Cùm ergo diuina prædefinitio efficaciter causatiua, non extendatur ad peccatum obiectiuè tale, & formaliter sumptum, neq; ad eius fundamentum, quatenùs fundamentum; verùm ista sint extra latitudinem obiecti materialis adæquati, prædicti decreti diuini; ideò rectè dixit S. Iacobus Apostolus. Et hoc indicare voluit Apostolus illis verbis: *A concupiscentia sua,* volens ostendere, quomodò licet concupiscentia, ex eo quia concupiscentia, non tentet, eò quòd malum morale sit extra latitudinem eius sic sumptæ; benè tamen vt est eius, qui tentatur, & vt ratione coniunctionis ad illum, voluntatē quē eius, accipit quandā speciem modalem, per quam extenditur ad prædictum obiectum. Quantum ad Concilium Trident. attinet, *respondetur,* quando Concilium anatematizat eum, qui dixerit, non minùs proprium opus Dei, proditionē Iudæ; quam vocationem Pauli esse, hoc solùm innuere vult, quòd Deus aliquid causet in peccato, videlicet materiale peccati iam dictum; quemadmodùm causat in opere bono; cum hoc tamen discrimine, quòd peccatum absolutè sumptum, non sit simpliciter, & absolutè volitum à Deo; secùs autem opus bonum.

QVÆSTIO II.

Ad quanam se extendit diuinæ voluntatis efficacia.

Occasio quæstionis. Occasionem tractādæ huic quæstioni præbuit Iansenius, qui cùm diuinorum decretorum, atq; auxiliorū efficaciam, respectu hominis lapsi agnouisset; eam tamen ad statum innocentiæ Angelorum, & hominum extendi negauit. Quam etiam sententiam sequuntur aliqui ex Neotericis, qui intra gratiam medicinalem Christi nobis concessam; & gratiam sanitatis, Angelis, atq; primis parentibus datam, hanc differentiam assignant, quòd illa moueat, & determinet liberum arbitrium ad bonum, ista autem eius nutum, seu motum, ac determinationem expectet, & illi quantum ad vsum, & efficaciam subijciatur.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Efficacia diuinæ volũtatis extẽdit se ad omnia possibilia.

CONclusio. Efficacia diuinæ voluntatis extendit se ad omnia possibilia: seu quod idem est, diuina voluntas ita est omnipotens, vt Deus possit, quidquid voluerit, efficere. *Probatur ex Scriptura Sacra*, Iob 42. vbi dicitur de Deo: *Scio quia omnia potes.* Et Matth. 19. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Idem docet S. Augustinus, serm. 139. de tempore, vbi sic loquitur: *Non dico da mihi Christianum, da mihi Iudæum, sed da mihi Paganum, idolorum cultorem, dæmonum seruum, qui non dicat Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare Deum omnipotentem non potest.* Ergo ex mente Scripturæ Sacræ, ac D. Augustini, efficacia diuinæ voluntatis extendit se ad omnia possibilia. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Efficacia diuinæ voluntatis extendit se ad Angelos adhuc in via.

Corollarium I. Efficacia diuinæ voluntatis extendit se ad Angelos adhuc in via, & in statu merendi existentes. Ita S. Augustinus lib. 11. de ciuit. Dei, vbi docet, discretionem bonorum, & malorum Angelorum, fuisse à Deo; nõ autem a libero eorum arbitrio, sic inquiens: *Inter sanctos Angelos, & immundos fuisse discretum, vbi dictum est, & diuisit Deus inter lucem, & tenebras.* Statimq; addit: *Solus quippè ille ista discernere potuit.* Et lib. 12. cap. 9. de iisdem dicit Angelis: *Absit, vt meliores à seipsis, quàm ab illo facti sint.* Et in Psal 70. de bonis Angelis dicit: *Tibi debent, quod viuunt, tibi debent, quod iustè viuunt.* Et concione 2. in Psal. 32. de bonis Angelis sub figura cælorum ita scribit: *Nec ipsi*, inquit, *cæli firmitatem sibi propriam præstiterunt: verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Non habuerunt aliquid ex se, & tanquàm supplementum à Deo perceperũt: spiritu enim oris eius, non pars, sed omnis virtus eorum.* Quod comprobat S. Gregorius lib. 15. Moral. cap. 8. de Angelis ita scribens: *Aliis cadentibus, alios à Deo fuisse solidatos: vtiq; similiter casuros, nisi solidati fuissent.* Et *ratio est*: quia omnis creatura vertibilis, & variabilis de bono in malum, vt determinetur ad bonum, & in eo firmetur, ac figuretur, indiget auxilio alicuius agentis immobilis. Sed liberum arbitrium Angelorum in statu viæ existentium, erat mobile, & vertibile, ac variabile de bono in malum: ergo vt determinaretur ad bonum, in eoq; perseueraret, ac firmaretur, indigebat speciali Dei auxilio, vt docet S. Augustinus in Enchirid, cap. 106. his verbis: *Non sufficiebat liberum arbitrium iustitiæ retinendæ, nisi participatione immutabilis boni, diuinum adiutorium præberetur.*

Efficacia diuinæ voluntatis extendit se ad statum innocentiæ primorum parentum.

Corollarium II. Efficacia diuinæ voluntatis extendit se ad statum integritatis, & innocentiæ primorum parentum. Ita S. Augustinus de corrept. & gratiâ, vbi loquens de Adamo in statu innocentiæ ita scribit: *Tunc ergo dederat Deus homini bonam voluntatem.* Et l. 14 de ciuit. cap. 11. *Bona igitur voluntas est opus Dei, cum ea quippè ab eo factus est homo.* Et lib. 12. cap. 9. de bona voluntate, quâ boni Angeli per amorem adhæserũt Deo, dum essent viatores, dicit: *Et istam quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, amore casto, quo illi adhærerent creauit.* Et *ratio est*: quia tàm homines, quàm Angeli in quocunque statu considerati, debent subordinari Deo in operando, seu debent ab illo constitui in ratione principii actualis suarum operationum tàm naturalium, quàm supernaturalium. Sed secluso concursu præuio & gratiâ efficaci, nõ possunt Deo subordinari in operando, neq; ab illo constitui in ratione principii actualis suarum operationum: ergo tàm homines, quàm Angeli indigent concursu præuio, & gratia efficaci ad operandum. *Minor ostenditur*: quia tam homines, quam Angeli, in statu innocentiæ, non poterant constitui in ratione principii actualis suarum operationum supernaturalium, per cuncursum simultaneum ordinis supernaturalis, neque per auxilium sufficiens eiusdem ordinis: ergo sublato concursu præuio, & gratia efficaci, non poterant subordinari Deo in ratione principii actualis. *Consequentia clara. Antecedens etiam facilè deducitur*: quia cùm principium actuale operationis, sit quid præuium illâ, prioritate saltem naturæ, habeatq; cum ea indissolubilem nexum, cõstitutiuum illius, debet quoq; ista duo habere, videlicet prioritate naturæ operationem antecedere, & cum ea indissolubiliter connecti. Cùm itaq; concursus simultaneus, non sit prior operatione prioritate naturæ, & auxilium sufficiens non habeat cum ea nexum indissolubilem, sed vt plurimum ab ea separetur, inde est, quod primi parentes in statu innocentiæ, non poterant constitui in ratione principii actualis operationum supernaturalium, per gratiam sufficientem, aut per concursum simultaneum ordinis supernaturalis, qui gratia coefficientiæ, & cooperationis dici solet, sed tantùm per cõcursum præuium, & gratiam efficacem.

Diuinorũ decretorũ efficacia in statu innocentiæ, nõ minùs necessaria fuit, quàm nunc.

Corollarium III. Diuinorum decretorum efficacia, atq; causalitas, nõ minùs, in statu innocentiæ necessaria erat, quàm nunc in statu naturæ lapsæ. *Ratio*: quia S. Augustinus, diuinorum decretorum efficaciam, in statu naturæ lapsæ demonstrat ex omnipotentissima Dei potestate, seu ex infinita efficacia, & virtute diuinæ voluntatis, quæ non potest vinci, impediri, aut retardari à creatura, & cui volenti saluum facere, nullum humanum resistit arbitrium. Sed idem asserit de voluntate Dei erga Angelos, ac primos parentes in statu innocentiæ: ergo agnoscit decreta efficacia non minùs fuisse necessaria pro statu innocentiæ. *Minor patet*: quia S. Augustinus Enchirid. cap. 96. dicit: *Deus nõ ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest, nec voluntate cuiuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Vbi nomine *cuiuspiam creaturæ*, comprehendit non tantùm homines in statu naturæ lapsæ; verùm etiam Angelos, & primos parentes in statu innocentiæ, vt declarat inferiùs cap. 106. his verbis: *Quantalibet sint voluntates Angelorũ, vel hominum, vel bonorum, vel malorum, vel quod Deus, vel aliud volentes quàm Deus, omnipotentis voluntas Dei, semper inuicta est.* Deinde, quia idem S. Augustinus de corrept. & gratia; cap. 11. docet, liberum arbitrium in Adamo, non nisi ad malum ex se fuisse potens, ac proinde non potuisse se determinare ad bonum, nisi ex auxilio Dei illud determinantis, & applicantis: *Liberum arbitrium* inquit, *ad malum sufficit; ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono.* Et tract. de Cantico nouo, cap. 8. dicit: *Quid enim valeat liberum arbitrium non adiutum, in ipso Adam demonstratum est: ad malum sufficit sibi, ad bonum, non nisi adiuuetur a Deo.* Et Enchirid. cap. 106. dicit: *Homo in paradiso ad se occidẽdum relinquendo iustitiam, idoneus erat per voluntatem: vt autem ab eo teneretur vita iustitiæ, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adiuuaret.*

Corollarium IV. Quando sanctus Augustinus lib. de correpr. & gratiâ, cap. 11. & 12. distinguit duplex adiutorium. *Vnum, adiutorium sine quo*, quod est auxium sufficiens: alterum, *adiutoriũ quo*, quod est auxilium efficax, docetq; primum

mum fuisse concessum in statu innocentiæ Adamo; non verò secundum. Per hoc non negat, Adamo fuisse datum in statu innocentiæ auxilium de se efficax. *Ratio*: quia ibi Sanctus Augustinus non distinguit vniuersaliter omnẽ gratiam collatam Adamo in statu innocentiæ, a gratia Christi Saluatoris per hoc, quòd prima fuerit *adiutorium sine quo*, seu sufficiens; & secunda *adiutorium quo*, seu efficax. Sed tantùm gratiam collatã Adamo, ad perseuerandum in innocentia, à gratia, quæ datur Sanctis, & electis in statu naturæ lapsæ, ad perseuerandum vsq; in finem, quæ donum perseuerantiæ finalis appellatur. Ita enim seipsum explicat S. Augustinus ibidem cap. 12. vbi postquam duplex illud adiutorij genus exposuit, subdit: *Primo itaq; homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret, vt perseueraret; sed sine quo liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei, per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutoriũ perseuerantiæ datur, sed vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint; verùm etiam vt per hoc donum, nonnisi perseuerantes sint.* Et cap. 6. lib. de dono perseuerantiæ, clarè id expressit his verbis: *De ista enim perseuerantia loquimur, quâ perseueratur vsq; in finem, si autem non est perseueratum vsque in finem, non est data.* Cùm ergo Sanctus Augustinus loco citato asserat, bonam voluntatem, per quam Angeli per amorem creatori adhæserũt, fuisse opus Dei. Bonos Angelos, vt ad beatitudinem peruenirent, fuisse magis adiutos, quàm malos, qui ab ea defecerunt. Bonos Angelos ne caderent, fuisse à Deo per gratiam solidatos, & alia plura, quæ efficaciam, & operationẽ diuinæ gratiæ in Angelis, ac primis parentibus apertè declarant; ideò efficaciam diuinæ voluntatis, & auxiliorum in statu innocentiæ non negat.

Corollarium V. Quando Sanctus Agustinus cap. 11. & 12. de corrept. & gratiâ, docet Adamum voluntate, & libero arbitrio in veritate stetisse, potuisse permanere in iustitia, si voluisset, vt vellet perseuerare, Deum in eius reliquisse arbitrio, per hoc non sentit Adamum in statu innocentiæ nõ eguisse gratiâ efficaci ad operandum rectè, perseuerandumq; in bono; sed solùm sufficienti, subditâ eius libero arbitrio, quantum ad efficaciam, & vsum. *Ratio*: quia Sanctus Augustinus citatus, asserens Adamum, potuisse permanere in iustitia, si voluisset, per hoc non excludit necessitatem gratiæ efficacis, sed solùm declarat facilitatem rectè operandi, & perseuerandi in bono, quam Adamus in statu innocentiæ habebat, à dono iustitiæ originalis, quæ cum perfectè subijceret mentem Deo, appetitumq; inferiorẽ superiori, omnes difficultates ad bene operandum submouebat, vnde catenus dicitur, in libero arbitrio Adami relictum esse, vt perseueraret, si vellet; non autem in nobis: quia nullam infirmitatem voluntatis, aut mentis incurrerat; nullam appetitus inferioris repugnantiam sentiebat, nullamq; difficultatem in agendo patiebatur, quæ per gratiam sanatiuam, seu medicinalem vinci deberet; nos verò eam infirmitatem, & repugnantiam, ac difficultatem, propter statum naturæ iam corruptæ sentimus, ac proinde gratiâ sanatiuâ, seu medicinali ad eandem vincendam indigemus. Ita citatum locum S. Augustini exponit D. Thomas 2. 2. q. 137. art. 4. ad 2.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra conclusionem, eiusq; secundum corollarium.* Quoties Sanctus Augustinus inuestigat causam necessitatis gratiæ efficacis, solùm assignat ægritudinem naturæ, & vulnus læsæ voluntatis; nusquàm autem recurrit ad indifferentiam liberi arbitrij, aut ad generalem dependentiam, & subordinationem ad primũ motorem: ergo cùm in statu innocẽtiæ nullum esset vulnus, neque corruptio naturæ, nulla quoq; in illo erat necessitas gratiæ efficacis, & consequenter efficacia diuinæ volũtatis, non se extendit ad statum innocentiæ.

Solutio eiusdem.

Respondetur transeat antecedens, negatur consequentia: quando enim Sanctus Augustinus refert necessitatem gratiæ efficacis, ad infirmitatem, & corruptionẽ naturæ, & vulnus læsæ voluntatis, non assignat causam totalem, & adæquatam illius, sed tantùm causam inadæquatam, magisque congruam statui naturæ lapsæ, in quo versamur. Intendens demonstrare contra Pelagianos, negantes peccatum originale ab Adamo, in posteros eius, per seminalem propagationem transfusum esse, naturam hominis esse vitiatam, deprauatam, & vulneratam per peccatum Adami; ideoque ad volendum, & operandum bonum supernaturale, indigere gratiâ Christi Saluatoris, quatenus medicinalis, & sanatiua est. Per hoc tamen non excludit alia duo capita, ex quibus gratiæ necessitas deriuatur, videlicet improportionem potentiæ naturalis, ad actus, & obiecta supernaturalia, atq; generalem subordinationem, & dependentiam à Deo, vt primo motore, quæ non tantùm habet locum in ordine naturali; verùm etiam in ordine supernaturali, & in statu integritatis, ac innocentiæ.

Obiectio secunda.

OBijcitur II. Si in vtroq; statu diuinorum decretorum efficacia, & consequenter gratia efficax necessaria esset ad rectè operandum, nullum esset discrimen inter gratiam hominis stantis, & hominis lapsi. Sed hoc dici non potest: ergo nec illud. *Minor patet*: quia S. Augustinus varijs in locis distinguit gratiam sanitatis collatã Adamo in statu innocentiæ, à gratia medicinali, quæ nobis ex meritis Christi confertur.

Solutio eiusdem.

Respondetur, negando sequelam maioris: nam licet homo tam in statu innocentiæ, quàm in statu naturæ lapsæ, indigeat gratiâ, & motione efficaci ad agendum actu; multiplex tamen discrimen reperitur inter gratiam Adamo collatam, & eam, quæ nobis tribuitur. Prima enim gratia data fuit ex liberalitate conditoris; secunda verò nobis conceditur ex meritis Christi Saluatoris. Illa gratia sanitatis, hæc medicinalis dicitur. Illa solùm fuit necessaria ex duplici capite, videlicet ex improportione actus ac obiecti supernaturalis, ad potentias animæ naturales, & ex generali subordinatione causæ secũdæ ad primam; ista insuper ex corruptione naturæ, & vulnere læsæ voluntatis requiritur. Illa mouens, & applicans; hæc sanans, & roborans dici potest. *Insuper*, auxilium sufficiens, quod iustis in statu naturæ lapsæ tribuitur, à gratia sanctificante, & virtutibus infusis, distinguitur per hoc: quia cùm in iustis remaneat corruptio, & infectio quantum ad carnem, cum obscuritate ignorantiæ in intellectu; ideò ad tantæ infirmitatis sustentationem, adhuc opus habent alio auxilio sanante naturam, præbenteq; maiores, & efficaciores vires. At verò *adiutorium sine quo* Adamo collatum, per quod poterat permanere in bona

volun-

voluntate, si voluisset, non fuit aliud; quam donum iustitiæ orginalis, seu gratiæ habitualis, quatenus partem inferiorē subijciebat Deo, appetitum rationi, & præter sanctitatem animæ, placabilitatem, & benignitatem inducebat in partem inferiorem.

DISPVTATIO V.

De Prouidentia Dei.

Efficaciam diuinæ voluntatis, sequitur eius prouidētia circa creaturas, de qua Sanctus Thomas tractat: 1 p.q. 22. per articulos 4. inuestigando an sit in Deo, & ad quænam se extendat.

QVÆSTIO I.

Sitne in Deo prouidentia respectu omnium rerum creatarum.

Prouidentia quid sit.

Suppono. Prouidentiam nihil aliud esse, nisi rationem ordinandorum in finem, eò quòd sit pars principalis prudentiæ, consistens in cura quadam, & solicitudine, seu studio futurorum, secundùm rectam dispositionem. Vnde, nomine prouidētiæ intelligitur actus aliquis, tum intellectus, tum voluntatis Dei, quo ipse ordinat, & dirigit res creatas in suos fines particulares; potissimùm autem in finem omnium vltimum qui est ipse Deus.

Suppono *præterea*, Duplicem in rebus ordinem reperiri. *vnum*, quoad substantias, quo nimirùm ipsæ substantiæ inter se certo loco constituuntur in vniuerso. Et huius ordinis ratio, vocatur *dispositio*, seu idea vniuersi. *Alterum esse* rerum in suos fines, tum naturales, tum supernaturales: & huius ordinis ratio, vocatur *prouidentia*, si habeat cōiunctam voluntatem concedendi media.

Varij errores circa prouidentiam Dei.

Circa diuinam itaq; prouidentiam, variè hallucinati sunt antiqui Philosophi: *aliqui* enim negabant omninò dari prouidentiam in Deo, eò quod putauerint omnia à casu, & fortunâ; aut certè ex necessitate, vel fæcunditate naturæ prouenire. *Alij* concedebant quidem Deo prouidentiam de rebus, quantum ad earum species; non autem quoad indiuidua, quæ corruptibilia sunt, iuxta illud Iob 22. *Nubes latibulū eius, & circa cardines cæli perambulat, neq; nostra considerat.* Alij concedebant Deo prouidentiam solùm circa homines, ob similitudinem diuinam, quam participant; circa alias verò res sublunares negabant. *Alij demùm*, negabant Deo prouidentiam earum rerum, quæ pendent a libero arbitrio, eo quòd putarent prouidentiam pugnare cum libertate.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Deus habet prouidentiam de omnibus rebus creatis.

Conclusio. Deus habet prouidentiam de omnibus reb⁹ creatis. *Probatur* I. ex Scriptura Sacra, sap. 6. *Æqualiter est illi cura de omnibus.* Et cap. 8. *Attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Et cap. 14. *Tua pater prouidentia gubernat.* Et Matth. 6. *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neq; metunt, neq; congregant in borrea, & Pater vester cælestis pascit illa.* Ergo iuxta scripturam, Deus habet prouidentiam de omnibus rebus creatis.

Probatur II. ex SS. Patribus. *In primis* S. Cyprianus lib. de idolorum vanitate dicit: *Mundi vnus est rector, qui vniuersa quæcunq; sunt, verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat.* Sanctus Damascenus lib. 1. de fide cap. 2. vbi dicit: *Quòd Deus bonus sit iustus, rerum omnium conditarum architectus; quòd vim omnem imperiumq; habeat, omnia inspectet, omnibus prospiciat, omnia in potestate habeat: hæc inquam omnia scimus, & confitemur.* Sanctus Ambrosius lib. 1. de fide cap. 7. *Deus,* inquit, *ea religione nobis est venerandus, vt quidquid religiosius sentiri potest, quidquid præstantius ad decorem, quidquid sublimius ad potestatem, hoc Deo intelligas conuenire.* Iam verò excellentis bonitatis, sapientiæ, ac potentiæ est, mundum regere, omniumq; curam, ac prouidentiam habere. Ergo ex mente SS. Patrum Deus habet prouidentiam, circa omnes res creatas.

Probatur III. *ratione.* In Deo reperitur ratio ordinis in finem: ergo in illo est prouidentia respectū omnium rerū creatarum. *Consequentia patet*: ex definitione prouidentiæ, quam Boëtius lib. 4. de consolat. in hunc modum tradit: *Prouidentia est ratio ordinis rerum in finem in mente prouisoris existens. Antecedens etiā manifestum*: quia quidquid perfectionis, & bonitatis reperitur in creaturis, Deo concedendum est. Ergo cùm in creaturis non solùm sit perfectio, ac bonitas substantiæ rei, sedi etiam ratio ordinis in suos fines, quæ bonum quoddam est, datur in Deo, ab illoq; tanquàm à causa prima ordinante, & causante procedit. *Præterea*, quia alias non posset ordo vniuersi in tanta partium diuersitate, & continuâ pugnâ perpetuus esse, nisi aliqua suprema intelligentia, summo consilio, & sapientiâ illi perpetuitati consuleret. Hinc Aristoteles interrogat⁹, quid esset Deus, appositè ad præsentem materiam respondit: *Quod est in triremi gubernator, in curru rector, præcentor in choro, dux in vrbe, imperator in exercitu: hoc est in mundo Deus.* Ad extremum, quia si Deus non haberet prouidentiam rerum creatarum, tunc vel ideò: quia eas non cognosceret; aut quia nollet. Sed primum derogat infinitæ eius sapientiæ, secundum eius omnipotentiæ, tertium eius bonitati: ergo in Deo prouidentia omninò admitti debet. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Diuina prouidentia extendit se ad omnes res creatas etiam minimas.

Corollarium I. Diuina prouidentia extendit se, ad omnes prorsùs res creatas, etiam minimas. Ita Scriptura Sacra sapien: 6. *Pusillum, & magnum, ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* Et Lucæ 12. *Nonne quinq; passeres veneunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Idem docet Sanctus Irenæus lib. 2. cap. 4. vbi dicit: *nihil omninò eorum, quæ facta sunt, & quæ fiunt, vel fient, Deum fugit, sed per illius prouidentiam vnum quodque, & habitum, & ordinem, & numerum, & quantitatem accipit propriam.* Et Sanctus Hieronymus epist. 3. *Creatorem* inquit, *tantùm in cælo miramur, & terrâ, sole, & Oceano, elephantibus, Camellus &c. sed & in minutis quoq; animalibus, formicâ culice, muscis, vermiculis, & istius modi, quorum magis scimus corpora, quàm nomina, eandemq; in cunctis veneramur solertiam.*

Corollarium II. Diuina prouidentia non solùm se extendit ad species rerum creatarum, verùm etiam ad indiuidua, quæ corruptioni obnoxia sunt. *Ratio*: quia cùm agens agat propter finem, tantùm se extendit ordinatio effectuum in finem, quantum se extendit causalitas primi agentis: iam verò causalitas Dei, qui est primum agens, extendit se vsque ad omnia entia, non solùm quoad principia specifica, sed etiam quoad principia indiuidualia, tam rerum corruptibilium; quàm incorruptibiliū: proinde etiam diuina prouidentia ad illa se extendit.

Deus ab æterno præfiniuit nō solùm species sed etiam numerum vilissimorū animalium.

Corollarium III. Deus prouidentiâ suâ infinitâ, ab æterno præordinauit, & prædefiniuit, non tantùm species, sed etiam numerum vilissimorum animalium, v.g. culicum, pulicum, muscarum, & similium, quæ ex materia putrigeneran-

nerantur. Est contra quosdam Neotericos, qui teste Syluio in opusc. de primo motore, pag. 102. negant numerum eiusmodi animalium ab æterno à Deo prædefinitum esse. *Ratio*; quia Deus omnia, quæ in tempore producit, ab æterno suâ infinitâ prouidentiâ præordinauit, & prædefiniuit, cùm omnia operetur secundùm consilium volũtatis suæ. Cùm ergo Deus omnia animalia, quantumcunq; vilia, & imperfecta, producat, & causet in tempore, non tantùm quoad speciem, sed etiã quoad numerum, eò quòd sit creator omnium visibilium, & inuisibilium; idcircò illorum speciem, ac numerum, suâ infinitâ prouidentiâ ab æterno præordinauit, & prædefiniuit.

Corollarium IV. Deus non tantùm habet prouidẽtiam rerum naturalium, sed etiam humanarũ, ac contingentium. Ita S. Thomas I p. q. 22 ar. 2 ad 4. vbi dicit: *Res humanas, de quibus consiliamur, diuina prouidentia subtraxit.* Et *ratio corollarij est*: quia quantò aliqua sunt in vniuerso nobiliora, tantò plus participant ordinis, in quo bonum vniuersi consistit: ergo si res naturales, & quoad substantiam, & quoad operationem cadunt sub ordinem diuinæ prouidentiæ, multò magis homo cum suis operationibus. *Præterea*, quia gubernatio diuinæ prouidentiæ, procedit ex amore diuino, quo Deus tanquàm prima causa, res à se factas, & à se dependentes amat. Ergo quantò Deus aliqua maiori amore prosequitur, tantò magis sub eius prouidentiam cadunt. Maiori autem amore Deus prosequitur homines; quàm alias res naturales, cùm eis potiora bona contulerit, & sic specialem de illis curam, atq; prouidentiam habet.

Diuina prouidentia nõ destruit rerum libertatẽ ac contingentiam.

Corollarium V. Deus per hoc, quia habet prouidentiam rerũ humanarum, & contingentium, non destruit, sed potiùs astruit earum contingentiam, ac libertatem. *Ratio*: quia *in primis*, corrumpere naturam rerum, non est diuinæ prouidentiæ, Auctore Sancto Dionysio cap. 4. de diuin: nomin: iam verò quarundam rerum natura habet hoc, quòd liberè, & contingenter operentur: ergo diuina prouidentia rerum libertatem, ac contingentiam non destruit. Vnde S. Augustinus lib 7 de ciuit. cap. 25. dicit de Deo: *Ita omnia, quæ creauit, administrat, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat.* Præterea, quia operatio diuinæ prouidentiæ, quâ operatur in rebus, non excludit causas secundas, imò per eas impletur, in quantum agunt virtute Dei: iam verò ex causis proximis, aliqui effectus dicuntur necessarij, aliqui contingentes; secùs ex causis remotis. Sic fructificatio Plantæ, est effectus contingens, propter causam proximam, quæ est vis germinatiua, & potest impediri, ac deficere; licet causa remota, v. g. sol, ex necessitate agat.

Articvlvs II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Deus non habet solicitudinem de rebus creatis: ergo neq; prouidentiam. *Consequentia patet*: quia prouidentia necessariò exigit solicitudinem de rebus prouisis. *Antecedens etiam manifestum*: quia solicitudo est causa laboris, & anxietatis, quæ in Deo, vt potè summè beato locum non habent.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concesso antecedente, negatur consequentia. Ad eius probationem dicitur, prouidentiam humanam exigere solicitudinẽ de rebus prouisis; non autem diuinam: nam sicut prudentia, & scientia, sunt in Deo quantum ad id, quod perfectionis & actualitatis erat, & secundùm quod intelligit; ita prouidentia

uidentia est in Deo, secũdùm quod gubernat, seclusis imperfectionib' inquisitionis, consultationis, solicitudinis, &c. quæ omnia in nobis reperiuntur ex imperfectione nostri intellectus.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium* I. Non videtur decere Dei maiestatem, vt eius prouidentia rebus minimis immisceat se: ergo eius prouidentia non se extendit ad omnes res creatas etiam minimas. Antecedens patet ex illo Apostoli, I. ad Corit. 9. *Nunquid de bobus cura est Deo?*

Solutio eiusdem.

Respondetur, *negando antecedens*, cum Sancto Ambrosio, lib. I. de offic. vbi dicit: *Si non est iniuria, & probrum Dei, minutissimas quasque res fecisse, multò minùs probrum illius esse, eas factas regere.* Vnde ad authoritatem Apostoli, in probatione Antecedentis allatam dicitur, Apostolum nõ omninò negare, Deo curam esse de animantibus rationis expertibus, sed quòd non talem, neq; ita specialem de ijs habeat, sicut de hominibus, præsertim de illis, qui se totos eius obsequio, atque cultui mancipant, de quibus in citato loco Apostolus loquitur.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra secundum & tertium Corollarium.* S. Hieronymus supra cap. I. Abacuc dicit: *Absurdum est, ad hoc Dei deducere maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotue moriantur: quæ culicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, &. Non simus tàm fatui adulatores Dei, vt dum potentiam eius etiam ad ima detrahimus in nos ipsos iniuriosi simus, eandem rationalium, quàm irrationalium prouidentiam esse dicentes.* Ergo censet diuinam prouidentiam, non se extendere etiam ad indiuidua rerum creararum, & numerum vilissimorum etiam animalium.

Solutio eiusdem.

Respondetur, S. Hieronymum id non ex propria, sed ex aliorum sententia dixisse, vt vult Syluius. Vel certè quòd Deus non particulatim, & alternatim, aut per diuersa temporum momenta, talia cognoscat; sicut illa per diuersa temporũ momenta deficiunt, aut incipiunt, vt explicat Magister sententiarum in I. dist. 39. Nam Deus simul & semel omnia scit. Quando autem S. Thomas I. p. qu. 23. art. 7. dicit: Numerum boum, vel culicum, vel aliquorum huiusmodi esse præordinatum à Deo per se, intendit docere, quòd sicut in vniuerso quædam sunt, quæ propter se prouidentur, in quib' essentialiter consistit perfectio vniuersi, & quæ perpetuitatem habent, sicut & vniuersum est perpetuum. Quædam verò non prouidentur propter se, sed propter aliud, vti sunt indiuidua corruptibilia, quæ nõ possunt habere perpetuitatem, nisi in specie, & quæ licet præordinata sint, ac prouisa; non sunt tamen prouisa, nisi propter perpetuum esse speciei conseruandũ; cùm è contra ipsa species prouisa sit propter se, vt per se pertinens ad perfectionem vniuersi. Sic reproborum numerus, est quidem à Deo præscitus, ac prædefinitus, sed non per se, seu principaliter; sicut numerus prædestinatorum. Nam prædestinati præordinantur à Deo principaliter ad bonum vniuersi, puta ad finem supernaturalem, seu ad gloriam Dei, quatenùs cõsequuntur beatitudinem. At verò reprobi solùm secũdariò, quatenùs sunt propter electos, quibus omnia cooperantur in bonum, & quatenùs ratione illorum manifestatur misericordia Dei in electis.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium* IV. Si Deus haberet prouidentiam circa res humanas, iusti non affligerentur plerumque rebus aduersis: neq; mali bonis, ac voluptatib' affluerent. Sed oppositum videmus: ergo Deus non habet proui-

prouidentiam circa res humanas.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando sequelam maioris: Deus enim cum summa sapientia permittit, imò vult, vt in hac vita interdum iusti affligantur; malis autem prosperè succedat: quia cùm nulli ita mali sint, vt non aliquando boni aliquid agant; ideò Deus illos in peccatis morituros, & ob id damnandos præuidens, illorum opera vtcunq; bona, prosperitate aliqua temporali præmiatur. At verò iustos varijs afflictionibus exerceri vult, tum ad probandum eorum fidem, tum ad pleniorem pro peccatis satisfactionem, tum quoque ad augendum meritorum cumulum, vt docet S. Augustinus Enchirid. cap. 11.

QVÆSTIO II.

An prouidentia diuina essentialiter consistat in actu intellectus.

Prouidentia in Deo duplex.

SUppono I. Duplicem à Theologis in Deo distingui prouidentiam *Vnam*, quæ præsupponit solam voluntatem antecedentem finis, vocaturq; generalis. Et hæc solùm importat ordinationem rerum in finem; non autē actualem ipsius finis cōsecutionem: eò quòd de ratione generalis prouisoris sit, ita ordinare res in finem, vt tamen velit, aut permittat aliquas ab illo deficere, illumq; non consequi. Siquidem prouidentia generalis, procedit ex voluntate antecedente, quam Deus habet de omnium hominum salute; hæc autem voluntas non semper est efficax respectu assecutionis finis, cùm de facto non omnes homines salutem consequantur. *Alteram*, quæ supponit voluntatem consequentem finis; ideoq; specialis prouidentia dici solet, seu prædestinatiua. Et hanc certum est, importare non solum ordinationem ad finem, sed etiam actualem & infallibilē ipsius finis consecutionem. Vnde Sanctus Thomas in 1. per hoc distinguit prouidentiā generalem à prædestinatione, quòd prouidentia generalis respiciat ordinem ad finem; non tamen euentum ordinis: at verò prædestinatio vtrumq; respicit, ac proinde non est nisi de illis, qui consequuntur gloriam. Nihilominùs quia duplex est finis, vnus particularis a creatura intentus, alius generalis, qui intenditur ab ipso prouisore generali; ideo licet ad prouidentiam generalem ordinis supernaturalis, non pertineat assecutio finis particularis ipsius creaturæ rationalis, qui est vita æterna; pertinet tamen ad illam assecutio finis generalis ipsius prouisoris, qui est manifestatio suorum attributorum, & ostensio suæ iustitiæ.

Ad prouidentiā quinque actus concurrunt.

Suppono II. Quinque actus concurrere ad prouidentiam. *Primus* est, volitio siue intentione finis, & hæc mouet ad electionem mediorum. *Secundus* est, cognitio mediorū proportionatorum. *Tertius* est, consilium, seu iudicium de illis. *Quartus* est electio. *Quintus* est imperium; executio autem iam præsupponit prouidentiā eius, quod executioni mandatur. Cùm ergo prouidentia sit pars prudentiæ, quæ versatur circa media; ideò de primo actu, qui est volitio, seu intentio finis, non est vlla difficultas in præsenti, an in illo consistat formaliter ratio prouidentiæ: nam certum est, illum actum solùm se habere antecedenter, quoniam ex volitione finis mouetur quis ad eligenda media. Non est etiam difficultas de aliquo actu intellectus speculatiui, quia prouidentia cùm sit ratio practica, non potest in tali actu consistere. Solùm itaque ex parte actuum intellectûs controuersia est de actibus practicis, vti sunt consilium, iudicium, & imperium, in quonam ex his prouidentia consistat, circa quod sunt quatuor Authorum sententiæ.

Opiniones quatuor.

Prima censet, Prouidentiam diuinam essentialiter consistere in actu voluntatis, quo suppositâ volitione efficaci finis, & cognitione mediorum congruentium ad eius consecutionem eligit illa, & proponit executioni mandare. Hanc tenent Scotus in 1. dist. 40. q. 1. Sanctus Bonauentura ibidem art. 1. q. 1. Aureolus, Gregorius, & aliqui Neoterici.

Altera sententia vult, Prouidentiam diuinam tam in actu voluntatis; quàm in actu intellectus, consistere formaliter. Hanc similiter aliqui Neoterici sequuntur.

Tertia sententia existimat, Prouidentiam diuinam consistere in actu iudicij antecedente electionem mediorum. Ita Durandus in 1. dist. 39. q. 3.

Quarta demùm sententia affirmat, Prouidentiam diuinam formaliter consistere in actu intellectus practici. Et hæc est communis Theologorum cum S. Thoma.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Prouidentia diuina consistit in actu intellectus practici

COclusio. Prouidentia diuina consistit in actu intellectus practici, qui dicitur imperium. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 22. ar. 1. ad 1. vbi dicit: *Præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo*, secundùm illud Psalmi: *Præceptum posuit, & non præteribit. Et secundùm hoc competit Deo ratio prouidentiæ.* Iam verò secundùm hoc non competeret Deo ratio prouidentiæ, si huius actus non esset imperium. Et ibidem ad 3. respondens probat, prouidentiam esse in intellectu, sed præsupponere voluntatem finis: *Nullus enim* inquit, *præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem.* Hæc autē ratio nulla esset, si actus prouidentiæ diuinæ nō esset imperium, quod Sanctus Thomas dicit esse actum rationis; præsupposito tamen actu voluntatis. Et q. 22. ar. 4. dicit: *Prouidentia, sicut & prudētia est ratio in intellectu existens, præceptiua ordinationis aliquorum in finem.* Ostendens prouidentiam diuinam præcipere huiusmodi ordinationem, & hunc esse proprium eius actum.

Probatur itaq; conclusio *ratione*. Actus principalis in quo consistit prudentia, est imperium intellectus practici: ergo & act[9] prouidentiæ, in quo illa essentialiter consistit, est imperium. *Antecedens* est Aristotelis 9. Ethic. cap. 9. vbi dicit: *Prudentia præceptiua est: finis enim ipsius est, quid nam sit agendum, aut non agendum, præcipere. Consequentia etiam manifesta*: quia prouidentia est pars principalis prudentiæ: ergo consistit in actu imperij; quemadmodùm illa. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

In diuino intellectu duo sunt actus.

Corollarium I. Prouidentia diuina non consistit essentialiter in actu voluntatis; illum tamen connotat, & præsupponit. *Ratio*: quia duo sunt actus in intellectu diuino. *Primus est iudicium*, quod electionem præcedit: *secundus est imperium*, quod post electionem sequitur, præceditq; vsum. Quemadmodùm enim in nobis, post determinationem consilij, quæ est iudicium rationis, voluntas eligit, & post electionē ratio imperat ei, per quid agendum est, quod eligitur, & tunc demùm voluntas alicuius incipit vti exequendo imperium rationis; ita etiam in Deo, qui est simplicissimus, cum fundamento in re distinguimus plures actus ex parte intellectus, & voluntatis, pro varietate obiectorū, & modi tendendi in illa; præintelligendo vnum alteri, non quòd re ipsa aliquis sit prior, aut antecedens; sed quòd sit fundamentum, vt à nobis priùs intelligatur, ita quòd si per impossibile inter illos ponenda

ponenda esset distinctio, tunc vnus deberet præcedere, & esse causa alterius. Sic dicimus intellectum priorem esse voluntate, & intellectionem volitione; ac inter ipsos actus intellectus, cognitionem causæ, cognitione effectus, & necessariam libera: inter actus autem voluntatis, volitionem, vel intentionem finis, volitione & electione mediorum: amoremq; naturalem ac necessarium, amore libero. Prouidentia igitur diuina consistit in actu *imperij*, iuxta illud Boëtij lib 4. consol Prosa 6. *Prouidentia est ipsa diuina ratio, in summo Principe cõstituta, quæ omnia disponit.* Connotat tamen, & præsupponit actũ voluntatis: quia actus circa media ordinanda in finem, præsupponit actum circa finem.

Prouidentia diuina nõ ex æquo importat actum intellectus & voluntatis.

Corollarium II. Prouidentia diuina nõ ex æquo importat actum intellect⁹ & voluntatis. Ita S. Thomas q. 5. de verit. art. 1. vbi dicit: *Prouidentia includit & scientiam, & voluntatem; sed tamen essentialiter in cognitione manet, non quidẽ speculatiua, sed practica.* Et ratio est: quia prouidentia est pars prudentiæ: ergo sicut prudẽtia licet necessario actũ voluntatis supponat; adæquatè tamen in actu intellectus consistit; ita & prouidentia. *Præterea*, quia vt constat ex conclusione, prouidentia consistit essentialiter in actu imperij, ordinante creaturas in finem; actus autem imperij est eliciue ab intellectu, quamuis præsupponat electionem voluntatis, eamq; connotet.

Prouidentia diuina distinguitur ab eius scientia, arte, & ideis diuinis.

Corollarium III. Prouidentia diuina distinguitur ab eius scientia, arte, & ideis diuinis. *Ratio primi:* quia scientia practica est de fine, & medijs, quatenus ordinantur ad finem, vt docet S. Thomas q. 5. de verit. art. 1 in corp. *Ratio secundi:* quia ars respicit res productas, secundum quod egrediuntur à principio, & inter se inuicem collocantur: nam artifex ex vi artis diuersimodè collocat partes ædificij. At verò prouidentia respicit illas secundùm quod ordinantur in finem. *Præterea*, quia ars, est recta ratio factibilium, puta eorum, quæ ab agente procedunt in extraneam materiam, vt sunt scamnum, domus, &c. Prouidentia verò est recta ratio agibiliũ, quæ sunt actus non progredientes ad extraneam materiam, sed perficientes ipsum agens, vt castè viuere, & patienter se habere. Cùm itaq; agibilia à factibilibus differant, euidens est, prudentiam quoq; in Deo, ab eius arte distingui, & consequenter prouidentiam quæ est pars prudentiæ. *Ratio deniq; tertij* desumitur ex S. Thoma proximè citato, qui dicit: *In re creata duo possunt considerari, scilicet ipsa species eius absolutè, & ordo eius ad finem, & vtriusq; forma præcessit in Deo. Forma ergo exemplaris rei, secundùm suam speciem absolutè, est idea; sed forma rei secundùm quod est ordinata ad finem, est prouidentia.* Et paulò inferiùs subdit: *Quamuis idea possit pertinere ad speculatiuam cognitionem aliquomodò; tamen prouidentia tantùm ad practicam pertinet, eò quòd importet ordinem ad finem.* Præterea, quia ars significatur, vt *quo* Deus intelligit; idea verò vt *quod* intelligitur. Sed etiam diuina prouidentia significatur, vt *quo* Deus practicè intelligit: ergo à diuinis ideis distinguitur.

Prouidentia diuina nõ est idem quod lex æterna.

Corollarium IV. Diuina prouidentia non est idem, quod lex æterna. Ita S. Thomas citatus ar. 1. ad 6. vbi dicit: quòd prouidentia in Deo, propriè non nominet legem æternam, sed aliquid consequens ad eam. Nam lex æterna consideratur in Deo, sicut in nobis accipiuntur principia operabiliũ, ex quibus ad consiliandum, eligendum, & imperandum procedimus: ergo sicut principia operabilium naturaliter nota, non sunt in nobis prouidentia, aut prudentia, sed principium illius; ad eum modum, quo principia speculabilia, non sunt scientia, sed scientiæ causa; ita in Deo lex æterna, non est prudentia, aut prouidentia formaliter, sed principium illius, ita vt prouidentia legem æternam habeat pro principio. *Præterea*, quia lex æterna, vt est propriè lex, non est imposita Deo, sed creaturis; neq; consistit in imperio monastico respiciente actiones Dei, sed in imperio regali, respiciente subditos, vt docet Sanctus Thomas 1. 2. q. 93. Iam verò prouidentia consistit in imperio monastico, immediateq; respicit actũ Dei liberum, qui dicitur vsus; mediatè verò executionem: ergo prouidentia diuina, non est idem, quod lex æterna.

Prouidentia diuina distinguitur virtualiter à potentia Dei executiua.

Corollarium V. Prouidentia distinguitur virtualiter, saltem inadæquatè à potentia Dei executiua, quâ res ad extra producit. *Ratio:* quia potentia Dei executiua, est scientia eius practica, seu approbationis, producens res ad extra per actum imperij. Sed prouidentia Dei distinguitur saltẽ virtualiter inadæquatè ab eius scientia practicâ, vt constat ex corollario tertio: ergo & ab eius potentiâ executiuâ. Dixi autem *saltem inadæquatè:* quia actus imperij, quo Deus res ad extra producit, duo munia inadæquata includit, videlicet munus dirigendi, & exequendi. Vnde sub prima ratione pertinet ad prouidentiam, quæ habet res dirigere, seu ordinare in finem; sub altera verò spectat ad scientiam Dei practicam, quæ in Deo habet rationem potentiæ executiuæ.

Articvlvs II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

Obijcitur I. *Contra Conclusionem.* Licet in nobis actus imperij admittatur; in Deo tamen admitti non debet: ergo diuina prouidentia non consistit in actu imperij. *Consequentia manifesta. Antecedens probatur.* Actus imperij in nobis admittitur, ad mouendam voluntatem, aliasque potentias quoad executionem suorũ actuum. Sed propter hoc in Deo non potest admitti, siquidem in Deo nec voluntas, nec alia potentia mobilis est, eo quòd sit actus purus: ergo etiamsi in nobis admittatur actus imperij; in Deo tamen admitti non debet.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando antecedens. Ad eius probationem concessò antecedente, negatur consequentia: nam actus imperij non ponitur in Deo, sicut in nobis ad mouendam, & applicandam potentiam executiuam ad operandũ ad extra, cùm non detur in Deo aliqua potentia executiua, virtualiter ab intellectu, & voluntate distincta; sed talis actus immediatè dirigitur ad ipsas creaturas, earumque productionem imperat, iuxta illud Psal. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* vnde mobilitas, & subiectio non se tenent ex parte Dei, sed ex parte creaturarum, quæ fiunt, quæ licet sint, insensibiles, & inanimatæ; audiunt tamen imperium creatoris, illiq; obediunt. Et iste actus imperij, quo Deus imperat creaturarum productionem, aut eas in suos fines ordinat, pertinet ad scientiam visionis, vt approbationis est, scilicet quatenùs connotat liberum diuinæ voluntatis decretũ, per quod ad productionem rerum mouetur, & applicatur. Scientia ergo visionis, vt approbationis est, motaq; & applicata per liberum diuinæ voluntatis decretum, est eminenti modo speculatiua, & practica, atq; sic est causa rerum, regula, ac mensura.

Instãtia & solutio eiusdem.

Instabis. Actus imperij videtur tollere libertatem in actibus imperatis: ergo in Deo nullo modo admitti debet. *Consequentia patet:* quia actus imperatus sæpè est actus

actus virtutis, ac proinde liber. *Anteceddens etiam ex eo conſtat:* quià poſito efficaci imperio intellectus, voluntas neceſſariò operatur, iuxta determinationem imperij: ergo actus imperij tollit libertatem in actibus imperatis. *Reſpondetur negando antecedens:* nam actus imperij nō ita determinat voluntatem, vt tollat libertatem, eò quòd prædictus actus etiam efficax, licet inferat neceſſariò actum imperatum, neceſſitate conſequentiæ; ſicut intentio efficax finis, electionem medij neceſſarij ad eius conſecutionem; non tollit tamen libertatem, ſed exercetur actus imperatus liberè; ſicut ipſum imperium, intentio, & electio, ex quibus procedit, libera eſt. *Vnde ad probationem antecedentis dicitur:* poſito imperio efficaci, voluntatem neceſſariò operari, neceſſitate ſecundùm quid, & conſequentiæ, quia nō ſtat vnū eſſe ſine alio; non tamen neceſſitate ſimpliciter, aut conſequentis, quæ pugnat cum libertate.

Obiectio ſecunda.

Objicitur II. *Contra Corollarium I.* S. Damaſcenus lib. 2. fidei cap. 29. Prouidentiam ſic definit: *Prouidētia eſt voluntas Dei, per quam omnia, quæ ſunt, conuenientem deductionem ſuſcipiunt.* Similiter S. Auguſtinus de Prædeſt. SS. cap. 5. dicit: *Prædeſtinationem quæ eſt pars prouidentiæ, eſſe propoſitum miſerendi;* propoſitum autem eſt actus voluntatis: ergo prouidentia diuina conſiſtit eſſentialiter in actu voluntatis.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando conſequentiam: cum enim in actibus animæ, actus præcedens claudatur virtualiter in actu ſequenti, & prouidentia voluntatem ſupponat, prædeſtinatio quoque electionem, ſeu propoſitum voluntatis diuinæ; ideò S. Damaſcenus prouidentiam per voluntatem; S. verò Auguſtinus per propoſitum voluntatis definit. Cæterùm per hoc non intendunt ſignificare, quòd prouidentia ſit actus voluntatis formaliter, & prædeſtinatio propoſitum; ſed vel quia actum voluntatis ſupponunt, vel quia illum virtualiter claudunt.

QVÆSTIO

De voluntate Dei.

Voluntas Dei, cuius obiectum formale, tàm motiuum, quàm terminatiuum, eſt ſola bonitas increata, perfectiſſimam habens libertatem, cuius actus liber ad perfectiones neceſſarias, ſuperaddit terminationem ratione diſtinctam, ſub conceptu terminationis, ac prout ſic defectibilem; quæ potuit manere ſuſpenſa ab omni terminatione libera ad creaturas: diuiſa in antecedentem, & conſequentem, quarum priore Deus vult omnes homines etiam poſt Adæ peccatum ſaluos fieri: habear decreta ex ſe, & ab intrinſeco efficacia circa actus noſtros liberos; cauſantia liberum noſtræ voluntatis conſenſum; & num diuinæ voluntatis efficacia extendât ſe ad omnia poſſibilia, nec ne?

CONCLVSIO I.

Voluntas verè in DEO reperitur.

COROLLARIA.

I. Voluntas rectè ſic definitur: eſt appetitus boni cum ratione.

II. Voluntas diuina in ordine ad volitionem eſſentialem, non habet rationem potentiæ ex parte rei conceptæ, & ſecundùm rem.

III. Voluntas in Deo ſecundùm noſtrum modum intelligendi tantùm, idque non qualemcunque, ſed præcisè apprehendentem eam ad inſtar potentiæ, habet rationem potentiæ.

IV. Voluntas, ſeu volitio diuina, non eſt de formaliſſimo conceptu, ſeu de conſtitutione metaphyſicâ diuinæ naturæ.

V. Voluntas, ſeu volitio diuina, non eſt de formaliſſimo conceptu, ſeu de conſtitutione metaphyſicâ diuinæ naturæ.

CONCLVSIO II.

Obiectum formale tàm motiuum, quàm terminatiuum diuinæ voluntatis, eſt ſola bonitas diuina & increata.

COROLLARIA.

I. Deus diligit ſuam bonitatem neceſſariò, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium.

II. Creaturæ ſolùm ſunt obiectum terminatiuum materiale, ſecundarium diuinæ voluntatis.

III. Deus amat omnes creaturas pro aliqua differentia temporis exiſtentes, idq; in ordine ad ſe, & propter ſemetipſum.

IV. Deus creaturas pro aliqua differentia temporis, non diligit, & vult neceſſariò.

V. Loquendo de creaturis poſſibilibus, non ſecundùm quod ſunt in Deo, & virtualiter in eius omnipotentiâ cōtinentur, ſuntq; ipſa creatrix eſſentia; ſed ſecundùm eſſe poſſibile proprium, ac diſtinctum ab omnipotentia Dei, quatenùs ſcilicet conſiderantur ſecundùm ſua prædicata quidditatiua, quæ licet nihil ſint actu, quantum ad exiſtentiam; ſunt tamen aliquid reale obiectiuè, in illo eſſe obiectiuo, in quo cognoſcuntur à diuino intellectu, nullo modo amantur à Deo.

CONCLVSIO III.

Voluntas Dei eſt libera, proinde datur in Deo perfectiſſima libertas.

COROLLARIA.

I. Libertas naturæ, ſeu liberum voluntatis arbitrium, verè & propriè in eo conſiſtit, quòd voluntati nulla coactio, aut neceſſitas inferatur; ſed maneat libera, & indifferens ad agendum, & non agendum, & ad hoc, vel illud agendum.

II. Voluntas Dei vt natura, & vt libertas eſt, non diſtinguitur virtualiter, ſed tantùm ex parte noſtri modi cōcipiendi, proinde ſolùm hoc modo ſeruant inter ſe ordinem prioris, & poſterioris.

III. Licet diuina bonitas, vt neceſſariò diligibilis, non poſſit liberè amari; per hoc tamen non læditur libertas diuinæ voluntatis.

IV. Libera Dei voluntas, ſeu volitio, non eſt denominatio extrinſeca: aut reſpectu rationis, aut perfectio aliqua realiter ab eſſentia diuina diſtincta.

V. Libera Dei voluntas, eſt ipſamet volitio neceſſaria, quâ Deus ſeipſum vult, & amat; quatenùs tamen hæc extenditur, & terminatur ad creaturas, ad quas poſſet non extendi, & terminari.

CONCLVSIO IV.

Actus Dei liber ſuperaddit ad perfectiones neceſſarias, terminationem ratione diſtinctam ſub conceptu terminationis, ac prout ſic defectibilem.

COROLLARIA.

I. Actus Dei liber non importat propriam realitatem, & perfectionem liberam, diſtinctam reipſa ab actu neceſſario, vel ab illo ſeparabilem.

II. Actus Dei liber non addit ſupra actum neceſſarium formalitatem aliquam ex ſe realem, & ſolùm virtualiter ab actu neceſſario diſtinctam; ab illo tamen liberè ſeparabilem.

III. Actus Dei liber non addit ſupra actum neceſſarium reſpectum rationis ad creaturas, ad eius intrinſecum complementum ſpectantem.

IV. Actus Dei liber non conſiſtit in formalitate neceſſaria diuinæ volitionis, connotando actionem tranſeuntem Dei.

V. Formalitas actus liberi eſt virtualiter diſtincta à formalitate actus neceſſarij.

CONCLVSIO V.

Datur in Deo libertas contradictio-

dictionis, seu voluntas diuina potuit manere suspensa ab omni terminatione libera ad creaturas.

COROLLARIA.

I. *In Deo non datur, neq; potest dari libertas contradictionis per ordinē ad actum, & negationem eius, sed solùm penes terminationem ad obiecta creata. & negationem illius.*

II. *Etiamsi diuina voluntas non se determinasset circa futuritionem, aut non futuritionem, aliquarum rerum possibilium; id tamen minimè obesset diuinæ scientiæ, neq; impediret, quin certò cognosceret eas nō esse futuras.*

III. *Licet in voluntate creata non possit saluari ratio perfecti liberi per puram omissionem; in diuina tamen voluntate potest saluari ratio perfectæ libertatis, per solam voluntariam omnis decreti positiui suspensionem.*

IV. *Quamuis rem esse futuram, aut nō esse futuram, sit necessarium; hinc tamen non sequitur necessarium esse, Deum velle eam esse futuram, aut nolle eam esse futuram.*

V. *Si Deus in tempore inciperet aliquid velle, aut à libera voluntate desisteret, sequeretur in illo mutatio physica.*

CONCLVSIO VI.

Voluntas Dei antecedens est illa, quæ fertur in bonum absolutè, & secundùm se: seu quæ versatur circa obiectum non vestitum omnibus circumstantijs, quibus est executioni mandandum. Voluntas autem consequens, est voluntas eiusdem boni, vt vestiti particularibus circumstantijs occurrentibus.

COROLLARIA.

I. *Voluntas Dei antecedens non dicitur ex eo talis, quòd antecedat consensum nostrum, aut præscientiam meritorum, vel demeritorum. Similiter voluntas consequens, non dicitur ex eo talis, quòd consensum, & merita, aut demerita voluntatis humanæ, vt à Deo præuisa supponat.*

II. *Diuisio voluntatis in antecedentē, est adæquata, proinde comprehendit omnem volitionem in Deo repertam.*

III. *Diuisio voluntatis Dei in antecedentem & consequentem, non sumitur ex parte voluntatis diuinæ; sed ex parte rei volitæ.*

IV. *Voluntas Dei antecedens, est voluntas tantùm secundùm quid; voluntas autem consequens, & voluntas simpliciter.*

V. *Voluntas antecedens, & consequens, non sunt ita inter se oppositæ, vt id, quod est volitum voluntate antecedente, debeat esse nolitum voluntate consequente, licet id plerumq; contingat; sicut & oppositum.*

CONCLVSIO VII.

Deus voluntate generali, & antecedente, vult omnes homines etiam post Adæ peccatum saluos fieri.

COROLLARIA.

I. *Voluntas antecedens saluandi omnes homines, est in Deo verè, propriè & formaliter.*

II. *Voluntas antecedens saluandi omnes homines in Deo, est voluntas beneplaciti.*

III. *Voluntas Dei antecedens saluandi omnes homines, est de se efficax, neque expectat consensum, & determinationem liberi arbitrij creati, sed illum causat; dicitur tamen ista voluntas conditionata ex eo, quòd importet actum conditionatum, quo Deus vellet salutem omnium hominum, nisi hoc repugnaret ordinationi suæ prouidentiæ, & nisi ex hoc impediretur bonum vniuersale eius iustitiæ, ac cæterorum attributorum manifestatio.*

IV. *Per voluntatem antecedentem saluandi omnes homines, Deus præparat media, seu auxilia, quibus homines sufficienter ordinentur in vitam æternam.*

V. *Quando S. Thomas docet, quòd voluntas Dei antecedens sit illa, quæ respicit naturam humanam, secundùm rationem generalem naturæ,*

per hoc non intendit, quòd respiciat eam vt sic, & vt præcisam ab omnibus singularibus.

CONCLVSIO VIII.

Dantur in Deo decreta ex se, & ab intrinseco efficacia, circa actus nostros liberos, quæ causant liberum nostræ voluntatis consensum: seu Deus absoluto suo, & efficaci decreto, prædefiniuit omnes actus bonos liberos nostræ voluntatis, & quemlibet alium actum, seu effectum cuiuscunq; alterius causæ secundæ.

COROLLARIA.

I. *Deus omnes actus causarum secundarum, tàm liberarum; quam necessariarum prædefiniuit decreto suo absoluto, & efficaci.*

II. *Decretum Dei efficax, quo efficaciter præmouet, & prædeterminat physicè per extrinsecam prædeterminationem causas liberas ad operandum, iuxta earum naturam, non tollit earundem libertatem.*

III. *Cùm libertate voluntatis creatæ, & diuina præmotione, ac prædeterminatione extrinsecâ ad hoc, vt liberè & infallibiliter operetur, optimè cohæret, quòd licet voluntas creata in sensu diuiso possit dissentire; non tamen in sensu composito.*

IV. *Deus decreto suo absoluto, & ex se efficaci, prædefinit etiam materiale peccati, v.g. odium ipsius Dei materialiter sumptum, secundùm omnes rationes, quæ aliquomodò malitiam moralem non exprimunt: seu quod idem est, materiale peccati, vt spectat ad ordinem physicum; non verò ad lineam moralem.*

V. *Sententia negans in Deo decreta efficacia circa actus nostros liberos, solumq; purè indifferentia admittens, falsa est.*

CONCLVSIO IX.

Efficacia diuinæ voluntatis extendit se ad omnia possibilia.

COROLLARIA.

I. *Efficacia diuinæ voluntatis, extendit se ad Angelos adhuc in via, & in statu merendi existentes.*

II. *Efficacia diuinæ voluntatis, extendit se ad statum integritatis & innocentiæ primorum parentum.*

III. *Efficacia diuinorum decretorum, & causalitas, non minùs in statu innocētiæ necessaria erat; quàm nunc in statu naturæ lapsæ.*

IV. *S. Augustinus lib. de corrept: & gratiâ cap. 11. & 12. docens Adamo in statu innocentiæ concessum fuisse adiutorium* sine quo; *non autem adiutorium* quo, *per hoc non negat datum illi fuisse auxilium de se efficax.*

V. *Quando idem S. Doctor docet, Adamum voluntate, & libero arbitrio in veritate stetisse, potuisse permanere in iustitia, si voluisset; vt vellet perseuerare, Deum in eius reliquisse arbitrio; per hoc non sentit in statu innocentiæ non eguisse gratiâ efficaci ad operandum, & perseuerandum in bono; sed tantùm sufficienti, subditâ eius libero arbitrio, quantum ad efficaciam, & vsum.*

TRACTATVS V.

De Prædestinatione, & Reprobatione.

QVoniam more Aristotelico, semper à communioribus ad minùs communia descendendum est; ideò explicatâ diuinâ prouidentiâ, ad prædestinationem tanquàm partem illius progredimur, inuestigando eius existentiam, causas, essentiam, effectus, & reprobationem eidem oppositam.

DISPVTATIO I.

De existentia, & essentia Prædestinationis.

DE Prædestinatione, & reprobatione tractat S. Thomas 1. p. q. 23. per articulos 8. ante omnia inquirendo eius existentiam, & quidditatem.

QVÆSTIO I.

An homines prædeſtinentur à Deo.

SUppono I. Verbum *prædeſtino*, a quo nomen prædeſtinationis deriuatur, eſſe compoſitum ex particula *præ*, & ex verbo *deſtino*, quod plura ſignificat in Scriptura Sacra. *In primis*, ſignificat, firmiter decernere, ordinare, ſtatuere, iuxta illud Machab. 6. *Deſtinauit non admittere illicita propter vitæ amorem.* Et 2. ad Corint. 9. *Vnuſquiſq; prout deſtinauit in corde ſuo.* Secundò, ſignificat mittere: nam ad quod aliquis naturæ ſuæ viribus peruenire non poteſt, neceſſe eſt, vt ab alio deſtinetur, ſicut ſagitta ad ſignum à ſagittario mittitur. Et in hoc ſenſu loquitur Scriptura Sacra 1. Machab. 1. *Deſtinauit aliquos de populo, & abierunt ad Regem.* Tertio, ſignificat, *deſignare*, aut *deputare*, vt 1. Machab. 14. *Succeſſorem ſibi deſtinaſſe*, id eſt, vt LXX. exponunt, *deſignaſſe* Et 1. ad Corint. 4. *Nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit, tanquàm morti deſtinatos.* Quartò tandem, ſignificat *parare*, iuxta illud Eccleſiaſt: 17. *Deſtinauit illis ſortem*, id eſt, *parauit.* Hinc D. Paulus ad Philipp: 3. præmium paratum, *brauium deſtinatum* appellat.

Suppono *præterea*, nomen prædeſtinationis dupliciter vſurpari à Sanctis Patribus. *Primò* latè, & minus propriè, pro ordinatione rationalis creaturæ facta à Deo, in quemlibet finem, ſiue in beatitudinem, ſiue in damnationem. Et in hoc ſenſu D. Auguſtinus lib. 15. de ciuit: cap. 1. dicit, ciuitatem Dei eſſe prædeſtinatã ad gloriam; ciuitatem verò diaboli ad ignem æternum eſſe prædefinitam. *Secundò* ſtrictè & propriè, pro ſola ordinatione rationalis creaturæ ad beatitudinem, & vitam æternam. Et in hoc ſenſu tàm in Scriptura Sacra; quàm apud Sanctos Patres communiter ſumitur.

Suppono III. Particulam iſtam *præ*, additam verbo *deſtino*, ſignificare anteceſſionẽ, ſeu prioritatem, ſeu præcedentiã, quæ deſtinationis actio præcedat ſuum effectum, ſcilicet temporaneã tranſmiſſionem in gloriam anteceſſionem inquam, non excellentiæ, ſeu ſingularitatis, quâ aliqui præ alijs ſpecialius prædeſtinantur. Neq; efficacis electionis quorundam, præ alijs ſimplici affectu deſtinatis ad gloriam: neq; demùm cauſalitatis, quaſi prædeſtinatio ſit cauſa dandæ gloriæ; ſed durationis æternæ, eò quòd actio deſtinationis ſit ab æterno in Deo ſecundùm fidem. Vnde, quia hæc diuina ordinatio eſt ab æterno, ac proinde omne tempus præcedit; ideò præordinatio, & prædeſtinatio dicitur, ita vt particula iſta *præ*, nihil aliud ſignificet, quàm anteceſſionem durationis, ſeu æternitatis ad tempus, vt docet Alenſis 1. p. q. 28. membr 8. Gamachæus ibid. q. 23. cap. 1. Iſambertus ibid diſp. 1. ar. 1. & alij communiter. Vnde dicit Apoſtolus ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Et ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit.* Proinde ſicut in verbo *præſciuit*, particula *præ*, ſolum ſignificat anteceſſionem ipſius ſcientiæ diuinæ ſecundùm durationem, id eſt, Deum ſcire res, antequàm exiſtant; ita in verbo *prædeſtino* eundem ſenſum facit, quòd ſcilicet prædeſtinatio nihil aliud ſit, niſi æterna, & omne tempus antecedens deſtinatio, quâ Deus ante mundi conſtitutionem, creaturas aliquas ad gloriam, & beatitudinem cæleſtem elegit, ac deſtinauit.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Homines aliqui ſunt à Deo prædeſtinati.

COncluſio Homines aliqui prædeſtinati ſunt à Deo. *Probatur* ex Scriptura Sacra Eccleſiaſt. 33. vbi dicitur: *Quare dies diem ſuperat, & ex ipſis benedixit, & exaltauit, & ex ipſis*

ſanctificauit, & ad ſe applicauit; & ex ipſis maledixit, & humiliauit, & conuertit illos à ſeparatione ipſorum. Quaſi lutum figuli in manu ipſius. Quæ verba gloſſa, & D. Auguſtinus q. 2. ad Simplicianum, explicant de prædeſtinatione, & reprobatione facta à Deo pro ſua voluntate, exemplo figuli. Et ad Rom 8. *Quos prædeſtinauit, hos glorificauit.* Et cap. 11. *Reliquiæ ſecundùm electionẽ gratiæ ſaluæ factæ ſunt.* Et ad Epheſ. 1. *Qui prædeſtinauit nos.* Et Lucæ 12. *Nolite timere puſillus grex: quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Ergo ex mente Scripturæ Sacræ homines ſunt à Deo prædeſtinati.

Probatur II. *ratione.* Neceſſe eſt, vt in agente per intellectum, ratio rei fiendæ, quæ ſit, quædam præexiſtentia rei in illo, exiſtat in mente eius; ſpeculatiuè quidem per ideam, ſpeciem, & verbum; practicè verò & executiuè per imperium, quo ordinatur, & dirigitur in ſuum finem. Sed Deꝰ tranſmittit homines in finem ſupernaturalem, glorificando illos, & quatenùs eos ſic tranſmittit, eſt agens per intellectum: ergo ratio iſtius tranſmiſſionis, quæ eſt quædam præexiſtentia rei in illo, ſpeculatiuè conſiderata, & ſecundùm eſſentiam, debet exiſtere in illo per ideam, ſpeciem, aut verbum; conſiderata verò practicè, debet quoq; præexiſtere in eodem ratione imperij: & conſequenter Deus de facto homines prædeſtinat. Siquidem prædeſtinatio nihil aliud eſt, niſi ratio huius tranſmiſſionis in mente diuina exiſtẽs practicè ſumpta, quæ eſt quædam præexiſtentia rei fiendæ in ea, & quæ præſupponit præexiſtentiam eiuſdem tranſmiſſionis, & effectus ſpeculatiuam in mente Dei exiſtentem, per ſpeciem, ideam, aut verbum. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Triplex definitio prædeſtinationis.

Corollarium I. Prædeſtinatio tripliciter definitur. *Primò, Prædeſtinatio eſt ordinatio mediorum, quibus creatura rationalis tranſmittitur à Deo in finem vitæ æternæ.* Secundò, *Prædeſtinatio eſt ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ in mente diuina ab æterno exiſtens.* Tertiò, *Prædeſtinatio SS. nihil eſt aliud, quàm præſcientia, & præparatio beneficiorū Dei, quibꝰ certiſſimè liberantur, quicunq; liberantur.* Prima definitio eſt S. Thomæ 1 p. q. 23. ar. 1. Cuius bonitas oſtenditur hac ratione. Prædeſtinatio eſt pars diuinæ prouidentiæ: ergo eius ratio formalis, debet conſiſtere in hoc, quòd ſit ordinatio mediorum, quibus creatura rationalis efficaciter tranſmittitur à Deo in finem vitæ æternæ. *Conſequentia patet*: quia prouidentia verſatur circa media, quibus res perducuntur, aut perduci poſſunt in ſuos fines: ac proinde verſatur circa illa, ordinando ea in prædictos fines. *Præterea*, quia media vt talia, ſunt ordinabilia in ſuos fines; ideoq; cùm proprium ſit intellectûs ordinare, & dirigere, oportet quòd actus intellectus, qui verſatur circa media, vt talia, cuiuſmodi eſt prouidentia, ſit ordinatio, & directio illorum in finem. Ergo cùm prædeſtinatio ſit pars prouidentiæ, ex eo, quia verſatur circa peculiares creaturas, nimirùm rationales, ſeu intellectuales electas in vitam æternam, & circa peculiaria media, à quibus ſcilicet homines efficaciter tranſmittuntur in prædictũ finem, ſequitur, prædeſtinationem eſſe ordinationem efficacem mediorum, quibꝰ creatura rationalis tranſmittitur à Deo in vitam æternam.

Altera quoq; definitio eſt itidem eiuſdem S. Thomæ, cuius bonitas facilè colligitur ex eo, quia licet ratio rei fiendæ ab agente intellectuali, ſpeculatiuè conſiderata, ſit ſpecies, idea, aut verbum, in qui-

In quibus siue formaliter, siue virtualiter, sub alio tamen modo essendi continetur; nihilominùs practicè considerata, est imperium, & sufficiens determinatio agentis, ratione cuius executiuè, seu intra ordinem executionis ordinatur in suum finem, habetq; completè esse futuram. Ergo cùm prædestinatio consistat in imperio efficaci, in intellectu Dei existente, quo ipse imperat transmissionem creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ: manifestè sequitur talem prædestinationem, esse rationem transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam, in mente Dei existentem.

Tertia definitio est S. Augustini, lib. de dono perseueran. cap. 14. estq; specialis, & solis efficaciter electis ad gloriam seruiens. In qua nomine *præscientiæ*, intelligitur scientia approbationis, quâ Deus electos approbat in ordine ad vitam æternam; & quæ dicit in recto diuinam scientiam, connotando in obliquo actum diuinæ voluntatis, quo Deus efficaciter intendit tribuere electis vitam æternam, elegitq; media efficacia ad illam. In hac tamen scientia non consistit formaliter prædestinatio, quamuis sub ea in hac quasi definitione ponitur, indispensabiliter, præsuppositiuè, & per modū connotati prærequisiti à prædestinatione importetur. *Deinde*, per illa verba, *præparatio beneficiorum*, intelligitur actus diuini imperij, quo efficaciter imperat transmissionem creaturæ rationalis per certa media in finem vitæ æternæ: ex eo, quòd per huiusmodi imperium, Deus vltimatè se præparet, ad vtendum suâ potentiâ executiuâ, in ordine ad collationē beneficiorum, quibus electi certissimè saluantur. Insuper per illa verba. *Quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur*, denotatur specialis efficacia diuinæ prædestinationis, & discrimen, quod inter eam, ac generalem prouidentiam intercedit. Quia prædestinatio est præparatio ex se ita efficax, vt inferat infallibilē consecutionem vitæ æternæ ab eo, qui prædestinatus est: at verò prouidentia generalis, quatenùs talis, non habet infallibiliter inferre adeptionem finis, in ordine ad quem de medijs prouidet. Et *ratio istius est*; quia cùm prædestinatio consistat in imperio diuini intellectus, & hoc sit efficacissimum, inde fit, quòd prædestinatio non sit præparatio vtcunq; beneficiorum Dei conducentium ad æternam salutem; verùm sit præparatio efficacissima beneficiorum, quibus certissimè liberantur.

Prædestinatio in Deo verè datur.

Corollarium II. Datur verè in Deo prædestinatio. Est contra Gentiles, diuinam prouidentiam negantes, in quorum persona dicitur Iob 22. *Nubes latibulum eius: circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat.* Et contra Atheos, qui negantes immortalitatem animæ, negabant quoque prædestinationem ad gloriam, de quibus dicitur sapientiæ 2. *Et nescierunt Sacramenta Dei, nec sperauerunt mercedem iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum.* Est insuper contra nonnullos Hæreticos, qui nescientes infallibilitatem, & certitudinem diuinæ prædestinationis, cum libertate & contingentiâ nostrorum actuum conciliare, negabant dari in Deo prædestinationem hominum. Et *ratio corollarij est*: quia quidquid Deus in tempore exequitur, id ab æterno in sua mente disposuit, æternaq; voluntate decreuit, cùm neq; voluntas eius aliquid de nouo in tempore velle; neque eius intellectus aliquid de nouo intelligere seu disponere possit, ratione immutabilitatis physicæ; aut moralis. Sed Deus in tempore plures homines, & Angelos ad gloriam transmittit: ergo istam transmissionem ab æterno in suo intellectu disposuit, suaque

voluntate decreuit: atq; sic prædestinatio in Deo verè datur.

Deo conueniens fuit homines prædestinare.

Corollarium III. Conueniens fuit Deum homines prædestinare. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 23. ar. 1. Estque de fide ex illo ad Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit.* Et ad Ephes. 1. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum.* Et *ratio corollarij est*: quia conueniens est, quòd Deus summo modo intellectuali communicet se creaturis intellectualibus, eò quòd summum bonum, sit sui diffusiuum, & communicatiuum: ergo quoq; conueniens fuit Deo, homines beatificare, & consequenter illos prædestinare. *Antecedens ab omnibus admittitur. Consequentia etiam quoad primam partem patet*: quia Deus beatificando homines, se summo modo secundùm speciem communicat creaturis, intra lineam intelligibilem. Quemadmodùm enim per vnionem hypostaticam, communicauit se summo, & perfectissimo modo iuxta speciem intra ordinem naturalem, ac entitatiuum, prout ordo iste distinguitur ab ordine intelligibili, ex eo, quod cōmunicetur ipsamet persona Verbi; ita pariter beatificando homines, communicat se Deus summo, & perfectissimo modo, secundùm speciem communicationis intra ordinem intelligibilem: siquidem eo ipso communicatur, & vnitur intellectui beato ipsamet diuina essentia, vt habet rationem formæ intelligibilis. *Altera verò pars consequentiæ manifesta*: quia ad hoc, vt homines de facto perducantur ad beatitudinem, debet in Deo poni prædestinatio, quâ disponat, & dirigat eos in illam, ex eo, quòd beatitudo sit effectus præcipuus prædestinationis.

Sine prædestinatione impossibile est aliquem saluari.

Corollarium IV. Prædestinatio ita est necessaria ad salutem, vt sine illa impossibile sit de facto aliquem saluari. Est contra Catharinum lib. 2. de Prædest. cap. vlt. asserentem plures saluari, qui non prædestinantur à Deo. Est contra quosdam paulò audaciores Neotericos, qui cùm erroneè putent, prædestinationem factam esse dependenter à scientia mediâ, explorante futurum consensum voluntatis creatæ, docent prædestinationem, non ita esse necessariam ad salutem, quin sine ea potuerint homines salui fieri, per solam prouidentiam generalem, quâ Deus velit conferre illis media sufficientia ad salutem, quibus possint vti, si velint, neminem absolutè prædestinando, sed tantùm sub conditione. *Ratio igitur corollarij est*: quia expresè dicit Scriptura Sacra: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*; iam autem præparatio regni cælestis, fit per prædestinationem, vt docet Sanctus Augustinus tract: 68. in Ioan. vbi explicās illa Christi verba: *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, ita discurrit: *Deus fecit illas prædestinando, facturus est operando.* Et Fulgentius de fide ad Petrum, cap. 35. idem comprobat his verbis: *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi, in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo, nec perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinauit ad regnum cælorum; nec quenquam eorum, quos non prædestinauit ad vitam, vlla posse ratione saluari.* Ergo prædestinatio ita est necessaria ad salutem, vt sine illa impossibile sit aliquē saluari. *Præterea*, quia vt constat ex Corollario I. Prædestinatio est ratio transmittendi creaturam rationalem in vitam æternam. Sed nulla creatura rationalis potest saluari, nisi transmittatur à Deo in vitam æternam, cùm hæc excedat vires creaturæ rationalis: quemadmodùm etiam sagitta non potest contingere sco-

re scopum, nisi transmittatur à sagittante. Ergo prædestinatio ita est necessaria, vt sine illa impossibile sit aliquem saluari.

Homines solam prouidentiam generalem saluari non possunt.

Corollarium V. Falsum est, posse homines saluari per solam prouidentiam generalem, quâ Deus velit conferre illis media sufficientia ad salutem, quibus possint vti, si velint. Ita Sanctus Thomas in 1. ad Anibaldum, dist: 46. q. vnica, ar. 2. ad 2. vbi dicit, *quod voluntas antecedens non habeat effectum, nisi voluntas consequens adiungatur*. Ergo censet homines non posse saluari, per solam voluntatem antecedentem, & generalem prouidentiam supernaturalem, quâ Deus decerneret dare auxilia sufficientia, sine prædefinitione, ac voluntate absolutâ, & consequenter nec sine prædestinatione. *Præterea*, quia si ad salutem cōsequendam sufficeret sola voluntas antecedens, & conditionalis saluandi homines, si ipsi velint, solaq; generalis prouidentia, quâ Deus decerneret dare auxilia sufficientia, sine prædefinitione, & voluntate absolutâ vsûs illorum, tunc nulla esset differentia ex parte voluntatis diuinæ, inter prædestinatum, & reprobum, totaq; illorum discretio, proueniret ex libero hominis arbitrio. Quod repugnat doctrinæ D. Augustini, qui lib. 11. de ciuit: cap. 19. docet, discretionem bonorum, & malorum Angelorum fuisse à Deo. *Inter sanctos inquit Angelos, & immundos fuisse discretum, vbi dictum est: & diuisit Deus inter lucem, & tenebras; solus quippè ille ista discernere potuit*. Sequela etiam patet: quia voluntas antecedens, & generalis prouidentia, est æqualis respectu omnium, & auxilia, quæ ex illa proueniunt, relinquunt voluntatem indeterminatam: ergo nulla esset differentia ex parte voluntatis diuinæ, inter prædestinatum, & reprobum. Imò hæc fuit sententia Semipelagianorum, vt docet S. Prosper in carmine de ingratis, cap. 6. in fine.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem*. Si Deus prædestinaret homines, auferret ab eis libertatem peccandi, quamuis non haberent donum confirmationis in gratia. Sed hoc dici non potest: ergo falsa conclusio. Sequela probatur ex illo 1 Ioannis 3. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare: quoniam ex Deo natus est*. In quib9 verbis, per semen Dei in illis manens, intelligitur prædestinatio, vt exponit Sanctus Bernardus serm: 1. de septuagesima, & de gratiâ, ac libero arbitrio.

Solutio eiusdem.

Respondetur, negando sequelam. Ad eius probationem, ex Scriptura Sacra allatam dicitur, locum illum intelligi de eo qui natus est ex Deo, non tantum per præsentem iustitiam, sed etiam per prædestinationem æternam: talis enim peccatum non facit finaliter, cùm tale peccatum repugnet prædestinationi. Vel certè intelligitur coniunctim, quòd homo natus ex Deo, quamdiu retinet natiuitatis gratiam, non faciat peccatum mortale: quia hoc simul, & semel cum gratia sanctificante incompossibile est.

Instantia & solutio eiusdem.

Instabis. Sequeretur hinc, quòd Deus magis diligeret hominem peccatorem, aut minùs iustum, qui prædestinatus est; quàm alium longè iustiorem, sed non prædestinatum, seu reprobū, quod minimè admittendum videtur, siquidem diuina voluntas, vt potè rectissima, diligit vnumquodq; pro meritis suis: proinde magis diligit iustum, quàm peccatorem; & iustiorem, quam minùs iustum. *Respondetur* cum S. Thoma in 3. dist. 33. q. 1. ar. 5. quæstiunc 1. *concedendo sequelam*, si absolutè, & simpliciter

pliciter intelligatur. Licet enim Deus plus diligat reprobū iustum, pro tempore, quo est iustus; quàm peccatorem prædestinatum, pro tempore, pro quo est peccator; ista tamen determinatio pro illo tempore, tenet se vtrobiq; ex parte obiecti; nō autem ex parte actus dilectionis, quæ est æterna, & inuariabilis, semperq; vult prædestinato, quantumuis peccatori, vt suo tempore consequatur maius bonum: & sic absolutè, & simpliciter loquendo, magis diligit prædestinatum peccatorem; quam iustum reprobum.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra tertiam definitionem prædestinationis*. Si nomine præscientiæ in definitione prædestinationis, intelligeretur scientia approbationis, prædestinatio non definiretur per eam in recto, sed tantùm in obliquo significatā; siquidem ea quæ pro cōnotato afferuntur, non importantur in recto, sed in obliquo. Ergo cùm prædestinatio a D. Augustino definiatur per præscientiam in recto, signum est nomine præscientiæ, non intelligi scientiam approbationis.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando Antecedens: licet enim præstinatio in sensu formali, in quo virtualiter distinguitur à scientia approbationis, solum importet in obliquo, & per modum connotati dictam scientiam approbationis; in sensu tamē identico, affert eam in recto, ita vt in hoc sensu vera sit ista propositio: *Prædestinatio est ipsa scientia approbationis*. Vnde quando dicitur, prædestinationem esse identicè, & in recto scientiam approbationis, hoc non ita intelligendū est, quasi prædestinatio hanc identitatem, ex ea præcisa, & communi ratione habeat, quâ alia, quæ sunt in Deo, præcisè quia sunt in illo, habent eam; sed quia peculiari ratione cum ea identificatur, ex eo, quòd peculiari ratione eam afferat, vt connotatum præuium, & prærequisitum. Adeò, vt si per impossibile scientia approbationis non haberet aliud caput, ratione cuius esset in Deo, & identificaretur cum prædestinatione; nihilominùs hoc solum, videlicet esse connotatum modo dicto prædestinationis, esset sufficiens ad hoc, vt esset in Deo, & ad hoc, vt cum prædestinatione identificaretur.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium IV*. Si prædestinatio esset omninò necessaria ad salutem, sequeretur reprobum nō posse saluari. Sed consequens derogat diuinæ omnipotentiæ: ergo & antecedens. *Sequela patet*: quia cum diuinum decretum sit æternum, ac immutabile, semel reprobus non potest ampliùs prædestinari, & consequenter neq; saluari.

Solutio eiusdem.

Respondetur distinguendo sequelam maioris. Sequeretur reprobum non posse saluari, potentiâ consequenti, & in sensu composito, *conceditur sequela*: potentiâ antecedenti, & in sensu diuiso, *negatur sequela*. *Eius probationis similiter distincto antecedente, negatur consequentia*. Ita expressè docet S. Thomas 1. p. q. 23. ar. 3. ad 3, & ar. 6. ad 3. vbi dicit: *Non oportet dicere, quòd Deus possit non prædestinare, quem prædestinauit, in sensu composito accipiendo, licet absolutè considerando, Deus possit prædestinare, vel non prædestinare*. Idem docet q. 6. de verit. art 4. ad 8. Vnde reprobatio non tollit potestatem ad salutem; sed tamen impedit actualem eius consecutionem: nam licet reprobus possit saluari per auxilia sufficientia, potentia antecedenti, & ab actu diuisâ; non tamen potentia consequenti, & coniunctâ cum effectu.

QVÆSTIO II.

In quonam prædestinatio formaliter & in recto considerata essentialiter consistat.

Occasio

Occaſio tractandæ quæſtionis.

OCcaſio tractandæ huiꝰ quæſtionis inde promanat, quia prædeſtinatio in Scriptura Sacra explicatur, *tum* terminis ſignificantibusꝰ actum intellectus, vt Rom. 11. *Non repulit Dominus plebem ſuam, quam præſciuit*, id eſt, quam prædeſtinauit, vt explicat S. Auguſtinus lib. de bono perſeuer. cap. 18. *Tum* terminis ſignificantibus actum voluntatis: frequenter enim in Scriptura Sacra, *prædeſtinatio* vocatur *electio, propoſitum, beneplacitum*, vt ad Rom. 8. Epheſ. 1. &c. *Tum*, quia S. Auguſtinus, in illa definitione prædeſtinationis, *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunq; liberantur*, vtrumq; actum, & intellectus, & voluntatis coniunxit. Nam *præſcientia* ad intellectum diuinũ propriè ſpectat; præparatio autem beneficiorum, ad voluntatem, cùm ſit actus amoris, & beneuolentiæ. Hinc controuerſia orta eſt, num prædeſtinatio conſiſtat in actu intellectꝰ, an certè in actu voluntatis, & in quo. Quod vt meliùs intelligatur.

Requiſita ad prædeſtinationẽ ex parte voluntatis, & intellectus diuini.

Suppono I. Ad prædeſtinationem ex parte voluntatis diuinæ, requiri decretum abſolutum, & efficax, quo Deus intendat, ſtatuat, & decernat, dare gloriam quibuſdam Angelis, & hominibus, & quo illos eligat ad gratiam, & ad merita, quæ ſunt media ad eius aſſecutionem neceſſaria. *Deinde* ex parte intellectus diuini, requiritur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ Deum dirigat in formandis ſuis decretis, & quæ finis poſſibilitatem, ac mediorum ad illum conducentium, efficaciam, atque cauſalitatem demonſtret. Vnde ad duos ſolùm actus præſens difficultas deuoluitur, ſcilicet ad actum voluntatis, qui executionem immediatè præcedit, appellaturque vſus, & ad actum intellectus, qui executionem ſubſequitur.

Actum ad prædeſtinationem noſtram concurrentium coordinatio.

Suppono II. Actus, qui intercedunt, præſupponuntur, & concomitantur noſtram prædeſtinationem, ſic coordinari poſſe. *In primis*, Deus ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ cognouit omnia poſſibilia, & inter ea tres ordines rerum, videlicet, naturæ, gratiæ, & vnionis hypoſtaticæ, ſecundùm quos poteſt ſe creaturis communicare. *Deinde*, habuit etiam certam ſcientiam omnium mediorum poſſibilium, quibus proprius finis iſtorum ordinum poteſt obtineri: ac inter alia certò cognouit efficaciam ſuæ voluntatis, infallibilemq; connexionem, quam ſine læſione libertatis creatæ, habet cum actibus liberis creatis, ſi ab eadem diuina voluntate efficaciter prædeſtinantur.

Poſtea, hac præſuppoſitâ cognitione, intelligitur Deum voluiſſe oſtenſionem ſuæ bonitatis, ſecundum communicationem illius triplicis ordinis, inter ſe tamen ordinatam: ita quòd priùs voluerit Incarnationem, ſeu Chriſtum vt Redemptorem, tanquàm finem omnium: ac inter alia, pro gloria Chriſti, voluit beatificare aliquas creaturas rationales; ita tamen vt licet iſtam beatitudinem voluerit, tanquàm medium reſpectu gloriæ Chriſti, eam nihilominùs voluit vt finem, reſpectu vtriuſq; ordinis ſcilicet naturæ, & gratiæ, atq; adeò voluit etiam res naturales.

Ad extremum, diuinus intellectus, ex hac intentione finis quaſi motus, iudicauit hæc, & illa media ſatis eſſe vtilia ad hoc, vt creaturæ rationales iam ad beatitudinem electæ, eam conſequerentur. *Deinde*, hæc eadem media vt vtilia, & conuenientia, ſuæ voluntati propoſuit. *Rursùs* voluntas diuina elegit, quæ maluit. Hinc adfuit actus imperij, quo efficaciter intellectus Dei, imperauit executionem prædictorum mediorum, certo, & determinato tempore faciendam. *Vlteriùs*, ſubſecutus eſt actus

actus diuinæ voluntatis, quo ab æterno voluit, vt potentiâ ſuâ executiuâ ab æterno imperatet, quòd ſuo tempore talia media executioni mandarentur. *Tandem*, ſubſequitur in tempore, à diuino imperio, & voluntate Dei præfinito, talis executio.

Opiniones tres.

Prima itaq; ſententia affirmat, prædeſtinationẽ eſſentialiter conſiſtere in actu voluntatis diuinæ. Pro hac citantur Sanctus Bonauentura, in 1. diſt. 40. art. 1. q. 1. Scotus, Gregorius, Gabriel, Aureolus, & alij.

Altera ſententia cenſet, Prædeſtinationem conſiſtere formaliter, & eſſentialiter in vtroq; actu, tam intellectus; quàm voluntatis diuinæ. Hanc tenent Marſilius in 1 diſt. 41. ar. 1. notab. 2 Tarantaſius in 1. diſt. 40. q. 2. & aliqui Neoterici.

Tertia ſententia docet, prædeſtinationem eſſentialiter conſiſtere ſolùm in actu intellectûs; connotando tamen actum voluntatis. Et hæc eſt communis Theologorum cum S. Thoma. Sed quiſnam ſit iſte actus intellectus, non concordant inter ſe Authores. Neoterici enim aliqui, cenſent actum intellectus, in quo eſſentialiter, & in recto, conſiſtit prædeſtinatio, eſſe iudicium illud, quo Deus poſtquàm elegit aliquem ad beatitudinem ſupernaturalem, iudicauit bonum eſſe, perducere illum ad beatitudinem infallibiliter, per efficacia, & determinata media, connotando, quòd illud iudicium ſit propoſitũ voluntati, acceptatumque, & approbatum ab illa. *Alij* verò præſtantiores cum communi ſententia docent, prædeſtinationem conſiſtere, in actu intellectus, qui eſt imperium.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Prædeſtinatio aſſentialiter conſiſtit ſolùm in actu intellectûs.

COnclusio. Prædeſtinatio formaliter, & in recto, conſiſtit eſſentialiter ſolùm in actu intellectꝰ, qui eſt imperium. Ita Boëtius lib. 4. de Prædeſt: Proſâ 5. vbi dicit: *Prouidentia eſt ipſa diuina ratio, in ſummo omnium Principe conſtituta, quæ cuncta diſponit*. Quibus verbis oſtendit, prouidentiam, & conſequenter prædeſtinationem, vt potè partem ipſius præcipuam, conſiſtere formaliter in actu intellectûs. *Probatur itaq; prima pars concluſionis*, quòd ſcilicet prædeſtinatio conſiſtat ſolùm in actu intellectûs, authoritate D. Auguſtini, qui prædeſtinationem per præſcientiam definit; iam autem præſcientia ad intellectum pertinet. Ergo iuxta S. Auguſtinum, prædeſtinatio conſiſtit in actu intellectûs.

Probatur II. *ratione*. Prædeſtinatio formaliter, & in recto, eſt perfectiſſima, & peculiaris quædam prouidentia, quâ Deus de prædeſtinatis prouidet. Sed prouidentia formaliter, & in recto conſiderata, conſiſtit ſolùm in actu intellectus: ergo & prædeſtinatio. *Maior* ab omnibus Theologis admittitur, *tum* quia Deus formaliter vt prædeſtinãs, dicitur peculiariſſimè curare, & prouidere de prædeſtinatis, præparando, & prouidendo eis efficacia media, quibus æternam ſalutem conſequantur. *Tum*, quia prædeſtinatio formaliter, & in recto, eſt præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunq; liberantur. *Minor verò probatur*. Prouidentia hæc, ſeu prædeſtinatio, eſt pars prudentiæ, quemadmodùm etiam in nobis prouidentia, eſt præcipua prudentiæ pars, ad quam duæ aliæ partes ordinãtur, videlicet memoria præteritorum, & intelligentia præſentium, prout ex præteritis memoratis, & præſentibus intellectis, conjectamur de futuris prouidendis. Ergo ſicut prudentia pertinet

net ad intellectum; ita & prouidentia.

Probatur III. Prædestinatio essentialiter est ordinatio creaturæ rationalis ad gloriam. Vnde prædestinati in Scriptura Sacra, vocantur *præordinati*, iuxta illud Actor. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Sed ordinare pertinet ad intellectũ; non autem ad voluntatẽ: ergo & prædestinatio. *Minor* est Aristotelis 2. Metaph. cap. 2. vbi dicit: *Sapientis est ordinare.* Hinc opus naturæ, dicitur opus intelligentiæ, ratione ordinis reperti in illo. *Deinde*, quia ordinare aliquid in finem, idem est, quod dirigere illud in finem. Sed directio in finem ad intellectũ spectat; non autem ad voluntatem: quia hæc cùm sit potẽtia cæca, non potest alias dirigere; verùm ab intellectu dirigi debet: ergo ordinare pertinet ad intellectum. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Prædestinatio indispensabiliter inuoluit, & connotat actum voluntatis.

Corollarium I. Prædestinatio licet essentialiter consistat in actu intellectus; indispensabiliter tamen inuoluit, & connotat actum voluntatis. Ita Sanctus Thomas q. 6. de verit. ar. 1. his verbis: *Sicut de prouidentia supra dictum est quòd consistit in actu rationis, sicut & prudentia, cuius est pars, eò quòd solius rationis est dirigere, vel ordinare; ita etiam & prædestinatio in actu rationis consistit dirigentis, vel ordinantis in finem: sed ad directionem in finem, præexigitur voluntas finis, nullus enim aliquid in finem ordinat, quod non vult; & ideò ordinatio præsupponit electionem, per quam Deus vult salutem alicuius.* Et q. 5. de verit. ar. 1 ad 8. sic ait: *Dicendum, quòd ratio illa in summo principe constituta, non dicitur prouidentia, nisi adiuncto ordine ad finem, ad quem præsupponitur voluntas finis. Vnde licet essentialiter ad cognitionem pertineat; tamen voluntatem aliquo modò includit. Et ratio corollarij est:* quia eo ipso, quòd prædestinatio consistat in actu diuini intellectus, seu in efficaci ordinatione mediorum ad consequendum finem vitæ æternæ, necesse est, vt ibidem inuoluatur indispensabiliter, seu connotetur actus volũtatis: cùm non possit dari efficax ordinatio in finem, quin præcedat efficax voluntas finis.

Prædestinatio non importat ex æquo actũ intellectûs, & voluntatis.

Corollarium II. Prædestinatio non importat ex æquo actum intellectûs, & voluntatis. *Ratio*: quia vt iam vidimus, prædestinatio est pars prouidentiæ; prouidentia verò non importat ex æquo actum intellectus, & voluntatis; sed essentialiter consistit in actu intellectus, in obliquo tantùm connotando actũ voluntatis, vt expresse docet Sanctus Thomas q. 5. de veritate, ar. 1. his verbis: *Prouidentia includit scientiam, & voluntatem; sed tamen essentialiter in cognitione manet, non quidem speculatiuâ, sed practicâ.* Deinde, quia vt docet Sanctus Augustinus lib. de bono perseuer: cap. 14. Prædestinatio nihil aliud est; quàm præscientia, & præparatio, quorum vtrumq; ad intellectum pertinet: ergo actus voluntatis non constituit etiam inadæquatè prædestinationis essentiam, sed tantùm in obliquo, & de connotato in ea importatur, vt videre est in prudentia, omnipotentiâ, alijsq; virtutibus, & attributis, ad quæ necessariò requiruntur actus vtriusq; potentiæ; & tamen ex illis non conflantur in recto, sed in actu vnius in recto consistunt, altero ingrediente solùm de connotato.

In volũtate Dei præter electionem mediorum, requiritur decretum executiuũ.

Corollarium III. Præter electionem mediorum ad finem intentionis spectantem, requiritur in voluntate Dei decretum executiuum de ijsdem medijs ratione aliquà distinctum. *Ratio*: quia omnis actus in volũtate nostra repertus, concedendus est diuinæ voluntati, si in suo formali conceptu non inuoluat imperfectionem. Sed in nostra

nostra voluntate reperitur vsus ab electione distinctus: ergo pariter iste actus diuinæ voluntati concedi debet. *Maior patet*: quia de rebus diuinis, & de actibus diuini intellectus, ac voluntatis, philosophandum est, iuxta ea, quæ videmus in rebus creatis, seclusis imperfectionibus. *Minor* etiam est S. Thomæ 1.2. q. 16. ar. 1. vbi docet, *vsum esse actum voluntatis mouentis, & applicantis potentias animæ ad suos actus.* Et ibidem ar. 4. in corp. dicit, *quòd vsus sequitur ad electionem.* Et in responsione ad 1. dicit, vsum mediare inter electionem, & executionem. *Præterea*, quia actus coniungens voluntatem cum volito, solùm effectiuè, est distinctus essentialiter ab actu coniungente voluntatem cum volito, vt realiter habito. Iam verò electio solùm primo modo coniungit voluntatem cum volito, cùm ex vi illius volitum non habeatur in re; vsus autem realiter eam coniungit cum volito, siquidem ex vi illius, potentiæ exequentes applicantur, & effectus statim sequitur: ergo electio & usus, seu decretum executiuum, essentialiter distinguuntur.

Prædestinatio nõ consistit in iudicio regulante electionem.

Corollarium IV. Prædestinatio non consistit in iudicio regulante electionem, quo mediorum conuenientia iudicatur; sed in iudicio practico subsequente electionem, quod vocatur imperium. *Ratio*: quia prædestinatio est ordinatio efficax mediorum, quibus electi infallibiliter vitam æternam consequuntur. Sed iudicium electionem regulans, licet sit ordinatio de medijs; non est tamen efficax ordinatio de his medijs determinatè, cùm adhuc illo posito, liberum sit Deo non tantùm in sensu diuiso, sed etiam in sensu composito; hæc aut illa media ad gloriam eligere: ergo in iudicio regulante electionem, prædestinatio non consistit, sed in iudicio practico subsecuto ad electionem, regulanteque vsum, & executionem, quod vocatur imperium.

Corollarium V. Quando S. Thomas 2. 2. q. 49. ar. 6. ad 3. dicit: *In recta ordinatione ad finem, quæ includitur in ratione prouidentiæ, importatur rectitudo consilij, & iudicij, & præcepti.* per hoc non intendit, quòd prouidentia, & consequenter prædestinatio non consistat adæquatè in imperio; sed etiam in consilio, & iudicio regulante electionem; verùm quòd rectitudo consilij, & iudicij, importetur in ordinatione, in qua prouidentia consistit, non constitutiuè, & formaliter; sed virtualiter, & præsuppositiuè: *tum* quia sine illis rectitudo imperij subsistere nõ potest, *tum*, quia in actibus animæ ordinatis, præcedens clauditur virtualiter in sequenti, vt docet Sanctus Thomas q. 5. de veritate, ar. 1. ad finem, his verbis: *In prudentia quodam modo includitur & voluntas, quæ est de fine, & cognitio finis.*

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* In illo cõsistit essentialiter prædestinatio, quo posito, & secluso quouis alio, Petrus v. g. consequitur gloriam, & sine quo, quocunq; alio posito, eam non consequitur. Sed talis est actus voluntatis: ergo prædestinatio potiùs in actu voluntatis, quàm in actu intellectus essentialiter consistit. *Maior patet*: quia gloria est effectus præcipuus prædestinationis. *Minor etiam manifesta*, qui sicut impossibile est, aliquem consequi gloriam, sine voluntate Dei efficaci; ita repugnat, quòd Deus velit eam efficaciter alicui conferre, & quòd eam non consequatur. *Respondetur, concessa maiore, negatur minor*: nam si per impossibile solùm Deus haberet actum

Solutio eiusdem.

actum voluntatis conferendi Petro gloriam, & ex tali actu voluntatis, non subsequeretur actus imperij, illum efficaciter ad gloriam ordinans, de facto Petrus eam non consequeretur. Vnde non potest fieri, quòd Deus alicui efficaciter velit gloriam, nisi eam efficaciter suo tempore consequatur: quoniam ex vi illius volitionis efficacis, tanquàm ex prima radice, sequitur actus imperij, qui est efficax ordinatio mediorum in finem vitæ æternæ. Et sic prædestinatio initiatiuè, & radicaliter consistit in actu voluntatis, qui in eius essentia importatur, saltem præsuppositiuè, & de connotato.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium* II. De conceptu prædestinationis non tantùm est ordinatio, sed etiam efficacia, & motio quoad exercitium. Sed efficacia, & motio, spectant ad voluntatem, sicut ordinatio ad intellectū: ergo prædestinatio ex æquo importat actū intellectus, & voluntatis. *Respondetur distinguendo minorem.* Sed efficacia, & motio volitiua, spectant ad voluntatem, *conceditur*: motio ordinatiua, *negatur minor*: hæc enim est ab intellectu in virtute præcedentis actus voluntatis: nam motio volitiua, seu appetitiua, non est de essentia prædestinationis, sed motio ordinatiua, quæ est ab intellectu adæquatè, vt elicien-te; à voluntate autem non nisi remotè, originaliter, & antecedenter.

Solutio eiusdem.

Instabis. Ratio volitiui nullo modo potest communicari intellectui: ergo nec efficacia motiua quoad exercitium. *Respondetur, concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est*: quia ratio volitiui, est substantia actus voluntatis; at verò efficacia motiua, non est substantia, sed modus eius. Sicut ergo libertas licet voluntati tribuatur, vt primo principio; communicatur tamen etiam intellectûs, ex subordinatione ad intellectum, eò quòd illa sit quidam modus eius; ita ob eandem rationem, efficacia motiua potest tribui intellectui, etiamsi ratio volitiui, communicari illi non possit.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* IV. Prædestinatio est causa suorum effectuum. Sed iudicium, seu imperium subsequens electionem, non est causa effectuum prædestinationis: siquidem in vi decreti, seu efficacis Dei electionis, illi cōstituuntur futuri: ergo in iudicio seu imperio electionē subsequente, prædestinatio non consistit. *Respondetur concessa maiore, negatur minor. Cuius probatio distinguitur.* Effectus prædestinationis, in vi decreti, seu efficacis Dei electionis, constituuntur futuri inchoatiuè, & in ordine intentionis, *conceditur*: completè, in ordine tàm intentionis, quàm executionis, *negatur*. Vnde, si per impossibile, posità electione efficaci, non sequeretur imperium, homines solum inchoatiuè, essent prædestinati non autem formaliter: proinde in tali casu gloriam non consequerentur, sed tantùm gloria esset inchoatiuè futura; non verò completè, nec executioni esset mandanda. Nam ad executionem, & productionem rerum, non sufficit electio, seu decretum intentiuum, sed vltra hoc, requiritur vsus actiuus, seu decretum executiuum, & consequenter imperium dirigens.

QVÆSTIO III.

An prædestinatio sit pars diuinæ prouidentiæ.

SUppono. Duplicem hoc loco partem considerari posse, videlicet subiectiuam, & obiectiuam. *Pars subiectiua*, illa est, quæ sub alio, tanquàm inferius sub suo superiori essentialiter cōtinetur. Cùm enim prædictum superius habeat se per modum totius potentialis, respectu suo-

ctu suorum inferiorum, de illisq; prædicetur; ideò necesse est, vt inferiora habeant rationem partium respectu illius, & non vtcunque, sed partium subiectiuarum, vt potè, quæ illi subijciuntur, & quæ sub illo continentur. Porrò istæ partes subiectiuæ, sunt in duplici differentia: quædam enim cōtinentur sub suo superiori, tanquàm veræ species sub vero genere: quædam solùm continentur sub illo, tanquàm sub ratione quadam analoga; intrinsecà tamen & essentiali. Iam verò *pars obiectiua*, prout contra distincta subiectiuæ, illa est, quæ licet secundùm suam intrinsecā entitatem, aut realitatem, non comparetur per modum partis respectu alterius; eius tamen obiectum habet se per modum partis, respectu obiecti illius rei, respectu cuius dicitur esse pars obiectiua. Sic intellectus practicus, dicitur pars obiectiua intellectûs in tota sua amplitudine, prout dicit potentiam intellectiuam tendentem in verum vt sic. Quia licet intellectus practicus, secundùm suam realitatem intrinsecam, non sit pars intellectûs, cùm eadem simplicissima potentia intellectiua sine distinctione reali, aut virtuali, habeat simul rationem intellectus practici, & speculatiui; obiectum tamen intellectus practici, puta verum practicabile, est pars obiecti potentiæ intellectiuæ absolutè, & simpliciter dictæ, cùm contineatur sub vero vt sic, quod tàm verum practicum, quàm speculabile ambit. Hoc tamen intelligi debet de obiecto materiali, non formali, & specificante: nam si aliqua duo, respicerent diuersa obiecta formalia, & specificatiua, tunc licet vnum contineretur sub obiecto alterius, non possent inter se comparari per modum partis obiectiuæ, & totius; sed eo ipso distinguerentur specie, continerenturq; per modum partium subiectiuarum, sub aliqua vna ratione communi. Sic obiectum Physicæ, scilicet ens mobile, continetur sub obiecto metaphysicæ, puta sub ente; quia tamen Metaphysica sub diuersa ratione respicit ens, & Physica ens mobile; ideò Physica non comparatur per modum partis obiectiuæ respectu Metaphysicæ. Vnde controuersia est, quomodò prædestinatio sit pars diuinæ prouidentiæ, an vt pars subiectiua, ita vt contineatur sub diuina prouidentiâ, tanquàm inferius sub suo superiori essentiali: ita vt diuina prouidentia ambiat sub se tàm prædestinationem, quàm prouidentiam v.g naturalem, quæ inter se essentialiter distinguantur, per suas peculiares rationes prouidendi, de quibus prouident; in ratione tamen communi, & analogâ diuinæ prouidentiæ vt sic, conueniant essentialiter, eò, quòd omnia ista significentur per hoc, quòd prædestinatio sit pars subiectiua prouidentiæ. An certè solùm sit pars obiectiua, ita vt vna, & eadem prouidentia virtualiter indistincta, attingat illos tres ordines, videlicet naturæ, gratiæ, & vnionis hypostaticæ, solumq; ratione diuersorum obiectorum materialium, ad quæ se extendit, diuersa sortiatur nomina. Quemadmodùm scientia diuina, quæ est vnicum attributum virtualiter indistinctum, diuiditur in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, approbationis, & reprobationis &c. per ordinem ad diuersa obiecta materialia, ad quæ terminatur.

Opinio duplex.

Prima itaq; sententia censet, prædestinationem esse partem subiectiuam diuinæ prouidentiæ. Ita Soto supra epist: ad Rom: cap. 9. & Neoterici passim.

Altera sententia docet. Prædestinationem solùm esse partem obiectiuam diuinæ prouidentiæ, ita vt diuina prouidentia sit vnicū attri-

attributum virtualiter indiſtinctũ, diuidaturq́; in prouidentiam naturalem, ſupernaturalem generalem, prædeſtinationem, reprobationem, & prouidentiam ordinis hypoſtatici, tanquam in diuerſas partes obiectiuas, & per ordinem ad diuerſa connotata materialia. Et hæc eſt communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Prædeſtinatio eſt pars obiectiua diuinæ prouidentiæ.

CONcluſio. Prædeſtinatio eſt pars obiectiua diuinæ prouidentiæ. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 23. ar. 1. vbi dicit: *Et ſic patet quòd prædeſtinatio quantum ad obiecta, eſt pars prouidentiæ.* Sed diuina prouidentia extendit ſe ad omnia prouidentia, ſecundùm ordinem, quem dicunt ad finem, puta oſtenſionem attributorum Dei; prædeſtinatio autem circa media efficaciter ad gloriam cõducentia verſatur, quæ ſub ratione medij ordinabilis ad finem illum vniuerſaliſſimum, vt partes continentur: ergo eſt pars obiectiua diuinæ prouidẽtiæ. *Conſequentia patet*: quia ideò v. g. tractatus de cælo, eſt pars obiectiua Philoſophiæ naturalis: quia cùm eius obiectum ſit ens mobile in ſua latitudine, tractatus de cælo agit de quodam mobili in particulari, ſub ente mobili vt ſic cõtento particulariter. Ergo pariter quia prædeſtinatio verſatur circa media efficaciter ad gloriam conducentia, erit pars obiectiua diuinæ prouidentiæ, quæ ſe extendit ad omnia prouidenda. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Prædeſtinatio non eſt pars ſubiectiua diuinæ prouidentiæ.

Corollarium I. Prædeſtinatio non eſt pars ſubiectiua diuinæ prouidentiæ. *Ratio*: quia de ratione diuinæ prouidentiæ eſt, vt ſit vna ſimpliciſſima, ſecundùm ſuam vltimam quaſi ſpeciem: & quòd ſit ſingulariſſima ſine multiplicitate, & diſtinctione etiam virtuali, plurium prouidentiarum eſſentialiter, aut quaſi numericè diſtinctarum: ergo repugnat prædeſtinationem eſſe partem ſubiectiuam diuinæ prouidentiæ, abſolutè, & ſimpliciter ſumptæ. *Antecedens manifeſtum*: nam eo ipſo, quòd diuina prouidentia ſit infinita intra ſuam lineam, debet habere vim ad dirigendam quamlibet creaturam in ſuum finem, ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem, & per quælibet media, ſiue illa ſint naturalia, ſiue ſupernaturalia. Et ſic de ratione illius eſt, vt habeat vim ad extendendum ſe ad omnia, ad quæ diuina omnipotentia ſe extendere poteſt: proinde talis prouidẽtia non poteſt multiplicari adhuc virtualiter, ſeu ſecundùm ſuam quaſi ſpeciem, ſiue ſecundùm ſuam quaſi vnitatem numericam. Quemadmodùm, quia intellectus diuinus eſt infinitus, intra ſuam lineam; ideò debet habere virtutem ad attingendum omne intelligibile, ob eamq́; rationem non eſſe vllo modo plurificabilis per pluralitatem adhuc virtualem. *Conſequentia etiam manifeſta*: quia non poteſt aliquid comparari per modum partis ſubiectiuæ reſpectu alterius, niſi illud alterum ſit aut realiter, aut ſaltem virtualiter multiplicabile, ſiue eſſentialiter, ſiue quaſi numericè. Hinc relatio ſpirationis actiuæ, eſt pars ſubiectiua reſpectu relationis diuinæ, & miſericordia Dei reſpectu attributi diuini generaliter ſumpti: quia tàm relatio, quàm attributum diuinum poſſunt multiplicari. Illa quidem per pluralitatem, & multiplicitatẽ realem; hoc verò per multiplicatem virtualem.

Corollarium II. Inter prædeſtinationem, & prouidentiam diuinam, multiplex eſt diſcrimen. *Primum*, quia ſubiectum prædeſtinationis, eſt ſola creatura rationalis; iam verò prouidentiæ ſubiectum, eſt omnis creatura, eò quòd illa reſpiciat beatitudinem ſupernaturalem,

naturalem, cuius capacitas in ſola creatura rationali inuenitur; iſta verò quoſcunq́; effectus ab omnipotentia productos, quorum aliæ creaturæ ſunt capaces. *Alterum diſcrimen*: quia prædeſtinatio reſpicit finem ſuperexcedentem facultatem creaturæ rationalis; at verò, prouidentia iſtam ſuperexcedentiam non poſtulat, ſed ſupra quemcunque finem, ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem verſatur, media ad illum ordinando. *Tertium diſcrimen*, quia prædeſtinatio eſt infallibilis, non tantùm quoad ordinem mediorum in finem, ſed etiam quoad actualem ipſius conſecutionem; prouidentia verò ſolùm poſtulat infallibilitatem ordinis, non autem aſſecutionis finis, vt docet Sanctus Thomas q. 6. de verit. ar. 1. *Cuius rei euidens ratio eſt*, quia reprobi per generalem prouidentiam ordinis ſupernaturalis ordinantur ad gloriam; quam tamen nunquàm cõſequentur, eiſq́; conferuntur, aut ſaltem offeruntur à Deo auxilia ſufficientia, quibus eam adipiſci poſſint. Ergo de ratione generalis prouidentiæ non eſt infallibilis aſſecutio finis, ad quem creatura ordinatur.

Prædeſtinatio non poſuit aliquid in prædeſtinatio

Corollarium III. Prædeſtinatio ſecundùm ſe, & formaliter conſiderata, ſeu ſecundùm ſuum præciſum ſignificatum accepta, non ponit aliquid in prædeſtinato, ſed tantùm in prædeſtinante. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 23. art. 1. vbi ſic habet: *Dicendum, quòd prædeſtinatio non eſt aliquid in prædeſtinatis, ſed in prædeſtinante tantùm.* Et in ſolut. ad 3. ita ſcribit: *Duplex eſt præparatio: Quædam patientis vt patiatur: & hæc præparatio eſt in præparato. Quædam alia eſt agentis, vt agat: & hæc eſt in agente, & talis præparatio eſt prædeſtinatio, prout aliquod agens per intellectum dicitur ſe præparare ad agendum, in quantum præconcipit rationẽ operis fiendi. Et ſic Deus ab æterno ſe præparauit prædeſtinando, concipiens rationem ordinis aliquorum in ſalutem.* Et *ratio corollarij eſt*: quia diuina prædeſtinatio, ſi conſideretur præciſè ſecundùm ea, quæ habet intra propriam lineam inadæquatè conſideratam, ſecundùm quam ſic ſumptam, & non aliter, nomine prædeſtinationis ſignificatur, non eſt efficax per modum cauſæ phyſicæ efficientis, ſicut potentia executiva; ſed per modum cauſæ moralis, ſeu per modũ cauſæ directiuæ, & ordinatiuæ: ergo ſi ſecundùm ſe conſideretur, & vt ſub hoc præciſo conceptu prædeſtinationis ſtat, tàm actiuè, quàm paſſiuè, non erit in prædeſtinato, ſed ſolùm in prædeſtinante. *Antecedens* eſt S. Thomæ, q. 5 de verit. ar. 1. ad 9. vbi docet: *potentiam Dei eſſe executiuam effectuum prouidentiæ*: & ita etiam erit executiua effectuum prædeſtinationis, quæ eſt pars prouidentiæ: & cõſequenter prædeſtinatio non erit cauſa efficiens phyſica, ſeu potentia executiua illorum, ſed eius executio erit aliquomodò diſtincta ab eadem prædeſtinatione; prædeſtinatio autem ſolùm exequetur eos in genere cauſæ moralis. *Conſequentia etiam manifeſta*: quia cauſa moralis ordinatiua, & directiua, poteſt actualiter ordinare, & præſcibere de medijs ordinatis ad conſecutionem alicuius finis, quin eo ipſo actu executioni mandetur prædictus finis per illa media; ſed ad ſummum requiritur, quòd iſta habeant rationem futurorùm, quoties iſta ordinatio eſt efficax. Ergo talis ordinatio vt ſub hoc conceptu, & præciſione conſiderata, neq́; actiuè, neq́; paſſiuè erit in re, circa quam verſatur; neq́; in medijs ipſis ordinatis, ſed tantùm in ordinante; alias non poſſet eſſe illa actualis ordinatio, quin ſequeretur ab æterno aliqua realis, & intrinſeca paſſio extra ordinantem, & conſequenter quin ab æter-

ab æterno executioni mandaretur id, quod ipse ab æterno ordinat. Ergo hoc ipso, quòd prædestinatio solùm sit causa moralis suorum effectuum, dirigens & ordinans media in suos fines, non erit adhuc passiuè in prædestinato, sed in prædestinante, si vt est sub prædicto conceptu, & præcisione consideretur. Vnde licet prædestinatio sub conceptu prædestinationis, & vt distincta ab executione, quæ ei tam in sua linea; quam vt identificatæ cum potentia Dei executiua conuenit, sit efficax; quia tamen est efficax hoc modo; ideò potest esse actualis prædestinatio Dei ab æterno respectu alicuius, illeq; denominari prædestinatus, quin sequatur aliqua mutatio intrinseca, ex parte eius, & quin ipsa prædestinatio passiuè sumpta, & vt sub prædicto conceptu stat, sit intrinsecè in prædestinato. Nam ex eo, quòd prædestinatio sit ratio ordinis aliquorum in finem, optimè colligitur, eam esse in mente diuina.

Prædestinatio tria munera inadæquata exercet.

Corollarium IV. Prædestinatio quatenùs distincta virtualiter à potentia executiua Dei, tria munera inadæquata exercet. *Vnum*, quòd sit actus peculiaris quasi contrahens diuinam cognitionem, vt est actus formaliter immanens in Deo. *Alterum*, quòd habeat quasi contrahere eandem diuinam cognitionem, quatenùs ratione suæ eminentiæ, & virtualiter transiens in creaturas, causando in illis, siue dirigendo, siue exequendo aliquos effectus; ita tamen, vt prædestinatio secundùm hoc munus præcisum, non dicat seipsam, vt actu, & in exercitio, & intra propriam lineam causat in tempore suos effectus, ponendo illos ad extra, sed dicat seipsam, vt est actu efficax, ad tribuendum intra suam lineam illis, quòd sint futuri, siquidem effectus prædestinationis habent esse futuri ratione illius. *Tertium*, quòd simul habeat actu, & in exercitio causare in suo proprio genere, & linea, nimirùm in genere causæ directiuæ, & ordinatiuæ, proprios effectus, ponendo illos in tempore ad extra, id est, quòd non solùm habeat omnem actualitatem, requisitam ex parte Dei, & ab æterno in illo existentem, ad hoc vt actu, & in exercitio causet, & non solùm tribuat eis actu, quòd sint futuri; sed etiam actualiter, & in tempore terminetur ad executionem prædictorum effectuum. Iam verò vt identificatur cum potentia Dei executiuâ, habet insuper aliud munus, videlicet exequi per modum causæ efficientis, ac exequentis, & non solùm per modum causæ directiuæ, & ordinatiuæ prædictos effectus. Prædestinatio igitur secundùm primũ munus significata, solùm est in prædestinante, eò quòd cognitio quatenùs talis, & vt præscindit à munere actionis virtualiter transeuntis, non possit esse nisi in cognoscente. Similiter prædestinatio vt exercet secundum munus, etiam solùm est in ipso prædestinante: quòd enim diuina cognitio habeat virtualiter transire in creaturas, non quidem vt actu, & in exercitio, ac intra suam lineam ponit illas in tempore ad extra, sed vt præcisè tribuit eis denominationem futurarum, nihil ponit in ipsis creaturis præter extrinsecam denominationem futurarum.

Executio prædestinationis actiuè sumpta, solùm est in Deo; passiuè autem est intrinsecè in creaturis.

Corollarium V. Executio prædestinationis actiuè sumpta, solùm est in Deo; passiuè autem considerata est intrinsecè in creaturis, circa quas versatur. Ita S. Thomas 1. p. qu. 23. art. 1. vbi dicit: *Vnde manifestum est, quod prædestinatio est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam, in mente diuina existens: executio autem huius ordinis est, passiuè quidem in prædestinatis, actiuè autem est in Deo.* Ratio igitur *primæ partis corollarij est*, quia duplex executio

actiua potest correspondere prædestinationi, scilicet ea, quæ prouenit ab ipsa intra propriam lineam, & per modum causæ moralis ordinatiuæ; & ea, quæ competit illi extra suam lineam, in genere causæ physicæ actiuæ, ratione identificationis, quàm habet cum potentia executiuâ. Sed vtraque ista executio actiua identificatur realiter cum actibus diuinis immanentibus, puta cum ipsa prædestinatione, & cum scientia approbationis, quæ est potentia executiua Dei. Ergo solùm est aliquid intrinsecum in prædestinante, non autem in prædestinato. *Consequentia manifestá ex eo*, quòd actus immanentes diuini, solùm sint intrinsecè in Deo, *Antecedens etiam patet*: quia quælibet executio actiua, distincta realiter à virtute executiua, siue talis virtus sit executiua, in genere causæ moralis ordinatiuæ, siue in genere causæ physicæ, vt distinctæ à causa ordinatiuâ, est actualior, quàm prædicta virtus: eò quòd actus secundus realiter distinctus à primo, habeat minus de potentialitate; quàm actus primus: ideoq; iste est in potentia ad actum secundùm; actus autem secundus comparatur per modum actualitatis vltimæ, aut quasi vltimæ respectu illius; ergo repugnat aliquam executionem Dei actiuè sumptam, non identificari realiter cum actibus immanentibus Dei, & cum virtutibus executiuis eiusdem. Alioqui daretur aliquid extra ipsum, quod esset actus alius ab actibus immanẽtibus eiusdem Dei, & virtutibus executricibus illius. *Ratio deinde secundæ partis corollarij est, quòd scilicet executio prædestinationis passiuè sumpta, solùm sit in prædestinato*: quia executio prædestinationis passiuè sumpta, videlicet ea, quæ illi conuenit tàm intra propriam lineam, quàm vt identificatur cum potentia executiua Dei, non dicit in recto, & formaliter actus immanentes diuini intellectus, atq; voluntatis, verùm effectus in tempore deriuatos ad ipsos prædestinatos, v. g. vocationem, iustificationem, & glorificationem, prout sunt à prædestinatione, & à potentia executiuâ. Sed isti effectus sunt aliquid in prædestinato: ergo executio prædestinationis passiuè considerata, est intrinsecè in creaturis; siquidem executio passiua predestinationis est aliquid temporale: hinc prædestinatis solùm in tempore confertur gratia, & gloria, solumq; in tempore executioni mandantur ea, circa quæ imperium prædestinationis versatur. Porrò hoc aliquid temporale nihil aliud est, nisi effectus prædestinationis, vt procedentes à Deo, in quo ipsa executio passiua predstinationis consistat.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Partes obiectiuæ alicuius virtutis, aut habitus, sunt eiusdem rationis, & conditionis. Sed prædestinatio non est eiusdem conditionis cum alijs partibus diuinæ prouidentiæ; ergo non est pars obiectiua illius. *Maior patet*: nam omnes v. g. cõclusiones theologicæ, quia sunt partes obiectiuæ habitus Theologici, procedunt ex principijs fidei, nituntur q; diuinæ reuelationi virtuali. *Minor etiam facilè deducitur*: quia prædestinatio importat infallibilem finis consecutionem, quam non dicunt aliæ partes diuinæ prouidentiæ, vt constat in reprobatione, quæ est quædam prouidentia, quæ versatur circa res, quæ nunquàm consequentur suum finem: ergo prædestinatio non est eiusdem rationis, & conditionis cum alijs partibus diuinæ prouidentiæ.

Solutio eiusdem

Respondetur distinguendo maiorem. Partes

Partes obiectiuæ alicuius virtutis, aut habitûs, debent esse eiusdem conditionis essentialis, *conceditur maior*: eiusdem conditionis accidentalis semper, *negatur maior. Similiter distinguitur minor.* Prædestinatio non est eiusdem conditionis essentialis, *negatur minor*: eiusdem conditionis accidentialis, *conceditur minor, & negatur consequentia. Ad probationem minoris, negatur itidem consequentia*: nam hoc, quod est consequi infallibiliter finem rei prouisæ, non est conditio essentialis, sed tantùm accidentalis diuinæ prouidentiæ, vt sic, quæ solùm respicit essentialiter finem vltimum ipsius prouisoris, scilicet gloriam Dei, & manifestationem diuinorum attributorum; hunc autem semper consequitur, in illoq; omnes eius partes semper conueniunt.

Objectio secunda.

Objicitur II. *Contra Corollarium I.* Prædestinatio addit aliquid supra prouidentiam diuinam, absolutè, & simpliciter, seu in sua amplitudine sumptam, per quod determinetur ad hoc, vt sit peculiaris quædam prouidentia: ergo est pars subiectiua diuinæ prouidentiæ. *Antecedens* est S. Thomæ q. 6. de verit. ar. 1. & in 1. dist. 40. q. 1. ar. 1. ad 2. Ibidemq; ad Anibaldum ar. 1. vbi dicit: *Hæc tamen prædestinatio supra prouidentiam addit, quia prouidentia importat tantùm ordinem prouisorum in finem: sed prædestinatio respicit & ordinem, & exitum ordinis. Vnde ex hoc ipso, quòd aliqua ordinantur in finem prouidentiæ subiacent; sed prædestinari non dicuntur, nisi hoc modo ordinentur, vt præsciantur finem consecutura esse. Consequentia etiam manifesta*: quia quod addit aliquid supra rationem diuini attributi, determinãs illud ad hoc, vt sit speciale attributum, est pars subiectiua diuini attributi in sua simplicitate sumpti: ergo etiam quod addit aliquid supra rationem prouidentiæ diuinæ in sua amplitudine sumptæ, seu absolutè, & simpliciter dictæ, est pars subiectiua diuinæ prouidentiæ. *Respondetur distinguendo antecedens.* Prædestinatio addit aliquid supra prouidentiam diuinam, tenens se ex parte rationis formalis, *negatur*: tenens se solùm ex parte obiecti, seu connotati materialis, *conceditur antecedens, & sic negatur consequentia.* Non omnis itaq; additio ad aliquid, facit partem subiectiuam; sed solùm additio ad rationem formalem, & per se. Sic intellectus practicus addit aliquid supra intellectum, videlicet ordinem ad operationem; & tamen non est pars subiectiua illius: quia ratio practici solùm se tenet ex parte obiecti materialis intellectûs; non verò ex parte obiecti formalis. Similiter scientia visionis, aut approbationis in Deo, addunt aliquid supra scientiam vt sic, nimirùm præsentiam obiecti in mensura propriâ, aut superiori æternitatis, decretumque seu beneplacitum diuinæ voluntatis; & tamen non sunt partes subiectiuæ, sed obiectiuæ solùm diuinæ scientiæ. Vnde cùm efficacia mediorum, & consecutio gloriæ, quas prædestinatio addit supra prouidentiam generalem, non sint aliquid tenens se ex parte rationis formalis diuinæ prouidentiæ, quæ est respicere finem vltimum simpliciter ipsius prouisoris; ideò prædestinatio non est pars subiectiua, sed tantùm obiectiua diuinæ prouidentiæ.

Solutio eiusdem.

Objectio tertia.

Objicitur III. *Contra Corollarium III.* In tertia definitione prædestinationis, ex D. Augustino superiùs allata, ponitur aliquid temporale, scilicet gratia, & beneficia, quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur: ergo prædestinatio tàm secundùm se, quàm quoad eius executionem, siue actiuè, siue passiuè sumptam, debet esse in prædestinato, & consequenter in illo aliquid ponere. *Respondetur distinguendo antecedens.* Ponitur aliquid

Solutio eiusdem.

quid temporale, per modum constitutiui prædestinationis, *negatur antecedens*: per modum effectûs ex vi illius futuri, *conceditur antecedens, & negatur consequentia.* Vnde nihil obest æternitati prædestinationis, quòd in eius definitione ponatur aliquid temporale, per modum effectûs, & modo dicto; obesset autem, si poneretur per modum constitutiui illius.

DISPVTATIO II.

De causis Prædestinationis.

INuestigatâ existentiâ, & essentiâ prædestinationis, causas illius in præsenti disputatione inuestigare intendimus, idq; missâ efficienti, quæ est solus Deus; & finali, quæ est manifestatio diuinarum perfectionum: & formali, quæ est actus diuini imperij transmittentis creaturam rationalem in finem vitæ æternæ: ac tandem causâ materiali, quæ est creatura rationalis, seu intellectualis, solam causam motiuam prædestinationis hoc loco inquiremus.

QVÆSTIO I.

An prædestinatio ad gloriam sit omninò gratuita, & ante præuisa merita.

QVæstio hæc ab alijs, sub his terminis proponi solet, an electio efficax prædestinatorum ad gloriam, sit ante præuisa merita, vel post præuisionem eorum, eò quòd prædestinatio formaliter sumpta, & consistens in imperio, præsupponat electionem mediorum, ac meritorum, quibus gloria comparanda est.

Suppono itaq; I. Dari in Deo absolutam, & efficacem voluntatem, eligendi prædestinatos ad gloriam, vt constat ex illo Lucæ 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnũ.* Qui locus communiter exponitur de prædestinatis. *Tum ex eo*, quia certum est, prædestinatos, qui ad gloriam sunt electi, consequi absolutè, & efficaciter eandem gloriam: ex quo manifestè patet, esse in Deo voluntatem absolutam, & efficacem eligendi eos ad illam. Alioqui daretur aliquis effectus absolutè, & efficaciter executus, quin efficaciter, & absolutè esset volitus, & electus à Deo, quod apertè repugnat.

Suppono *præterea*. Nomen prædestinationis in titulo quæstionis positum, non sumi hîc, prout comprehendit preparationem mediorum, seu gratiarum ad salutem æternam consequendam; sed prout significat solùm electionem ad gloriam, in istoq; sensu quæritur, an Deus omnes saluandos ita prædestinauerit, vt eos absolutâ, & efficaci voluntate elegerit ad gloriam, certumq; gloriæ gradum, priusquàm iuxta nostrum concipiendi modum, vlla eorum merita præuiderit; an certè è contra electio illa efficax ad gloriam, facta sit propter præuisa bona illorum merita, seu opera, & finalem in gratia perseuerantiam.

Opinio prima.

Prima itaq; sententia affirmat, electionem saluandorum ad gloriam, factam esse à Deo absolutâ, & efficaci voluntate, ante vlla præuisa illorum merita, & virtute illius electionis, à Deo præparata, ac decreta esse omnia illa gratiæ supernaturalis auxilia, quibus electi ad bona opera illius gloriæ de condigno meritoria excitarentur, & adiuuarentur. Hanc tenet Scotus in 1. sent. dist. 41. q. 1. Sotus in cap. 9. ad Rom. & alij.

Opinio secunda.

Altera sententia docet, electionem absolutam, & efficacem prædestinatorum ad gloriam, factam esse post præuisionem meritorum, & finalis perseuerantiæ in gratia. Hanc sequuntur Alexander

der Alensis 1. p. q. 28. n. 3. ar. 3. S. Bonauentura in 1. dist. 41. q. 2. n. 15. & alij ex Neotericis. Catharinus autem distinguit inter eximiè Sanctos, & minùs sanctos, dicitq; illos ante præuisionem meritorum efficaciter eligi ad gloriam; hos verò nonnisi post præuisa merita.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

CONclusio: Prædestinatio, seu electio, seu intentio efficax prædestinatorum ad gloram, est omninò gatuita, & ante præuisionem meritorum. Ita communis Theologum sententia.

Probatur I. Ex Scriptura Sacra, Lucæ 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum gratuitò.* Vbi Christus loquitur de electione efficaci propria prædestinatis, vt euidenter colligitur ex illis verbis, *pusillus grex*; prædestinati enim comparatione reproborum sic vocantur, Ioan. 6. *Hæc est voluntas Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.* Vbi S. Augustinus dicit, hoc esse intelligendum de prædestinatis ante merita visa. Ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Et cap. 8. *Nam quos præsciuit, & prædestinauit.* Et cap. 9. vbi de prædestinatione nostra ex instituto differens, eam refert in solam Dei miserentis voluntatem, eligentis hos, & non illos, quod illustrat exemplo duorum geminorum, scilicet Iacobi, & Esau; qui cum nondum nati essent, nec aliquid boni egissent, aut mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et paulò inferius: *Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor.* Quod Exodi 33. his verbis clarius edisseritur: *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Igitur non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei.* Similiter ad Ephes. 1. gratuitam Dei prædestinationem, mirum in modum commendat his verbis: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in Charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ suæ.* Ex quo loco S. Augustinus lib. de Prædest. SS. cap. 18. infert: *Elegit* inquit, *vt essemus sancti: ergo non quia futuri eramus: ideò quippe tales futuri eramus, quia elegit ipse prædestinans, vt tales per gratiam ipsius essemus.* Et ibidem cap. 10. dicit: *Non quia credidimus elegit nos, sed vt credamus, ne priores illum elegisse dicamur, falsumq; sit illud Christi: non vos elegistis me, sed ego elegi vos.* Ergo ex mente Scripturæ Sacræ, electio efficax prædestinatorum ad gloriam, est omninò gratuita, & ante præuisionem meritorum facta.

Prædestinatio est omninò gratuita, & ante præuisa merita.

Probatur II. Authoritate SS. Patrum. In primis D. Augustini, qui lib. de corrept. & gratia, cap. 7. ita scribit: *Illi ergo sunt electi qui secundùm propositum vocati, qui etiam prædestinati, atq; præsciti. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodò electus est Iudas ad opus, cui congruebat. Illos debemus intelligere per misericordiam electos: illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum: illum ad effundendum sanguinem suum.* Vbi S. Augustinus loquitur de electione efficaci ad gloriam, quæ non est communis Iudæ cum alijs electis. Et quidem loquitur de electione gratuita, cùm dicat electos esse per misericordiam ad regnandum cum Christo, & huiusmodi electionem non fuisse factam per iudicium, id est, per operum discussionem. Deinde S. Fulgetius lib. de Fide ad Petrum cap. 3. dicit: *Illi autem cum Christo regnabunt, quos Deus gratuita bonitate prædestinauit ad regnum. Quia enim tales prædestinandos præparauit, vt regno digni essent, præparauit vtiq; secundùm propositum vocandos, vt obediant, præparauit iustificandos, vt benè viuant, præparauit etiam glorificandos, vt regnum cœlorum sine fine possideant.* Quibus verbis palam docet, prædestinationem, seu electionem ad gloriam, gratuitam esse. Idem docet S. Bernardus, super illud Sapien. 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas*, ita discurrens: *Regnum Dei conceditur, promittitur, percipitur: conceditur in prædestinatione: promittitur in vocatione: ostenditur in iustificatione: in glorificatione percipitur. Vnde illud; Venite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei. Sic enim ait Apostolus: Quos præsciuit, hos & vocauit, & quos vocauit, illos & iustificauit; quos autem & iustificauit, illos & magnificauit. In prædestinatione est gratia: in vocatione potentia: in iustificatione lætitia: in magnificatione est gloria.* Ergo ex mente Sanctorum Patrum, electio efficax ad gloriam, est omninò gratuita, & ante præuisionem meritorum facta.

Probatio secunda.

Probatur III. Authoritate Sancti Thomæ, qui 1. p. q. 23. ar. 4. dicit: *Prædestinatio* inquit, *secundum rationem præsupponit electionem, quia prædestinatio est ratio ordinationis in finem; non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præsupposita voluntate finis. Vnde prædestinatio aliquorum in salutem æternam, præsupponit secundùm rationem, quòd Deus velit illorum salutem.* Ex quo loco sic argumentor. Illorum Deus vult salutem præsuppositiuè modo nostro intelligendi, quorum Deus habet prædestinationem in salutem, vt dicit S. Thomas: ergo & aliquorum tantùm, proinde efficaciter præsuppositiuè voluit salutem. Et ar. 5. ad 3. *Quare inquit, hos elegit ad gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, nisi diuinam voluntatem.* Ex quo loco infero: ergo non merita: alias falsa esset doctrina S. Thomæ, si electio ad gloriam, supponeret præscientiam meritorum. Et in 1. sent dist. 41. ar. 1. ad 1. & 2. dicit: *Electio diuina est, quâ aliqui ex ordine suæ sapientia ordinantur ad finem beatitudinis. Sed prædestinatio est, secundùm quod præparantur eis ea, quæ perducunt ad finem. Et ideò sicut voluntas ordinans in finem, præcedit actum voluntatis præparantis ea, quæ ducunt in finem; ita electio prædestinationem præcedit.* Ex quibus verbis infero: vtiq; efficax efficacem, & inefficax inefficacem. Sed prædestinatio, seu præparatio mediorum perducentium ad finem est efficax: ergo & volitio, seu electio ad gloriam, quam præsupponit prędestinatio, efficax erit. Sed efficax volitio finis, est ante volita, proinde absolutè præuisa media, vt ex allato testimonio S. Thomæ constat: ergo & ante visum mediorum, id est merita. Et qu. 2. de verit. art. 2. dicit: *Quòd Deus velit alicui dare gratiam, & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit.* Et q. 6. ar. 6. dicit: *Præscientia meritorum, vel propriorum, vel alienorum, non est causa prædestinationis.* Ergo iuxta S. Thomam, electio efficax prædestinatorum ad gloriam, est omninò gratuita, & ante præuisionem meritorum.

Probatio tertia.

Probatur IV. Qui ordinatè vult, priùs vult finem; quàm media ad finem. Sed Deus ordinatè vult: ergo priùs vult finem, quàm media ad illum. Sed gloria est finis; merita autem sunt media ad eam conducentia: ergo priùs vult gloriam; quàm merita: & consequenter electio ad gloriam, non potest esse ex præuisione meritorum. Maior est Aristotelis 3. Ethic cap. 8. vbi docet: *finem esse priùs volitum ab agente, quàm media ad illum.* Ex quo principio optimè infertur; Deum priùs in signo rationis voluisse electis bonum vitæ æternæ, nullis præsup-

Probatio quarta.

præsuppositis meritis, etiam præuisis, & postmodùm determinasse media, videlicet merita, per quæ ad vitam æternam peruenirent. *Præterea*, quia in paruulis post baptismum morientibus, & in adultis serò baptizatis, moxq; à baptismo è vita discedentibus, est efficax electio ad gloriam, ante merita illorum: ergo & in adultis bene operantibus, ac merentibus apud Deum, idem euenisse censendum est. Nam disparitas sufficiens ex reuelatis nunquàm assignari poterit. Ex quo sequitur, morientes post baptismum, statim vi gratiæ habitualis obtentæ, habere ius hæreditatis ad regnum cœleste; non tamen ius meriti, ac iustitiæ. *Insuper*, quia prædestinatio propriè sumpta, est efficax præordinatio, & directio quorundam præ alijs in gloriam, *tum* tanquàm gratiam, *tum* tanquàm mercedem, ex Concilio Trident. Sess. 6. cap. vltimo: ergo præsuppositiuè volitam efficaciter, idq; sine intuitu meritorum sub priore respectu: iam enim non esset gratia. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Electio efficax ad gloriam, facta ante præuisa merita, extenditur etiam ad determinatum gradum beatitudinis, quem in particulari quilibet prædestinatus habebit. *Ratio*: quia non tantum gloria absolutè considerata, verùm etiam in gradu determinato, est finis meritorum: ergo ita debuit terminare efficacem electionem anteuertentem merita. *Consequentia patet*: quia finis vt sic ordine intentionis, est prior medijs ad illum ordinatis.

Electio efficax ad gloriam, extenditur etiam ad determinatum gradum beatitudinis.

Corollarium II. Prædestinatio, seu electio efficax ad gloriam, non tantùm hominum, sed etiam Angelorum, facta est ante præuisa merita. *Ratio*: quia volitio, quâ Deus voluit Angelis gratiam, & merita, est volitio non finis, sed mediorum: ergo supponit volitionem finis, ad quem ista media ordinantur, & consequenter supponit electionē ad gloriam. *Præterea*, quia prædestinatio hominum, & Angelorum, est eiusdem rationis, & speciei, vt docet S. Thomas citatus ar. 1. ad 3. Ergo sicut prædestinatio hominum, supponit electionē absolutam ad gloriam ante præuisa merita; ita & prædestinatio Angelorum.

Corollarium III. Gloria, & merita, non vno actu, sed diuersis virtualiter, sunt à Deo efficaciter volita. *Ratio*: quia electio ad gloriam vt finem, tenet rationem intentionis; voluntas autem gratiæ, & meritorum, rationem electionis sortitur. Sed electio, & intentio in nobis distinguuntur realiter, & in Deo virtualiter. Quemadmodum actus luminis principiorum in nobis causat realiter actum scientificum, & in Deo virtualiter; ergo electio ad gloriam, & voluntas gratiæ, ac meritorum, virtualiter in Deo distinguuntur.

Gloria & merita diuersis virtualiter actibus à Deo volita sunt.

Corollarium IV. Præter decretum intentiuum gloriæ, meritorum præuisionem anteuertens, datur aliud executiuum circa gloriam, supponens præuisa merita. *Ratio* quia sicut in nobis intentio, & vsus, sunt duo actus voluntatis distincti, quorum primus electionem mediorum præcedit; secundus verò est post electionem, versaturq; circa executionem mediorum, ac finis. Ita nostro modo intelligendi, in voluntate diuina præter electionem mediorum; ad ordinem intentionis spectantem, admittendum est decretum executiuum de ijsdem medijs, ab electione aliqua ratione distinctum, quod decretum est ipsa volitio, quâ Deus vult efficaciter suam potentiam executiuam applicare ad hoc, vt prædestinati suo tempore gloriam consequantur. *Præterea*, quia actus exterior non potest habere honestatem alicuius virtutis specialis, nisi actus

Decretum executiuũ circa gloriam supponit præuisa merita.

actus aliquis interior voluntatis, eadem honestate formaliter gaudeat: nam sicut actui exteriori non competit formaliter libertas, nisi ratione interioris; ita neq; honestas, siue bonitas moralis, quæ in libertate fundatur, eamq; supponit. Sed exterior gloriæ collatio, gaudet formaliter honestate iustitiæ, iuxta illud Apostoli 2. ad Timot. 4. *De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Quibus verbis ostendit S. Paulus, gloriam dari à Deo vt iusto iudice, & tanquàm coronam iustitiæ, proinde non solùm ex gratitudine, aut fidelitate; sed etiam ex vera, & propria iustitiâ: ergo datur aliquis actus voluntatis diuinæ, tali honestate formaliter gaudens. Vnde cùm electio efficax ad gloriam, spectans ad ordinem intentionis, eiusmodi honestate non gaudeat, verùm sit purè gratuita, & liberalis, omninò admitti debet in Deo decretum executiuum, induens talem honestatem.

Corollarium V. Præscientia cooperationis, aut boni vsus liberi arbitrij, non est causa, ratio, aut conditio *sine qua non* prædestinationis. *Ratio*: quia effectus prædestinationis non potest ad eam præsupponi, neque vt causa, neque vt ratio, neq; vt conditio *sine qua non* illius. Sed cooperatio, aut bonus vsus liberi arbitrij, est effectus prædestinationis, vt omnes Theologi consentiunt: ergo cooperatio, aut bonus vsus liberi arbitrij, vt a Deo præscitus, non potest ad prædestinationem præsupponi, vt causa, aut conditio, *sine qua non* illius.

Articvlvs II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

Obijcitur I. *Contra Conclusionem.* Si Deus ante præuisa merita eligeret homines ad gloriam, consequerentur illam sine vllis meritis. Sed hoc est contra Theologiam Christianam: ergo electio prædestinatorum ad gloriam, non est omninò gratuita, & ante præuisionem meritorum. *Sequela patet*: quia si Deus ante præuisa merita, eligeret homines ad gloriam, ista voluntas diuina esset efficax, proinde deberet infallibiliter sortiri suum affectũ: ergo stante tali electione, consequerentur homines gloriam sine vllis meritis. *Respondetur negando sequelam maioris*: nam licet Deus ante præuisa merita, velit dare gloriã prædestinatis; non tamen sine meritis: imò potiùs ex illa voluntate gratuitâ, tanquàm ex prima radice, oritur voluntas dandi gratiam, & merita, quibus tanquàm medijs electi vitam æternam infallibiliter consequantur, iuxta illud S. Prosperi de vocat. Gentium, cap. 35. *Deus his, quos elegit sine meritis, dat vnde ornantur ex meritis.* Vnde verissimum est, quòd Deus velit dare gloriam per merita, hoc est, quòd non velit dare gloriam in executione, sine meritis, & bonis operibus, eò quòd velit illam dare per modum præmij, & coronæ: hoc enim solùm significat, bona opera intrare prædestinationem, tanquàm effectus ex illa subsecutos, & deriuatos. At verò falsum est, Deum velle dare gloriam propter merita: quia per hoc denotatur, Deum intuitu meritorum, quæ præuidet, moueri, & excitari ad eligendum homines ad gloriam.

Solutio eiusdem.

Obijcitur II. Gloria in executione non confertur adultis, nisi vt præmium meritorum: ergo Deus ab æterno non aliter eam decreuit conferre, nisi ex præuisis meritis. *Consequentia patet*: quia non aliter ab æterno fuit decreta gloria; quàm in tempore executioni mandatur: ergo si in tempore confertur dependenter à meritis, etiam ab æter-

Obiectio secunda.

ab æterno ex illis vt præuisis decreta fuit: & sic non dabitur in Deo decretum efficax circa gloriam, merita præuisa anteuertens. *Respondetur, concesso antecedente, negatur consequentia*: Duplex enim decretum in Deo circa gloriam, constituendum est. *vnum intentiuum*, & hoc cum executione in modo attingendi obiectum non adæquatur, imò potius opposito modo procedit: nam vnde incipit intentio, ibi terminatur executio; & sic loquendo de isto decreto, falsum est, gloriam eodem modo esse decretam, ac intentam à Deo, quo in tempore executioni mandatur. *Alterum est executiuum*, & de hoc loquendo, verum est, per illud ab æterno volitam esse gloriam eo modo, quo in tempore exequitur: proinde sicut in tempore confertur ex meritis; ita quoq; ab æterno ex illis fuit volita per decretum executiuum.

Solutio eiusdem.

Instabis. Voluntati gratuitæ danti gloriam, nullus correspondet effectus ad extra: ergo in Deo non datur talis voluntas, seu decretum illud intentiuum gloriæ, meritorum præscientiam anteuertens. *Consequentia manifesta*: quia cuilibet decreto diuino, debet aliquis effectus ad extra correspondere. *Antecedens etiam patet*: quia si aliquis effectus corresponderet illi, deberet esse gloria gratis, & sine meritis collata; quæ tamen non ita de facto confertur. *Respondetur negando Antecedens*. *Ad eius probationem, negatur*, effectū correspondentem decreto intentiuo gloriæ, debere esse gloriam gratis datam. Quamuis enim volūtas dandi gloriam, sit ante præuisa merita; non tamen est voluntas dandi gloriam sine meritis, sed per merita, & bona opera, ab ipsa præparanda: & sic effectus illius ad extra, est gloria in executione ex meritis communicata.

Instantia & solutio eiusdem.

Instabis II. Deus de absolutâ potentiâ, potuit efficaciter eligere homines ad gratiam, & ad merita, non præsuppositâ intentione efficaci gloriæ: ergo de facto decretum istud intentiuum gloriæ non datur in Deo. *Respondetur negando consequentiam*: Deus enim duobus modis potuit se gerere in collatione gratiæ, & meritorum. *Primò*, vt vellet, & amaret illa tanquàm media solum sufficientia, neq; vt infallibiliter cum gloria connexa. *Secundò* ita, vt vellet, & amaret gratiam, atq; merita, vt media efficacia, & infallibiliter connexa cum gloria. Primo itaq; modo, potuit efficaciter Deus eligere homines ad gratiam, & ad merita, sine præsuppositâ intentione gloriæ; secundo autem modo, non potuit. Nam sicut implicat euidentem assensum conclusionis, quatenus conclusio est, haberi sine euidenti præmissarum assensu; ita repugnat efficacem electionem, medij vt infallibiliter connexi cum fine, poni sine præuiâ efficaci finis intentione.

Instantia II. & solutio eiusdem.

QVÆSTIO II.

An ex parte prædestinati detur aliqua causa prædestinationis.

Cùm in præcedenti quæstione declaratum sit, Deum ab æterno habuisse actum intentionis dandi gloriam, quæ ordine intentionis est primus effectus prædestinationis, antequam præuideret merita prædestinatorum, seu independenter à bonis operibus, vt à causa meritoriâ. Ideò nunc meritò inquiritur, an Deus ordine executionis habuerit decretum dandi primum effectum prædestinationis, ante præuisionem alicuius boni operis prædestinati, seu independenter ab ijsdem operibus, tanquàm à causa, aut ratione dispositiuâ, siue meritoriâ suæ prædestinationis. Considerando istam causalitatem, *tum* in bonis operibus, quæ sunt ordinis in-

nis inferioris, scilicet in bonis operibus ordinis naturalis: *tum* in bonis operibus supernaturalib⁹, quæ sunt ordinis superioris respectu operum naturalium.

Suppono itaque, quoniam ista quæstio ab alijs, sub hoc titulo proponi solet, an detur causa prædestinationis ex parte prædestinati, quoad primum effectum, quod idem sit inquirere, an detur causa prædestinationis, quoad primum effectum eiusdē prædestinationis, ordine executionis consideratæ; ac quærere, an detur prædicta causa respectu omnium effectuum illius. Nam si quid est causa meritoria respectu primi effectus, erit quoq; causa respectu omnium effectuum: quoniam prim⁹ effectus prædestinationis, vt talis, denotat ipsummet, vt cum effectu, & de facto conducit efficaciter ad consecutionem beatitudinis. Cùm autem non possit sic conducere, nisi vt dicit seipsum, vt cohæret cum cæteris tanquàm cum effectibus subsecutis, atq; illatis post ipsum, saltem ex intentione efficaci Dei; ideò necesse est, vt id, quod est causa prædicti primi effectus inferentis reliquos, sit quoque causa omnium aliorum, qui post ipsum sequuntur.

Suppono *præterea*. Nomine primi effect⁹ prædestinationis hoc loco, non intelligi primum effectum remotum deficientem, & inferioris ordinis cuiusmodi est substantia ipsius prædestinati: verùm intelligi primum effectū proximè procedentem à prædestinatione, & qui sit ordinis supernaturalis, qualis est prima vocatio congrua, quæ ex proposito Dei, seu ex intentione saluandi electos, tribuitur ipsis à Deo, de qua S. Augustinus lib. de Prædest. SS. cap. 18. ita loquitur: *Electi sunt autem de mundo ea vocatione, quâ Deus id, quod prædestinauit impleuit. Quos enim prædestinauit, ipsos & vocauit, illâ scilicet vocatione secundùm propositum Dei. Non ergo alios, sed quos prædestinauit, ipsos & vocauit: nec alios, sed quos ita vocauit, ipsos & iustificauit.* Aduertendum tamen est, per istam *vocationem congruam*, non intelligi cogitationem intrinsecam, & hærentem prædestinato, quâ primò eius cor pulsatur à Deo; sed vocationem congruam, prout ambit omnia auxilia, tàm intrinseca; quàm extrinseca, quæ procedunt à Deo Auctore supernaturali, & omnia principia ab eo deriuata, effectus prædestinationis competat.

Per vocationē congruā quid intelligatur.

quæ ad primam cogitationem intrinsecam concurrunt. Ita vt primo auxilio, primoq; principio ad id concurrenti, ratio primi effe-

Suppono III. Circa titulum quæstionis duos olim fuisse errores. *Primus* fuit Pelagij, qui existimans liberum arbitrium sufficere ad benè operandum, solumque per gratiam adiuuari ad faciliùs posse, affirmabat gratiam, & alios effectus supernaturales, ad prædestinationem pertinentes, dari nobis intuitu alicuius boni operis facti in gratia, tanquàm propter meritum, non solùm de congruo, sed etiam de condigno. *Secundus error* fuit Semipelagianorum, seu potiùs Massiliensium, qui cum consentirent, hominem sine gratia Dei non posse aliqua bona opera facere; dicebāt tamen ante ipsam gratiam præcedere ex parte nostra, non quidem bona opera, sed initia quædam fidei, & bonæ voluntatis, quorum intuitu Deus moueatur ad dandam primam gratiam auxiliantem, vt refert Cassianus Presbyter Massilien. lib. 12. de institutis Cœnobiorum, cap. 11. Sunt autem tres sententiæ in præsenti materia.

Error Pelagij.

Prima affirmat dari ex viribus naturæ causam dispositiuam, seu meritoriam de congruo primi au-

Sententiæ tres.

xilij ſupernaturalis, ſiue primi effectus reſpectu ſuæ prædeſtinationis. Pro hac citantur Scotus, & S. Bonauentura in 1. ſent. diſt. 41. ar. 1 q. 2. Gabriel. in 2. diſt. 27. q. 1. ar. 2. Durandus diſt. 28. q. 5. & alij.

Altera ſententia cenſet, opera bona ordinis naturalis, non eſſe ratione ſui diſpoſitiones phyſicas, aut morales, ad primam gratiam auxiliantem; nihilominùs ex lege Dei, & pacto inito cum Chriſto, de non neganda gratia facienti quod in ſe eſt, habere connexionem infallibilem cum illa. Hanc multi Neoterici ſequuntur.

Tertia tandem ſententia docet, nullam omninò ex parte prædeſtinati dari cauſam eius prædeſtinationis. Et hæc eſt communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Ex parte prædeſtinati nulla datur cauſa ipſius prædeſtinationis.

CONcluſio. Nulla datur cauſa ex parte prædeſtinati ipſius prædeſtinationis. *Probatur.* Quia cùm inter effectus prædeſtinationis numeretur prima gratia vocans ad iuſtificationem, & hæc ſub meritum non cadat, neq; ad illam dandam vllo motiuo Deus ex parte hominis vocati reperibili alliciatur, ideò ſequitur ex parte prædeſtinati, nullam dari cauſam nullumq; motiuum ipſius prædeſtinationis, quod Deum impulerit, vt voluerit hos prædeſtinare. Si quæ enim eſſet cauſa, illa certè valdè côduceret ad gloriæ adoptionem; cùm autem conducens ad gloriæ adoptionem, ſit effectus prædeſtinationis, ſequitur planè rem prædictam eſſe effectum, & non cauſam prædeſtinationis. Similiter prædeſtinationis, quatenùs includit ordinationem omnium mediorum efficaciter conducibilium ad conſequendam vitam æternam, impoſſibile eſt dari ex parte prædeſtinati motiuum, quod Deum alliciat ad hanc ordinationem, eò quòd in tali ordinatione, per infinitos etiam actus reflexos veritatem indagando, impoſſibile ſit non veniri ad liberalitatem Dei meram, citra omnem obligationem, decentiam, & quidpiam allud, ex parte creaturæ reperibile. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Opera moraliter bona ex ſolis naturæ viribus facta, non ſunt cauſa meritoria etiam de congruo primi auxilij gratiæ.

Corollarium I. Bona opera moraliter, ex ſolis viribus naturalibus liberi arbitrij facta, non ſunt cauſa meritoria etiam de congruo reſpectu primi effectus prædeſtinationis, ſcilicet primi auxilij gratiæ, ſeu primæ vocationis gratiæ efficacis, & congruæ. Ita Scriptura Sacra Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me traxerit eum.* Et 2. ad Corint. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis:* ergo non poteſt dici, quòd aliquod in nobis initium exiſtat, quod ſit ratio effectûs prædeſtinationis. Et ad Rom. 9. *Non volentis, neq; currentis, ſed Dei miſerentis.* Quem locum S. Auguſtinus exponit de prima vocatione, cap. 31. Enchirid: & ad Titum 3. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Quibus verbis oſtendit Apoſtolus, nullum opus noſtrum, ſiue meritorium propriè, ſiue ſolùm moraliter bonum dari, quod ſit meritorium de congruo iuſtificationis, aut prædeſtinationis, quodq; præcedat in nobis auxilia diuinæ gratiæ. Idem definitum eſt in Concilio Arauſicano 2. can 3. Mileuitano, & Palæſtino, vbi præcipitur Pelagio, vt fateatur gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra conferri, iuxta illud Iſaiæ 65. *Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui ijs, qui me non interrogabant.* Et in Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. vbi dicitur: *Declarat præterea S. Synodus, ipſius iuſtificationis exordium in adultis, à Dei per Ieſum*

ſum Chriſtum gratiâ præueniente ſumendum eſſe. Et *ratio corollarij eſt:* quia alias gratia daretur ex operibus factis ex viribus naturalibus liberi arbitrij, tanquàm ex aliquo merito, proinde non gratis, atq; ſic gratia non eſſet gratia. Nam quod datur ex merito, non datur omninò liberaliter, & gratuitò, proinde non gratis, neque illud, quod ſic datur, eſt gratia. Hac ratione nititur S. Paulus ad Rom. 11. *Præterea,* quia meritum de côgruo, facit ſibi aliqua ratione debitum præmium; nullum autem opus ordinis naturalis, poteſt ſupernaturalem gratiam ſibi debitam facere: vt enim illam ſibi debitam faceret, deberet ad eam tanquàm finem ordinari, cùm tamen opus naturale, non poſſit finem ſupernaturalem reſpicere, ſiquidem ea, quæ ſunt ordinis inferioris, non ordinantur, neq; dicunt habitudinem ad illa, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis. Ergo opus naturale non poteſt ſibi debitam facere gratiam ſupernaturalem, nec eam de congruo promereri.

Opera moraliter bona etiam diſpoſitiuè non côcurrunt ad primum vocationem.

Corollarium II. Opera bona moralia, ex ſolis naturæ viribus facta, etiam diſpoſitiuè non concurrunt ad primum effectum prædeſtinationis, ſeu ad primam vocationem. Ita Concilium Arauſic: can. 7. vbi dicit: quòd ſine auxilio gratiæ nihil poſſimus facere, quod conducit ad ſalutem æternam: ac proinde quòd homo viribus naturæ non poſſit ſe ad eam diſponere. Et Concil. Trident. citatum cap. 6. vbi dicit: *Diſponũtur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuinâ gratiâ, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum.* Quibus verbis diſpoſitionem ad iuſtitiam abſolutè reducit in diuinam gratiam, & ſic actus purè naturalis non poteſt diſponere ad eam, & conſequenter nec ad primam vocationem, ſeu auxilium gratiæ efficacis, quâ mediante iuſtificationem acquirimus. Et *ratio corollarij eſt:* quia forma, & diſpoſitio ad eam requiſita, debent eſſe eiuſdem ordinis. Sed opera moraliter bona, purè naturalia, non ſunt eiuſdem ordinis cum primo auxilio gratiæ: ergo non poſſunt eſſe cauſa diſpoſitiua illius. *Maior patet ex eo:* quia diſpoſitio ad formam, & forma ipſa, debent habere debitam proportionem, & commenſurationem; vnde ſi forma eſt ſuperioris ordinis, etiam diſpoſitio ad eundem ordinem pertinere debet. *Tum ex eo:* quia diſpoſitio etiam remota ad formam, eſt quoddam exordiũ ipſius formæ; exordium autem formæ, debet eſſe eiuſdem ordinis cum eadem forma: ergo actus purè naturalis, qui eſt inferioris ordinis reſpectu auxilij gratiæ ſupernaturalis, non poteſt habere rationem diſpoſitionis etiam remotæ, reſpectu illius.

Opera ſupernaturalia, prout procedunt à libero arbitrio, non ſunt cauſa meritoria, aut diſpoſitiua primi effectus prædeſtinationis.

Corollarium III. Etiam opera ſupernaturalia, adhuc prout procedunt à libero arbitrio, non ſunt cauſa meritoria, aut diſpoſitiua primi effectus prædeſtinationis. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 23. ar. 5. vbi ſic habet: *Dicendum eſt ergo, quòd effectum prædeſtinatis conſiderare poſſumus dupliciter. Vno modo in particulari, & ſic nihil prohibet aliquem effectum prædeſtinationis, eſſe cauſam, & rationem alterius. Poſteriorem quidem prioris, ſecundum rationem cauſæ finalis; priorem verò poſterioris, ſecundùm rationem cauſæ meritoriæ. Alio modo poteſt conſiderari prædeſtinationis effectus in cômuni. Et ſic impoſſibile eſt, quòd totus prædeſtinationis effectus in cômuni, habeat aliquam cauſam ex parte noſtra.* Vbi S. Doctor concedit quidem aliquorum effectuum in particulari, poſſe dari cauſam ex parte noſtra; non tamen totius effectus prædeſtinationis in communi, ſeu totius ſeriei, omnium effectuum, & conſequen-

sequenter etiam primi. *Ratio primæ partis*, quòd scilicet non sint causa meritoria, est hæc: quia quilibet effectus supernaturalis, etiam prout à nostro libero arbitrio, effectus gratiæ est, & prædestinationis; ergo repugnat, quòd prædicta cooperatio nostri arbitrij sit causa meritoria omnium effectuum prædestinationis, ac proinde etiam primi. Nam si esset causa meritoria omnium effectuum prędestinationis, & consequenter etiam primi, tunc esset quoque causa meritoria sui ipsius, cùm etiam ipsa inter prędictos effectus cōnumeretur; quod tamen manifestam inuoluit contradictionem.

Ratio deinde *secundæ partis corollarij est*, quòd scilicet prędicta opera supernaturalia, nō sint causa dispositiua primi effectus prędestinationis: quia primus effectus prędestinationis, non est vtcunq; primum donum gratiæ, sed illud prout à Deo auctore supernaturali procedit: ita vt licet hoc ipsum donum aliquando intrinsecè recipiatur in ipso prędestinato; prius tamen est, quod à Deo oriatur, quam quod recipiatur: & secundùm priorem illam rationem, est effectus prędestinationis, idq; primus. Sed secundùm hanc priorem rationem, non habet aliquam dispositionem, cùm dispositio tenea: se ex parte recipientis, ad munusq; recipiendi requiratur, non ex parte agentis, neq; est desiderata ad prędictum donum, vt à Deo procedit. Ergo primus effectus prędestinationis, non dependet à cooperatione liberi arbitrij, vt à causa dispositiua.

Corollarium IV. Actus supernaturalis prout est à libero arbitrio, seu bona cooperatio eiusdem arbitrij, prçuisa vt futura, non est conditio prçrequisita, & antecedens, seu absolutè, & simpliciter prior, & consequenter hoc modo non influit in primum effectū prędestinationis. Ita S. Augustinus, lib. de Prędest: SS. cap. 3. & 15. vbi dicit: *Prædestinatio Christi est exemplar prædestinationis nostræ, & quòd exemplar prædestinationis nostræ Christus, sine vllis meritis prædestinatus sit, vt esset Filius Dei in virtute; ita nos prædestinamur, vt simus filij Dei in hac vita, & futura: & consequenter nec nostra prædestinatio quoad suum primum effectū, pendet tanquam à conditione antecedenti, & præuisâ ante illum, ab operatione arbitrij.* Et *ratio corollarij est*: quia actus supernaturalis prout à libero arbitrio, est effectus prędestinationis, vt supra ostensum; ergo prçsupponit primum auxilium gratiæ, quo mediante elicitur, & quod est effectus prędestinationis, prior eodem actu supernaturali: & sic ille actus, prout est à libero arbitrio, non potest in executione prçcedere primum auxilium gratiæ, quod est primus effectus prędestinationis, neq; potest prçuideri vt futurus ante illud, per antecessionem iam dictam. Atq; sic non potest influere per modum conditionis prærequisitæ, & modo dicto antecedentis, priusq; præuisæ vt futuræ, respectu primi actus prædestinationis.

Corollarium V. Nulla lex est statuta, vt Deus homini facienti, quod in se est, ex facultate naturæ, infallibiliter conferat auxilium gratiæ. Ita Concilium Arausicanum 2. can. 6. vbi damnat asserentes, *sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis, misericordiam conferri.* Et *ratio corollarij est*: quia repugnat Christum meruisse, aut mereri potuisse, fieri aliquam legem à Patre æterno, per quam destruatur ratio, siue essentia gratiæ. Sed per eiusmodi legem statutam, de danda gratia facienti, quod in se est, destrueretur ratio gratiæ: ergo repugnat talem legē Christū potuisse mereri. *Minor patet*: tū, quia repugnat gratię quod detur

Deus facienti quod in se est, non tenetur dare gratiam.

detur ex operibus: iam enim gratia non esset gratia, sed debitum. *Tum*, quia contra rationem gratiæ prçuenientis est, prçueniri à libero arbitrio; iam verò datâ eiusmodi lege, gratia prçueniretur à libero arbitrio: supponeret enim bonum illius vsum, viribus naturæ habitum. Vnde axioma istud: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, intelligi debet de faciente quod in se est, non ex viribus naturæ, sed ex auxilio gratię, efficaciter mouente ad iustificationem. Ita explicat S. Thomas ad Rom. 10. lect. 3. & 1. 2. qu. 109. ar. 6. ad 2.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem*, S. Chrysost. homil. 17. in Ioan. & homil. 11. supra epist. ad Hebr. dicit: *Deum non præuenire nostras voluntates, ne illarum lædat libertatem, sed expectare vt nos incipiamus, & postea adiungere sua*: ergo supponit dari causam ex parte prędestinati, ipsius prędestinationis. *Respondetur negando consequentiā*: S. enim Chrysosthomus in citato loco agebat contra Manichęos, affirmantes humanam libertatem tolli per gratiam; & ideò affirmat homines liberè gratiæ Dei prçuenienti cooperari, proinde ibi humanam libertatem commendat: ita tamen, vt cùm dicit, Deum exspectare, vt nos incipiamus, & postea adiungere sua dona, loquatur de inceptione ex parte voluntatis nostræ, eleuatæ, per auxilium gratię, v. g. ad finem, & de alijs donis postea subsecutis, vt de iustificatione, donisque supernaturalibus ei annexis.

Solutio eiusdem.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.* Ratio gratię est simpliciter compossibilis cum merito de congruo: ergo opera bona moraliter, ex solis viribus liberi arbitrij facta, possunt esse causa meritoria de cōgruo primi auxilij gratiæ. *Respondetur, distinguendo antecedens.* Ratio gratię est compossibilis cum merito de congruo, habito ex gratia, *conceditur*: habito ex viribus naturę, *negatur antecedens*: nam qualibet gratia saltem in radice, omne meritum, & omne debitum excludere petit, ne ea naturę debita, & cum illa connexa putetur esse. Vnde quia cum hoc, quod est conferri ob merita de congruo habitā ex gratia, componitur exclusio omnis debiti in radice, videlicet in primo diuinę gratię auxilio; iam verò cum hoc, quod est dari ob merita habita ex viribus naturæ, id non componitur: inde est, quòd ratio gratiæ simpliciter talis, compossibilis sit cum hoc, quod est dari ob meritum congruum habitum ex gratia; minimè autem cum hoc, quod est conferri intuitu meriti de congruo, habiti ex viribus naturæ. Cùm ergo primum auxilium sit gratia simpliciter, ideò nō datur intuitu boni operis naturalis, vt meriti de congruo.

Solutio eiusdem.

Instantia

Instabis. Magis distat ordo hypostaticus ab ordine gratiæ; quàm ordo gratię ab ordine naturæ, cùm illa distantia sit infinita; hæc autem finita. Sed ordo hypostaticus potest cadere sub meritum de congruo: antiqui enim Patres de facto promeruerunt de congruo saltem circumstantias Incarnationis, vt constat ex tract. de Incarnatione: ergo pariter ordo gratiæ potest cadere sub merito de congruo actuū spectantium ad ordinem naturæ, non obstante distantiâ, quæ inter ordinem vtrumque reperitur. *Respondetur distinguendo maiorem.* Ordo hypostaticus magis distat ab ordine gratię; quàm ordo gratię ab ordine naturę, distantiâ entitatiuâ, *conceditur maior*: distantiâ proportionis, & habitudinis, *negatur maior*: & *sic concessa minore, negatur conse-*

Solutio eiusdem.

consequentia: nam distantiâ proportionis magis distat ordo naturę; quàm ordo hypostaticus, ab ordine gratię. Vnde cùm ordo hypostaticus, & ordo gratię, sint intra genus ordinis supernaturalis; ideò vnus potest terminare habitudinem actùum spectantium ad aliũ; at verò ordo gratię, & naturę, cùm sint omninò diuersi, vnus non potest ordinari ad alterum, siquidem forma supernaturalis totius naturæ existentiam excedit. Sic planè magis distat Deus ab intellectu perfuso lumine glorię; quàm substantia spiritualis ab oculo corporeo; & tamen potest Deus ab intellectu lumine glorię perfuso videri, substantia autem spiritualis non potest ab oculo corporeo. Certè non aliam ob causam, nisi quia illa maior distantia est in genere entis, non in ratione habitudinis potentiæ, ac obiecti. Eadem quoq; de causa, ordo hypostaticus potest attingi ab ordine gratiæ; ordo autem gratię non potest attingi ab ordine naturæ.

Obiectio tertia.

Objicitur III. *Contra Corollarium II.* Datur in natura virtus saltem radicalis, & remota in ordine ad actus supernaturales: ergo in illa datur virtus dispositiua, saltem remota, & mediata, & consequenter homo per actus moraliter bonos, ex naturę viribus elicitos, potest se disponere saltem remotè ad primum auxilium gratiæ. *Antecedens patet*: quia alias potentiæ vitales animę, v. g. intellectus, & voluntas, temerè passiuè se haberent ad actus supernaturales, neq; possent eleuari ad illos eliciendos. *Consequentia etiam manifesta*: quia non minùs est de ratione formæ supernaturalis, excedere facultatem actiuam naturæ; quàm facultatem dispositiuam: & sic cùm in natura admittatur vis productiua actuum supernaturalium, radicalis, & remota, non est cur ei denegari debeat vis dispositiua, saltem initialis, & remota. *Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia quoad secundam partem*: aliud enim est, virtus, seu potentia remotè dispositiua ad gratiam, & aliud dispositio remota. Vnde ex hoc; quòd in natura detur potentia remotè dispositiua ad gratiam, non sequitur hominem per actus naturaliter bonos, ex naturæ viribus elicitos, posse remotè ad primum gratiæ auxilium se disponere. Concedimus itaq; dari in natura, potentiam remotè dispositiuam ad gratiam, quia ad hoc sufficit, quòd in natura sit potentia remota elicitiua actuum supernaturalium, disponentium ad gratiam iustificantem; sed negamus dari in illa dispositionem remotam ad gratiam iustificantem, eò quòd illa, quę sunt ordinis inferioris, non possint disponere, & pręparare subjectum ad recipiendam formam, ordinis superioris. Vnde inter potentiam remotè dispositiuam, & remotam dispositionem, discrimen hoc est: quia potentia actiua, & remotè dispositiua, non influit ratione sui, sed vt eleuata per formam supernaturalem, dantem vires proximas elicitiuas; at verò dispositio remota, ratione sui exercet causalitatem in formam, neq; ad illam exercendam indiget eleuari per dispositiones proximas: quia licet istæ desiderentur, vt forma causetur, ac de potentia subiecti educatur; non requiruntur tamen vt eleuantes remotas dispositiones; quemadmodùm habitus, & auxilia ordinis supernaturalis, exiguntur ad eleuandas potentias animæ.

Solutio eiusdem.

Obiectio quarta.

Objicitur IV. Christus Dominus per opera subsecuta ad Incarnationem, meruit illam, seu vnionem hypostaticam: ergo pariter quilibet iustus per opera supernaturalia, prout adhuc procedunt à libero arbitrio, potest mereri suam primam gratiam, quæ est primus

mus effectus suæ prædestinationis. *Antecedens* deducitur ex illo Apocal. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem. Consequentia etiam manifesta*: quia vnio hypostatica est primus effectus prędestinationis Christi, principiumq; meriti, & valoris suorum operum: ergo si vnio hypostatica potest cadere sub meritum operum subsequentium, etiam primus effectus prędestinationis in nobis, videlicet prima gratia, potest cadere sub meritum operum supernaturalium, quæ ad eam subsequuntur, ab illaque procedunt. *Respondetur negando antecedens. Ad eius probationem dicitur*: ex citata authoritate non sequi, Christum meruisse vnionem personalem Verbi ad illam humanitatem, sed tantùm manifestationem, quòd ista vnio innotesceret, suumque nomen, quod est supra omne nomen, exaltaretur.

Solutio eiusdem.

DISPVTATIO III.

De effectibus Prædestinationis.

Licet prędestinatio formaliter nõ sit in prędestinato, sed in Deo prędestinante, vt constat ex supra dictis; quia tamen in quantum executioni mandatur, producit aliquos effectus in ipso prędestinato; ideò post explicatas causas prędestinationis, de eius effectibus agendum est.

QVÆSTIO I.

An glorificatio, seu visio beatifica prædestinatorum, sit effectus prædestinationis.

QVoniam glorificatio est præcipuus diuinæ prędestinationis effectus, ad quem omnes alij ordinantur; ideò de illo ante omnia tractant Theologi. Sunt autem duo genera effectuum prędestinationis: *alij* enim sunt immediatè, & quasi elicitiuè ab ipsa prędestinatione; *alij* verò mediatè, & quasi imperatiuè, eò quòd fiant, ab alia prouidentiâ, puta naturali, aut supernaturali generali; nihilominùs ordinantur per prędestinationem ad proprium eius finem, scilicet vitam æternam. Nam sicut gratia vtitur naturâ, tanquàm sibi inferiori & subditâ; ita quoq; prędestinatio imperat naturali prouidentiæ, dirigitq; eam ad suum finem.

Effect⁹ prędestinationis tres cõditiões habere debet.

Suppono itaq; ad hoc, vt aliquid sit effectus prędestinationis, tres istas conditiones requiri. *Prima est*, quòd non sit aliquid malum, quatenùs tale: seu vt alij loquuntur, quòd sit à Deo, propterea, quia cùm tàm prędestinatio; quàm eius executio actiuè sumpta sit in Deo, etiam effectum prędestinationis necesse est, esse effectũ Dei. Hinc peccata formaliter sumpta, non possunt dici effectus prędestinationis, quia sic accepta habent rationem mali vt talis, & sic non possunt causari à Deo. *Secunda conditio est*, quòd oriatur ex efficaci voluntate, & intentione Dei, tribuendi gloriam, ad quam prędestinatus transmittitur, propterea, quòd prima intentio efficax dandi gloriam, sit radix, & causa electionis, atque executionis mediorum, & omnium, quæ ad negotium prędestinationis concurrunt. Hinc Incarnatio Christi, & operationes meritoriæ eiusdem, non sunt effectus nostræ prędestinationis. Quia licet sint à Deo, & de facto, ac cum effectu conduxerint ad nostram beatitudinem; non fuerunt tamen ex efficaci intentione nostræ beatitudinis, imò potiùs hęc intentio, & tota nostra prędestinatio, ex parte obiecti considerata, fuit effectus eiusdem Incarnationis, ac meritorum Christi. Atque sic Incarnatio, & opera Christi, priùs sunt volita, ac intenta, eò quòd

quòd fuerint volita vt finis noſtræ prędeſtinationis. *Tertia conditio eſt:* quòd de facto conducat ad conſecutionem ſupernaturalis beatitudinis, quia prędeſtinatio, eſt ratio exiſtens in mente Dei, per quam efficaciter diſponuntur ea, quæ de facto, & cum effectu conducunt aliquomodò ad beatitudinem, ſiquidem efficax Dei voluntas fruſtrari non poteſt.

Prima igitur opinio negat, glorificationem eſſe effectum diuinæ prędeſtinationis. Hanc tenet Durandus in 1. diſt. 14. qu. 2. n. 11. eò quòd putet ſolam gratiam eſſe effectum prædeſtinationis. Sed communis Theologorum ſententia oppoſitum docet.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Glorificatio eſt effectus prędeſtinationis

CONcluſio. Glorificatio, ſeu beatitudo electorum, eſt effectus prædeſtinationis.

Probatur I. Ex Scriptura Sacra. Ad Rom. 8. *Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit; quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit.* Quæ vltima verba, de glorificatione per æternam beatitudinem explicat ſanctus Auguſtinus lib. de Prædeſt. SS. cap. 17. & de correct. & gratiâ, cap. 9. Origenes, & alij. Similiter ad Ephes. 1. dicit Apoſtolus: *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius.* Quæ verba S. Thomas lect. 1. ita exponit: *Sancti inquam in conſpectu eius, id eſt interiùs in corde: vbi ipſe ſolus conſpicit; vel in conſpectu eius, vt eum inſpiciamus: quia viſio eſt tota merces ſecundùm Auguſtinum.* Ergo iuxta Scripturam Sacram, glorificatio eſt effectus prędeſtinationis, ſiquidem S. Paulus recenſens effectus prędeſtinationis, inter ipſos glorificationem enumerat.

Probatur II. *Ratione.* Glorificatio eſt effectus gratiæ, ac meritorum, quæ ſunt media efficacia, conſecutionem finis vitę æternę, efficaciter cauſantia; ergo cùm iſta ſint effectus prędeſtinationis, cuius eſt præparare media, quibus prędeſtinati infallibiliter ſaluantur, etiã glorificatio erit eius effectus. *Conſequentia patet*; quia quod eſt cauſa mediorum efficacium, ac infallibiliter inferentium finẽ, quodque ſemper & inceſſanter dirigit, atq; ordinat efficaciter talia media in ordine ad finem intentum, vt contingit in prędeſtinatione, non poteſt non eſſe cauſa etiam finis efficaciter illati ex illis. Sic medicina non aliter dicitur eſſe cauſa ſanitatis, quæ cauſatur medijs medicamentis, quæ illi applicantur, niſi quia applicat remedia, quibus acquiritur ſanitas. Ergo potiori modo prędeſtinatio, quæ ſemper influit, ſemperq; dirigit in ordine ad media efficacia, & infallibiliter inferentia beatitudinem, erit cauſa ipſius beatitudinis, & conſequenter iſta erit effectus illius. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Non eſt de ratione prędeſtinationis abſolutè, vt effectus eius ſit per Chriſtum.

Corollarium I. Non requiritur per ſe, & intrinſecè ad prędeſtinationem abſolutè, vt id, quod dicitur effectus prædeſtinationis, ſit per Chriſtum, aut detur ex meritis Chriſti: ſed ſolùm quatenùs prædeſtinatio eſt in nobis. *Ratio*; quia gratia collata bonis Angelis in primo inſtanti creationis, fuit effectus prædeſtinationis illorum; & tamen juxta probabiliorẽ Theologorum ſententiam, non fuit ex meritis Chriſti, ſiquidem Angeli non fuerunt redempti; gratia autem ex meritis Chriſti conceſſa, redemptiua, & ſanatiua eſt. Similiter ſi ſtatus innocentiæ duraſſet, adhuc homines fuiſſent prędeſtinati; & tamen Filius Dei non fuiſſet homo, vt in tract. de Incaruatione oſtendam. Vnde quando dicitur Actorum 4. *Non eſt aliud nomen ſub cælo*

cælo datum, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Et ad Epheſ: 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum,* loquitur Scriptura Sacra de prędeſtinatione non abſolutè, ſed vt de facto in nobis eſt.

Prędeſtinatio immediatè eſt præparatio gratię; mediatè autẽ gloriæ.

Corollarium II. Licet prędeſtinatio immediatè ſit præparatio gratiæ, & beneficiorum, quibus conſequimur beatitudinem; mediatè tamen eſt etiam pręparatio gloriæ, quam Deus pręparauit diligentibus ſe, & quâ electi liberantur omninò à perditione, & à miſeria. Et licet circa finem, qualis eſt gloria, non verſetur prudentia, nec prouidentia, nec prædeſtinatio, quatenùs in intentione habet rationem cauſæ finalis: nihilominùs vt in executione pendet à medijs, tanquàm effectus eorum, verſatur circa illum. Hinc obiectum eius non tantùm ſunt media, ſed etiam ipſa executio finis, dirigitq; & mouet voluntatem, vt velit executionem mediorum, ac finis.

Corollarium III. Illa verba Apoſtoli ad Rom. 8. *Quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit,* non debent intelligi de glorificatione, & magnificatione in hac vita per famam, & bonum nomen, vel per chariſmata, & dona diuina data ad operandum, vt vult ſanctus Chriſoſt: cap. 8. ad Rom. hom. 15. Theophylactus, & Theodoretus; ſed de exaltatione gloriæ, ſiue beatitudinis. *Ratio:* quia magnificatio per chariſmatum dona, in vocatione, & iuſtificatione, quas ibidem Apoſtolus priùs enumerauerat, inuenitur. *Deinde,* quia magnificatio per bonum nomen, & bonam famam, in hac vita, non eſt communis omnibus prędeſtinatis, ſicuti eſt exaltatio gloriæ, ſeu beatitudinis æternę. At verò effectus, quos ibi enumerat Apoſtolus, ſunt communes omnibus prędeſtinatis, vt ex modo loquendi Apoſtoli conſtat. Et patet id in iuſtificatione, & vocatione: nam omnes prędeſtinati iuſtificantur, omneſq; ſiue per ſe, & immediatè, vt adulti; ſiue mediatè, & ratione aliorum, quatenùs parentibus v. g. Deus inſpirat, vt puerum ante adultam ætatem baptizent; qui tamen ante eandem ætatem è vita diſceſſurus eſt.

Corollarium IV. Per hoc, quòd S. Paulus glorificationem poſuerit in plurali illis verbis: *Quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit,* non remouet eam ab effectu prędeſtinationis. *Ratio:* quia vt docet ſanctus Thomas in cap. 8. ad Rom. lect. 6. Apoſtolus id fecit, aut propter certitudinem futuri, aut quia quod in quibuſdam eſt futurum, in alijs iam completum eſt.

Operationes Chriſti non habẽt rationem medij in ordine ad noſtram prædeſtinationem.

Corollarium V. Licet operationes Chriſti ſint meritoriæ reſpectu glorificationis, ſeu beatitudinis noſtræ, ac prędeſtinationis; non tamen habent rationẽ medij in ordine ad eam. *Ratio:* quia meritũ tunc ſolùm ordinatur ad pręmium, vt medium ad finem, quando præmium eſt excellentius meritò; ſecùs ſi ſit ignobilius: tunc enim meritum habet rationem cauſæ, non verò medij ordinabilis ad pręmium, tanquàm ad finem, *cuius gratiâ.* Et ideò licet noſtra ſupernaturalia opera habeant per modũ medij ordinabilis reſpectu præmij nobilioris, puta æternæ beatitudinis; reſpectu tamen rerũ temporaliũ, quas meremur, & impetramus per prędicta opera, v. g. per orationes ordinis ſupernaturalis, non habent rationem medij ordinabilis. Quia ergo meritum Chriſti, vt potè ordinis hypoſtatici, & habens imbibitam perfectionem perſonæ diuinæ, vt merentis, eſt multò excellentius, quàm noſtra prędeſtinatio ex parte obiecti conſiderata, ideò non habet rationem medij reſpectu illius; ſed potiùs cauſæ, & finis, hinc noſtra prędeſtinatio volita

lita est ex affectu, & complacentiâ Christi Domini, ac meritorum eius.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio.

OBijcitur *Contra Conclusionem.* Prędestinatio non est de fine, sed de medijs, quibus peruenitur ad finem. Sed glorificatio est finis: ergo non est effectus prędestinationis. *Minor est certissima, major etiam patet: Tum,* quia prędestinatio est efficax ordinatio mediorum conducentium ad beatitudinem. *Tum* quia prędestinatio est pars prouidentiæ; prouidentia autem non est de fine, sed de medijs, ideoque supponit efficacem illorum electionem. *Respondetur distinguendo maiorem.* Prędestinatio non est de fine immediatè, *conceditur*: mediatè, *negatur.* Licet ergò prædestinatio sit de medijs immediatè; quia tamen hæc in executione efficaciter inferunt finem; ideò mediatè est etiam de fine. Vnde quando dicitur, prouidentiam, & prædestinationem versari circa media; non autem circa finem, id debet intelligi de fine, prout est causa finalis, seu prout est in intentione: hoc enim modo presupponitur ante ipsam prędestinationem; non autē de fine in executione, & vt est effectus mediorum efficacium, quibus acquiritur. Si enim hoc modo consideretur, prędestinatio debet versari circa illum, esseque causa ipsius, eò quòd sit causa prædictorum mediorum.

Solutio eiusdem.

Instantia.

Instabis. Prædestinatio supponit efficacem voluntatem, dandi gloriam electis, cùm supponat dilectionem, & electionem efficacem eorum in ordine ad eandem beatitudinem: ergo glorificatio, seu beatitudo supponitur futura antecedēter ad prędestinationem, & sic glorificatio non erit effectus prędestinationis. *Consequentia prima est manifesta*: quia intentio, & electio efficax Dei respectu alicuius, infert infallibilem eius futuritionem, estq; causa illius. *Secunda etiam patet*: quoniam ea, quæ sunt effectus prędestinationis, debent esse futura ex vi illius. *Respondetur concesso antecedente, distinguitur consequens.* Beatitudo supponitur futura antecedenter ad prędestinationem, futuritione adæquatâ, completâ, & in ordine executionis, *negatur consequentia*: futuritione inadæquatâ incompletâ, & radicali ac in ordine intentionis, *conceditur consequentia*; cum hoc autem benè stat, quòd prędestinatio, quæ essentialiter consistit in actu imperij, posterior sit electione ad gloriam, concurratq; ad dandam illi fundationem completam.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO II.

An gratia sanctificans, seu iustificatio electorum, sit effectus prædestinationis eorundem.

IUstificatio electorum dupliciter potest considerari. *Primò*, vt non interrupta, quæ scilicet mediante dono perseuerantiæ continuatur vsq; ad finem vitæ. *Secundò*, quatenùs interrupta quidem per peccatum, sed est restituta, & reparata per pœnitentiam. Et de hac potissima est difficultas inter Authores, an sit effectus prędestinationis electorum, non tantùm quatenùs reparata, & reuiuiscens; verùm etiam secundùm suam substantiam, & secundùm quod primò producta est. Circa quod duæ sunt opiniones.

Iustificatio electorum dupliciter consideratur.

Prima censet, iustificationem electorum interruptam per peccatum, non esse effectum prędestinationis, secundùm suam substantiam, & vt primò producta, ac concessa est; & consequenter non omnem iustificationē electorum, sortiri rationem effectûs prędestinationis. Hanc tenent aliqui Neoterici. *Fundamentum istius opinionis est hoc*, quia prima gratia collata Adamo, & interrupta per peccatum, non fuit effectus prędestinationis ipsius, secundùm suam substantiam considerata, & vt primò fuit ipsi concessa. Ergo neq; aliæ iustificationes aliorum electorum per peccatum interruptæ, habent secundùm substantiam suam, & vt primò concessæ rationem effectûs prędestinationis. *Antecedens patet*: quia prędestinatio Adami subsecuta est ad decretum tribuendi illi gratiam in statu innocentiæ, eò quòd prędicta prędestinatio fuerit ex meritis Christi, & effectus prędestinationis illius; prędestinatio autem Christi fuit post decretum, tribuendi gratiam Adamo in statu innocentiæ: quia non fuit, nisi post pręuisionem peccati originalis, & deperditionis prædictæ gratiæ. Ergò talis gratia non potuit esse effectus prędestinationis Adami, siquidem effectus prędestinationis non debent prçire, sed potiùs subsequi ad eam.

Opinio I. & eius fundamentum

Altera opinio docet, omnem iustificationem electorum, esse effectum prędestinationis eorūdem: constitutum tamen & quasi elicitum, solam illam, quæ non interrumpitur per peccatum, & hæc est communis Theologorum; vt tamen meliùs intelligatur. *Sciendum est*, duo esse genera effectuum prędestinationis. *Alij sunt constituti*, & quasi eliciti à prędestinatione, ex eo, quòd non fiant ex alia prouidentia, vt gratia, & gloria. *Alij verò dicuntur ordinati, & quasi ab ea imperati*: quia nimirùm fiunt ex alia prouidentia, videlicet naturali, aut supernaturali generali; ordinantur tamen per prędestinationem ad eius proprium finem, scilicet vitam æternam, v. g. Petrum esse secundùm naturalem existentiam.

Opinio II.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

COnclusio. Omnis iustificatio electorum, est effectus prędestinationis eorundem. *Probatur I.* authoritate D. Augustini lib: de correp. & gratiâ, cap. 7. vbi dicit: *Quicunq; ab illa originali damnatione, ita diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quòd & procuratur eis Euangelium, & cùm audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, vsq; in finem perseuerant: & si quando exorbitant, correcti emendantur, & quidam eorum, & si ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerunt, redeunt. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ.* Quibus verbis clarè ostendit, gratiam, & omnem iustificationē electorum, esse effectum prędestinationis eorundem.

Omnis iustificatio electorū est effectus prędestinationis eorundem.

Probatur II. *ratione.* Omnis iustificatio, & gratia electorum, non minùs sunt occasio prędestinatis, excitandi eos ad pios affectus gratiarum actionis, pœnitentiæ, &c. quàm vocationes inefficaces; non minusq; illis, quàm his, conueniunt conditiones requisitæ, vt aliquid sit effectus prędestinationis. Ergo omnis iustificatio electorum, est effect⁹ prędestinationis eorundem. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Iustificatio electorum non interrupta, quæ mediante dono perseuerantiæ continuatur vsq; ad finem vitæ, est effectus prędestinationis eorundem. *Ratio*: quia prędicta iustificatio, non est communis reprobis cum electis, sed tantùm propria electorum; constat autem, dona illa gratiæ, quæ sunt propria electorum, esse effectus illius prouidentiæ peculiaris,

culiaris, quâ Deus de ipſis prouidet videlicet prædeſtinationis. *Tum*, quia iuxta D. Paulũ ad Rom. 8. iuſtificatio eſt effectus prędeſtinationis electorum; certum autem eſt, quæ ibidem à D. Paulo aſſignatur vt effectus prędeſtinationis, eſſe ad minus eam, quæ confertur electis, & non interrumpitur per peccatum à prima ſui infuſione, vſq; ad finem vitæ. *Tum denique*, quia iſta iuſtificatio, cum effectu conducit ad conſecutionem vitæ æternæ, & non poteſt dari talis conſecutio, quin præcedat iuſtificatio, durans mediante dono perſeuerantiæ, vſq; ad finem vitæ.

Iuſtificatio electorum interrupta per peccatum, & per pœnitentiam reparata, eſt effectus prædeſtinationis.

Corollarium II. Etiam iuſtificatio electorũ interrupta per peccatum, vt reſtituta, & reparata per pœnitentiam, eſt effectus prędeſtinationis eorundem. *Ratio*: quia talis iuſtificatio, vt ſic reparata, cum effectu conducit ad cõſecutionem vitæ æternæ: atque ſic gratia iſta, ſeu, iuſtificatio, & merita per peccatum interrupta, quatenùs ſunt per pœnitentiam reparata, debent eſſe effectus prędeſtinationis. *Prætereà*, quia gratia, & iuſtificatio, quæ interrumpitur per peccatum, conducit ad gradum gloriæ illi reſpondentem cõſequendum: nam prædeſtinatus non tantùm conſequitur gloriam correſpondentem gratiæ non interruptæ, ſed etiam ei, quæ per peccatum interrupta eſt, & per pœnitentiam reparata: ergo talis iuſtificatio eſt effectus prędeſtinationis.

Iuſtificatio electorum etiam ſecundùm ſe, eſt effectus prædeſtinationis.

Corollarium III. Gratia ſanctificans, ſeu iuſtificatio electorum interrupta, non tantùm vt recuperata per pœnitentiam, ſed etiam ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & vt primò fuit eis collata, eſt effectus prędeſtinationis ipſorum. Ita Sanctus Thomas explicans verba Sancti Pauli ad Rom 8. *Quos præſciuit, hos & vocauit*, lect. 6. vbi ita diſcurrit: *Vndè ſecundò ponit iuſtificationem, cùm dicit* (quos vocauit, hos & iuſtificauit) *ſcilicet gratiam infundendo: hæc autem iuſtificatio etſi in aliquibus fruſtretur, quia non perſeuerant vſq; in finem; in prædeſtinatis tamen nunquàm fruſtratur.* Iam autem ſi iuſtificatio ſecũdùm ſuam ſubſtantiam, & vt primò collata, non eſſet effectus prędeſtinationis, tunc talis iuſtificatio ſecundùm iſtam rationem fruſtraretur: ſiquidem ea ſola non fruſtrantur in ordine ad aliquem finẽ efficaciter intentum à Deo, quæ procedunt ex intentione efficaci eiuſdem. Et *ratio corollarij eſt*: quia gratia ſanctificans, & iuſtificatio electorum interrupta, quatenùs primò collata, conducit cum effectu ad finem prędeſtinationis, influitq; in beatitudinem: ergo eſt effectus prędeſtinationis. *Conſequentia manifeſta. Antecedens etiam patet*: Per illam gratiã, quæ peccatum præceſſit, datur prędeſtinato nouus gradus gloriæ, vltra gradum correſpondentem gratiæ, in qua reſurgit, aut ſaltem datur idem gradus gloriæ nouo titulo: ergo illa gratia, quæ prçceſſit, ex eodem ipſo iure, quod ante lapſum habuit, influit in beatitudinem, conducitque ad finem prędeſtinationis. Quod illuſtratur tali exemplo. Poſitis duobus hominibus æqualibus in contritione, & gratiâ illi per ſe correſpondente, datur ei maior gloria, qui ante lapſum habuit maiorẽ gratiam: ergo gloria non tantùm eſt effectus contritionis, & gratiæ illi correſpondentis, verùm etiam gratiæ per peccatum interruptæ: nam contritio ſolùm ſe habet, vt remouens prohibens, reſpectu antecedentis gratiæ, & non vt ratio influens in gloriam illi correſpondentem. Et ſic gratia ſanctificans, ſiue iuſtificatio, non tantùm vt reſtaurata, ſed etiam ſecundùm ſe influit in gloriam, & conſequenter eſt effectus prædeſtinationis.

Corollarium IV. Sola gratia, ſiue iuſtificatio illa, quæ non interrumpitur per peccatum; eſt effectus conſtitutus, & quaſi elicitus prædeſtinationis. *Ratio*: quia omnis alia iuſtificatio, & gratia, prçcedit vocationem (quam eſſe primum effectum conſtitutum, & quaſi elicitum prędeſtinationis, conſtabit ex quæſtione ſequenti) pertinetque ad generalem prouidentiam in ordine ſupernaturali, cùm ſit communis prędeſtinatis, & reprobis, ſitq; ex intentione inefficaci, quâ Deus vult omnes homines ſaluos fieri: ſi enim ex vi huius gratiam interrumpendam per peccatum, quibuſdam reprobis dare voluit Deus, cur non & prędeſtinatis quibuſdam: ergo non eſt effectus quaſi elicitus prædeſtinationis, niſi ſola gratia illa, quæ non interrumpitur per peccatum.

Effectus prædeſtinationis cõſtitutus & quaſi elicitus, eſt ſola gratia per peccatum non interrupta.

Corollarium V. Effectus conſtituti, & eliciti prędeſtinationis, ex vi primæ intentionis, quâ fiunt, conducunt ad gloriam efficaciter immediatè, aut mediate; iam verò gratia, & merita interrupta, vt primò collata, non habent efficaciter conducere ad gloriam, etiam mediatè ex vi primæ intentionis, quâ fiunt, ſed ex vi alterius intentionis, quâ ordinantur ad reuiuiſcentiam, & gloriam efficaciter conſequendam. *Ratio*: quia eiuſmodi gratia, & merita interrupta, fiunt primò ex vi intentionis inefficacis, quâ Deus vult omnes homines ſaluos fieri; poſteà verò ad gloriam efficaciter ordinantur ex vi intentionis efficacis, quâ Deus vult prędeſtinatos ſaluari: atq; ſic ſunt effectus prędeſtinationis, non conſtituti, ſiue eliciti; ſed imperati, ſeu ordinati.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra corollarium* III. Ad rationem effectus prędeſtinationis requiritur, quòd continuetur cum alijs effectibus eiuſdem prędeſtinationis. Sed gratia ſanctificans, ſeu iuſtificatio per peccatum interrupta, non continuatur cum alijs prędeſtinationis effectibus: ergo non eſt effectus prędeſtinationis electorum. *Maior patet* ex verbis D. Pauli ad Rom. 8. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iuſtificauit, & quos iuſtificauit, illos & glorificauit*. Quo loquendi modo ſatis indicat, quomodò prædicti effectus prædeſtinationis, debeant eſſe inter ſe cõnexi, & continuati. *Minor verò probatur*: quia gratia illa interrupta, & ſecundum ſuam ſubſtantiam conſiderata, neq; continuatur in ſeipſa, neq; in intentione Dei cum alijs effectibus. Non enim in ſe, quia ponitur interrupta; effect' autem prędeſtinationis, qui prout eſt in ſe, continuatur cum cæteris actibus eiuſdem, non debet in ſe interrumpi, ac proinde nec diſcontinuari ab alijs. *Deinde*, prædicta gratia in ſe interrupta; nõ continuatur cum alijs effectibus, v[illegible] cùm pœnitentia in intentione Dei, ſiquidem Deus non permittit peccatum ex intentione viuificandi, & reparandi prædictam gratiam: alias neceſſariò deberet velle peccatum, quòd eſt materia omninò neceſſaria ad talem viuificationem, & reparationem. Sed talis gratia ſolùm poteſt ſecundùm ſuam ſubſtantiam continuari in intentione Dei cum alijs effectibus prędeſtinationis, ex eo, quòd Deus permitteret peccatum, & interruptionem gratiæ ex tali intentione tunc ſicut in illo ſigno permiſſionis, & interruptionis, non haberet voluntatem, ac intentionem eam reparandi; ita neque haberet intentionem continuationis ipſius cum alijs operibus bonis, quæ tantùm mediante hac reparatione inueniri poteſt. *Reſpondetur diſtinguendo maiorem*. Debet continuari cum

Solutio eiuſdem.

cum alijs effectibus eiuſdem prędeſtinationis, ſecundùm continuationem phyſicam in exiſtendo tantùm, *negatur maior*: ſecundùm continuationem phyſicam, aut moralem, & ſecundùm permanentiam illorum in diuina acceptatione, *conceditur Maior*; Similiter *diſtinguitur minor*. Sed gratia ſanctificans, ſeu iuſtificatio per peccatum interrupta, non continuatur cum alijs effectibus prædeſtinationis, ſecundùm continuationem phyſicam in exiſtendo, *conceditur*: ſecundùm continuationem moralem, & permanentiam illorum in diuina acceptatione, *negatur minor*: nam iſta continuatio nō interrumpitur per peccatum, eò quòd culpa non auferat voluntatem remunerandi merita, & conferendi gloriam ſublato impedimento: atq; ſic *negatur conſequentia*. Porrò ad hoc, vt gratia interrupta per peccatum, continuetur cum alijs effectibus prædeſtinationis, non eſt neceſſe, vt Deus velit permittere peccatū, propter prædictam reparationem, ſed ſatis eſt, quòd ſimul habeat voluntatem reparandi.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. Gratia cauſata per primam iuſtificationem, quæ anteceſſit peccatum, fuit deſtructa per peccatum, quantum ad ſuam numericam entitatem, & poſtea per aliam actionem nouam, ac diſtinctam à prima reproducitur, non eadem numero, ſed eadem ſecundùm ſpeciem, in eadem quantitate: ergo illa gratia, quæ peccatum anteceſſit, non influit in gloriam, & conſequenter non eſt effectus prædeſtinationis, ſed illa tantùm, quæ per pœnitentiam reſtituitur, atq; ſic non omnis iuſtificatio electorum, eſt effectus prædeſtinationis eorundem.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Licet enim gratia cauſata per primam iuſtificationem, non ſit eadem numero phyſicè, & entitatiuè cum illa, quæ reparatur; eſt tamen eadem moraliter, & æquiualenter, eò quòd licet amiſsa gratiâ, poſtea ſuccedat alia entitatiuè diſtincta; eandem tamen gloriam reſpicit, idemq; habet ius eadem, & ſic cenſetur eadem numero gratia formaliter, ac in eſſe gratiæ, etiamſi materialiter, & in eſſe entis diuerſa ſit. Vnde licet talis gratia non poſſit phyſicè influere in gloriam, cùm non redeat phyſicè ſecundùm ſuam entitatem; poteſt tamen moraliter in eam influere: quia ex hoc, quòd illa maneat in acceptatione diuinâ poſtea ablato impedimento, datur prædeſtinato aliquis grad⁹ gloriæ illi correſpondens. Vel vt alijs placet, idem gradus gloriæ nouo titulo, ſeu gloria quædam accidentalis; hoc autem ſufficit, vt aliquid ſit effectus prædeſtinationis. Sic glorificatio corporis, eiuſq; dotes, ac reuelationes extra Verbum, ſunt effectus prædeſtinationis; & tamen ad gloriam accidentalem pertinent.

Fundamentum primæ opinionis ſoluitur.

Tandem, ad fundamentum primæ opinionis, *conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Diſparitas eſt*: quia gratia Adamo in ſtatu innocentiæ collata, & per peccatum interrupta, licet fuerit à Deo; nihilominùs vt primò conceſſa, non conducebat cum effectu ad æternam beatitudinem, neque ortum habuit ex efficaci voluntate tribuendi Adamo eandē beatitudinem; & ideò vt cōceſſa in illo ſtatu non fuit effectus prædeſtinationis. At verò gratia aliorum hominum electorum interrupta per peccatum, conducit cum effectu ad æternam beatitudinem illorum, fuitq; illis primò conceſſa ex intentione largiendi ipſis prædictam beatitudinem: atq; ſic eſt effectus prædeſtinationis illorum. Hoc ergo eſt diſcrimen inter gratiam Adamo in ſtatu innocentiæ collatam, peccatumq; interruptam, & inter gratiam aliorum hominum electorum, vt ante ſuum peccatum actuale illis

le illis tributam. Quia licet ex vi illius gratiæ ſtatus innocentiæ, & antecedenter ad peccatum Adamus habuerit ius ad gloriam; illa tamen gratia, & illud ius ita fuerunt per peccatū extincta, vt prædicta gratia quantum eſt ex ſe, nec non & quantum erat ex vi voluntatis, quà primò conceſſa eſt, nullum vltra ius dederit, ſed omninò fuerit deperdita; neque in diuina acceptatione in ordine ad æternam beatitupinem manſerit. Vnde quòd poſtea inſtaurata, mediâ pœnitentia, habuerit tribuere ius ad gloriam, id proceſſit ex meritis Chriſti, quæ illi fuerunt applicata ex vi nouæ voluntatis, & decreti redemptionis, non quidem vt à ſola conditione, ſeu vt à remouente prohibens, ſed vt à cauſa per ſe prædicti iuris. Iam verò in nobis, quibus à principio ante peccatum noſtrum actuale, conceſſa eſt gratia ex vi meritorum Chriſti Domini, non ita ſe res habet, ſed gratia illa ſecundùm ſuam ſubſtantiam, & vt primò conceſſa, quamuis per peccatum interrupta, tribuit prædeſtinato ius ad gloriam, manetq; in diuina acceptatione in ordine ad æternam beatitudinem. Atq; ſic reparatio per pœnitentiam, non tribuit illi, quòd det ius taliter, vt hoc proueniat à reparatione tanquàm à cauſa; ſed tantùm vt à remouente prohibens.

QVÆSTIO III.

An omnis electorum vocatio ſit effectus prædeſtinationis eorum.

Vocatio alia eſt externa, alia interna: alia efficax alia inefficax.

SUppono, vocationem ordinis ſupernaturalis, de qua in præſenti controuertitur, duplicem eſſe. *Vnam externam*, vti eſt illa, quæ fit ore prædicatoris, de qua Prouer. 9. dicitur: *Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem.* Alteram *interiorem*, quæ nihil aliud eſt, niſi quidam mentis inſtinctus, quo cor hominis mouetur, aut excitatur à Deo, puta ad aſſentiendum ijs, quæ ſunt fidei, aut virtutis. Et de hac locut⁹ eſt Iſaias cap. 41. *Quis ſuſcitauit ab oriente iuſtum, & vocauit eum, vt ſequeretur ſe.* Porrò hæc vtraq; vocatio, tàm interna, quàm externa, adhuc duplex eſt. *Alia efficax*, illa nimirùm cui prædeſtinatus nō cōſentit eliciendo actum, ad quem vocatur, iuxta illud Prouerb. I. *Vocaui, & renuiſtis.* Et Mat. 22. *Vocati ad nuptias venire noluerunt.* Inſuper vtraq; iſta vocatio, tàm efficax, quàm inefficax, poteſt interrumpi per peccatum mortale, aut non interrumpi per illud. Tota igitur difficultas præſentis quæſtionis vertitur in hoc, an vocationes electorum, quæ ſunt inefficaces, quibus ipſi reſiſtunt, ſint effectus prædeſtinationis eorundem, intelligendo id tàm de vocationibus internis; quàm de externis.

Opiniones duæ.

Prima itaq; ſententia affirmat, vocationes electorum inefficaces, quibus illi reſiſtunt, non eſſe effectum prædeſtinationis eorundem; & ideò cenſet, ſolas vocationes efficaces prædeſtinatorum cauſari ab illorum prędeſtinatione. Hanc tenet Villegas in ſuis cōtrouerſijs, controuer. 15. diſp. I. cap. 2. alijque Neoterici, & Corneio ex parte, I. p. qu. 23. art. 2. diſp. vnica dub. 9.

Altera ſententia conſtanter tenet, omnes vocationes electorum, proinde etiam inefficaces, eſſe effectus prædeſtinationis illorum. Et hæc eſt communis Theologorum cum S. Thoma.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Omnis electorum vocatio eſt effectus prædeſtinationis eorundem.

COnclusio. Omnis electorum vocatio, eſt effectus prædeſtinationis eorundem. *Probatur*: quia conditiones ſuperiùs aſſignatæ ad hoc, vt aliquid ſit effectus prædeſtinatio.

stinationis, conueniunt omni electorum vocationi: ergo omnis electorum vocatio, est effectus prædestinationis eorundem. *Consequentia manifesta. Antecedens probatur.* Omnes electorum vocationes sunt bonæ, sunt à Deo, pertinent ad supernaturalem prouidentiam, & cum prædestinatis cooperantur in bonum, quatenùs in memoriam reuocatæ, sunt occasio excitandi illos iam conuersos ad maiorem pœnitentiam, humilitatem, gratiarum actionem, aliosq; pios affectus, aliquid conducunt ad consecutionem vitæ æternæ, nullaq; illarum est, quæ de facto, & iuxta suauem dispositionē, hoc modo non conducat; licet ab intrinseco nō repugnet omninò tradi obliuioni. Et insuper quòd hoc modo conducant, & cooperentur in bonum salutis æternæ, prouenit ex intentione Dei efficaci electos beatificandi: ergo conditiones requisitæ ad rationem effectus prędestinationis, conueniunt omni electorum vocationi. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Vocatio efficax non interrupta per peccatum vsq; ad finem vitæ, (siue sit efficax ex se, siue aliunde, siue interna, siue externa) est effectus prędestinationis. *Ratio:* quia talis vocatio solùm est propria electorum, & non communis tàm electis; quàm reprobis. *Tum*, quia nulla vocatio aptior apparet adhoc, vt sit effectus prędestinationis, quàm vocatio efficax. Et hoc expressè docet S. Thomas lect. 6. super illa verba Apostoli ad Rom. 8. *Quos autem prædestinauit &c.* vbi dicit: *Primum autem in quo incipit prædestinatio impleri, est vocatio hominis. Quæ quidem est duplex, vna exterior, quæ fit ore prædicatoris. Alia verò interior, & hæc vocatio necessaria est: quia cor nostrum non se ad Deum converteret, nisi Deus nos ad se traheret: & etiam hæc vocatio est efficax in prædestinatis: quia huiusmodi vocationi assentiunt.* Ioan. 6. *Omnis qui audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me.* Quibus verbis euidenter ostendit, vocationem electorum efficacem, esse effectum prędestinationis eorundem.

Etiam vocatio efficax interrupta per peccatum est effectus prædestinationis electorum.

Corollarium II. Vocatio efficax etiam interrupta per peccatū, est effectus prędestinationis electorum. Ita Sanctus Augustinus lib. de corrept. & gratiâ, cap. 9. vbi dicit de Sancto Petro: *Quia didicit non de seipso fidere, etiam hoc ei pro fuit in bonum, quia secundùm propositum vocatus erat, vt nemo eum posset eripere de manu Christi, cui datus erat.* Vbi vocationē Petri ante lapsum, appellat vocationem secundùm propositum, quæ iuxta phrasim D. Augustini idem est, quod vocatio procedens ex proposito, seu ex prędestinatione diuinâ; cùm tamen inter talem vocationem, & finem vitæ, intercesserit lapsus eiusdem D. Petri.

Corollarium III. Etiam vocationes inefficaces electorum, sunt effectus prædestinationis eorundem. *Ratio:* quia inter alia, quæ habent rationem executionis prædestinationis passiuè sumptæ, est vocatio inefficax: ergo habet rationem effectus prędestinationis. *Consequentia patet:* quia executio prędestinationis actiuè sumpta, est actus immanens Dei, virtualiter solum transiens: & sic in creaturis non correspōdet alia executio passiua, nisi effectus eiusdem prędestinationis, prout recipiuntur in prędestinato, tanquàm aliquid dimanans ab eadem prędestinatione. *Antecedens verò probatur: Tum*, quia Deus medijs vocationibus inefficacibus, tanquàm ponentibus ad ordinem gratiæ redemptiuæ, confert, & exequitur vltimum prędestinationis effectum, videlicet gloriam. *Tum*, quia prædictæ vocationes, per modum vocationum pertinentium ad ordinem gratiæ redemptiuæ, ac proinde capacium cadendi sub prędestinatione, sunt causa motiua, aut occasio efficaciter, & cum effectu excitandi prędestinatum ad maiorem pœnitentiam, vel gratiarum actionem, vt fatetur Sanctus Augustinus de seipso lib. 5. confess. cap. 14. & lib. 6. cap. 11. & lib. 8. cap. 9. *Tum quoque*, quia licet huiusmodi vocationes, non sint efficaces pro actu v. g. conuersionis, in ordine ad quem immediatè tribuuntur; aliquomodò tamen emolliunt cor prędestinati, & paulatim disponunt illud, vt faciliùs cum auxilio efficaci cōuertatur. Quemadmodum correctio, & exhortatio, licet non semper conuertant hominem prędestinatum; disponunt tamen illum ad conuersionem, vt docet Sanctus Chrysosthomus homil. 1. de Lazaro. Atque sic Deus medijs prędictis vocationibus, exequitur vltimum effectum prędestinationis, puta gloriam, & consequenter eiusmodi vocationes inefficaces, habent rationem executionis passiuæ prędestinationis.

Vocationes inefficaces sunt effectus prædestinationis imperati.

Corollarium IV. Vocationes electorum inefficaces, non sunt effectus prædestinationis eorundem eliciti, sed imperati. *Ratio:* quia eiusmodi vocationes inefficaces pertinent ad prouidentiam generalē in ordine supernaturali, suntque effectus constituti, & quasi eliciti illius, eò quòd sint communes prędestinatis, ac reprobis: ergo non sunt effectus prędestinationis eliciti, sed imperati, quatenùs scilicet iam factæ ex alia prouidentia, ordinantur per prędestinationem ad eius proprium finem.

Corollarium V. Sola vocatio efficax, cum gratia, & iustificatione, non interrumpenda per peccatum, coniuncta, est effectus constitutus, & quasi elicitus prędestinationis electorum. *Ratio:* tum quia vocatio, quæ est effectus constitutus, & quasi elicitus prędestinationis, est secundùm propositum Dei, nimirùm procedens immediatè ex intētione efficaci beatificandi prędestinatos, vt docet Sanctus Augustinus lib. de Prędest. SS. cap. 18. his verbis: *Ex hoc proposito eius est illa electorum propria vocatio.* Sed sola vocatio prædicta est ex hoc proposito: nam aliæ eam precedentes, sunt ex intentione inefficaci, quâ Deus vult omnes homines saluos fieri: alias nihil ex vi huius voluntatis haberent prædestinati, & sic quantum ad hoc, reprobis deteriores essent. *Tum*, quia sola vocatio prædicta, est primus effectus constitutus, & quasi elicitus prędestinationis, iuxta illud D. Thomæ ad Rom. 8. lect. 6. *Primum, in quo incipit prædestinatio impleri, est vocatio*, quam efficacem esse ibidem ostendit.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Opinio prima.

OBiicitur I. *Contra Conclusionem.* Sanctus Thomas proximè citatus, explicans verba D. Pauli: *Quos prædestinauit, hos & vocauit*, ita loquitur: *Hæc vocatio est efficax in prædestinatis*: ergo censet, nō omnem electorum vocationem, esse effectum prędestinationis eorundem, sed solam efficacem. Similiter S. Augustinus lib. de Prædest. SS. cap. 10. dicit: *Deus vocat prædestinatos, sed non ea vocatione, quâ vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias;* hæc autem vocatio est efficax. Et lib. 1. ad Simplician. q. 2. & in pluribus locis, passim docet, quòd illa tantùm vocatio sit effectus prędestinationis, quæ est vocatio *secundùm propositum*, seu vt loquitur Fulgentius lib. 1. ad Monimum, *quæ est ex proposito congrua.*

Solutio eiusdem.

Respondetur, concesso antecedente, negatur consequentia. Sanctus enim Thomas, & alij

alij SS Patres, quando docent, ſolam vocationem efficacem, aut congruam, aut ſecundùm propoſitũ eſſe prędeſtinationis effectũ, loquũtur de effectu prędeſtinationis elicito, & immediatè ab illa procedente; non autem de effectibus mediatis, & imperatis, vti ſunt vocationes inefficaces. Vel certè loquuntur de vocatione efficaci, aut ſimpliciter, & in ordine ad actum perfectum, puta conuerſionem peccatoris, ad quam datur: aut certè de vocatione efficaci ſecundùm quid, & per ordinem ad actus imperfectos, qui paulatim emolliunt cor hominis, illudque diſponunt ad conuerſionem perfectam, per ordinem ad quos dici poteſt congrua, vel ſecundùm propoſitum, & ſic non excludunt vocationes inefficaces.

Obiectio ſecunda.

Objicitur II. *Contra Corollarium* III. Communia tàm electis, quàm reprobis, non ſunt effectus prędeſtinationis. Sed vocationes inefficaces, ſunt communes tàm electis; quàm reprobis: cõceduntur enim indifferenter vtriſque: ergo non ſunt effectus prędeſtinationis. *Præterea*, quia iſtæ vocationes ſunt à prouidentia generali ordinis ſupernaturalis, & à voluntate Dei antecedente: ergo non ſunt effectus prędeſtinationis: hi enim ſunt à prouidentia Dei ſpeciali, eiuſque voluntate conſequente. *Reſpondetur diſtinguendo maiorem.*

Solutio eiuſdem.

Communia electis, & reprobis, non ſunt effectus prędeſtinationis eliciti, *conceditur*: imperati; *negatur maior: & ſic conceſſa minore, & diſtincto ſimiliter conſequente, negatur conſequentia*, de effectibus imperatis. *Ad ſecundum verò dicitur*, vocationes inefficaces, eſſe quaſi elicitiuè à prouidentia generali; à voluntate autem Dei antecedente, & à prędeſtinatione imperatiuè: quia non eliciuntur à prouidentia generali, niſi vt ſub ordinata prędeſtinationi, & ex intentione efficaci finis ipſius. Et ſic *negatur conſequentia.*

Obiectio tertia.

Objicitur III. Non omnes vocationes inefficaces in prędeſtinatis conducunt ad gloriam: ergo non omnes ſunt effectus prędeſtinationis. *Antecedens patet*: quia nõ omnes offeruntur memoriæ, neq; omnes paulatim leniunt cor hominis: poteſt enim contingere, quòd aliquis multo tempore vitijs deditus, multoties interiùs pulſatus, repentè conuertatur, & pœnitentiam agens, aut ad martyrium raptus, ſtatim moriatur, & conſequatur gloriam. Sed in tali caſu, non omnes vocationes inefficaces memoriæ occurrunt, cùm id in tàm anguſto tempore, prorsùs impoſſibile ſit moraliter: ergo nõ omnes conducunt ad gloriam. *Reſpondetur negando antecedens*: in primis enim nulla datur vocatio interna, quæ non producat in anima aliquem actum imperfectum, qui hominem excitet, ac diſponat ad perfectiorem: cùm impoſſibile ſit, quòd Deus actualiter moueat animam, & quòd anima non moueatur actualiter, ſiquidem mouens, & motum, ſunt correlatiua. *Præterea*, nulla datur vocatio in prędeſtinatis, quæ aliquomodò nõ conducat ad finem prędeſtinationis, ſaltem obiectiuè. Et licet in hac vita, non omnes vocationes inefficaces in memoriam reuocentur; at tamen in patria per viſionem in Verbo, omnes ſuas vocationes, tàm efficaces; quàm inefficaces, prędeſtinati cognoſcunt, ex earumque cognitione ad gratiarum actiones excitantur.

Solutio eiuſdem.

QVÆSTIO IV.

An actus ſupernaturales electorum, vt procedunt à libero eorum arbitrio, ſint effectus prædeſtinationis.

QVæſtio hæc non procedit de actibus ſupernaturalib⁹ electorum, vt procedunt à gratia; quia cùm prædeſtinatio adultorum verſetur circa media efficacia, per quæ adulti tranſmittuntur à Deo in vitam æternam; ideò non eſt dubium, prędicta media debere eſſe, effect⁹ prędeſtinationis eorundem. Iam autem omnes facilè conueniunt, media efficacia, per quæ adulti tranſmittuntur à Deo in vitã æternam, eſſe effectus ſupernaturales illorum, prout à gratia procedunt. Vnde tota controuerſia eſt de ijſdem actibus, vt procedunt à libero arbitrio, an ſcilicet in electis ſint effectus prędeſtinationis eorundem. Circa quod duæ ſunt opiniones.

Opiniones duæ.

Prima, licet concedat actus ſupernaturales, eſſe effectus gratiæ, & prędeſtinationis; id tamen illis non tribuit formaliter, quatenùs à libero arbitrio exeunt; ſed hoc modo vult eſſe, actus ipſius liberi arbitrij. Hanc tenet quidam Neotericus (videlicet Molina) 1. p. q. 23. Diſp. 1. ar. 5. membr. 10.

Altera opinio oppoſitum conſtanter defendit, quam ſequitur S. Auguſtinus Enchirid: cap. 32. & lib. de Prædeſt. SS. cap. 2. & de dono Perſeuerantiæ cap. 6. S. Chryſoſthomus ſupra epiſt. 2. ad Corint. cap. 3. & communis Theologorum ſententia cum S. Thoma.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Actus ſupernaturales vt procedunt à libero arbitrio, ſunt effectus prędeſtinationis eorundem.

COncluſio. Actus ſupernaturales electorum, vt procedunt à libero arbitrio, ſunt effectus prædeſtinationis eorundem. *Probatur I.* authoritate Sancti Thomæ 1. p. q. 23. ar. 5. vbi dicit: *Non eſt autem diſtinctum, quod eſt ex libero arbitrio, & ex prædeſtinatione; ſicut nec eſt diſtinctum, quod eſt ex cauſa ſecunda, & cauſâ primâ. Diuina enim prouidentia, producit effectus per operationes cauſarum ſecundarum. Vnde & id, quod eſt per liberum arbitrium, eſt ex prædeſtinatione.* Ergo iuxta S. Thomam, actus ſupernaturales electorum, vt procedunt à libero arbitrio, ſunt effectus prędeſtinationis eorum.

Probatur II. *ratione.* Deus per prędeſtinationem, & mediante diuinâ gratiâ, eſt cauſa perfectiſſima, ac vniuerſaliſſima actuum ſupernaturalium prędeſtinatorum, quibus efficaciter conſequuntur vitã æternam: ergo etiam eſt cauſa eorundem, prout procedunt à libero arbitrio. *Conſequentia patet*: tum quia cauſa, quæ non cauſat effectũ quoad omnem rationem, quæ in eo eſt, non concurrit per modum cauſæ perfectiſſimæ: ſic quando plures concurrunt ad trahendam nauim, quam ſinguli trahere non poſſunt, nullus eorum influit, per modum cauſæ omninò perfectæ, & integræ, ſed ex omnibus illis coaleſcit vna integra, & perfecta cauſa. *Tum*, quia cauſa influens per modum cauſæ vniuerſaliſſimæ, debet ſe extendere ad effectum, ſecundùm omnem rationem in eo inuentam: alias non influeret per modum cauſæ vniuerſaliſſimæ in cauſando. *Tum* quoque quia alias Deus, quando prędeſtinat, non operaretur per modum primi prouiſoris, & primæ cauſæ, de cuius ratione eſt, vt quidquid procedit ab alijs cauſis ſecundis, efficaciter conducens ad vitam æternam, & vt ab illis procedit, cauſetur ab ipſo mediante ſua prouidentiâ, & prędeſtinatione, ſiquidem illæ ex eo, quòd ſint cauſæ ſecundæ, debent habere à Deo, vt à primo prouiſore efficaciter prouidente de illo fine, ac proinde prędeſtinante, quod influant. *Antecedens verò quoad primam partem patet*: quia ſicut Deus ſemper influit per modũ entis perfectiſſimi, & perfectiſſimè in actu cõſtituti; ita quoq; ſemper influit per modum perfectiſſimæ cauſæ, & conſequenter idem facit, quando per

do per prędestinationem influit. *Quoad secundam etiam partem facilè deducitur*: quia sicut Deus vt prædestinans, est vniuersalissimũ ens, id est, continet omnem rationem entis, repertam in medijs efficaciter imperatis per prędestinationẽ; ita influit in productionem eorum per modum causæ vniuersalissimæ in causando, seu extendentis se ad prædicta media, quoad omnes rationes in eis inuentas. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Tota virt⁹ proxima agendi supernaturaliter prouenit libero arbitrio à gratia.

Corollarium I. Liberum arbitrium creatum, non habet virtutem agendi proximam, in ordine ad actus supernaturales, sed solùm remotam, & radicalem: ac proinde tota virtus proxima agendi, prouenit illi à gratia, seu ab auxilio gratiæ. Et sic actus supernaturalis prout est à libero arbitrio, tãquàm à virtute agendi radicali, & remotâ, procedit à gratia, seu ab auxilio gratiæ, ut à totali virtute agendi proximâ. Ita Sanctus Bernardus in tract. de gratia, & lib. arb. paulò ante finem, vbi dicit: *Totum bonum opus liberum arbitrium peragit, & totum gratia, sed vt totum in illo.* Scilicet ex gratia; quòd autem gratia influat, id non procedit ex libero arbitrio. Ergo iuxta Sanctum Bernardum, tota virtus proxima agendi prouenit libero arbitrio à gratia.

Corollarium II. Gratia, & liberum arbitrium, ad actus supernaturales non concurrunt partialiter, ad eum modum, quo duo homines, vel equi ad eandem cymbam, vel currum trahendum. *Ratio*: quia virtus adæquata proxima, & causa cuius est virtus, non dicuntur causæ partiales. Sed gratia, & liberum arbitrium ita comparantur, quòd illa sit adæquata virtus proxima; liberum verò arbitrium ratione sui gaudeat solùm virtute remotâ, & radicali: ergo non concurrunt partialiter. Et hoc expressè docet Sanctus Thomas 3. contra Gent: cap. 70. his verbis: *Non sic idem effectus causa naturali, & diuinæ virtuti attribuitur, quasi partim à Deo, partim à naturali agente fiat, sed totus attribuitur instrumento, & principali agenti etiam totus.*

Act⁹ supernaturalis esse liberi habet & à libero arbitrio, & à gratia.

Corollarium III. Actus supernaturalis, quòd sit liber, licet id habeat à libero arbitrio, vt à potentia; habet tamen etiam à gratia, vt à virtute potentiæ vel eius applicatione. *Ratio*: quia licet gratia auxilians, non sit libera *vt quod*; est tamen libera *vt quo*: vt potè effluxus quidam à primo libero, & quædam participatio libertatis diuinæ. Quemadmodùm etiam gratia est vitalis *vt quo*, quia est vt quædam ordinata ad eleuandum hominem ad vitam supernaturalem, ac diuinam participatiuè; sicut etiam semen licet non sit animatum, nec viuens *vt quod*; potest tamen dici viuens *vt quo*, eò quòd sit vis quædam instrumentaria ordinata à natura ad generationem viuentis. Neq; obstat, quòd gratia veniat de foris, à Deoque infundatur, quia Deus est primum viuens, & quasi fontale totius vitæ principium, propter quod non reputatur tanquàm agens extrinsecum respectu hominis, sed inter causas illius internas computatur, vt docet Sanctus Thomas 3. contra Gentes cap. 88.

Corollarium IV. Actus supernaturales electorum; prout sunt ab illis, sunt etiam à Deo, & à prędestinatione, seu nulla est formalitas in prædictis actibus, quæ non tantùm identicè, verùm etiam quoad omnem eius rationem formalem, non sit à Deo, & à prędestinatione: & quidem non vtcunque, sed ita, quòd licet vltra ipsum Deum, habeat liberum arbitrium creatum, vel alia virtus creata influere actu in illos; totum tamen id habeatur, & communicetur eis à Deo, atq; à prędestinatione, ratione cuius efficaciter imperatiuè Deus

Deus facit, vt liberum arbitrium creatum faciat.

Omnia dona supernaturalia electis collata sunt eff. & prædestinationis eorundem.

Corollarium V. Non solùm actus supernaturales, à libero arbitrio procedentes, sed etiam omnia dona supernaturalia (quæcunq; illa sint) quæ electis conferuntur, sunt effectus prędestinationis eorundem. Ita S. Paulus ad Rom. 8. vbi omnes effectus supernaturales prædestinationis comprehendens, sub vocatione, iustificatione, & glorificatione, sub his ambit omnia conducentia ad illos, v. g. *sub vocatione*, omnia auxilia, tàm interna; quàm externa, quæ tribuuntur ad credendum, ipsamq; fidem. *Sub iustificatione* omnem dispositionem, quæ habita fide proximè, aut remotè, conducit ad acquisitionem, vel augmentum gratiæ, omniaq; auxilia, quibus acquiritur, vel augetur eadem gratia, nec non auxilium gratiæ subsequentis, quo iustificatus indiget, vt glorificetur. *Tandem sub glorificatione*, comprehendit omnem dotem animæ, & corporis, laureolas, quæ exornant, & perficiunt beatitudinem, aliaq; gaudia accidentalia, prouenientia ex pulchritudine loci, aut consortio Sanctorum, vel aliorum bonorum.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem*. Actus supernaturales, vt præcisè dicunt respectum ad liberum arbitrium, proceduntq; ab illo, non sunt à Deo: ergo secundùm istam considerationem, & præcisionem, non sunt effectus prędestinationis electorum. *Consequentia manifesta*: quia effectus prœdestionis debet esse à Deo, siquidem Deus mediâ sua prędestinatione illum causat. *Antecedens etiã patet*: quia prędicti actus, vt præcisè procedunt à libero arbitrio, solùm procedunt ab illo. Nam secundùm istam præcisionem excludunt Deum: quemadmodùm illi actus, vt pręcisè sunt à gratia, non sunt à libero arbitrio, verùm vt sic excludunt illud: alias non considerarentur, vt præcisè sunt à gratia.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando antecedens cum S. Augustino lib. 1. retract. cap. 9. vbi dicit: *Et quia omnia bona magna, & media, & minima, ex Deo sunt, sequitur quòd ex Deo sit bonus vsus liberæ voluntatis.* Et lib. 2. de peccatorum meritis, ac remissione cap. 18. dicit: *Sed laborant homines inuenire in nostra voluntate, quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo, & quomodo inueniri possit, ignoro.* Et lib. de gratia Christi cap. 5. vbi reprehendit Pelagianos asserẽtes, quòd ad implenda omnia pręcepta, solùm indigeamus Deo coadiutore partiali; non autem vt largitore talis adimpletionis, his verbis: *Adiutorem volunt esse Deum, non largitorem virtutis, contradicentibus Patribus, qui sciebant ad Deum veraci pietate clamare: Diligam te Domine fortitudo mea.* Vnde probatio antecedentis similiter negatur: licet enim in prędictis actibus expressus conceptus procedendi à libero arbitrio, non sit expressus conceptus procedendi secundùm istam rationem à Deo, & à gratiâ: nihilominùs in illo conceptu intimè, & impræscindibiliter includitur, quòd adhuc prout sunt à libero arbitrio, sint à Deo, & à gratiâ. A Deo quidem propter generalem rationem actuum causæ secundæ; à gratia verò, quia non procedunt à libero arbitrio, vt ad habente virtutem agendi proximam in ordine ad eosdem, eò quòd sint supernaturales; sed tantùm vt à principio remoto, & radicali, habente scilicet quantitatem virtutis, & efficaciam proximam ab ipso auxilio gratiæ. Et ideò licet expressus conceptus procedendi à libero arbitrio, vt à principio

pio radicali, non sit expressus conceptus procedendi à gratia; tamen eo ipso, quòd procedat à libero arbitrio, vt à principio radicali, solummodò, ibidē includitur, quòd adhuc vt procedunt à libero arbitrio, procedant etiam à gratia, vt à dante virtutem agendi proximam.

Obiectio secunda. Obijcitur II. *Contra Corollarium III.* Principium liberum *vt quo*, debet esse indifferens *vt quo*, ad vtrumq; extremum libertatis, v. g. ad amorem, & odium, aut negationem amoris, proinde debet vtrumq; æqualiter, ac indifferenter respicere. Sed gratia auxilians; & mouens ad actum amoris v.g. non est indifferens ad vtrumq; extremum libertatis, neq; æqualiter, & indifferenter respicit amorem, ac odium, aut negotionem amoris, sed determinate respicit amorem, cùm illoque habet indissolubilem nexum: ergo non est libera *vt quo*, & cōsequenter actus supernaturalis, nullo modo habet à gratia auxiliante, quòd sit liber. *Responde-*

Solutio eiusdem. *tur distinguendo maiorem.* Principium liberum *vt quo*, per modum potentiæ, debet esse indifferens *vt quo*, *conceditur maior.* Principium liberum *vt quo*, per modum virtutis, aut applicationis potentiæ, debet esse indifferens *vt quo*, *negatur maior*: & sic concessa minore, ac similiter distincto consequente, *negatur consequentia.* Vnde, vt aliquid sit liberum per modum potentiæ, seu libertate potentiali, debet vtrumque contrarietatis, aut contradictionis extremum æqualiter respicere. At verò vt sit liberum per modum virtutis, aut applicationis potentiæ, seu libertate actuali, & per modum principij actualis ipsius operationis (quâ solùm libertate gaudet gratia mouens, & auxilians) sufficit, quòd ita applicet voluntatem ad vnum extremum, vt in ea relinquat vires, & potentiam ad oppositum.

QVÆSTIO V.

An esse substantiale, seu substantia prædestinati, sit effectus prædestinationis ipsius.

SUppono, certum esse apud omnes, substantiam prędestinati secundum se consideratam, intra limites puræ naturæ, non esse prędestinationis effectum. *Tum* quia effectus prędestinationis, finem eius respicere debent; substantia autem prędestinati in prædicta cōsideratione, finem prędestinationis non respicit, sed adæquatè sistit intra limites, & fines naturæ. *Tum*, quia effectus prædestinationis, nō est indifferens ad finem reprobationis; at verò substantia prędestinati intra limites puræ natuæ, considerata, est indifferens, vt prędestinetur, & reprobetur: proinde sub hac consideratione, non potest esse effectus prędestinationis.

Certum est *præterea*, substantiam prędestinati non esse effectum prędestinationis proximum, & elicitum. *Tum*, quia effectus elicitus prędestinationis, debet esse supernaturalis ratione sui; iam verò substantia prędestinati ratione sui nō est supernaturalis. *Tum*, quia substantia prędestinati, est effectus elicitus prouidentiæ naturalis; ideoque à supernaturali, cuiusmodi est prędestinatio, non potest elicitiuè procedere. Solùm itaque controuersia est, an substantia prædestinati saltem sit effectus imparatus prędestinationis ipsius. Porrò dupliciter aliquid potest esse effectus prędestinationis imperatus. *Primò*, quoad ordinationem supponentē existentiam rei ordinatæ, & hoc modo non est dubium, substantiam prædestinati esse effectum prędestinationis, cùm per prædestinationem ordinetur ad gloriam, ad eamq; transmittatur. *Secundò*, quoad existentiam, ita vt prima rei productio imperetur ex intentione finis prędestinati, & de hoc modo contro-

uertitur. An scilicet substantia prędestinati, licet ex vi alterius prouidentiæ, quasi elicitiuè ad finem naturalem ordinetur, & in re producatur; non tamen procedat ab illa, independenter à prędestinatione, sed vt subordinata illi tanquàm imperanti, eo modo, quo actus aliarum virtutum ab illis eliciti, à charitate procedunt, vt imperante illorum productionem.

Prima itaq; sententia negat, substantiam prædestinati esse effectus prædestinationis ipsius. Hanc tenet Gabriel, Occham, maior, Corneio, Gonzales &c. Altera sententia oppositum affirmat, & hæc est communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Substantia prædestinati & ipsius prędestinationis effectus. COnclusio. Substantia prædestinati est effectus ipsius prædestinationis. *Probatur I.* Authoritate S. Augustini, qui epist. 105. explicans illud D. Pauli ad Rom. 9. *Vt secundùm electionem propositū Dei maneret*, ita discurrit. *Secundùm electionem* inquit, *quâ eligendos facit ipse, non inuenit.* Et lib. 5. contra Iulianum dicit: *Propter hos Dominus ait: hæc est autem voluntas eius, qui misit me Patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo. Cæteri autem mortales, qui ex isto numero non sunt, ex eadem quidem massa, ex qua & isti, sed vasa iræ facti sunt, ad vtilitatem nascuntur istorum. Non enim quenquam illorum Deus temerè, ac fortuitò creat, aut quid de illis boni operetur, ignorat, cùm & hoc ipso bonum operetur, quòd in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem seculi præsentis exornat.* Ergo iuxta D. Augustinū, elicitò ad gloriam est causa substantiæ eligendorum, & consequenter substantia prędestinati, est eius prędestinationis effectus, siquidem omne, quod ab electione in ordine intentionis causatur, est in executione effectus prædestinationis.

Probatur II. Authoritate sancti Thomæ 1. p. qu. 23. ar. 8. vbi dicit: *Ita prædestinatur à Deo salus alicuius, vt etiam sub ordine prædestinationis cadat, quidquid hominē promouet ad salutē, vel rationes propriæ, vel aliorum: vel alia bona, vel quidquid huiusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur.* Sed sine propria substantia, & esse substantiali, nemo potest salutem consequi: ergo substantia prędestinati, est effectus prædestinationis ipsius.

Probatur III. Quidquid aliquomodò ad prędestinationē conducit, si fiat ex intentione gloriæ; est effectus prædestinationis. Sed substantia prædestinati conducit aliquomodò ad prædestinationem, fitq; ex intentione gloriæ: ergo est effectus prædestinationis. *Minor quoad primam partem probatur.* Substantia prædestinati, est causa efficiens actuum, quibus homo iustificatur, & promeretur gloriam: similiter est causa effectus ipsius gloriæ, ac visionis beatificæ, quam producit mediante intellectu per lumen gloriæ eleuato: insuper potest esse motiuum, per modum obiecti, gratiarum actionis, procreationis, & conseruationis beneficio: ergo substantia prædestinati conducit ad prædestinationem. *Probatur deinde eadem minor, quoad secundam partem.* Non repugnat ab intrinseco, quòd substantia prędestinati fiat ex intentione gloriæ, imò sic fieri congruit intentioni prædestinationis: ergo de facto substantia prędestinati fit ex intentione gloriæ, & consequenter est prædestinationis effectus. *Prima pars antecedentis patet*: quia si quæ repugnantia in hoc esset, maximè, quia substantia prędestinati vt sit obiectum gloriæ debet ad illius intentionem supponi, & consequenter ex vi talis intentionis non potest fieri. Hoc autem falsum esse pa-

se patet, *tum* ex eo, quia id quod est prius in genere causæ materialis, potest in genere causæ finalis esse posterius: ergo licet substantia prædestinati sit subiectum gloriæ, & consequenter prior illâ in genere causæ materialis, potest ab ea in genere causæ finalis causari, atq; sic ex intentione gloriæ imperatiuè procedere. *Tum*, quia substantia genita potest esse subiectũ generationis, potestque causari à generatione efficienter. Similiter substantia creata est subiectum creationis acceptæ passiuè, ab illaq; causatur: ergo quoque substantia prædestinati, licet sit subiectũ prędestinationis, potest ab ea imperatiuè procedere. *Altera etiam pars antecedentis, quòd ita fieri congruum sit, patet tum ex eo*: quia inde maximus amor Dei elucet ergo electos, curaq; specialis, quam habet circa illos. *Tum*, quia Deus in beatitudine supernaturalis electorum, quæ est finis prędestinationis, intimè reperitur vnitus in ratione speciei intelligibilis: ergo congruum est, vt substantia electorum ad gloriam æternam, tanquàm ad finem ordinetur, & ex eius intentione procedat. *Consequentia manifesta*: quia congruum est, vt vbicunque Deus reperitur vnitus secundùm suam substantiam, ibi exerceat rationem vltimi finis. Sic quia specialiter vnitur animæ iusti per gratiam; ideò omnes aliæ creaturæ sunt propter iustos. Cùm ergo supernaturalis beatitudo includat Deum vt vnitum intellectui beato in ratione speciei intelligibilis; ideò necesse est ipsam beatorum substantiam, ad beatitudinem vt finem ordinari, ex eiusq; intentione imperatiuè procedere. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Substantia prędestinati potest imperari ex intentione gloriæ.

Corollarium I. Licet substantia prædestinati non solùm sit subiectum gloriæ, sed etiam finis, cui Deus gloriam intendit; id tamen non obstat, quin possit imperari ex intentione eius. *Ratio*: quia etiam Christus vt homo, est finis, cui Deus vult filiationem naturalem; & tamen fit ex vi eiusdem decreti, quo filiatio intenditur: ergo pariter ex eo, quòd substantia predestinati sit finis, cui Deus gloriam intendit, non repugnat eam ex intentione gloriæ imperari. *Propterea*, quia finis *cui*, & finis *cuius gratiâ*, distinguuntur, & se inuicem præcedunt in diuerso genere causæ, sic sanitas v. g. quam medicus appetit ægroto, est prior illo in genere causæ, finalis, & in ratione finis *qui*, vel *cuius gratiâ*; ipse autem æger, cui desideratur, præcedit eam in genere causæ materialis, & in ratione finis *cui*. Item Christus cùm sit finis totius ordinis naturæ, & gratiæ, iuxta illud Ecclesiast. 24. *Primogenitus ante omnem creaturam*, est prior genere humano, in ratione finis *qui*; ipsum verò genus humanum vt redimendum, & consequenter ordo naturæ, præcedit Christum in genere causæ materialis, & in ratione finis *cui*. Ergo non obstante hoc, quòd substãtia prædestinati sit finis *cui* respectu gloriæ, potest ab illa vt fine cuius causari, & consequenter ex intentione eius procedere.

Corollarium II. Etiam bona omnia naturalia, sunt effectus prędestinationis imperati. *Ratio*: quia licet fiant ex prouidentia naturali; ordinantur tamen per prędestinationem ad salutem, & bonum electorum. Hinc D. Thomas 1. 2. q. 114. ar. 10 & 2. 2. q. 17. ar. 2. & qu. 83. ar. 6. docet in prædestinatis bona temporalia conducere ab beatitudinem, ideoq; posse cadere sub merito, esseq; obiectum spei, ac pro illis posse fieri orationes.

Corollarium III. Etiam locus, ac tempus nascendi, & moriendi, aliæque natiuitatis, & mortis circumstantiæ, funt prędestinationis effectus in electis. *Ratio*: quia etiam

am hæc in prædestinatis conducunt ad finem prædestinationis. Vnde puerum v. g. statim moriturum, nasci propè fontem, conducit, vt ei baptisma conferatur, atq; ita saluetur. Similiter hominem, dum est in statu gratiæ, suffocari in flumine, aut à latronibus occidi, aut alia morte violenta, & fortuitâ mori, conducit ipsi, vt in gratia decedat, gloriamque consequatur. Hinc Apostolus ad Rom. 8. dicit: *Diligentibus omnia cooperantur in bonum*.

Bona indoles, & ingenium, conducunt ad vitanda peccata.

Corollarium IV. Bona indoles, & bonum ingenium in electis, sunt effectus prędestinationis ipsorum. Non quòd hæc conducant ad facilius credendum, aut ad supernaturales actus eliciendos, vt aliqui volunt, siquidem adæquata ratio proximè agendi respectu actuum supernaturalium, est virtus supernaturalis infusa: sed quia hæc conducunt ad vitanda peccata. Quoniam ex bona hominum inclinatione, ac ingenij bonitate, multoties prouenit, vt pauciora committantur peccata; quemadmodùm è contra mala hominum indoles, & inclinatio, ad plura committenda peccata magnoperè iuuant. Et hoc expresse docet sanctus Thomas 3. contra Gentes, cap. 162. vbi dicit: *Adiuuat etiam Deus hominem contra peccatum, per naturale lumen rationis, & alia naturalia bona, quæ homini confert*.

Corollarium V. Etiam bona opera moralia, quæ à prędestinatis fiunt sine auxilio gratiæ, sunt effectus prędestinationis ipsorum. *Ratio*: tum quia conducunt ad gaudium accidentale, quod de illis prędestinati percipient in gloria. *Tum*, quia dùm quis benè operatur, si opus in præcepto sit, vitatur peccatum. *Tum insuper*, quia bona illa opera menti obiecta, dant occasionem laudis, & gratiarum actionis.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

Obijcitur *contra Conclusionem*. Effectus prædestinationis debent esse ex meritis Christi. Sed substantia prędestinati non est ex meritis Christi: ergo non est effectus prædestinationis electorum. *Maior patet*: quia Christus omnes effectus nostræ prædestinationis promeruit. *Minor etiam* est D. Augustini epist. 105. vbi dicit: *Christus non pro vllis, vt homines conderentur, sed pro impijs mortuus est, vt iustificarentur*. *Respondetur distinguendo minorem*.

Solutio eiusdem.

Substantia prędestinati nudè sumpta, & intra limites puræ naturæ considerata, non est ex meritis Christi, *conceditur*: substantia prędestinati, vt ordinatur ad gratiam, & gloriam, ad eamque efficaciter transmittitur, *negatur minor, & sic negatur consequentia*. Similiter ad authoritatem D. Augustini dicitur, illum solùm intendere, generationem hominis intra limites puræ naturæ consideratam, non esse ex meritis Christi, cæterùm non negat eam vt ordinatam, & transmissam ad gratiam, & gloriam, cadere sub merita Christi. Quod autem Diuus Paulus ad Rom. 8. exponens effectus diuinæ prędestinationis, nullam fecerit mentionem substantiæ prędestinati, non mirum: quia ibi Apostolus solùm recensuit effectus prædestinationis elicitos, & proportionatos, seu proximè ad beatitudinem conducentes; non autem effectus imperatos, & improportionatos, qualis est ipsius prædestinati substantia. Substantia igitur prædestinati, vt dirigitur ad finem naturalem, est prouidentiæ naturalis effectus; vt dirigitur ad finem supernaturalem, est effectus prouidentiæ generalis supernaturalis; vt verò dirigitur ad finem supernaturalem efficaciter, est effectus præstinationis.

Instantia I. & solutio eiusdem.

Instabis I. Prædestinatio hominum supponit eorum substantiam productam, aut saltem præuisam: ergo illam non causat, & sic substantia prędestinati, etiam vt dirigitur in finem supernaturalem efficaciter, non est effectus prædestinationis. *Antecedens patet*: quia prædestinatio nostra supponit culpam originalem, cùm eam supponat prædestinatio Christi, quæ est prior nostrâ vt docet S. Thomas 3. p. qu. 1. ar. 4 iam verò peccatum originale supponit substantiam prædestinati productam. *Respondetur negando antecedens. Eius probatio distinguitur.* Prædestinatio nostra supponit culpam originalem, in vno genere causæ, scilicet materialis. *conceditur*: in omni genere causæ, *negatur.*

Instantia II. & solutio eiusdem.

Instabis II. Substantia prędestinati producitur per prouidentiam naturalem, quæ antecedit supernaturalem; sicut natura præcedit gratiam: ergo prædestinatio supponit substantiam prædestinati productam, & consequenter hæc non potest esse effectus illius. *Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia*: nam etiam auxilia sufficientia producuntur per prouidentiam communem supernaturalem, quæ est prior prędestinatiuâ prouidentiâ; & tamen auxilia sufficientia in prędestinatis sunt effectus prædestinationis. Vnde ex hoc, quòd substantia prędestinati producatur per prouidentiam naturalem, quæ est prior prędestinatione, non benè colligitur, eam non esse prędestinationis effectum.

QVÆSTIO VI.

An permissio peccati in electis, sit effectus prædestinationis illorum.

Effectus prędestinationis dupliciter possunt considerari.

QVæstio hæc non procedit de permissione peccati actiuâ, quæ consistit in volitione permittendi peccatum; sed de permissione passiuâ, quæ consistit in carentia gratiæ efficacis, quâ positâ vitaretur peccatum. Porrò effectus prędestinationis dupliciter possunt considerari. *Primò*, respectu prædestinationis totius corporis mystici prędestinatorum. Et hoc modo nullum est dubium, omnem permissionem peccatorũ esse effectum prędestinationis toti' corporis mystici, siquidem omnia ordinantur ad majorem perfectionem, & pulchritudinem cœlestis Hierusalem, & sic non solùm permissio peccati Adæ; verùm etiam omnium hominum, & Angelorum, est effectus prędestinationis omnium electorum. Vnde dicit Sanctus Augustinus lib. 11. de ciuit. cap. 18. *Neque enim Deus vllum non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret, atque ita ordinem sæculorum, tanquàm pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret.* Id ipsum insinuare voluit Apostolus ad Rom. 9 *Sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Et cap. 11. *Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc: vt non sitis vobismet ipsis sapientes: quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret.* Et ibidem de Iudæorum ruina subdit: *Nunquid sic offenderunt, vt caderent, Absit.* Quasi diceret: nunquid finis internus à Deo, fuit casus illorum? sed inquit, *illorum delictum salus est gentibus, vt illos æmulentur.* id est, habeant exemplũ, ne superbiant, sicut illi superbierunt, & ceciderunt. Hinc ibidem sic alloquitur gentes: *Nunc autem misericordiam consecuti estis, propter incredulitatem illorum.* Secundò effectus prędestinationis possunt considerari respectu prędestinationis cuiuscunq; in particulari. Et in hoc sensu tota est difficultas, an permissio peccati in electis, sit effectus prędestinationis illorum. Quod Neoterici negant; communis autem Theologorum sententia affirmat.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Permissio peccati in electis est effect' prędestinationis ipsorum.

COnclusio. Permissio peccati in electis, est effectus prędestinationis ipsorum. *Probatur I.* authoritate S. Thomæ 1. 2. q. 79. ar. 4. vbi de excæcatione, quæ includit permissionem peccati, ita scribit: *Respondeo dicendum, quòd excæcatio est quoddam præambulũ ad peccatum: peccatum autem ad duo ordinatur. Ad vnum quidem per se, scilicet ad damnationem, ad aliud autem ex diuina misericordiâ, vel prouidentiâ, scilicet ad sanationem, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, vt peccatum suum agnoscentes humilientur, & conuertantur.* Sicut Augustinus dicit, in lib. de natura, & gratiâ. *Vnde & excæcatio ex sui natura, ordinatur ad damnationem eius, qui excæcatur, propter quod ponitur etiam reprobationis effectus: sed ex diuina misericordia excæcatio ad tempus, ordinatur medicinaliter ad salutem eorum, qui excæcantur, sed hæc misericordia non omnibus impenditur excæcatis; sed prædestinatis solùm, quibus omnia cooperantur in bonum, sicut dicitur ad Rom. 8.* Ergo iuxta Sanctum Thomam permissio peccati in electis, est effectus prędestinationis ipsorum.

Probatur II. *ratione.* Ex multis Scripturæ Sacræ locis probabiliter colligitur, permissiones peccatorum in electis, esse volitas ex affectu beatitudinis electorũ, proinde quòd sint effectus prędestinationis illorũ: ergo permissio peccati in electis, est effectus prędestinationis eorundem. *Consequentia manifesta. Antecedens autem deducitur*, tum ex illo ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quæ verba Sanctus Augustinus tom. 7. de correct. & gratiâ, cap. 9. ita exponit: *Talibus Deus diligentibus cùm omnibus cooperatur in bonum, vsq; adeò prorsus omnia, vt etiam si qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atq; doctiores.* Tum ex illo Psal. 29. *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Quia enim Dauid in abundantia sua dixerat, se non mouendum in æternum, ideò Deus voluit illũ deserere ad tempus, vt illa derelictio cederet illi in medicinam contra superbiam, vtque sic media humilitate salutem consequeretur. Ita enim locum hunc explicat Sanctus Augustinus lib. de natura, & gratiâ, cap. 14. ita scribens: *Dixerat enim in abundantia sua, non mouebor in æternum, & sibi tribuebat, quod à Deo habebat. Quare ostendendum ei fuerat, vnde haberet, vt reciperet humilis, quod superbus amiserat.* Tum deniq; ex illo ad Rom: 11. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Quæ verba Sanctus Augustinus lib. 21. de ciuit: Dei, cap. 24. ita exponit: *Deus permisit prædestinatos ex Iudæis, & Gentibus incidere in peccatum infidelitatis, vt de amaritudine illius pœnitendo confusi, & de dulcedine diuinæ misericordiæ credendo cõuersi, dicant illud Psal. 30. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Ergo permissio peccati in electis, est effectus prędestinationis ipsorum. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Etiam in reprobis permissio peccati, est effect' prędestinationis electorum.

Corollarium I. Etiam in reprobis permissio peccati, est effectus prędestinationis electorum. Ita Scriptura Sacra Prouerb: 11. vbi dicitur: *Qui stultus est seruiet sapienti. Quia scilicet etiam mala peccatorum in bonum iustorum cedunt.* Et ad Rom. 11. vbi dicit Apostolus: *Quòd si delictum eorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorũ diuitiæ Gentium*

tium, amissio erum reconciliatio est mundi: fracti sunt rami eius, vt ego inserar. Nolo ergo vos ignorare fratres mysterium hoc, quod cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo Gentium intraret. Ex quibus verbis manifestè innotescit, permissionem peccatorum in Iudæis, fuisse salutem Gentium, & consequenter prędictam permissionem esse effectum prędestinationis electorum. Et Psal. 9. vbi dicitur: *Vt quid Domine recessisti longè, despicis in opportunitatibus.* Quem locum Sanctus Thomas exponit de permissione persecutionis electorum, quam Deus dicitur facere in opportunitatibus, id est, opportuno tempore: quia inde sancti proficiunt ad meritũ vitæ æternæ. Et Psal. 57. *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Quæ verba S. Augustinus sic exponit: *Iustus qui videt vindictam peccatoris, proficit ipse, & mors vnius valet ad vitam alterius.* Cùm ergo iuxta D. Augustinum in executione ita sit, vt permissio peccati reprobi, conducat ad salutem prędestinati, manifestè sequitur, ita ordinatum esse in mente diuina ab æterno.

Corollarium II. Quando Sanctus Augustinus lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 22. inquirit, quare Deus creauerit Dæmonẽ, quem malum futurum præsciebat? & respondet sibimet his verbis: *Non quia ipsum malum condidit, sed quia cùm sciret eum ad hoc propria voluntate malum futurum, vt bonis noceret, creauit eum ad hoc, vt de illo bonis ipse prodesset.* Per hoc non innuit, prius Deum vidisse inuidiam diaboli erga sanctos, & postea decreuisse per aliam voluntatem, quòd sancti proficerent ex eius tentatione, vt vult quidam Neotericus. *Ratio:* quia Deus voluit creare Angelos, ad ostẽsionem suæ iustitiæ erga illos, & suæ misericordiæ erga electos; in hac autem includitur permissio peccati necessaria ad vtrumque. Vnde in hac permissione pręuidit Deus peccata Dæmonum, & in genere causæ finalis priùs fuit permissio ipsa, ac pręuisio eius, nec non & peccati, quàm creatio Angelorum.

Materiale peccati in electis, est eff. & prędestinationis.

Corollarium III. Materiale peccati in electis, est effectus prædestinationis. *Ratio:* quia materiale peccati est effectus omnipotentiæ, & voluntatis diuinæ, conducitq; in finem prędestinationis, & consequenter ex illius intentione in electis à Deo præparatur: ergo est effectus prædestinationis. *Consequentia manifesta: Antecedens etiam patet:* quia materiale peccati est aliqua entitas creata, & aliquis actus Physicus, ac vitalis, proinde non potest subterfugere diuinam causalitatem, & omnipotentiam; sed debet à primo ente, & primo actu procedere.

Corollarium IV. Etiam mala pœnæ in electis, sunt effectus prędestinationis ipsorum. *Ratio:* quia mala pœnæ causantur à Deo, iuxta illud Ecclesiast. 11. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas, à Deo sunt.* Et Amos 3. *Si erit malum in ciuitate quod non fecerit Dominus.* Deinde, quia mala pœnæ conducunt in finẽ vitæ æternæ: nam vt dicit Scriptura Sacra, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum:* ergo à Deo pręparantur electis, ex intentione dandi illis gloriam.

Corollarium V. Mala culpæ, seu peccata quâ talia, & secundum malitiam, ac deformitatem moralem, quam important, non sunt effectus prędestinationis electorũ. *Ratio:* quia Deus non est causa, neq; author peccati: nam vt dicit Sanctus Thomas 1. 2. q. 79. ar. 1. *Omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum, sicut in finem: Deus autem omnia inclinat, & conuertit in seipsum,* vt docet Sanctus Dionysius cap. 1. de diuin. nomin.

Deinde,

Deinde, quia mala culpæ non conducunt ad vitam æternam, sed potius assecutionem eius impediunt, & sic non possunt ex intentione gloriæ à Deo pręparari.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Effectus prędestinationis debet esse gratia, & beneficium. Sed permissio peccati in electis non est gratia: ergo non est effectus prædestinationis electorum. *Maior constat:* quia prędestinatio iuxta Sanctum Augustinum, est præparatio gratiæ, & beneficiorum Dei. *Minor etiam patet:* quia permissio peccati in electis, est potiùs denegatio gratiæ, & benefici j: ergo non est gratia, nec beneficium. *Respondetur distinguẽdo maiorem.* Effectus prędestinationis debet esse gratia, ac beneficium, aut intrinsecè, & ratione sui; aut extrinsecè, & ratione alterius, ad quod ordinatur, *conceditur maior:* debet esse gratia intrinsecè, & ratione sui semper, *negatur maior:* & similiter distincta minore, *negatur consequentia.* Vnde licet permissio peccati intrinsecè, & ratione sui non sit gratia; tamen quatenus ordinatur ad hoc, vt prędestinatus humilior, & feruentior perseueret in gratia, & charitate, est extrinsecè gratia, ac beneficium Dei, iuxta illud Prophetæ: *Bonum mihi Domine, quia humiliasti me.* Hinc Sanctus Ambrosius dicit: *Fidelis factus est Petrus, postquàm fidem se perdidisse defleuit, atq; ideò maiorem gratiã reperit; quàm amisit. Ad probationem minoris dicitur,* quòd licet maius bonum sit ipsa gratia, quàm denegatio eius, si ista duo pręcisè, & secundùm se considerentur; si tamen considerentur secundùm aliquas extrinsecas circumstantias, & ordinationem diuinam, tunc aliquando maius bonum est, & beneficium Dei, aliqua carentia gratiæ ad tempus; quàm ipsa gratia: quia forsan si illo tempore homo esset in gratia, fieret remissior, aut superbior, aut minùs cautus, & sic postea caderet irreparabiliter; iam verò cadens, & postea surgens, reuiuiscit feruentior, humilior, & cautior, vt docet Sanctus Gregorius his verbis: *Fit plerumq; gratior Deo amore ardens vita post culpam; quàm in securitate corporis innocentia.*

Solutio eiusdem.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. Negatio gratiæ efficacis, in qua consistit permissio peccati, non conducit ad finem prędestinationis: ergo non est effectus prędestinationis. *Consequentia manifesta. Antecedens etiam patet:* quia negatio gratiæ efficacis, est medium per se conducens ad finem reprobationis; ergo non potest ad finem prędestinationis conducere, cùm isti fines sint inter se oppositi, & ideò media ad vnum apta, ad alium consequendũ idonea esse non possunt. *Respondetur negando antecedens.* Eius probationis distinguitur consequens: ergo non potest ad finem prędestinationis conducere per se, & ex natura rei, *conceditur:* per accidens, & ex diuina misericordia, *negatur.* Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 104. art. 4. ad finem corporis.

Solutio eiusdem.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* III. Ad effectus prędestinationis concurrit Deus concursu speciali, eò quòd ex illius speciali amore procedant. Sed ad materiale peccati solùm concurrit concursu generali: ergo materiale peccati in electis, non est effectus prędestinationis. *Respondetur,* concurrere quidem Deum ad materiale peccati, concursu generali eliciente; verùm etiam cõcurrit concursu speciali imperante, quatenùs specialis prouidentia in prędestinato, imperat generalem quoad omnes effectus ad illius finem conducentes.

Solutio eiusdem.

DISPVTATIO IV.

De Certitudine Prædestinationis.

Cognitis effectibus prædestinationis, ad eius certitudinem inuestigandam descendimus, de qua Sanctus Thomas tractat. 1. p. qu. 23. art. 6.

QVÆSTIO I.

An prædestinatio sit certa possitq; cognosci à prædestinato.

SEnsus propositæ quæstionis est, an prædestinatio certò, & infallibiliter consecutura sit effectum suum. Est autem duplex certitudo, *vna cognitionis*, quâ Deus certò cognoscit effectum illius futurum. *Altera medij, & causalitatis*, quatenùs medium illius prędestinationis exequendæ tale est, vt illo posito, effectus certò, & infallibiliter futurus sit. Vnde controuertitur, sitne prędestinatio certa, vtraque hac certitudine; an verò certitudine cognitionis, seu præscientiæ.

Opinio prima.

Prima itaque opinio affirmat, prędestinationem solùm esse certam, ac infallibilem, certitudine cognitionis, seu diuinæ præscientiæ, quâ ante omne decretum, quo tangat, & determinet voluntatis nostræ indifferentiam, scit ad quid illa in his, aut illis occasionibus, & circumstantijs, se determinabit, & hac determinatione scitâ, ac præsuppositâ, decreto suo subscribit, & statuit hominem ponere in illis occasionibus, & circumstantijs, in quibus præsciuit consensurum. Hanc tenet ex Neotericis Molina 1. p. q. 23. art. 5. qui certitudinem prędestinationis, quâ prędestinatus differt à non prędestinato, & ob quam diuina prouidentia sortitur rationem prędestinationis, reducit non ad decretum, seu ordinationẽ diuinam; sed ad pręscientiam illam futuri consensus, voluntatis humanæ exploratricem, quam appellat mediam scientiam.

Opinio secunda.

Altera opinio docet, prędestinationem non solùm esse certam certitudine cognitionis, & pręscientiæ, verùm etiam causalitatis, quæ fundatur in vi, & efficaciâ intrinsecâ diuinorum, decretorum, & auxiliorum, quibus Deus illæsâ arbitrij voluntate, humanas voluntates mouet, & applicat ad volendum, quod ipse vult, & vbi, quando, & quomodò vult, causatq; voluntatis nostræ cõsensum, & determinationem. Et hæc est communis Theologorum cum S. Augustino Enchirid. cap. 98.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Prædestinatio electorum ad gloriã est Deo certissima, vtraq; certitudine.

COnclusio. Prædestinatio electorum ad gloriam est Deo certissima certitudine cognitionis. Ita Scriptura Sacra 2 ad Timoth. 2. vbi dicitur: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognouit Deus, qui sunt eius.* Probatur conclusio authoritate D. Augustini lib. de bono perseuerantiæ, cap. 14. vbi dicit: *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur.* Ergo iuxta D. Augustinum, prędestinatio electorum ad gloriam est certissima. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Prædestinatio electorum ad gloriam, est etiam certissima certitudine medij, atq; causalitatis. Ita Sanctus Thomas quod lib. 12. ar. 3. vbi dicit: *Prædestinatio habet certitudinem ex parte scientiæ Dei, quæ non potest falli, & ex parte voluntatis diuinæ, cui non potest aliquid resistere, & ex parte prouidentiæ, quæ certissimo modo ducit ad finem.* Quibus verbis nõ cognitionis tantùm, & certitudinẽ scientiæ agnoscit in prędestinatione, sed etiam causalitatis, & prouidentiæ, seu ordinationis mediorum. Et *ratio corollarij est*: quia SS. Patres prędestinationis, & gratiæ infallibilitatem, non ex aliquo à Deo præsupposito, & pręuiso; verùm ex ipsa ordinatione, operatione, ac efficaciâ diuinæ voluntatis, atque omnipotentiæ desumunt: ergo nõ solùm certitudinem præscientiæ, sed etiam causalitatis in prędestinatione agnoscunt. *Consequentia manifesta. Antecedens deducitur I.* ex Concil. Trident: sess: 6. cap. 13 vbi certitudinem perseuerantiæ (quæ est præcipuus prędestinationis effectus) reducit non in diuinam pręscientiam, explorantem futurum humanæ voluntatis consensum, & occasiones, ac circumstantias temporis, lociq; expectantem; sed in virtutem, & efficaciam infinitam diuinæ omnipotentiæ. Vnde citatum Conciliũ sic loquitur: *Munus perseuerantiæ de quo scriptum est: qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit, aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum qui stat statuere, vt perseueranter stet, & eum qui cadit, restituere.* Deducitur II. idem antecedens ex D. Augustino, qui lib. de corrept. & gratiâ, cap. 8. disserens de fide Petri, eius firmitatem, & indefectibilitatem, ad ipsam pręparationem, & operationem Dei reducit; non autem ad pręuisum voluntatis Petri consensum, his verbis: *Quis ignorat fuisse tunc perituram fidem Petri, si ea quæ fidelis erat, voluntas ipsa deficeret; sed quia præparatur voluntas à Deo, ideò non posset esse inanis oratio.* Ergo illa indefectibilitas orationis Christi, & indeficientia fidei Petri, sumitur ex ipsa prędparatione Dei, non ex consensu pręuio, & prędsupposito voluntatis humanæ. Quod statim declarat citatus Augustinus his sequentibus verbis: *Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ libertatem, & vt perseueret,*

delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. Et ibid. cap. 12. de promissione facta à Deo Abrahæ loquens, eius infallibilitatem docet nõ esse desumendam, ex diuina pręscientiâ explorante consensum humanæ voluntatis, verùm ex ipsa prędestinatione, quâ Deus facit id, quod promittit. Vnde explicãs illud Apostoli de Abraham: *Plenissimè sciens, quia quæ promisit Deus, potens est & facere*: ita discurrit: *Non ait, quæ præsciuit, potens est promittere, aut quæ prædixit potens est ostendere, aut quæ promisit, potens est præscire, sed quæ promisit potens est & facere. Ipse ergo eos facit & perseuerare in bono, qui facit bonos.* Et cap. 14. dicit: *Deo volenti saluum facere, nullum humanum resistit arbitrium: sic velle, vel nolle, in volentis aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Ergo iuxta Sanctum Augustinum, prędestinatio electorum ad gloriam, est certissima etiam certtudine medij, atq; causalitatis.

Prædestinatio infallibiliter consequitur suum effectum.

Corollarium II. Prædestinatio certissimè, & infallibiliter consequitur suum effectum. *Ratio*: quia prędestinatio claudit, aut pręsupponit electionem efficacẽ saluandorum ad gloriam; iam verò voluntas Dei efficax, suum obiectum infert, & infallibiliter causat: ergo & prędestinatio infalliter consequitur suum effectum. *Deinde*, quia vt suprà ostensum est, prędestinatio consistit in imperio practico diuini intellectus; hoc autem imperium est causa infallibilis suorum effectuum.

Corollarium III. Certitudo prędestinationis oritur ex vi intrinseca, & à causalitate mediorum, quæ Deus prępárauit electis. *Ratio*: quia si prędestinatio suam certitudinem, & efficaciam haberet solùm ex prescientia euentus, ac futuri consensus voluntatis creatæ; non

non autem ex vi intrinſecâ, & à cauſalitate mediorum, quæ Deus pręparauit electis, ſequeretur prędeſtinatum non differre à non prędeſtinato, niſi ex parte pręſcientiæ euentus, & boni vſus liberi arbitrij, & conſequenter non plus Deo debere prędeſtinatum; quàm reprobum. Sed hoc dici non poteſt: ergo certitudo prędeſtinationis oritur ex vi intrinſeca, & cauſalitate mediorum. *Minor patet:* quia prædeſtinatio eſt ſpecialiſſimum Dei beneficium, omniumq; maximum, & quaſi origo, & fons omnium gratiarum, beneficiorumq; Dei. *Sequela verò maioris deducitur* ex ipſo fundamento aduerſariorum, qui docent prędeſtinationem ſolùm differre à prouidentia generali ordinis ſupernaturalis, quæ eſt communis prędeſtinatis, & reprobis, ratione pręſcientiæ, ſupponentis, & non cauſantis conſenſum noſtræ voluntatis: ergo in ſententia illorum prędeſtinatus à non prędeſtinato ſolùm differt ratione pręſcientiæ euentus, & boni vſus liberi arbitrij. *Conſequentia clara:* quia prędeſtinatus, & prędeſtinatio, habent ſe correlatiuè, tanquàm actus, & obiectum: ergo ſi prędeſtinatio à prouidentia communi ſolùm differt ratione præſcientiæ eodem quoque modo prędeſtinatus à non prędeſtinato differet. Cùm tamen diſcretio prędeſtinati à reprobo, reduci debeat ad ipſam electionem gratiæ, iuxta illud D. Pauli ad Rom. 11. *Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.*

Infallibilitas prædeſtinationis non lædit libertatem liberi arbitrij.

Corollarium IV. Certitudo, & infallibilitas prędeſtinationis, non lædit libertatem liberi arbitrij. *Ratio*: quia in prędeſtinatione duo conſiderari poſſunt, ſcilicet pręſcientia Dei, & decretum conferendi gratiæ auxilia ad promerendam gloriam; certum eſt autem decretum illud non lædere arbitrij libertatem, ſicut nec ipſam gratiam, quæ vi illius decreti confertur, & quâ liberum arbitrium non cogitur, neque neceſſitatur, ſed ſolùm excitatur, & adiuuatur, vt doceri ſolet in tractatu de gratia. Similiter pręſcientia Dei, nullum libertati humanæ infert pręiudicium, ſed eam intactam, & illibatam omninò relinquit, vt oſtenſum eſt ſupra in tractatu de ſcientia.

Corollarium V. Prædeſtinatio licet quantum ad ipſam pręordinationem diuinam, quæ eſt in ipſo Deo, non iuuetur precibus Sanctorum; poteſt tamen iuuari quantum ad effectum particularem. *Ratio*, quia Sancti impetrāt à Deo, vt nobis aliqua bona ſpiritualia conferantur. Loquendo autem de toto effectu prędeſtinationis, ita vt non ſolùm conſideremus effectus, qui in nobis intrinſecùs recipiuntur, & quos nos operamur; verùm etiā extrinſeca media, quæ Deus ordinat ad noſtram ſpiritualem vtilitatem, non poteſt ita iuuari precibus Sanctorum prędeſtinatio, quantum ad totū effectum. *Ratio*: quia ipſæ preces ſunt effect⁹ prędeſtinationis. At verò ſi totus effectus prędeſtinationis conſideretur, prout in nobis intrinſecè recipitur, ſic poteſt iuuari precibus Sanctorum, vt docet S. Thomas 1. 2. q. vltimâ, aſſerens, quòd iuſtus poſſit mereri de congruo alicui peccatori non ſolùm gratiam, ſed etiam diſpoſitionem ad illam.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio.

OBijcitur *Contra Concluſionem*. Apoc. 3. dicitur: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*. Ex quo loco argumentum tale deſumitur. Quod eſt acquiſibile, & amiſſibile, non eſt certum, ac infallibile. Sed corona quæ eſt effectus prędeſtinationis, eſt acquiſibilis, & amiſſibilis: ergo & ipſa prędeſtinatio eſt talis, & conſequenter

quenter non eſt certa, & infallibilis. *Maior eſt manifeſta. Minor* etiam patet: *tum* ex D. Auguſtino, qui in citatum ſcripturæ locū ita ſcribit: *quòd alius non eſt accepturus, niſi iſte perdiderit*, oſtendens coronā, quæ eſt prędeſtinationis effect⁹, acquiſibilem, & amiſſibilem eſſe. *Tum* ex eo: quia poſſibile eſt aliquem prędeſtinatum, v. g. Petrum, exiſtentem in peccato mortali occidi, quo poſito damnabitur, & coronam, ac gloriam æternam amittet. *Reſpondetur diſtinguendo minorem*.

Solutio eiuſdem.

Corona, quam aliquis habiturus eſt ex prędeſtinatione diuinâ, eſt acquiſibilis, & amiſſibilis, *negatur*: corona ex merito gratiæ, *cōceditur*. Nam corona dupliciter dicitur alicuius. *Primò*, ex prędeſtinatione diuinâ, & ſic nullus coronam ſuam amittit. *Secundò* ex merito gratiæ: quod enim meremur, quodammodò noſtrum eſt, & ſic poteſt quiſpiam coronam ſuam amittere per peccatū mortale ſequens. Alius verò dicitur illam coronam amiſſam accipere, in quantum videlicet loco eius ſubrogatur. Deus quippè non permittit aliquos cadere, quin alios erigat, iuxta illud Iob. 34. *Conteret multos, & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Sic in locum Angelorum damnatorum conſtituti ſunt homines, & in locum Iudæorū Gentiles. Subſtitutus autem in locum gratiæ, etiam quantum ad hoc, coronam cadentis accipit, quia de bonis, quæ alius fecit, in æterna vita gaudebit, in qua vnuſquiſq; gaudebit de bonis, tàm à ſe, quàm ab alijs factis.

Vnde *ad probationem minoris dicitur*, poſſibile quidem eſſe, eum qui prędeſtinatus eſt, mori in peccato mortali ſecundùm ſe conſideratum; nihilominùs poſito, prout ſcilicet ponitur eum eſſe prędeſtinatum, id eſt impoſſibile: quoniam prędeſtinatio ita certa, & infallibilis eſt reſpectu conſecutionis finis, ut nullus ſit electus, qui pereat, aut periert, aut perire poſſit, ſaltem potentiâ conſequenti, & in ſenſu compoſito, iuxta illud Ioan. 6. *Omne quod dat mihi Pater, non perdam ex eo.* Et cap. 10. *Nemo rapiet oues meas de manu mea*, id eſt prędeſtinatos. Et hoc expreſsè docet Fulgentius de fide ad Petrum cap. 35. *Firmiter* inquit *crede, & nullatenùs dubites, omnes quos vaſa miſericordiæ Deus fecit, gratuita bonitate ante mundi conſtitutionem, in adoptionem filiorum Dei, eſſe prædeſtinatos à Deo, neq; perire poſſe aliquem eorum, quos Deus prædeſtinauit ad regnum, nec quenquam eorum, quos non prædeſtinauit, ulla ratione poſſe ſaluari.*

QVÆSTIO II.

An numerus Prædeſtinatorum ſit certus.

Numerus prædeſtinatorum tripliciter conſiderari poteſt.

SUppono I. Numerum prædeſtinatorum tripliciter poſſe conſiderari, videlicet aut *formaliter*, puta, quia tot de facto ſaluabuntur, v. g. centum millia, aut milliones: aut *materialiter*, v. g quia de facto hi, aut illi: aut certè hoc vtroque modo. *Aliqui* ergo cenſent, numerum electorum eſſe certum formaliter, ſed non materialiter. *Alij* probabiliùs vtroque modo certum eſſe volunt, nimirum & quot ſunt beandi, & qui.

Suppono *præterea*, dupliciter nos poſſe loqui de numero prędeſtinatorum. *Primò*, reſpectu omnium omninò hominum, qui ſunt in mundo, tàm infidelium, quàm Chriſtianorum; tàm Hæreticorum, quàm Catholicorum. Et ſic certum eſt, multò maiorem eſſe numerum reproborum, quàm prædeſtinatorum, eò quòd Chriſtiani pauci ſint in comparatione infidelium; & inter ipſos Chriſtianos, plures ſint Hæretici & Schiſmatici.

smatici. Hinc Angelus Esdram allocutus est, cap. 8. *Hoc sæculum fecit Deus propter multos, futurū propter paucos.* Et infra: *multi quidem creati sunt, pauci autem saluabuntur.* Secundò, possumus loqui de numero prędestinatorum, respectu ipsorummet Christianorum, qui in fide Christi, & sub obedientia Sanctæ Ecclesiæ Romanæ viuunt. Et ex his aliqui censent, plures esse prędestinatos, quàm reprobos; aliqui autem pauciores. An autem tantus numerus electorum ex hominibus, quantus ex Angelis prędestinatus sit, tres sunt sententiæ.

Sententia prima.

Prima censet, tot solùm ex hominibus esse prędestinatos, quot ex Angelis lapsi sunt. *Fundamentum istius sententiæ*, desumitur ex illo Psal. 109 de Christo Domino pronuntiato: *Impleuit ruinas*, id est Angelorum, qui corruerunt, ex hominib⁹, qui prędestinati multi sunt. In hanc inclinat D. Augustinus Enchirid: cap. 29. vbi postquàm præmisisset, ex hominibus reparandam ruinam Angelorum, subiunxit: *itaq; superna illa Hierusalem mater nostra, nulla ciuium suorum numerositate fraudabitur, sed vberiore etiam copiâ fortassè regnabit.*

Sententia secunda & tertia.

Altera sententia existimat, tot ex hominibus prędestinatos esse, quot Angeli in cælo remanserunt. Hanc tenuit Sanctus Gregorius homil. 34. in Euangel. vbi dicit: *Suprema illa ciuitas, ex Angelis, & hominibus constat, ad quam tantum credimus humanū genus ascendere, quantos illic contigit, electos Angelos remansisse.*

Tertia sententia putat, tot homines esse prędestinatos, quot fuerunt Angeli, qui ceciderunt, & remanserunt, proinde quot fuerunt Angeli creati.

Articvlvs I.

Resoluitur Quæstio.

Conclusio. Numerus prædestinatorum formaliter, & materialiter, soli Deo certus est. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 23. art. 7. vbi dicit: *Melius dicitur, quòd soli Deo cognitus est numerus electorum, in superna felicitate locandus.* Probatur I. ex Scriptura Sacra 2. ad Timot. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, cognouit Dominus qui sunt eius.* Et ex illo ad Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit*: ergo Deus certò scit, & prędefiniuit ab æterno, quòd istæ personæ in hoc numero saluandæ sint.

Numerus prædestinatorum soli Deo certus est.

Probatur II. *ratione.* Si numerus prædestinatorum non esset certus Deo, sequeretur in primis, aut Deum nō habere pręscientiam futurorum, aut ipsum in ea falli, quod est contra fidem. *Sequela patet*: quia alias aliqui saluarentur, quos Deus non pręsciuit esse saluandos, & aliqui damnarentur, quos Deus non pręsciuit esse damnandos: ergo vel Deus non haberet pręscientiam futurorum, vel in ea falleretur. *Sequeretur præterea*, voluntatem Dei esse mutabilem, quod etiam est contra fidem. *Sequela patet*: quia isti, qui sunt saluandi, aut damnandi, assequuntur salutem æternam, aut pœnam inferni propter voluntatem Dei; hæc autem voluntas non esset in Deo ab æterno, siquidem isti neq; essent prędestinati, neq; reprobi, & sic daretur mutatio in voluntate diuinâ. *Insuper sequeretur*, istas duas propositiones contradictorias esse simul veras: *iste numerus saluandorum est certus, & iste numerus saluandorum non est certus.* Negatiua enim esset vera ex hac suppositione, si numerus prędestinatorum non esset certus Deo. Affirmatiua verò ex hoc: quia scientia Dei non est fallibilis, neq; mutabilis. Sed iste numerus saluandorum est certus Deo in tempore, cùm in rei veritate saluentur: ergo quoq; fuit certus ab æterno: alias scientia Dei causaretur à rebus, & non esset

set immutabilis. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Numerus reproborū non est ita certus sicut prædestinatorum.

Corollarium I. Numerus reproborum non est ita certus, sicut prędestinatorum. *Ratio:* quia numerus prędestinatorum non solùm est certus Deo per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis prædefinitionis. hoc est, quia Deus non solùm scit, quot sunt saluandi, (sic enim Deo numerus guttarum pluuiæ, & arenæ maris cert⁹ est) sed etiam, quia Deus per se primò vult esse prędestinatos in tanto numero Iam verò licet numerus reproborum sit certus Deo etiam materialiter; non est tamen prędefinitus per se primò secundùm principalem prędefinitionem: quia isti sunt prędordinati à Deo in bonum electorum, ideoque tot illos Deus esse ordinauit, quot sunt necessarij ad bonum prędestinatorum, & ad gloriam ipsorum, iuxta illud ad Rom: 9. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum, vt ostendat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Numerus itaq; reproborum, non est per se primò intentus, sed per aliud, ac proinde non est prędefinit⁹ principali prędefinitione; ideò non dicitur ita esse certus, sicut numerus prędestinatorum.

Quicunq; saluantur sunt simpliciter prædestinati.

Corollarium II. Quicunque assequuntur vitam æternam, sunt simpliciter prędestinati. Est contra Catherinum, qui temerè, & prorsùs hæreticè asseruit, solos homines eximiæ sanctitatis, & in gratia confirmatos, quales fuerunt Apostoli, & B. Virgo, prędestinatos esse. *Ratio corollarij* desumitur ex illo Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ab origine mundi*: ergo quicūq; assequuntur vitam æternam, cum accipiant regnum sibi paratum, simpliciter prędestinati sunt. Similiter ad Rom. 8. dicitur: *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui.* Sed quicunq; saluantur, fiunt conformes Christi in gratia iustificante, & in assecutione vitæ æternæ: ergo simpliciter sunt prædestinati. *Insuper*, efficaciter id ostēditur ex illo ad Rom. 9. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quos vocauit non solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus*: ergo quicunq; ex vniuersa multitudine hominū, siue sint Iudæi, siue Gentiles, vocati sunt ad gratiam, & tandem consequuntur gloriā, sunt simpliciter prędestinati.

Nemo certò scire potest se esse prædestinatum.

Corollarium III. Numerus prędestinatorum, ita soli Deo certus est, vt nemo fidelium, etiam eximiæ sanctitatis, possit certò scire se esse de numero prędestinatorum, sine speciali Dei reuelatione. Ita Scriptura Sacra Ecclesiast. 9. *Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit sed omnia in futurum seruantur incerta.* Hinc Apostolus monet 1. ad Corint. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Et ad Philip. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini* Et *ratio corollarij est*: quia cùm prędestinatio ad gloriam pendeat a finali perseuerantia, & ab eo statu, in quo quis futurus est in exitu vitæ; manifestum est, neminem certò scire posse, qualis tunc futurus sit; cùm ea, quæ futura sunt contingenter, nemo naturaliter certò pręscire potest.

Corollarium IV. Erroneè docuit Caluinus, & alij Hæretici, quemlibet fidelem posse, imò & debere certa fide apud se statuere, quòd sit prędestinatus. Nam *in primis*, hunc errorem damnauit Concilium Tridentinum, sess. 6. can. 15. his verbis: *Si quis dixerit hominem renatum, & iustificatum, teneri ex fide ad credendum certò, se esse in numero prædestinatorum, anathema sit.* Et cap. 12. eiusdem sessionis:

ſionis: *Nemo* inquit, *quamdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædeſtinationis myſterio, vſq; adeò præſumere debet, vt certò ſtatuat, ſe omninò eſſe in numero prædeſtinatorum* Eundem errorem refutat D. Auguſtinus lib. de correp. & gratiâ cap. 13. his verbis: *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? quia id occultari opus eſt in hoc loco: vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per Sathanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apoſtolus.* Et S. Proſper ad articulos falſò D. Auguſtino impoſitos, reſponſione ad 12. ſic dicit: *Prædeſtinatio apud nos, dum in præſentis vitæ periculo verſamur, incerta eſt; apud illum tamen, qui ſcit, quæ futura ſunt, incommutabilis permanet.* Sunt tamen aliqua ſigna, quibus electi à reprobis diſcernuntur, & ex quibus aliquomodò coniecturaliter prædeſtinati cognoſcuntur.

Signa prædeſtinationis coniecturalia.

Primum ſignum prędeſtinationis eſt, aduerſa fortuna, & afflictio pro Chriſti nomine patienter tolerata, eò quòd prędeſtinatio noſtra facta ſit ad typum, & normam prędeſtinationis Chriſti, quæ quantum ad gloriam corporis, & nominis eius exaltationem, fundatur in paſſionibus, & ignominijs crucis, iuxta illud Lucæ 24. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Hinc prædeſtinatio deſcribitur, quòd ſit tranſmiſſio creaturæ rationalis, in cæleſtem gloriam.

Alterum prædeſtinationis ſignum eſt, audire libenter verbum Dei, & delectari in ſermonibus ſpiritualibus, iuxta illud Chriſti: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Tertium ſignum* eſt, dilectio inimicorum, iuxta illud Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt. Quartum ſignum eſt, humilitas*, propter quod Chriſtus Dominus Lucæ 12. prędeſtinatos appellat *puſillum gregem*: humilitate enim Deus vult Eccleſiam ſuam creſcere, & ad promiſſum regnum peruenire. *Quintum ſignum*, eſt ſingularis deuotio erga B. Virginem, iuxta illud Prouerb. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Sextum deniq; ſignũ prædeſtinationis eſt*, firma ſpes futuræ gloriæ, quæ non tantùm de præmio ſecuros, ſed etiam præproperè beatos facit, cæleſtemq; gloriam prælibare incipit, iuxta illud S. Chryſoſthomi ſerm. de ſpe. *Fides gloriam incheat, & ſpes ſuſtinendo conſummat.*

Numerus prædeſtinatorum etiam ex fidelibus minor eſt numero reproborum.

Corollarium V. Numerus prędeſtinatorum, etiam ex ipſis Chriſtianis, & fidelibus, multò minor eſt numero reproborum. Eſt ſententia Scripturæ Sacræ, & SS. Patribus magis conſona, iuxta illud Chriſti: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Veritas hæc facilè deducitur ex illo Lucæ 13. cuidam interroganti: *Domine ſi pauci ſunt, qui ſaluantur*, Chriſti reſponſo: *Contendite intrare per anguſtam portam, multi dico vobis quærent intrare, & non poterunt.* Quibus verbis Chriſtus docuit, paucos eſſe, qui ſaluantur. Vnde S. Hieronymus in cap 24. Iſaiæ dicit: *Tanta erit ſanctorum paucitas, de quibus Dominus loquitur in Euangelio, multi vocati, & pauci electi, vt eorum paucitas baccis oliuarum rariſſimis comparetur, quæ cùm excuſſæ fuerint, atq; demeſſæ, vix paucæ remanſerunt in ramorum cacumine.* Quâ de cauſa electi, *reliquiæ* appellantur ab Apoſtolo ad Rom. 6 *Si* inquit, *fuerit numerus filiorum Iſraël, ſicut arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.* Deducitur præterea, eadem veritas ex varijs figuris. *In primis*, tempore vniuerſalis diluuij, vniuerſum genus humanum deletũ eſt, excepto Noë, & ſolâ familiâ ipſius, vt habetur 1. Petri 3. *Pauci*, id eſt octo animæ factæ ſunt ſaluæ per aquas. Et Sodoma cum finitimis regionibus excepto ſolo Loth, & filiabus eius, flammis vltricibus abſumpta eſt, Geneſ. 19. Ex ſexcentis millibus pugnatorum, qui egreſſi ſunt de Ægypto, ſolus Ioſue, & Caleb, in terram promiſſionis, quæ fuit regni cœleſtis typus, & figura, ingreſſi ſunt, Num 14. In deuaſtatione Hierichuntina, ſola Rachab cum ſuis ſeruata eſt, Ioſue 6. Ergo numerus prędeſtinatorum etiam ex ipſis fidelibus eſt multò minor numero reproborum.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem.* Numerus prædeſtinatorum poteſt augeri, & minui: ergo non eſt formaliter certus. *Antecedens*, ſimpliciter loquendo, prædeſtinatus poteſt condemnari, & reprobatus poteſt ſaluari. Ergo ſimpliciter loquendo, numerus prędeſtinatorum poteſt augeri, & minui *Conſequentia patet*: nam ſi vel vnus prędeſtinatus damnetur, minuetur ſine dubio numerus prædeſtinatorum. Similiter, ſi vel vnus reprobus ſaluetur, augebitur numerus ſaluandorum.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando antecedent. Ad eius probationem, cõceſſo antecedente, negatur conſequentia, quæ ideò non valet, quia in antecedenti eſt modalis diuiſa; in conſequenti verò implicatur ſenſus compoſitus. Nam quando in antecedenti dicitur, prædeſtinatũ poſſe damnari, ſenſus eſt, quòd iſta perſona poſſit prędeſtinari, & poſſit damnari, proinde non coniungitur, neq; connectitur damnatio de facto, cum prędeſtinatione exiſtente. Quando autem infertur: ergo numerus prędeſtinatorũ poteſt augeri, vel minui, indicatùr, quod numero iam præexiſtenti certo, & determinato ſuperueniat auctio, vel diminutio; & ſic inuoluitur ſenſus cõpoſitus, quòd iſta ſimul cohæreant, videlicet numerum certum præextitiſſe, & eundem fuiſſe diminutum; hoc autem fieri non poteſt, niſi in diuina prouidentia mutatio ponatur.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. *Contra Corollariũ vltimũ.* In Scriptura Sacra multitudo electorum vocatur innumerabilis. Apoc. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus, populis, linguis, ſtantes ante thronum*: ergo iuxta Scripturam Sacram, ſaltem ex fidelibus major pars ſaluatur.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur conceſſo antecedente, negatur conſequentia: licet enim prædeſtinati abſolutè loquendo, & nulla facta comparatione ſint multi; tamen reſpectu multitudinis reproborum pauciſſimi ſunt. Et hæc eſt doctrina S. Thomæ, qui explicans illa verba; *Ex omni tribu, lingua, populo, natione*, dicit: quòd illa dictio *ex*, denotet delectum quendam, & ſegregationem paucorum ex multis, & paucitatem electorum deſignet.

DISPVTATIO V.

De Reprobatione.

CVm iuxta Philoſophum, oppoſita iuxta ſe poſita meliùs eluceſcant, ideò explicata prędeſtinatione, de reprobatione ipſi oppoſitâ agendum eſt, inueſtigando eius quidditatem, cauſam motiuam, effectus, & media ſufficientia ad ſalutem iiſdem conceſſa.

QVÆSTIO I.

Quid ſit reprobatio.

SUppono, nomine reprobationis, propriè ſignificari reiectionem, repudium, damnationem; accipitur autem à Theologis dupliciter. *Primò*, minùs propriè pro reiectione à gratia: *Secundò*, pro reiectione à gloria, & hæc acceptio eſt magis vſitata. Sed difficultas eſt, in quonam conſiſtat.

Prima itaq; opinio cenſet, reprobatio-

probationem consistere in actu diuinæ voluntatis, quo Deus vult nõ tribuere reprobis æternam salutem, seu quo vult omnes à consecutione eiusdem salutis deficere. *Altera* verò sententia docet, reprobationem consistere essentialiter in actu intellectûs, qui est actus iudicij, quo Deus iudicat reprobos non esse eligendos ad beatitudinem. Et hæc est communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Reprobatio cõsistit in actu intellectus diuini.

CONclusio. Reprobatio essentialiter consistit in actu intellectus diuini, qui est imperium, quo imperat permissionem peccati, seu negationem suæ gratiæ efficacis, ac permissionem finalis impœnitentiæ; præsupponit tamen indispensabiliter actum voluntatis diuinæ. *Probatur authoritate* S. Thomæ 1. p. q. 23. vbi docet, reprobationem esse partem diuinæ prouidentiæ his verbis: *Ad prouidentiam autem pertinet, aliquem defectum in rebus, quæ prouidentiæ subduntur permittere. Vnde cùm per diuinam prouidentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad diuinam prouidentiam. vt permittat aliquos ab isto fine deficere, & hoc dicitur reprobare.* Ex quo loco desumitur argumentum tale. Reprobatio iuxta S. Thomam est pars obiectiua prouidentiæ; sicut & prædestinatio. Sed prouidentia consistit essentialiter in actu imperij, ordinantis media ad consecutionem finis à prouisore intenti: ergo & reprobatio consistit essentialiter in actu imperij. Vnde sicut prædestinatio, quæ est prouidentia specialis circa electos, supponit dilectionem eorum, consistitq; formaliter in actu imperij, quo Deus imperat gratiam, & alia media, ad consecutionem gloriæ efficaciter cõducentia, vt iam constat ex supra dictis; ita & reprobatio, quæ ad prouidentiam oppositam spectat, supponit ex parte voluntatis diuinæ, actus oppositos dilectioni, & electioni, puta abominationem, seu odium reproborum, eorumq; exclusionem à gloria. Atq; sic consistit formaliter in actu imperij, quo Deus imperat permissionem peccati, & denegationem gratiæ, aliaque media ad finem reprobationis efficaciter conducentia, videlicet manifestationem diuinæ iustitiæ. Ex hac cõclusione deducuntur corollaria.

Reprobationis definitio.

Corollarium I. Reprobatio optimè sic definitur à Caietano. *Reprobatio est præscientia, seu prouidentia de his, qui ab æterna vitâ excluduntur, cùm voluntate permittendi culpam, & inferendi damnationis pœnam.* *Ratio:* quia idem planè docet S. Thomas proximè citatus, his verbis: *Reprobatio non nominat præscientiam tantùm, sed etiam voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam.*

Reprobatio verè in Deo datur.

Corollarium II. Datur verè in Deo reprobatio, seu decretum aliquod efficax, & immutabile, quo ab æterno aliquos homines, & Angelos voluit à gloria excludere. Ita Scriptura Sacra ad Rom. 9. vbi dicitur: *Volens Deus ostendere iram suam, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Quæ verba ibidem S. Thomas lect. 4. explicat de reprobatione malorum. Et 2. ad Timot. 2. dicitur: *In magna domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Quæ verba S. Thomas ibidem lect. 3. exponit de bonis, & reprobis, circa quos versatur reprobatio. Idem definitũ est in Concilio Valentino can. 3 his verbis: *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Et *ratio corollarij est:* quia expedit, vt libertas, & defectibilitas arbitrij creati manifestetur, simulque vires, quæ nobis ex gratia conferuntur. Ergo sicut ad manifestandas vires gratiæ, quibus homines in æternam beatitudinem perducuntur, necesse erat, vt homines prędestinarentur, prout factum est; ita quoq; ad manifestandam libertatem, & defectibilitatem arbitrij creati oportebat, vt plures ex hominibus à consecutione vitæ æternæ deficerent, vtq; reprobarentur. Cùm ergo dentur plures reprobi, necesse est dari reprobationem in Deo.

Corollarium III. Reprobatio in Deo, non dicit solam negationem prędestinationis, sed actum positiuum intellectus, & voluntatis, quo ab æterno decreuit aliquos excludere, aut non admittere ad gloriam, ob manifestationem suæ iustitiæ. *Ratio:* tùm quia Scriptura Sacra reprobationem nominibus actum positiuum importantibus, significat ad Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Et infra: *Iacob dilexi. Esau autem odio habui.* Tum quia reprobatio est pars diuinæ prouidentiæ; prouidentia autem includit actum positiuum intellectus, & voluntatis. *Tum,* quia ex reprobatione infallibiliter sequitur æterna reprobatorum pœna; hæc autem ex vi solius negationis actûs non potest sequi. *Tum* denique, quia si reprobatio solam negationem prędestinationis diceret, sequeretur Angelos, & homines merè possibiles, & nunquàm futuros, posse dici reprobos, eò quòd Angeli, & homines merè possibiles, non sint à Deo prædestinati; quod tamen nulla ratione admitti potest.

Reprobatio in Deo dicit actũ positiuum.

Corollarium IV. Ad hoc, vt reprobatio consistat in actu intellectus diuini, non est necesse, quòd versetur circa peccata, tanquàm circa media, requisita ad finem reprobationis. *Ratio:* quia diuinum imperium licet non versetur circa peccata, tanquàm circa media volita, & imperata; superest tamen illi debitum medium, circa quod versatur, videlicet denegatio gratiæ efficacis, seu derelictio gratiæ, quâ positâ, infallibile est, infallibilitate, & necessitate consequentiæ; reprobum suâ culpâ peccaturum, quod sufficit ad hoc, vt reprobatio consistat in diuino imperio.

Corollarium V. Ex eo, quòd Deus omnes homines fecerit propter beatitudinem, non sequitur, quòd neminem debeat ab ea excludere, ac reprobare. *Ratio:* quia Deus homines ad hunc finem, scilicet ad beatitudinem, non ordinauit necessariò, & indefectibiliter, sed contingenter, ac defectibiliter; & ideò potest permittere, vt aliqua indiuidua deficiant à consecutione finis, propter aliquem alium finem: sic enim illis prouidet conformiter ad illorũ naturam. Nam licet ad particularẽ prouisorẽ pertineat, excludere malum, & defectũ ab ijs, quorũ gerit curam; secùs tamen ad prouisorẽ vniuersalẽ: cùm enim hic respiciat bonum commune, quod potest impediri, diminui, aut retardari per bona particularium, inde fit, vt permittere debeat malum aliquod, & defectũ in particularibus, propter bonum totius. Cùm ergo Deus sit vniuersalissimus totius entis prouisor, ad ipsum spectat permittere, vt sint aliqui defectus in particularibus, ne impediatur bonum totius vniuersi: nam si omnia mala impedirentur, multa bona vniuerso deessent. Sic si non esset corruptio, non esset generatio: si non esset persecutio tyrannorum, patientia non esset martyrum: si non esset peccati permissio: non esset diuinæ iustitiæ, defectibilitatis liberi arbitrij, & necessitatis gratiæ manifestatio.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Actus reprobationis est actus diuinæ iustitiæ. Sed actus iustitiæ est actus voluntatis, & in illo essentialiter consistit: ergo etiam reprobatio est actus voluntatis, & in illo essentialiter consistit. *Maior* deducitur *tum* ex illo Psal. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas*, id est iustitia. Vnde cùm reprobatio non sit actus misericordiæ Dei, sequitur eam esse actum diuinæ iustitiæ. *Tum*, quia Deus neminem reprobat, nisi propter peccata ipsius, iuxta illud Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israël: tantummodò in me auxilium tuum.* Sed actus reprobandi, seu excludendi ab æterna beatitudine, propter peccata, est actus diuinæ iustitiæ: ergo reprobatio est actus diuinæ iustitiæ.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando maiorem, si intelligatur de reprobatione formaliter, & in recto consideratâ. *Ad primam eius probationem*, dicitur, ad hoc, vt verificetur, omnes vias Domini esse misericordiam, & veritatem, seu iustitiam, sufficere, quòd omnia ordinentur ad vtrumque attributum manifestandum, prout reuera ordinantur, vt docet S. Thomas 1. p. qu. 21. art. 1. & 3. certum autem est, reprobationem esse volitam à Deo ad ostendendam suam majorem misericordiam erga prædestinatos, & iustitiam vindicem erga reprobos. *Ad secundam verò probationem, transire iussâ majore, distinguitur minor.* Sed actus reprobandi est actus diuinæ iustiæ, si hoc intelligatur de ipso actu reprobandi secundùm id, quod de formali, & in recto importat, *negatur minor*: nam secundùm hanc rationem, non respicit formaliter facere iustum, vt bonum est, sed vt verum agibile est. Et sic non est formaliter actus iustitiæ, quæ respicit iustum vt bonum; non autem vt verum.

Obijcitur II. *Contra secundum corollarium.* Ad perfectissimam prouidentiam pertinet efficere, quod res, quę illi subijciuntur, infallibiliter suum finem consequantur. Sed prouidentia in Deo est perfectissima: ergo ad eam pertinet efficere, vt homines qui illi subijciuntur, finem suum consequantur, & non permittere, quod aliqui ab illo deficiant, & sic in Deo non datur reprobatio. *Respondetur negando majorem:* nam de ratione perfectissimæ prouidentiæ est, vt habeat vim perducendi ad finem omnia, quę illi subiacent, & quòd de illis secundùm suam naturam prouideat, ita vt si sint naturæ defectibilis, prouideat de illis defectibiliter, efficiendo scilicet, vt aliqua finem illum consequantur, & permittendo, vt alia ab eo deficiant, vt sic ex vna parte manifestetur defectibilitas naturæ ita ordinatæ; ex altera verò parte ostendatur efficacia diuini auxilij.

Obiectio secunda.

Obijcitur III. *Contra Corollarium III.* Reprobatio in Scriptura Sacra frequēter nominibus negatiuis exprimitur, vt Matth. 25. *Nescio vos.* Et Lucæ 13. *Nescio vnde sitis: discedite à me omnes operarij iniquitatis*; ergo reprobatio consistit in sola negatione prędestinationis. *Præterea*, quia eo ipso, quòd aliquis non eligatur, aut non prędestinetur, sequitur necessariò illum esse reprobum.

Solutio eiusdem.

Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia: Scriptura enim Sacra interdùm solet ponere nomina negatiua pro positiuis, vt Leuit. 10. *Offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat*, id est, quod eis erat prohibitum. Et Psal. 42. *In gente non sancta*, id est, peccatrice. *Ad probationem antecedentis dicitur*, quòd licet nunc de facto, supposita hominum, aut Angelorum creatione, ex negatione prędestinationis alicuius, sequatur necessariò illum esse reprobum; id tamen non infertur

ex vi negationis prędestinationis absolutè. Nam vt ostendi, homines, & Angeli merè possibiles, nō sunt prędestinati; & tamen non ideò dicuntur reprobi, sed quia negatio prędestinationis, habet adiunctum actum positiuum, quo Deus ab æterno decreuit aliquibus non dare gloriam.

QVÆSTIO II.

An reprobatio antecedat præuisionem demeritorum.

In reprobatione duæ voluntates includūtur.

SUppono, in reprobatione duas includi voluntates, seu volitiones. *Vnam denegandi gloriam*, tanquàm rem indebitam, ad quam creaturæ rationales nullum habēt ius, etiam ad eam ordinatæ per voluntatem Dei antecedente, & prouidentiam generalem ordinis supernaturalis. Et hanc voluntatem S. Thomas in 1. ad Annibal. dist. 41. q. vnica, ar. 3. vocat voluntatem *de contradictorio*, secundùm quam Deus vult aliquem non saluare; a recentioribus autem Theologis vocatur *reprobatio negatiua*, non quòd in sola negatione prędestinationis consistat, vt aliqui opinantur, sed quia terminatur ad carentiam gloriæ vt est pura negatio beneficij indebiti. *Altera voluntas* in reprobatione includitur, scilicet *voluntas puniendi*, & infligendi pœnam æternam damni, ac sensûs, quam reprobus ob peccata commissa promeretur. Differt autem reprobatio negatiua à positiua in hoc, quia positiua non solùm habet terminū *à quo*, puta exclusionem à gloria, verùm etiā terminū *ad quē*, id est, pœnam siue sensûs, siue damni. At verò reprobatio negatiua solum habet terminū *à quo*, scilicet exclusionem à gloria, vt beneficio indebito, & non habet terminum *ad quem*: nam ex vi exclusionis vt sic præcisè, & vt habet rationem puræ negationis, non intelligitur reprobus esse damnandus, nec vlli pœnæ, siue damni, siue sensus deputandus.

Opiniones duæ.

Prima itaque sententia censet, vtramq; reprobationem tam positiuam; quam negatiuam, supponere præuisionem, & præscientiam demeritorum, ab eaque velut à causa motiuâ, & meritoriâ dependere, siue hæc demerita sint personalia tantummodò, vt in adultis baptizatis, siue solùm sit peccatum originale, vt in paruulis sine baptismo decedentibus. Hanc tenet Henricus quodlib. 1. q. 19. Scotus in 1. dist. 41. §. *potest aliter dici*, & omnes illi, qui tenent electionem efficacem prędestinatorum ad gloriam, factam esse post præuisa merita.

Altera sententia docet, reprobationem negatiuā, & voluntatē excludendi a gloria, vt beneficio indebito, antecedere præuisionem demeritorum, eamq; ex puro diuinæ voluntatis beneplacito ortum ducere. At verò reprobationem positiuam, & voluntatem infligendi pœnam damni, ac sensûs, supponere præscientiam demeritorū, in illaq; fundari. Et hanc sequuntur præstantiores Theologi cum S. Thoma.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Sola reprobatio negatiua antecedit præuisionem demeritorū.

COnclusio. Sola reprobatio negatiua antecedit præuisionem demeritorum, seu quod idem est, Deus ante pręuisionem omnis demeriti personalis, voluit aliquibus denegare gloriam, siue illos à gloria vt indebito beneficio excludere ordine intentionis. *Probatur I.* Ex Scriptura Sacra, ad Rom. 9. *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni, vel mali fecissent, non ex operibus sed ex vocante dictum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui* Vbi loquitur Apostolus de dilectione pertinente ad æternam prędestinationem, & de odio ad æternam reprobationem

nem ſpectante: ergo Deus ante præuiſionem omnis demeriti perſonalis, voluit aliquibus denegare gloriam, ſeu à gloria vt beneficio indebito excludere ordine intentionis.

Probatur II. *ratione*. Denegatio beneficij indebiti, quatenùs talis eſt, non fit, vt eſt ſub hoc conceptu præciſo, ob demerita eius, cui denegatur: ergo excluſio à regno beatitudinis, ordine intentionis conſiderata, vt præcisè dicit denegationem illius per modum beneficij indebiti, & voluntas talis excluſionis, non fit ex præuiſione demeritorum, ac dependenter ab illis: atq; ſic reprobatio negatiua, ſeu voluntas excludendi à gloria, vt beneficio indebito, antecedit præuiſionem demeritorũ. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Ordine intentionis nulla datur cauſa reproborum ex parte.

Corollarium I. Ordine intentionis nulla prorſus datur cauſa ex parte reproborum. Ita Scriptura Sacra ad Rom. 9. vbi Apoſtolus, tàm prædeſtinationem quàm reprobationem, refert in ſolam Dei voluntatem, aſſerens Iacob dilectum, & Eſau odio habitum fuiſſe, non ex operibus, ſed antequàm aliquid boni egiſſent, aut mali. Ex quo loco S. Auguſtinus epiſt. 105. & lib. 1. ad Simplic. q. 2. & lib. de Prędeſt. & gratia cap. 7. & lib. 2. cõtra duas epiſtolas Pelagij cap. 7. oſtendit nulla merita malæ actionis eſſe cauſam reprobationis. Vnde ibidem Apoſtolus cõparat Deũ figulo luti: quia ſicut hic poteſtatem habet, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam; ita Deus poteſt quoſdam prædeſtinare, & alios reprobare ſecundùm ſuum placitum. Idem docet S. Thomas 1. p. q. 24. ar. 5. ad 3. vbi nullam aliam cauſam aſſignat prędeſtinationis aliquorum, & reprobationis aliorum, quàm quæ ſumitur ex ipſa bonitate diuina, quia ſcilicet voluit Deus eam repræſentare per modum miſericordiæ, quantum ad aliquos, quos prędeſtinat; & per modum iuſtitiæ, quantum ad aliquos, quos reprobat, ſic loquens: *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, niſi diuinam voluntatem*.

Etiam ſuppoſita eleuatione ad ſtatum ſupernaturalem, poteſt Deus aliquos excludere à gloria.

Corollarium II. *Falſa* eſt ſententia, quæ docet, quòd licet Deus vt ſupremus gloriæ Dominus, abſolutè ſine vllis præuiſis demeritis, poſſit aliquos homines à gloria excludere; non tamen ex ſuppoſitione eleuationis naturæ humanæ ad ordinem ſupernaturalem, & voluntatis antecedentis, quâ vult omnes homines ſaluos fieri. *Ratio I.* quia etiam ſuppoſitâ tali eleuatione, & voluntate antecedenti, gloria non eſt hominibus debita. *Tum*, quia ex vi illius voluntatis, non debentur homini auxilia efficacia: alioqui nemini poſſent ea voluntate ſuppoſitâ denegari: ergo ex vi illius voluntatis antecedentis, actualis gloriæ conſecutio, non eſt debita, cùm impoſſibile ſit finem alicui deberi, ſine debito mediorum, efficaciter ad illum conducentium. *Tum*, quia ſtante hoc, quòd ex vi illius eleuationis, & voluntatis antecedentis, deberetur gloria aliquibus hominibus vagè, & in communi; non eſſet tamen debita iſtis, aut illis in particulari: ergo dato etiam, quòd ſuppoſitâ illâ voluntate, & eleuatione, Deus non potuerit in ſenſu compoſito, velle efficaciter omnes homines à gratia excludere; potuit nihilominùs ante omne demeritum, velle efficaciter his, aut illis in particulari gloriam, vt beneficium indebitum denegare, etiam ante præuiſa demerita. *Tum*, quia ſuppoſita hac eleuatione, & voluntate, poteſt Deus aliquibus denegare gratiam congruam, nullis eorum præuiſis demeritis; ergo etiam poteſt aliquos ante præuiſa demerita, à gloria excludere, cùm non minùs gloriæ, quàm gratiæ Dominus ſit.

Voluntas ſaluandi omnes homines, & excludendi aliquos à gloria, non ſunt repugnantes.

Corollarium III. Voluntas antecedens ſaluandi omnes homines, & voluntas excludendi aliquos à gloria ante præuiſa demerita, non ſunt repugnantes, & incompoſſibiles, ſed poſſunt ſecum ſtare. *Ratio*: quia licet iſtæ duæ voluntates circa idem obiectum verſentur; tamen illud ſub diuerſis motiuis, & rationibus attingunt. *Præterea*, quia ex conſenſu omnium, Deus quantum eſt de ſe, voluntate antecedenti, complacet ſibi in gratia efficaci; & tamen ante præuiſionem omnis peccati, vult eam quibuſdam denegare: ergo pariter reſpectu gloriæ ante prȩuiſionem demeritorum, poteſt duplicem illam voluntatem habere.

Corollarium IV. Reprobatio poſitiua, vt dicit voluntatem puniendi, & infligendi pœnam, ſupponit prȩuiſa demerita, ab illorumq; prȩſcientiâ tanquàm à cauſa motiuâ dependet, ſeu quod idem eſt Deus neminem reprobat, & ad pœnam æternam damnationis deputat, niſi ratione prȩuiſorum demeritorum. Ita Scriptura Sacra Ezechiel 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat?* Et Matth. 18. *Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis*. Et 2. Petri 3. *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Idem docet Concilium Valentinum cap. 3. his verbis: *Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem electorum ad mortem: in electione tamen ſaluandorum, miſericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem periturorum, meritum malum præcedere iuſtum iudicium.* Quibus verbis, oſtendit Concilium, inter prędeſtinationẽ, & reprobationem poſitiuã, quam damnationem appellat, hoc diſcrimen intercedere: quòd *prima*, cum ſit ex Dei miſericordia, & gratuitâ dilectione, antecedat prȩſcientiam meritorum: *Secunda* autem, cùm ſit actus iuſtitiæ punitiuæ, ſupponat merita mala, ſeu peccata prȩuiſa. *Et ratio corollarij eſt*: quia vniuerſaliter loquendo, inflictio pœnæ, neceſſariò præſupponit culpam, & prȩuiſionem eius, tanquàm meritum in ordine ad eam, vt cõmuniter docent Theologi. Ergo reprobatio poſitiua quoad hunc effectum, ſcilicet inflictionem pœnæ, & voluntatis, quâ intenditur infligi, procedit ex præuiſione demeriti. Nam ſicut punire aliquem ſine culpa, iniuſtum eſt; ita velle eum punire, & ad pœnam deputare, ante prȩuiſionem culpæ. Et hoc expreſsè docet S. Auguſtinus lib. 3. contra Iulian cap. 8. his verbis: *Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus: poteſt ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt: non poteſt ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.* Et ſic Deus ab æterno non diſpoſuit punire reprobum, niſi pro peccato illius.

Reprobatio poſitiua ſupponit præuiſa demerita.

Prima cauſa reprobationis hominum fuit originale peccatum.

Corollarium V. Prima cauſa reprobationis hominum, fuit originale peccatum. Ita S. Auguſtinus de dono Perſeuer. cap. 6. vbi dicit: *Qui liberantur à maſſa perditionis, gratiam diligant; qui verò non liberantur, debitum agnoſcant*, videlicet ſuæ perditionis. Et epiſt. 105. *Quærimus cauſam prædeſtinationis, & inuenire non poſſumus: quærimus cauſam derelictionis, & inuenimus peccatum.* Idem docet S Thomas q. 6. de verit. ar. 2. ad 9. ſic loquens: *Electio Dei, quâ vnum elegit, & alium reprobat, rationalis eſt; nec tamen oportet, quòd ratio electionis ſit meritum, ſed in ipſa electione, ratio eſt diuina bonitas; ratio autem reprobationis, eſt in hominibus peccatum originale.* Ergo iuxta D. Thomam, prima cauſa reprobationis hominum, ſeu non liberationis à miſeria æterna, in ijs,

in ijs, qui non ſunt prędeſtinati, eſt peccatum originale.

Et *ratio corollarij eſt*, quia peccatum originale eſt vera, & ſufficiens cauſa reprobationis, ſi ante eam præuideatur à Deo. Sed peccatum originale in rei veritate, fuit ante reprobationem hominum, à Deo præuiſum: ergo fuit cauſa ſufficiens reprobationis *Maior patet*; quia peccatum originale ponit in hominibus indignitatem, & poſitiuam Dei inimicitiam, redditque totum genus humamam exoſum, & ſic exhibet illi ſufficiens motiuum, vt velit efficaciter aliquos homines à gloria excludere: ergo ſi ante hominum reprobationem pręuideatur à Deo, erit vera & ſufficiens cauſa reprobationis. *Minor etiam manifeſta*; quia peccatum originale, anteceſſit Chriſti prędeſtinationem: ergo & noſtrã, cùm prędeſtinatio noſtra ſupponat prędeſtinationem Chriſti, ſitq; effectus illius: & conſequenter anteceſſit reprobationem noſtram, quæ aut fuit prędeſtinatione poſterior, aut ſimul cum illa.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem*, In prædeſtinandis, & reprobandis hominibus, atq; Angelis, concedendus eſt Deo cõnaturalis modus operandi. Sed talis modus in reprobandis hominibus, atq; Angelis, eſt, vt Deus neminem velit efficaciter à gloria excludere ante præuiſionem demeritorum: ergo in Deo etiam reprobatio negatiua, non antecedit, ſed ſupponit præuiſionem demeritorum, ab illaque vt à cauſa motiua dependet.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur, conceſſa maiore negatur minor: quemadmodùm enim in præparando media conſecutiua finis, connaturaliùs proceditur, incipiendo ab intentione finis, quàm ab intentione mediorum; ità in præparando media defectiua à fine, cõnaturalior modus operandi eſt, incipere à voluntate defectus à fine; quàm à voluntate mediorum conducentium ad deficiendum à fine.

Inſtabis. Crudelitatem quandam ſapit, excludere aliquem à regno cœleſti, ſine aliqua culpâ præſuppoſitâ, cùm talis excluſio ſit maximum malum, quod homini inferri poteſt: ergo id Deo tribui nõ debet. *Reſpondetur negando antecedens*: nullam enim crudelitatem præſefert, non velle alicui conferre beneficium indebitum. Licet autem reprobatio negatiua ſit ante pręuiſa demerita; ſicut & prędeſtinatio ante præuiſa merita; hinc tamen non ſequitur, Deum eodem modo ſe habere, in ordine ad prædeſtinationem, & reprobationem. *Ratio*: quia merita, & omnia, quibus prędeſtinatus conſequitur gloriam, ſunt poſitiuè cauſata à Deo, & ſpeciali affectu illi volita; demerita verò, quibus reprobus tendit in perditionem, non ſunt à Deo poſitiuè procurata, volita, aut cauſata, ſed tantùm permiſſa.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium IV.* Deus nullum adultum decreuit à gloria æterna eijcire, niſi etiam ſimul ſtatuerit æternis cruciatibus illum mancipare: ergo ſi illum voluit à gloria excludere ante pręuiſa demerita, etiam ante illorum pręuiſionem decreuit eum damnare, ſupplicijſq; æternis addicere.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Niſi etiam ſimul ſtatuerit &c. ſi particula *ſimul* deſignet ſimultatem durationis, aut inſtantis *in quo, conceditur antecedens*: ſi particula *ſimul* excludat prioritatem naturæ, & inſtantis *à quo*, *negatur antecedens*, & ſic *negatur conſequentia*. Duo itaq; ſigna rationis, aut naturæ, in reprobatione diſtinguẽda ſunt, in quorum primo Deus ante pręuiſionem culpæ ſaltem actualis, voluit aliquibus denegare gloriam, vt beneficium indebitum & permittere, quòd incidant in culpam, in eaq; finaliter perſeuerent, maximè ad oſtendendum ſupremum, & abſolutum dominium, quod habet in dona ſupernaturalia gratiæ, & gloriæ. Qua permiſſione ſuppoſitâ, in illa, tanquàm in medio certo, ac infallibili videt futura peccata reproborum, decernitque ea punire pœnâ æternâ damni, ac ſenſûs.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium V.* S. Thomas I. p. q. 23. ar. 3. ad 3. & 3. contra Gentes cap. 161. hominum reprobationem, ſeu aliquorum à gloria excluſionem, ſoli Dei beneplacito, ac meræ voluntati attibuit, docetq; ad complementum vniuerſi, & ſuauem rerum diſpoſitionem, quoſdam à Deo eligi, quoſdam reprobari. Ergo iuxta S. Thomam, cauſa reprobationis, ſeu excluſionis aliquorum à gloria, non eſt peccatum originale, ſed mera Dei voluntas.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur conceſſo antecedente, negatur conſequentia: duplici enim modo reprobatio ſpectari poteſt, nimirùm abſolutè, & comparatiuè, *abſolutè*, quando ſimpliciter, ſeu in generali quæritur, cur aliqui à Deo reprobentur, & quæ ſit aliquorum reprobationis cauſa, nullâ factâ comparatione cum eis, qui eliguntur. Comparatiuè autem, quando quæritur in ſpeciali, cur Deus hunc potius, quàm illum reprobet, & cur cùm omnes homines per peccatum primi parentis, eidem damnationi naſcantur obnoxij, aliquos ab hac maſſa, & conſperſione liberet, ad vitamq; æternam eligat. Quando itaq; S. Thomas cauſam reprobationis aliquorum refert in ſolùm Dei beneplacitum, & meram voluntatem, loquitur de reprobatione comparatiuè, & in ſpeciali. At verò abſolutè, & in generali de ea loquendo, non ſolùm illam Dei voluntati, ſed etiam inſtitiæ, aliquam ſemper ex parte hominis cauſam ſupponenti, attribuit in cap. 6. Ioan. vbi dicit: *Quare autem non omnes auerſos trahit, ſed aliquos, licet ſint omnes æqualiter auerſi, ratio quidem in generali poteſt aſſignari, vt ſcilicet in illis, qui non trahuntur, appareat, & refulgeat ordo diuinæ iuſtitiæ; in illis autem qui trahuntur, immenſitas diuinæ miſericordiæ. Quare autem in ſpeciali trahat hunc, & illum non trahat, non eſt ratio aliqua, niſi beneplacitum voluntatis diuinæ, vnde dicit Auguſtinus, quem trahit, & quem non trahit, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare.*

QVÆSTIO III.

Quinam ſint effectus reprobationis.

DE effectibus reprobationis proportionaliter diſcurrendum eſt, ſicut & de effectibus prędeſtinationis. Vnde ſicut vt aliquid ſit effectus prędeſtinationis tres conditiones requiri ſupra vidimus, ſcilicet quòd cauſetur à Deo, quòd efficaciter ad finem vitæ æternæ conducat, & quòd ex intentione talis finis ſit à Deo volitum, ac præparatum. Ita pariter vt aliquid ſit effectus reprobationis, debet eſſe à Deo, debet cum effectu conducere ad finem reprobationis, qui eſt diuinæ iuſtitiæ manifeſtatio, & inſuper debet ex intentione talis finis, eſſe à Deo volitum, ac præparatum.

Prima itaque ſententia cenſet, primum effectum reprobationis eſſe ſolam derelictionem in peccato; nullius autem peccati permiſſionem eſſe ipſius effectum. *Altera ſententia* vult, cuiuſlibet peccati actualis permiſſionem, in quo homo moritur, eſſe effectum reprobationis illius; non tamen permiſſionem peccati originalis: vnde quando homo moritur in peccato originali, dicunt Authores

huius sententiæ, primum effectum reprobationis, esse derelictionem in tali peccato. *Tertia tandem sententia docet*, duos esse effectus reprobationis, scilicet permissionem peccati per pœnitentiam non deleti, & æternam reprobi damnationem.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Effectus reprobationis duo tantùm sunt.

CONclusio. Effectus reprobationis solùm sunt duo, scilicet permissio actualis peccati, per pœnitentiam non deleti, & æterna reprobi damnatio.

Probatur conclusio *quoad I.* ex Scriptura Sacra Rom. 9. *Si Deus volens ostendere iram suam, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum.* Vbi verbum *sustinuit*, primò accipitur pro eo, quod est permittere absolutè, & sine limitatione, vt sic indiscriminatim denotetur, quamlibet permissionem peccati, propter quod reprobus damnatur, esse effectum voluntatis diuinæ, quâ vult ostendere iram suam vindicem, seu voluntatis reprobandi, de qua ibi loquitur Apostolus. *Deinde*, sumitur pro *eo*, quod est expectare patienter, vt obseruat S. Anselmus in citatum locum, & sanctus Chrysosth. hom. 16. ad Rom. vt per hoc innuatur, quòd Deum permittere, & sustinere, plura reproborum peccata, & quòd in illis perseuerent, sine eo, quòd de illis statim vindictam sumat, sit effectus voluntatis diuinæ ostendendi iram suam, seu reprobationis eorum, conducens ad hoc, vt iustitia eius vindicatiua magis splendeat. Sed hoc in idem redit, ac si dicatur, prædictas permissiones esse effectus reprobationis. Ergo iuxta Scripturam Sacrã, permissio peccati actualis per pœnitentiam non deleti, est effectus reprobationis.

Probatur II. *ratione*. Electio medij efficaciter conducentis ad finem, est effectus intentionis ipsius finis. Sed permissio peccati actualis nunquam remittendi, est medium efficaciter conducens ad finem reprobationis, videlicet exclusionem reproborum à gloria, ob manifestationem diuinæ iustitiæ; ergo est effectus reprobationis.

Probatur deinde conclusio *quoad II. partem*. Tum ex illo Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Tum ex eo: quia reprobatio vt potè efficax, non potest non habere aliquem effectum ad extra; constat autem nullum effectum magis esse proximum, quàm sit æterna damnatio, & carentia visionis beatificæ, siquidem per reprobationem excludũtur homines ab æterna beatitudine, & sempiternis cruciatibus deputantur. Ergo æterna reprobi damnatio, est effectus reprobationis illius. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Peccatum permissum quoad formale non est effectus reprobationis.

Corollarium I. Peccatum permissum quoad formale, non est effectus reprobationis, sicut neq; diuinæ prouidentiæ. *Ratio:* quia peccatum permissum, sub hac ratione, cùm auertat à Deo, vt vltimo fine, non potest esse ab ipso volitum, nec causatum, vt docet Concil. Trident, sess. 6. can. 6. his verbis: *Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos esse, nõ solùm nõ credimus, sed etiam si sint, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Loquendo tamen de materiali peccati, seu de entitate physica, quæ malitiam moralem sustentat; potest concedi eam in reprobis esse effectum reprobationis, eò quòd sit volita, & causatã à Deo, ad finemq; reprobationis, puta diuinæ iustitiæ manifestationem conducat.

Corollarium II. Permissio peccati originalis, non est reprobationis effectus. *Ratio:* tum quia peccatum orgioinale fuit causa reprobationis

bationis in omnibus: ergo eius permissio non est effectus reprobationis: alioqui peccatum originale seipsum præcederet, essetq; causa suæ permissionis, quod repugnat. *Præterea*, quia permissio peccati originalis ordine rationis in mente diuina, antecedit in genere causæ materialis prędestinationem Christi, estq; illius effectus, & consequenter etiam antecedit reprobationem, quæ aut fit simul cum prędestinatione, aut illâ posterior est.

Permissio peccati actualis per pœnitentiam deleti non est effectus reprobationis.

Corollarium III. Etiam permissio peccati actualis, per pœnitentiam deleti, non est effectus reprobationis. *Ratio:* quia omnis effectus reprobationis, omninò debet ad finem reprobationis, qui est æterna damnatio, conducere. Sed permissio peccati, quod remittitur per pœnitentiam, de facto non conducit ad damnationem æternam, eò quod peccatum semel dimissum, per subsequentem culpam non redeat, vt communiter docent Theologi cum S Thoma 3. p. q. 88. ar. 1. ergo permissio talis peccati, non est effectus reprobationis.

Obduratio & excæcatio reprobi non est effectus reprobationis.

Corollarium IV. Obduratio, & excæcatio reprobi, non est effectus reprobationis. *Ratio:* quia ista duo reducuntur ad permissionem peccati, cum nihil aliud sint, quàm ipsa peccati permissio, quatenùs Deus permittendo peccatũ, simul iustâ aliquâ ex causa, subtrahit reprobo peculiare aliquod gratiæ suæ auxilium, quo eius cor emolliretur, aut illumina retur intellectus. Vnde de obduratione, & excæcatione dicit Sanctus Bernardus lib. 1. de consideratione. *Quæris à me, quid sit cor durum? ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina: præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non præuidens. Ipsum est, cui præteritorum solas iniurias, nihil omninò non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla nisi ad vlciscendum prospectio, seu præparatio est, & vt cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec homines reueretur. Ne pergas adhuc quærere, quid sit? si non expauisti, tuum est. Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit.* Nihilominùs obduratio, & excæcatio in prędestinatis, est effectus prędestinationis, vt docet Sanctus Thomas 1. 2. q. 79. ar. 4. vbi dicit: *Ex diuina misericordia excæcatio ad tempus, ordinatur medicinaliter ad salutem eorum, qui excæcantur, sed hæc misericordia non omnibus impenditur excæcatis, sed prædestinatis solum, quibus omnia cooperantur in bonum.*

Substantia reprobi nõ est effectus reprobationis.

Corollarium V. Substantia reprobi non est effectus reprobationis, licet substantia prędestinati sit effectus prędestinationis. *Ratio:* quia gloria electorum est finis superexcedens, & perficiens illorum substantiam; & ideò eius productionem ex intentione talis finis imperari maximè congruit. At verò exclusio à gloria æterna, non est finis perficiens substantiam reproborum, proinde nulla habetur congruentia ad asserendum, Deum ex intentione excludendi reprobos à regno, produxisse illorum substantiam. Vnde licet substantia reproborum de facto conducat ad finem reprobationis; quia tamen eius productio, ex illius intentione non fit, neq; imperatur à Deo, ideò inter effectus reprobationis computari non debet.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra conclusionem.* Sicut

Sicut effectus prædeſtinationis ſunt ex intentione efficaci beatificandi prędeſtinatos; ita effectus reprobationis debent eſſe ex intentione efficaci damnandi reprobos. Sed permiſſio peccati actualis per pœnitentiam non deleti, non eſt ex tali intentione: quoniam ante volitam, & prævisam permiſſionem peccati, non præceſſit in Deo voluntas æternæ damnationis aliquorum. Alias cùm hæc ſit pœna, voluiſſet illam Deus ante præviſum peccatum infligere, quod minimè cōcedi debet: ergo permiſſio peccati actualis per pœnitentiam non deleti, non eſt effectus reprobationis. *Reſpondetur negando maiorem, ratio diſcriminis eſt:* quia vnus effectus prędeſtinationis eſt cauſa alterius; iam verò vnus effectus reprobationis, non eſt cauſa alterius. Sic permiſſio peccati, non eſt cauſa derelictionis in peccato, neq; hæc eſt cauſa punitionis æternæ, ſed ipſum peccatum. Vnde licet vnus effectus prędeſtinationis ſit ex intentione alterius; nullus tamen effectus reprobationis eſt ex intentione alterius: cùm ad hoc opus eſſet, vt vnus ad alterum, tanquàm ad finem, ſaltem intermedium ordinetur, ſitq; cauſa illius in executione.

Solutio eiuſdem.

Inſtabis *contra ſolutionem.* Si permiſſio eſt effectus reprobationis, ordinatus ad manifeſtationem diuinæ iuſtitiæ in punitione peccatorum, tanquàm ad finem: ergo quoq; ordinatur ad ipſam punitionem, tanquàm ad finem. *Reſpondetur negando conſequentiam.*: nam punitio non eſt oſtenſio ipſa iuſtitiæ, ſed eſt medium vltimum ad eam ordinatum, & quidem tale medium, vt non habeat rationem finis intermedij reſpectu permiſſionis.

Obiectio ſecunda

Obijcitur II. *Contra Corollarium* II. Permiſſio peccati originalis, eſt effectus diuinæ prouidentiæ. Sed iſta permiſſio in reprobis, non eſt effectus prędeſtinationis: ergo eſt effectus reprobationis. *Maior patet:* quia permiſſio peccati originalis, non eſt à Deo temerariè, & fortuitò. *Minor etiam per ſe manifeſta. Conſequentia inſuper conſtat ex eo:* quia diuina prouidentia adæquatè diuiditur in prędeſtinationem, & reprobationem, vnde cùm dicta permiſſio non ſit effectus prędeſtinationis, ſequitur eam eſſe effectum reprobationis. *Reſpondetur diſtinguēdo maiorem.* Permiſſio peccati originalis, eſt effectus diuinæ prouidentiæ generalis, *conceditur maior:* prouidentiæ ſpecialis, *negatur maior:* & ſic *conceſſa minore, negatur conſequentia.* Præter prędeſtinationem itaque, & reprobationem, quæ ſunt prouidentiæ ſpeciales, datur intra illum ordinem, prouidentia quædam generalis, ad quam pertinent aliqui effectus ſupernaturales, cuiuſmodi eſt gratia, & iuſtitia originalis, collata Adamo in ſtatu innocentiæ, & conſequenter permiſſio peccati originalis.

Solutio eiuſdem.

Obijcitur III *Contra Corollarium* V. Prouerb: 16. dicitur: *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoq; ad diem malum:* ergo ſubſtantia impij, ſeu reprobi, eſt effectus reprobationis illius. *Reſpondetur negando cōſequentiam:* nam allatorū ſcripturæ verborum, non eſt iſte ſenſus, quòd Deus impiorum ſubſtantiam, ſeu naturam eo fine condiderit, vt illos à gloria excluderet, pœniſque æternis addiceret; ſed in tantum Deus dicitur, impium ad diem malum feciſſe, in quantum peccata, quæ impij ex propria malitia, & defectibilitate committunt, ad ſuam gloriam ordinat, quoniam ſupplicium de illis ſumens, iuſtitiæ ſuæ ſeueritatem oſtentat. *Vel vt alijs placet*, ideò Deus dicitur creaſſe impium ad diem malum, quia illum condidit, vt per eum, diem malum, id eſt, diem afflictionis ad pios exercendos, aut puniendos immittat, vt docet Sanctus Auguſtinus in Pſal. 45.

Obiectio tertia & ſolutio eiuſdem.

Hinc facilè ſcietur. In actibus diuini intellectus, & voluntatis, circa negotiū reprobationis, hunc ordinem ſtatuendum eſſe. *In primo ſigno rationis,* Deus voluit voluntate antecedente, omnes homines ſaluos fieri, ſimulq; decreuit dare omnibus hominibus in ſuo capite iuſtitiam originalem, cum hac conditione, quòd ſi illam conſeruaſſet, etiam in poſteros eam transfunderet, ſimulq; voluit ipſi dare auxilia ſufficientia ad eius conſeruationem. Et hæc volūtas antecedens, quâ Deus vult omnes homines ſaluos fieri, poteſt dici conditionata, non ſolùm ideò, quia Deus vellet efficaciter omnes homines ſaluos fieri, ſi hoc pulchritudini vniuerſi, & maiori diuinorum attributorum manifeſtationi non obeſſet, & niſi obſtaret naturæ defectibilitas ſuauiter gubernanda; verum etiam ideò, quia vellet illos ſaluare, & efficaciter ad vitam æternam perducere, niſi eos videret peccato originali infectos, quod eos odioſos, & execrabiles fecit. *Poſtea in ſecundo ſigno rationis*, propter aliquem occultum finem, aut propter finem generalis prouidentiæ, quæ vnamquamq; creaturam, iuxta ſuæ naturæ conditionem gubernat, voluit denegare Adamo auxilium efficax, cuius ſubtractione præuidit eum defecturum ab originali iuſtitiâ, & ſic ex permiſſo, ac præuiſo originali peccato, ſumpſit occaſionē oſtendendi ſuā miſericordiā in Chriſti Incarnatione, quem in tertio ſigno decreuit mittere ad redimendum genus humanum à peccato originali, alijſq; actualibus in ipſo tunc vt in cauſa, & radice præuiſis. *Deinde in quarto ſigno rationis*, ex omnibus hominibus, quos peccato originali infectos præuidit, ex meritis Chriſti venturi, quoſdam efficaciter elegit ad gloriam; alios verò in pœnam eiuſdem originalis peccati, *tum* ad oſtenſionem ſuæ iuſtitiæ in illos; maioriſque miſericordiæ erga electos, voluit permittere, vt deficerent à conſecutione gloriæ, ſeu poſitiuè eis non voluit gloriam. *Rursùs in quinto ſigno rationis*, ex vi efficacis iſtius intentionis, excogitauit media apta ad conſequendū talem finem, videnſq; in aliquibus hominibus eſſe aptum medium, in ſolo originali peccato eos relinquere; in alijs autem permittere, vt cadant in hæc, aut illa peccata actualia, in illiſq; perſeuerent, per ſubſequentem electionē iſtas permiſſiones approbauit. *In ſexto tandem ſigno*, per actum imperij ſui intellectûs, iſta media ad prędictum finem ordinauit, in qua mediorum ordinatione reprobatio formaliter conſiſtit.

QVÆSTIO IV.

An Deus omnibus reprobis det media ad ſalutem ſufficientia.

OCcaſio iſtius quæſtionis maximè orta eſt, *tum* propter multos obduratos, ac excæcatos: *tum* propter gentiles fidem non habentes, ſine qua iuxta Apoſtolum, impoſſibile eſt Deo placere: hi enim videntur penitùs à Deo deſeri in pœnam præcedentium peccatorum. Hinc de obduratis dicit Scriptura Sacra Ioan. 12. v. 39. *Non poterant credere, quia dixit Iſaias, indurauit cor eorum.* id eſt, negauit illis gratiam, quæ ad credendum neceſſaria erat. De Gentilibus verò Actor. 14. v. 15. dicitur: *Deus in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.* Tum deniq; propter ipſos reprobos: hi enim non ad ſalutem, ſed ad ſupplicium à Deo deſtinati ſunt, non quidem ſola Dei voluntate, & nullâ ipſorum culpâ, vt volunt Caluiniſtæ; ſed propter præuiſa eorum peccata.

Occaſio quæſtionis.

Suppono itaque, quòd verbum *dare*, in titulo quæſtionis poſitum dupliciter accipiatur. *Primò*, prout eſt correlatiuum cum verbo *recipere*, ita vt denotet intrinſecam receptionem, & applicationem diuinorum auxiliorum. Quemadmodùm dicente quopiam ſe dediſſe pecuniam alicui, ſtatim colligimus, quòd alius eam receperit. Altero modo *dare* accipitur, prout ſignificat idem, quod *præparare*, & offerre in communi, ſeu paratum eſſe, quantum eſt ex parte ſua, illa auxilia conferre. Sunt autem in præſenti materia tres ſententiæ.

Opinio triplex.

Prima ſententia tenet, omnibus reprobis dari à Deo media ſufficientia ad ſalutem, vt Suarez, lib. de prouidẽtia circa reprobos, cap. I. & ſequentibus. *Altera ſententia* cenſet, omnibus quidem adultis dari à Deo media ad ſalutem ſufficientia; non tamen paruulis. Ita Neotericus quidam. *Tertia ſententia docet*, non omnibus reprobis etiam adultis, media ad ſalutem ſufficientia conferri à Deo; ſed quoſdam adultos, & paruulos in pœnam mortalis peccati, actualis, aut originalis, illis priuari. Hanc tenent ex Thomiſtis Bannes, Gonzalez, Ioannes à S. Thoma, Aluarez de auxilijs diſp 112 concl. 3. & alij plurimi ex Theologis.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Deus omnibus hominibus dat auxilia ſufficientia ad ſalutem.

CONcluſio. Accipiendo verbum *dare* ſecundo modo, prout ſcilicet ſignificat *præparare*, ſeu offerre in communi, Deus omnibus reprobis dat ſupernaturalia auxilia ſufficientia ad ſalutem: imò omnibus abſolutè hominibus tàm paruulis, quàm adultis. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Quibus verbis oſtenditur, vnigenitus Dei Filius datus eſſe toti mundo, licet non à toto mundo fuerit receptus per fidem in ipſum. Et 1. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non ſolùm pro noſtris, ſed etiam totius mundi.* Ergo Chriſtus datus eſt, vt ſatisfaceret pro toto mundo, quod intelligi debet quantum ad ſufficientiam; non autem quantum ad efficaciam, vt declarat Apoſtolus 1. ad Timot. 4. illis verbis: *Qui eſt Saluator omnium hominum, maximè fidelium*, id eſt, omnium quantùm ad ſufficientiam; fidelium autem, qui fide viuâ perſeuerant vſque ad finem, quantum ad efficaciam eorum. Ergo Deus omnibus hominibus dat auxilia ſufficientia ad ſalutem.

Probatur II. *ratione.* Deus habet voluntatem antecedentem, de ſalute omnium hominum, quæ non tantùm eſt voluntas ſigni, ſed etiam beneplaciti. Sed proprius huius voluntatis effectus, eſt præparare media, ſeu auxilia ad ſalutem ſufficientia: ergo Deus omnibus hominibus dat auxilia ad ſalutem ſufficientia. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Deus omnibus peccatoribus etiam ijs, qui indurati, & excæcati ſunt, dat media ſufficientia ad ſalutem. Ita Scriptura Sacra Actor. 7. v. 51. *Dura ceruicis, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Vbi loquitur de Iudæis obduratis, qui mouentur à Spiritu S. per internam gratiam: alias non dicerentur illi reſiſtere. Et Prouer. 1. v. 24. *Vocaui, & renuiſtis.* Et Mat. 23. *Hieruſalem, Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti.* Ex quibus locis apertè conſtat, Iudæos induratos habuiſſe tantam gratiam, quanta ſufficiebat ad ſalutem, & pœnitentiam, ſed eâ vti noluiſſe. Ergo Deus etiam obduratis, & excæcatis peccatoribus, dat auxilia ſufficientia ad ſalutem.

Etiam Gentilibus Deus dat ſufficientia media ad ſalutem.

Corollarium II. Deus etiam Gentilibus, qui nihil vnquam de Chriſto

Chriſto audierunt, dat ſufficientia media ad ſalutem. *Ratio*: quia S. Paulus cap. 1. & 2 ad Rom. docet, Gentiles habere ſufficientem cognitionem Dei, poſſeq; legem naturalem ſeruare, ſi velint; quam ſi ſeruauerint, eos ſaluari poſſe; ſi non ſeruauerint, inexcuſabiles eſſe. *Præterea*, quia 1. ad Timot. 2. dicit Apoſtolus: *Deus vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ergo ſi omnes Gentiles vult ſaluari, & veritatẽ fidei agnoſcere, debet illis prouidere de ſufficienti modo, ſeu medio, quo id conſequantur: alias fruſtra id vellet.

Corollarium III. Deus etiam iuſtis ſemper dat auxilia ſufficientia, pro eo tempore, & loco, quo inſtat alicuius præcepti ſupernaturalis obligatio. Ita Concilium Arauſicanum 2. can. vlt. vbi dicit: *Hoc autem ſecundùm fidẽ Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptiſmum gratiâ, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare velint, adimplere.* Ergo Deus nulli prædeſtinato denegat auxilia ſufficientia, vbi, & quando opus eſt. Et *ratio corollarij eſt:* quia qui dat eſſe, & vitam, cùm præcederet mors, multò magis cenſetur velle dare conſeruationem illius vitæ, & conſequentia ad illud eſſe. Sed Deus quando iuſtificat hominem, è morte illum eripit, & dat primum eſſe ſupernaturale, vitamque gratiæ: ergo multò magis cenſendus eſt, velle dare auxilium ſufficiens ad conſeruationem illius eſſe, & vitæ ſupernaturalis.

Quilibet homo quãdiu viuit, ſecundùm legem ordinariam poteſt ſaluari.

Corollarium IV. Et ideò ſecundùm legem ordinariam, poſſibile eſt, quemlibet hominem, dum eſt in hac vita ſaluari. Ita definitum eſt in Concilio Niceno can. 8. & in Concil. Romano, ſub Cornelio Pontifice, congregato contra Nouatum, vt refert Euſebius lib. 6. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 8. Palamq; id conſtat ex Scriptura Sacra Ezechiel. 33. *Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, ſed vt cõuertatur impius à via ſua, & viuat.* Ergo ſecundùm legem ordinariam, omnis impius dum eſt in hac vita, poteſt ſaluari. Hinc Geneſ. 4. Deus inuitabat ipſum Cainum ad pœnitentiam dicens: *Nonne ſi benè egeris, recipies?* Ergo ſecundùm legem gratiæ poterat Cain agere pœnitentiam. Et *ratio corollarij eſt:* quia Chriſtus Dominus eſt caput omniũ hominum, ſaltem in potentiâ dum ſunt, fuerunt, aut erunt in hac vita, quæ quidem potentia fundatur in virtute capitis, & in libertate arbitrij: ergo cùm virtus capitis ſit ſufficiens vnire ſibi quemlibet hominem, & libertas arbitrij nondùm ſit obſtinata in malo, quamdiu homo viuit, ſequitur quòd quamdiu eſt homo in hac vita, ſecundùm legem ordinariam poſſit iuſtificari, & ſaluari.

Corollarium V. Si tamen verbum *dare* accipiatur, prout eſt correlatiuum verbi recipere, & prout ſignificat ipſam intrinſecam receptionem auxiliorum, tunc Deus non dat omnibus reprobis media, ſeu auxilia ad ſalutem ſufficientia, ſed plures illis priuãtur in pœnam peccati mortalis, actualis, aut originalis. Ita Sanctus Auguſtinus lib. de corrept: & gratiâ, cap. 11. vbi dicit: *Si hoc adiutorium Angelo, vel homini, quamprimum facti ſunt, defuiſſet, quoniam talis natura facta non erat, vt ſine alicuius adiutorio manere poſſet, ſi vellet, non vtiq; ſuâ culpâ cecidiſſent, adiutorium quippè defuiſſet, ſine quo manere non poſſent: nunc autem quibus deeſt tale adiutorium, iam pœna peccati eſt.* In quo loco loquitur Auguſtinus de adiutorio gratiæ ſufficientis, ſiue de adiutorio *ſine quo*, quod apud illum eſt auxilium ſufficiens; ſicut adiutorium

torium *quo*, est auxilium efficax. Et epist: 107. ad Vitalem contra Pelagianos ita scribit: *Scimus gratiam Dei, non omnibus hominibus dari, scimus eis, quibus datur, misericordiâ Dei gratuitâ dari. Scimus eis quibus non datur, iusto Dei iudicio non dari.* Idem docet Sanctus Thomas 2. 2. q. 2. ar. 5. ad 1. vbi de sufficienti gratiâ sic dicit: *Tale auxilium quibuscunque datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex iustitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis.*

Permissio peccati originalis non est effectus reprobationis.

Et *ratio I. corollarij est*: quia Baptismus in noua lege, est vnicum remedium ad salutem paruulorum sufficiens; qui tamen non omnibus paruulis datur, vt manifestum est in illis, qui apud infideles nascuntur, & qui in vtero materno moriuntur: ergo non omnibus hominibus, & consequenter non omnibus reprobis dantur auxilia sufficientia ad salutem.

Ratio II. quia Deus pluribus reprobis negat auxilia sufficientia, ad credendum mysteria fidei: ergo illis negat auxilia sufficientia ad salutem. *Consequentia patet*: quia fides supernaturalium mysteriorũ, ex communi Theologorum sententia 2. 2. q. 2. ad salutem necessaria est: *Antecedens autẽ probatur.* Ad credendum duo sunt necessaria, videlicet sufficiens propositio veritatum diuinarum, ac supernaturalium, & submissio, seu pia motio voluntatis, ad assentiendum illis. Sed non omnibus hominibus datur ista duplex gratia: ergo neq; auxilia sufficientia ad credendum. *Maior manifesta. Minor deducitur.* Propositio veritatum supernaturalium, solùm potest fieri aut viâ ordinariâ, quando prædicatores, & ministri Ecclesiæ mittuntur: aut extraordinariâ, quando immediatè per Angelos, vel per seipsum Deus homines instruit, quemadmodùm olim docebat Prophetas per internas reuelationes, & visiones. Talia autem miracula rara sunt, nec omnibus exhibentur. Similiter prædicatores nõ omnibus, & singulis hominibus missi sunt, neq; mittuntur, vt docet epistola Synodalis Episcoporum Affricanorum in Sardinia exulum his verbis: *De gratia non dignè sentit, quisquis eam putat omnibus hominibus dari, cùm non solùm non omnium sit fides, sed adhuc gentes nonnullæ reperiantur, ad quas fidei prædicatio non peruenit;* Beatus autem Apostol⁹ dicit: *quomodò inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei, quem non audierunt? quomodò autem audient sine prædicante?* Non itaq; gratia omnibus datur, quandoquidem ipsius gratiæ participes esse non possunt, quia fideles non sunt, nec possunt credere, ad quos inuenitur ipse auditus fidei minimè peruenisse.

Ratio III. quia gratia sufficiens, aut consistit in quibusdam Sanctis cogitationibus intellectûs, pijsq; affectionibus voluntatis: aut in motione quadam, seu qualitate supernaturali, ad illos actus potentias animæ applicante. Sed ipsa experientia docet, multos peccatores excæcatos, induratosque quando peccãt, & præcepta transgrediuntur, non semper sentire, neq; habere bonas illas cogitationes in mente, piosq; illos affectus in corde, nec eos conscientiæ morsibus, ac stimulis semper excitari, imò potiùs in peccato sibi complacere, de vulneribusque suis, quæ intensissimè diligunt, plerumque gloriari: ergo tunc gratiâ sufficienti carent.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Ioan. 6. dicitur: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et ibidem. *Omnis qui audiuit, & didicit à Patre, venit ad me.* Ex quo

quo loco eruitur argumentum tale. Nemo potest venire ad Christum, nisi à Patre tractus sit. Sed Pater non omnes homines trahit: ergo non omnes possunt venire ad Christum, & consequenter non omnibus dantur media sufficientia ad salutem. *Minor probatur.* Omnis qui trahitur à Patre, venit ad Christum. Sed non omnes veniunt ad Christum: ergo nõ omnes trahuntur à Patre.

Solutio eiusdem.

Respondetur concessa maiore, negatur minor: Omnes enim trahuntur à Patre, sed non omnes veniunt, sed illi, qui audiunt à Patre, & discunt à Patre. Vnde Christus in citato loco, distinguit ista duo, scilicet audire à Patre, & discere à Patre; & ideò non dixit absolutè, *omnis qui audiuit à Patre, venit ad me*: nam hoc falsum esse constat ex illo: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Sed dixit: *Omnis qui audiuit à Patre,* & simul *didicit, venit ad me.*

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium* III. Sancti Patres docent, gratiam interdum deesse hominibus iustis, & Sanctis, quando peccant, & transgrediuntur præcepta: ergo illis non semper datur auxilium supernaturale sufficiens, pro eo tempore, & loco, quo tenentur obseruare præcepta. *Consequentia manifesta*: Antecedens verò docetur a Sancto Chrys[illegible]thomo homil. 72 in Ioan: [illegible] Hebr: his verbis: *Casus Petri non frigiditate, sed superni auxilij derelictu contigit: negatio Petri non tàm erat socordiæ, & negligentiæ, quàm ex eo: quòd Deus deseruerat, erudiens, vt humanam sciret mensuram, neq; eius, quàm aliorum essent elatiores spiritus, sed sciret, quòd absque Deo nihil potest fieri.* Et à Sancto Augustino serm. 124. de tempore his verbis: *Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cùm negauit Christum? & ideò Beatum Petrum paululum Dominus subdeseruit, vt in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratiâ praualere.*

Solutio eiusdem.

Respondetur negando *consequentiam*: quando enim SS. Patres dicunt, gratiam deesse iustis, & Sanctis, quando peccant, & transgrediuntur præcepta, per hoc non remouent ab illis omnem gratiam, tàm sufficientem, quàm efficacem; sed loquuntur specialiter de gratia efficaci, quæ cùm sit nobilissima, species gratiæ, simpliciter, & antonomasticè vocatur gratia. Quando ergo Petrus negauit Christum, defuit illi gratia efficax, quam Deus interdùm iustis subtrahit, aut denegat, vt illorum superbiam, ac præsumptionem puniat, vel impediat, cæterùm non defuit illi gratia sufficiens.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* V. Concilium Senonense decreto fidei 15. agens de necessitate gratiæ sic dicit: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio, cùm illa semper sit in promptu, & ne momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset.* Deinde Concil. Coloniense in Enchirid. de Sacram. Pœniten. cap. 16. dicit: *Deus adeò vult omnes homines saluos fieri, vt nemini quontumlibet scelerato gratiam suam subtrahat.* Et infra concludit: *Deum nulli hominum gratiâ illâ generaliùs acceptâ deesse, adeò vt nullus sit peccator tàm sceleratus, cui Deus quoad in hac vita superstes fuerit, hanc gratiam subtrahat*: ergo Deus omnibus reprobis dat media ad salutem sufficientia.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam: quando enim Conciliũ Senonense dicit, Dei gratiam ita esse in promptu, vt ne momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, id debet intelligi, aut de quolibet momento, in quo vrget grauis aliqua tentatio, aut instat alicuius præcepti supernaturalis obligatio. Vel certè intelligi debet de preparatione ipsius gratiæ, non verò de actuali eius colla-

collatione, cùm Deus per voluntatem antecedentē, quâ vult omnes homines saluos fieri, semper paratus sit ad auxilia gratiæ conferēda, dūmodo homines illorū receptioni non ponant impedimentum. Iam verò Concilium Coloniense id solùm intendit, quòd Deus non ita deserat peccatorem, vt omninò, & toto tempore vitæ suæ, illi auxilia gratiæ subtrahat; verumtamen non negat Conciliū, Deum sui desertores aliquando ita deserere, vt omni gratiâ, tàm sufficienti, quàm efficaci, saltē per aliquod tempus, aut spatium vitæ priuentur.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. Christus est caput omnium hominum, vt docet Sanctus Thomas 3. p. qu. 8. art. 3. sed propriū est capitis in sua membra influere: ergo Christus influit in omnes aliqua auxilia supernaturalia sufficientia ad salutem, & sic nemini eadē denegat.

Solutio eiusdem.

Respondetur cōcessa maiore, distinguitur minor Propriū est capitis in sua membra influere actu, aut potentia, *conceditur minor*: actu semper, *negatur minor*. Et hoc manifestè patet in paruulis nō baptizatis, & in adultis reprobis, vsuq; rationis carentibus, quorum Christus est caput; nullā tamen supernaturalē gratiam in eos influit.

Obiectio quinta.

Obijcitur V. Omnis homo quamdiu est in hac vita, potest saluari, alioqui esset extra statum salutis perinde ac damnati. Sed salus hominis non potest haberi, nisi per gratiam: ergo omni homini quamdiu est in hac vita, datur gratia supernaturalis sufficiens.

Solutio eiusdem.

Respondetur concessâ vtraque præmissâ, negatur consequentia, quæ non valet, quemadmodùm & hæc: omnis homo quamdiu est in hac vita potest credere. Sed non potest credere nisi per gratiam: ergo omni homini cōfertur gratia sufficiens ad credendum. *Cujus ratio hæc est:* quia vt homo dicatur potens saluari, sufficit quòd licet non hebeat potentiam; possit tamen illam recipere, & Deus possit eam conferre, quod totū verificatur de homine, quamdiu est in hac vita.

Instantia & eius solutio.

Instabis contra solutionem. Effectus formalis præsens, sine forma præsente, seu existente non potest dari. Sed posse consequi salutem, est effectus formalis gratiæ sufficientis: ergo non est verum, hominem posse consequi salutem, & in se actu non habere gratiam sufficientem receptam. Antequàm soluatur argumentum, sciendum est, *possibile* dupliciter dici. *Primo extrinsecè*, ab extrinseca potentia alterius. *Secundo intrinsecè*, ratione principij actu in subiecto existētis, proportionati ad id, quod possibile dicitur. *Respondetur itaque concessa maiore, distinguitur minor.* Posse consequi salutem, potentiâ homini intrinsecâ, est effectus formalis gratiæ sufficientis *conceditur minor*: potentiâ extrinsecâ, *negatur minor*. Et similiter distinguitur consequens. Ergo non est verum, hominem posse consequi salutem, per potentiam intrinsecam, & in se actu non habere gratiam sufficientem, *conceditur*: per potentiam extrinsecam *negatur consequentia*. Et hæc solùm datur infidelibus, alijsque peccatoribus omni auxilio destitutis, quamdiu sunt in hac vita, quæ fundatur principaliter in potentia Dei, ac virtute meritorum Christi; minùs verò principaliter in arbitrij libertate, vt docet S. Thomas 3 p. q. 8. ar. 3. ad 1.

Instantia vlterior & eius solutio.

Instabis *vlteriùs*. Admissâ hac responsione, sequeretur etiam dæmones, & homines damnatos, esse in statu salutis. *Sequela probatur*: quia potest Deus Dæmones ad se conuertere, & homines damnatos ad pœnitentiam reuocare, illosq; glorificare: ergo si ista potentia extrinseca sufficit, vt infideles, alijq; peccatores auxilio supernaturali destituti, dicantur posse saluari, seu esse in statu salutis, sequitur etiam dæmones, & homines damnatos,

esse in statu salutis. *Respondetur negando sequelam. Ad eius probationem dicitur, negando consequentiam*: potentia enim ad salutem, quam infidelibus, & alijs peccatoribus, omni auxilio supernaturali destitutis concedimus, non tantùm fundatur in potentia Dei, sed etiam in arbitrij libertate ad bonum, & malum, quâ dæmones, & damnati carent. *Respondetur secundò, distinguendo sequelam.* Sequeretur etiam dæmones, & homines damnatos saluari posse, de potentia absolutâ, *conceditur*; hoc autem non sufficit, vt dicantur esse in statu salutis. Posse saluari de potentia ordinariâ, sicut infideles, & alios peccatores in hac vita, *negatur sequela*. Vnde infideles, & peccatores quamdiu sunt in hac vita, possunt saluari non tantùm potentiâ diuinâ, verùm etiam ratione sufficientiæ meritorum Christi, quæ pro ipsis sunt applicata quoad sufficientiam, & vt sic à Deo acceptata; ideoq; verè dicuntur esse in statu salutis: secùs censendum de dæmonibus, & damnatis hominibus, pro quibus Christi merita applicatà non fuerunt, etiam quoad sufficientiam, neq; à Deo vt sic acceptata.

QVÆSTIO.

De Prædestinatione & Reprobatione.

V. Quemadmodùm prædestinatio hominum formaliter & in recto, solùm consistit essentialiter in actu intellectûs, qui est imperium: tanquàm pars obiectiua diuinæ prouidentiæ, omninò gratuita, & antecedens præuisionem meritorum, nullamq; habens causam ex parte ipsius prædestinati: cuius effectus sunt glorificatio electorum, omnisq; iustificatio, actus supernaturales, vt procedunt à libero arbitrio, substantia eorundem, ac permissio peccati; soli Deo certa quoad numerū prædestinatorum: ita reprobatio essentialiter consistat in actu intellectus diuini, qui est imperium, antecedatq; præuisionem demeritorum, permissionem actualis peccati, ac æternam damnationem reprobi habeat pro effectu: licet Deus nemini deneget supernaturale auxilium sufficiens ad salutem, nec ne?

CONCLVSIO I.

Homines aliqui de facto sunt prædestinati à Deo.

COROLLARIA.

I. *Datur verè prædestinatio in Deo.*

II. *Prædestinationis definitio triplex est. Prima Prædestinatio est ordinatio mediorū, quibus creatura rationalis transmittitur à Deo in finem vitæ æternæ. Secunda Prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, in mente diuina ab æterno existens. Tertia Prædestinatio Sanctorum est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur.*

III. *Conueniens fuit Deum homines prædestinare.*

IV. *Prædestinatio ita est necessaria, vt sine illa impossibile sit de facto aliquem saluari.*

V. *Falsum est, posse homines saluari per solam prouidentiam generalem, quâ Deus velit conferre illis media sufficientia ad salutem, quibus possint vti, si velint.*

CONCLVSIO II.

Prædestinatio formaliter, & in recto, solùm consistit essentialiter in actu intellectus, qui est imperium.

COROLLARIA.

I. *Prædestinatio licet essentialiter consistat in actu intellectus; indispensabiliter tamen inuoluit, & connotat actum voluntatis.*

II. Præ-

II. Prædestinatio non importat ex æquò actum intellectus, & voluntatis.

III. Præter electionem mediorum ad ordinem intentionis spectantem, requiritur in voluntate Dei decretum executiuum de ijsdem medijs, ratione aliqua distinctum.

IV. Prædestinatio non consistit in iudicio regulante electionem, quo mediorum conuenientia iudicatur, sed in iudicio practico subsequente electionem, quod vocatur imperium.

V. Quando Sanctus Thomas 2. 2. q. 9. ar. 6. ad 3. dicit: *In recta ordinatione ad finem, quæ includitur in ratione prouidentiæ, importatur rectitudo consilij, & iudicij, & præcepti*, per hoc non intendit, quòd prouidentia, & consequenter prædestinatio non consistat adæquatè in imperio, verùm etiam in consilio, & iudicio regulante. Sed quòd rectitudo consilij, & iudicij, importetur in ordinatione, in qua prouidentia consistit, non constitutiuè, & formaliter, sed virtualiter, & præsuppositiuè.

CONCLVSIO III.

Prædestinatio est pars obiectiua diuinæ prouidentiæ.

COROLLARIA.

I. Prædestinatio non est pars subiectiua diuinæ prouidentiæ.

II. Inter Prędestinationem, & prouidentiam diuinam multiplex discrimen intercedit.

III. Prædestinatio secundùm se, & formaliter considerata nō ponit aliquid in prędestinato, sed tantùm in prędestinante.

IV. Prędestinatio quatenùs distincta virtualiter à potentia executiua Dei, tria munera inadæquata exercet. I. quòd sit actus peculiaris quasi contrahens diuinam cognitionem, vt est actus formaliter immanens in Deo, II. quòd habeat quasi cōtrahere eandem diuinam cognitionem, quatenùs ratione suæ eminentiæ, est virtualiter transiens in creaturas, causando in illis aliquos effectus, III. quòd simul habeat actu, & in exercitio, causare in suo proprio genere, & linea, nimirum in genere causæ directiuæ, & ordinatiuæ proprios effectus, ponendo illos in tempore ad extra.

V. Executio prędestinationis actiuè sumpta solùm est in Deo; passiuè autem considerata, est intrinsecè in creaturis, circa quas versatur.

CONCLVSIO IV.

Prædestinatio, seu electio efficax prędestinatorum ad gloriam, est omninò gratuita, & ante præuisionem meritorum.

COROLLARIA.

I. Electio efficax ad gloriam facta ante pręuisa merita, extenditur etiam ad determinatum gradum beatitudinis, quem in particulari quilibet prędestinatus habebit.

II. Prędestinatio seu electio efficax ad gloriam, non tantùm hominum, sed etiam Angelorum, facta est ante pręuisa merita.

III. Gloria, & merita non vno actu, sed diuersis virtualiter, sunt à Deo efficaciter volita.

IV. Prętet decretū intentiuum gloriæ, meritorum pręuisionem anteuertens, datur aliud executiuum circa gloriam, supponens pręuisa merita.

V. Pręscientia cooperationis, aut boni vsus liberi arbitrij, non est causa, ratio, aut conditio sine qua non, prędestinationis.

CONCLVSIO V.

Ex parte prędestinati nulla datur causa ipsius prędestinationis.

COROLLARIA.

I. Bona moraliter ex solis viribus naturalibus facta, non sunt causa meritoria etiam de congruo, respectu primi effectus prędestinationis, scilicet primi auxilij gratiæ, seu primæ vocationis gratiæ efficacis, & congruentiæ.

II. Bona opera moralia ex solis viribus naturæ facta, etiam dispositiuè non concurrunt ad primum effectum prędestinationis, seu ad primam vocationem.

III. Etiam opera supernaturalia prout procedunt à libero arbitrio, non sunt causa meritoria, aut dispositiua primi effectus prędestinationis.

IV. Actus supernaturalis, prout est à libero arbitrio, seu bona cooperatione eiusdem arbitrij præuisa vt futura, non est conditio prærequisita, & antecedens, seu absolutè, & simpliciter prior & consequenter hoc modo, non influit in primum effectum prędestinationis.

V. Nulla lex est statuta, vt Deus homini facienti, quod in se est ex facultate naturæ, infallibiliter conferat auxilium gratię.

CONCLVSIO VI.

Glorificatio seu beatitudo electorum, est effectus prædestinationis.

COROLLARIA.

I. Non requiritur per se, & intrinsecè ad prędestinationem absolutè, vt id, quod dicitur effectus prędestinationis, sit per Christum, aut ex meritis Christi; sed solùm vt est in nobis.

II. Licet prædestinatio sit immediatè præparatio gratiæ, & beneficiorum, quibus consequimur beatitudinem; mediatè tamen est etiam præparatio gloriæ, quam Deus præparauit diligentibus se, & quâ electi liberantur omninò à perditione, & miseriâ.

III. Illa verba Apostoli ad Rom. 8. *Quos autem iustificauit, illos & glorificauit*, non debent intelligi de glorificatione, & magnificatione in hac vita per famam, & bonum nomen, vel per charismata, & dona diuina data od operandum; sed de exaltatione gloriæ, seu beatitudinis.

IV. Per hoc, quòd S. Paulus glorificationem posuerit in plurali in citatis verbis, non remouet eam ab effectu prædestinationis.

V. Licet operationes Christi sint meritoriæ, respectu glorificationis, seu beatitudinis nostræ, ac prædestinationis; non tamen habent rationem medij in ordine ad eam.

CONCLVSIO VII.

Omnis iustificatio electorum, est effectus prædestinationis eorundem.

COROLLARIA.

I. Iustificatio electorum non interrupta, quæ mediante dono perseuerantiæ continuatur vsque ad finem vitæ, est effectus prædestinationis eorundem.

II. Etiam iustificatio electorum interrupta, vt restituta, & reparata per pœnitentiam, est effectus prædestinationis eorundem.

III. Gratia sanctificans, & iustificatio electorum interrupta, non tantùm vt recuperata per pœnitentiam, sed etiam secundùm suam substantiam, & vt primò eis fuit collata, est effectus prædestinationis ipsorum.

IV. Sola gratia, siue iustificatio illa, quæ non interrumpitur per peccatum, est effectus constitutus, & quasi elicitus prædestinationis.

V. Effectus constituti, & eliciti prædestinationis, ex vi primæ intentionis, quâ fiunt, conducunt ad gloriam efficaciter immediatè, aut mediatè, iam verò gratia, & merita interrupta, vt primò collata, non habent efficaciter conducere ad gloriam, etiam mediatè ex vi primæ intentionis, quâ fiunt, sed ex vi alterius intentionis, quâ ordinantur ad reuiuiscentiam, & gloriam efficaciter consequendam.

CONCLVSIO VIII.

Omnis electorum vocatio, est effectus prædestinationis eorundem.

COROLLARIA.

I. Vocatio efficax non interrupta per peccatum vsque ad finem vitæ (siue sit efficax

efficax ex se, siue aliunde, siue interna, siue externa,) est effectus prædestinationis.

II. Vocatio efficax etiam interrupta per peccatum, est effectus prædestinationis electorum.

III. Etiam vocationes inefficaces electorum, sunt effectus prædestinationis eorundem.

IV. Vocationes electorum inefficaces, non sunt effectus prædestinationis eorundem eliciti, sed imperati.

V. Sola vocatio efficax, cum gratia, & iustificatione, non interrumpenda per peccatum, coniuncta, est effectus constitutus, & quasi elicitus prædestinationis electorum.

CONCLOSIO IX.

Actus supernaturales electorum, vt procedunt à libero arbitrio, sunt effectus prædestinationis eorundem.

COROLLARIA.

I. Liberum arbitrium creatum, non habet virtutem agendi proximam in ordine ad actus supernaturales, sed tantùm remotam, & radicalem: ac proinde tota virtus proxima agendi prouenit illi à gratia, seu ab auxilio gratiæ.

II. Gratia, & liberum arbitrium, ad actus supernaturales non cócurrunt partialiter.

III. Actus supernaturalis, quòd sit liber, licet id habeat à libero arbitrio, vt à potentia; habet tamen etiam à gratia, vt à virtute potentiæ, vel eius applicatione.

IV. Actus supernaturales electorum prout sunt ab illis, sunt etiam à Deo, & à prædestinatione.

V. Non solùm actus supernaturales, à libero arbitrio procedentes, sed etiam omnia dona supernaturalia (quæcunque illa sint) quæ electis conferuntur, sunt effectus prædestinationis eorundem.

CONCLVSIO X.

Substantia prædestinati est effectus ipsius prædestinationis.

COROLLARIA.

I. Licet substantia prædestinati non solùm sit subiectum gloriæ, sed etiam finis, cui Deus gloriam intendit; id tamen non obstat, quin possit imperari ex intentione eius.

II. Etiam bona omnia naturalia, sunt effectus prædestinationis imperati.

III. Locus, ac tempus nascendi, & moriendi, aliæque natiuitatis & mortis circumstantiæ, sunt effectus prædestinationis in electis.

IV. Bona indoles, & bonum ingenium in electis, sunt effectus prædestinationis ipsorum.

V. Bona quoque opera moralia, quæ à prædestinatis fiunt sine auxilio gratiæ, sunt effectus prædestinationis ipsorum.

CONCLVSIO XI.

Permissio peccati in electis, est effectus prædestinationis ipsorum.

COROLLARIA.

I. Etiam in reprobis permissio peccati, est effectus prædestinationis electorum.

II. Quando S. Augustinus lib. 11. de Genesi ad literam, cap. 22. dicit, Deum cùm sciret dæmonem propria voluntate malum futurum, eum creasse ad hoc, vt bonis noceret, per hoc non innuit, priùs Deum vidisse inuidiam diaboli erga Sanctos, & postea decreuisse per aliam voluntatem, quòd Sancti proficerent ex eius tentatione.

III. Materiale peccati in electis, est effectus prædestinationis.

IV. Etiam mala pœnæ in electis, sunt effectus prædestinationis ipsorum.

V. Cæterùm mala culpæ, seu peccata quâ talia, & secundùm malitiam, ac deformitatem moralem, quam important, non sunt effectus prædestinationis electorum.

CONCLVSIO XII.

Prædestinatio electorum ad gloriam, est Deo certissima certitudine cognitionis.

COROLLARIA.

I. Prædestinatio electorum ad gloriam, est etiam certissima certitudine medij, atque causalitatis.

II. Prædestinatio certissimè, & infallibiliter consequitur suum effectum.

III. Certitudo prædestinationis oritur ex vi intrinseca, & à causalitate mediorum, quæ Deus præparauit electis.

IV. Certitudo & infallibilitas prædestinationis, non lædit libertatem liberi arbitrij.

V. Prædestinatio, licet quantum ad ipsam præordinationem diuinam, quæ est in ipso Deo, non iuuetur precibus Sanctorum; potest tamen iuuari quantum ad effectum particularem.

CONCLVSIO XIII.

Numerus prædestinatorum formaliter, & materialiter, soli Deo certus est.

COROLLARIA.

I. Numerus reproborum non est ita certus, sicut prædestinatorum.

II. Numerus prædestinatorum ita soli Deo certus est, vt nemo fidelium etiam eximiæ sanctitatis, possit certò scire, se esse de numero prædestinatorum, sine speciali reuelatione.

III. Quicunque assequuntur vitam æternam, sunt simpliciter prædestinati.

IV. Erroneè docuit Caluinus, & alij Hæretici, quemlibet fidelem posse, imò debere certa fide apud se statuere, quòd sit prædestinatus.

V. Numerus prædestinatorum, etiam ex ipsis Christianis, & fidelibus, multò minor est, numero reproborum.

CONCLUSIO XIV.

Reprobatio essentialiter consistit in actu intellectus diuini, qui est imperium, quo imperat permissionem peccati, seu negationem suæ gratiæ efficacis, ac permissionem finalis impœnitentiæ; præsupponit tamen indispensabiliter actum voluntatis diuinæ.

COROLLARIA.

I. Reprobatio est præscientia, seu prouidentia de his, qui ab æterna vita excluduntur, cum voluntate permittendi culpam, & inferendi damnationis pœnam.

II. Datur verè in Deo reprobatio, seu decretum aliquod efficax, & immutabile, quo ab æterno aliquos homines, & Angelos voluit à gloria excludere.

III. Reprobatio in Deo non dicit solam negationem prædestinationis, sed actum positiuum intellectus, & voluntatis, quo ab æterno decreuit aliquos excludere, aut non admittere ad gloriam, ob manifestationem suæ iustitiæ.

IV. Ad hoc vt reprobatio consistat in actu intellectus diuini, non est necesse, quòd versetur circa peccata, tanquam circa media requisita ad finem reprobationis.

V. Ex eo, quòd Deus omnes homines fecerit propter beatitudinem, non sequitur, quòd neminem debeat ab ea excludere, ac reprobare.

CONCLVSIO XV.

Sola reprobatio negatiua antecedit præuisionem demeritorum: seu Deus ante præuisionem omnis demeriti personalis, voluit aliquibus denegare gloriam, siue illos à gloria, vt indebito beneficio excludere ordine intentionis.

COROLLARIA.

I. Ordine intentionis nulla prorsùs datur causa reprobationis ex parte reproborum.

II. Falsa est sententia, quæ docet, quòd licet Deus vt supremus gloriæ Dominus, absolutè sine vllis præuisis demeritis, possit à gloria excludere; non tamen ex suppositione eleuationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, & voluntatis antecedentis,

tis, quâ vult omnes homines saluos fieri.

III. Voluntas antecedens saluãdi omnes homines, & voluntas excludendi aliquos à gloria ante præuisa demerita, non sunt repugnantes & incompossibiles, sed possunt secum stare.

IV. Reprobatio positiua, vt dicit voluntatem puniendi, & infligendi pœnam, supponit præuisa demerita, ab illorumq; præscientiâ, tanquàm à causa motiuâ dependet.

V. Prima causa reprobationis hominum, fuit originale peccatum.

CONCLVSIO XVI.

Effectus reprobationis solùm sunt duo, scilicet permissio actualis peccati per pœnitentiam non deleti, & æterna reprobi damnatio.

COROLLARIA.

I. Peccatum permissum quoad formale, non est effectus reprobationis, sicut neq; diuinæ prouidentiæ.

II. Permissio peccati originalis, non est reprobationis effectus.

III. Etiam permissio peccati actualis per pœnitentiam deleti, non est effectus reprobationis.

IV. Obduratio, & excæcatio reprobi, non est effectus reprobationis.

V. Substantia reprobi, non est effectus reprobationis.

CONCLVSIO XVII.

Deus omnibus reprobis, dat supernaturale auxilium sufficiens ad salutem: imò omnibus absolutè hominibus, tàm paruulis, quàm adultis.

COROLLARIA.

I. Deus omnibus peccatoribus etiam ijs, qui indurati, & excæcati sunt, dat media sufficientia ad salutem.

II. Deus etiam Gentilibus, qui nihil vnquàm de Christo audierunt, dat sufficientia media ad salutem.

III. Deus etiam iustis semper dat auxilia sufficientia ad salutem, pro eo tempore & loco, quo instat alicuius præcepti supernaturalis obligatio.

IV. Et ideò secundùm legem ordinariam, possibile est quemlibet hominem, dum est in hac vita, saluari.

V. Si tamen verbum dare, *prout significat ipsam intrinsecam receptionem auxiliorum, accipiatur, tunc Deus non dat omnibus reprobis media, seu auxilia ad salutem sufficientia, sed plures illis priuantur in pœnam peccati mortalis, actualis, aut originalis.*

TRACTATVS VI.

De Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

MYsterium Sanctissimæ Trinitatis adeò sublime est, vt vix ab humano ingenio concipi possit. Hinc meritò Sanctus Augustinus, lib. 3. contra Maximinum Arrianum, exclamat: *Qui potest capere, capiat, credat, & oret, vt quod credit, intelligat. Quid enim hic nisi tenebræ, vbi ratio caligat, & mens deficit.* Ad enucleandum igitur Sanctissimæ Trinitatis mysterium. S. Thomas I. p. à q. 29. ad 33. tractat de personis diuinis in communi. A quæstione verò 33. àd 39. de personis diuinis in particulari. Deinde à quæstione 39. ad 42. de Personis diuinis comparatiuè sumptis. Tandem à q 42. ad 45. de æqualitate, similitudine, & missione diuinarum personarum. Totum proinde hunc tractatum in quatuor disputationes partiemur. *In primis*, considerando diuinas personas in cõmuni, *deinde*, in particulari. *Postea*, easdem comparatiuè sumptas, *Insuper*, æqualitatem & missionem diuinarum personarum.

DISPVTATIO I.

De Personis diuinis in communi.

Quatuor in hac disputatione inuestiganda occurrunt, videlicet definitio personæ, numerus diuinarum personarum, cognitio earundem, ac notiones.

QVÆSTIO I.

An in Deo persona verè reperiatur.

Occasio quæstionis.

OCcasio huius quæstionis inde orta est: quia Laurentius Valla Grammaticus lib. 6. elegantiarum cap. 34. falsò existimans, nomen personæ non significare substantiã, sed solam animi, aut corporis qualitatem, per quam vnus homo differt ab alio; ex hoc debili fundamento asserere non erubuit in Deo non dari personam, cum in illo nulla qualitas detur. Verùm temerè satis, quia vt docet Sanctus Thomas in 1. sent. dist. 26. q. 1. ar. 2. ad 1. iudicium de nomine non debet fieri secundùm id, à quo imponitur; sed secundùm id ad quòd significandum instituitur. Sic lapis dicitur à lædendo pedem; & tamen non omne, quod lædit pedem, est lapis. Licet ergo nomen personæ sit impositum à repræsentando, seu à persouando, propter quod teste Boëtio in lib. de duabus naturis, olim in comædijs recitatores ad repræsentandum aliquem, cuius gesta recitabant, laruâ quadam faciem velabant, & sic recitationem suam personabant. Cæterùm postea idem nomen personæ tractum est, ad significandos ipsos homines substantialiter in se. Et in hoc sensu loquitur Scriptura Sacra, sapien. 6. *Non subtrahet personam cuiusquam Deus.* Et Actor. 10. *Non est personarum acceptor Deus. Insuper* apud Theologos nomen personæ vsurpatur, ad significandam cuiuslibet naturæ intellectualis, tàm diuinæ, quam Angelicæ, & humanæ indiuiduam, & incommunicabilem substantiam.

Suppono itaque I. Personam dici ad differentiam suppositi, ad quod illa comparatur tanquàm inferius ad superius: nam suppositum latiùs patet, cùm significet quamcunq; naturã substantialem completam incommunicabiliter existentem; persona vero dicitur de sola natura intellectuali, incommunicabiliter subsistente.

Definitio personæ.

Suppono II. Personam à Boëtio, & S. Thoma I. p. q. 29. ar. 1. optimè sic definitam esse: *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia*, quæ definitio coincidit cum illa Richardi, lib. 4. de Trinit. cap. 22. vbi dicit: *Persona est rationalis naturæ incommunicabilis existentia.* Porrò in allata definitione, loco generis ponitur *substantia*; sumiturque pro substantia completa, & ita terminata, vt non sit vlteriùs communicabilis, tanquàm vlteriùs complebilis intra limites substantiæ. Et ideò anima rationalis non est persona: quia licet sit substantia singularis; est tamen vlteriùs communicabilis composito substantiali, per quod determinatur ad esse suppositi. Nam cùm sit pars essentialis physica hominis, ideò naturâ suâ ordinatur ad compositum cum alia parte cõstituendum, & per hoc substantia incommunicabilis dici nõn potest, nec completa, qualis in definitione intelligitur. Additur deindè *indiuidua*, vt denotetur substantia prima, quæ à Græcis hypostasis dicitur, & quæ supra singularitatem addit incommunicabilitatem: propter quod Richardus à S. Victore in sua definitione addidit particulam illam *incommunicabilis*, per quam vt obseruat Sanctus Thomas in 3. ad Annibaldum dist. 5. q. vnica ar. 2. triplicem communicabilitatem à persona excludit, videlicet communicabilitatem vniuersalis ad inferiora, partis ad totum, & naturæ ad suppositum, à quo sustentatur, vel terminatur.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

COnclusio. Persona verè, & pro-

prie

Persona verè, & propriè in Deo reperitur.

prie in Deo reperitur. Est de fide. *Probatur I.* ex Symbolo Athanasij, in quo dicitur: *Alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti.* Sed vbi alia, & alia persona, cum proprietate inueniuntur, ibi reperitur etiam cum proprietate persona: ergo persona verè & propriè reperitur in Deo. Idem definitum est in Concilio Hispalensi II. can. 13. vbi dicitur: *Confitemur Dominum nostrum IESVM Christum, æternaliter ex Patre Deum natum, temporaliter ex vtero gloriosæ Virginis Mariæ hominem editum, & ob hoc in vna persona duas naturas habentem.* Similiter in Concilio Toletano II. in confessione fidei. Et in Concilio Lateran. *cap. Firmiter, & cap. damnamus, de summa Trinitate, & Fide Catholica* dicitur: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus tres quidem personæ, & vna essentia.* Idem docet Sanctus Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 8. & 9. & lib 7. de Trinit. cap. 4. & 5. S. Hieronymus in epist. ad Damasum, & super epist. ad Galatas cap. 4. Sanctus Anselmus de Incarnatione Verbi cap. 8. & Sanctus Damascenus ad Paulinum in confessione fidei, vbi dicit: *Si quis tres personas non dixerit veras Patris, Filij, & Spiritus Sancti anathema sit.* Ergo ex mente Conciliorum, & Sanctorum Patrum, ratio personæ propriè acceptæ, verè in Deo reperitur.

Probatur II. *ratione.* Vbi est perfectissima natura intellectualis indiuidua, ibi maximè nomen personæ concedi debet. Sed in Deo est perfectissima natura intellectualis indiuidua, id est, reddita planè incommunicabilis, per rationes constitutiuas Patris, Filij, & Spiritus Sancti: ergo in Deo persona concedi debet. *Minor est manifesta.* Maior etiam est S. Thomæ 1. p. q. 29. ar. 3. in corpore, vbi dicit: quòd *persona significet id, quod est perfectissimum in tota natura, nimirùm subsistens in natura rationali, seu intellectuali.* Vbi Sanctus Doctor ex summa Dei perfectione colligit, in Deo dandam esse personam. Licet enim personalitas, prout suo modo distinguitur à natura, non sit aliquid perfectius ipsâ naturâ, seu essentiâ rei; persona tamen in concreto est quid perfectissimum, & completissimum in actu substantiali; ita vt natura carens ratione personali, censeatur in potentia, & non habere omnem suam perfectionem. Ergo quoniam in Deo datur perfectissima natura intellectualis indiuidua, sequitur in eodem dari personam. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Persona diuina non est secunda intentio.

Corollarium I. Formale significatum huius nominis *persona diuina*, non est secunda intentio, nec sola negatio communicabilitatis. Est contra Durandum, & Scotum. *Ratio*: quia persona diuina de formali significat id, per quod personæ diuinæ constituuntur formaliter. Sed personæ diuinæ neq; per secundam intentionem, neq; per solam negationem communicabilitatis, verùm per aliquid reale, & positiuum, formaliter constituuntur, vt constabit ex infra dicendis. Ergo persona diuina de formali non significat secundam intentionem, neque solam negationem communicabilitatis, sed aliquid reale, & positiuum.

Corollarium II. Ratio personæ in diuinis, neq; spirationi actiuæ, neq; spiratori conuenit. *Ratio*: quia sunt communes Patri, & Filio.

Corollarium III. Neq; natura diuina, neq; hic Deus, potest dici persona. *Ratio*: quia natura diuina siue in concreto, siue in abstracto concipiatur, communicata est tribus suppositis diuinis.

Corollarium IV. Etiam humanitati Christi, licet sit substantia indiuidua, & completa, non conuenit ratio personæ. *Ratio corollarij est*: quia est communicata alteri,

vt supposito sustentanti, nimirùm Verbo diuino.

In diuinis non datur ratio personæ communis tribus personis diuinis.

Corollarium V. In diuinis non datur aliqua ratio personæ, communis tribus personis diuinis, secundùm rem; datur tamen ex nostro modo concipiendi. *Ratio primi*: quia sic vna tantum esset persona in Deo; quemadmodùm & natura. *Ratio verò secundi est*: quia vna quæq; persona diuina dicitur persona, & singulæ subsistunt incommunicabiliter a parte rei: ergò conueniunt in vna ratione communi personæ, nostro modo concipiendi.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. Sed Deus non est propriè substantia: ergo nec est propriè persona. *Minor* est D. Augustini lib. 1. de Trinit. cap. 5. vbi dicit: *Deum abusiuè substantiam dici*: ergo Deus non est propriè substantia. *Præterea*, quia substantia dicitur à substando accidentibus; Deus autem accidentibus subesse non potet: neq; potest dici, quòd substet bonitati, aut omnipotentiæ, vel alijs perfectionibus quæ de ipso dicuntur: ergo Deus non est propriè substantia.

Solutio eiusdem.

Respondetur concessa maiore, negatur minor. Ad 1. eius probationem dicitur, substantiam dupliciter considerari. I. quoad id, à quo nomen impositum est, nimirùm *subesse accidentibus*: II. quoad rem significatam, videlicet *esse per se.* Primo igitur modo, Deus abusiuè tantùm dici potest substare perfectionibus suis. At verò *secundo modo*, cum proprietate dicitur, & est substantia: quia propriè existit per se, & quidem maximè. Et hoc solum intendit Sanctus Augustinus.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra secundam probationem conclusionis.* Diuina natura à personis abstracta, non est imperfectior, quàm cum illis, cùm eas eminenter contineat: ergo licet re ipsa existeret nō personata; adhuc tamen æque perfecta esset, sicut defacto est.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam: aliud enim est, rem inadæquatè per intellectum concipere; aliud verò ita eam esse à parte rei. Nam quòd res inadæquatè concipiatur, hoc nullam in ea dicit imperfectionē, sed in ipso conceptu; at verò existere à parte rei, sine vltimo complemento, reddit, vel arguit illam esse imperfectam. Vnde si natura diuina à parte rei non esset personata, esset imperfecta, neq; hac admissâ hypothesi, censeretur illud complementum eminenter continere, sicut nunc continet, cùm defacto nunquàm eo possit re ipsa carere, illudq; habeat per summam identificationem, quod ex sua infinitâ perfectione postulat. Hinc contra fidem loquuntur, qui nomen personæ, quatenùs significat substantiam cōpletam intellectualem incommunicabilem, a diuinis excludunt, cùm hoc sit expresse contra concilia, SS. Patres, & omnes Theologos. Et licet nomen personæ non inueniatur in Scriptura Sacra dictum de Deo; tamen id, quod nomen personæ significat, frequenter in Sacra Scriptura inuenitur assertum de Deo, scilicet quòd sit maximè per se ens, perfectissimè intelligens.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium I.* Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. Sed indiuiduum de formali significat secūdam intentionem: ergo persona diuina de formali significat secundam intentionem.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concedendo indiuiduum Logicè sumptum formaliter significare secundam intentionem; negando autem de indiuiduo metaphysicè

sumpto, sub qua ratione definitionem personæ ingreditur: sic enim non secundam intentionem, sed modum incommunicabiliter subsistendi de formali importat.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. In persona diuina nihil potest assignari positiuũ, in quo negatio communicabilitatis fundetur: ergo illa solam negationem de formali significat. *Antecedens probatur.* Si in persona diuina daretur aliquid positiuum, in quo fundaretur illa negatio, maximè esset relatio. Sed hæc non potest fundare negationem communicabilitatis: ergo &c. *Minor probatur*, Paternitas v. g. aut fundat negationem communicabilitatis ex ratione relationis vt sic, aut ex conceptu talis relationis. Sed non *primum*: alias etiam relatio spiratoris incommunicabilis esset. Non etiam *secundum*, quia paternitas ex conceptu paternitatis solùm importat ordinẽ originis eius, a quo alius, in quo nulla ratio incommunicabilitatis importatur. Ergo diuina relatio non potest esse fundamentum negationis communicabilitatis.

Solutio eiusdem.

Responditur negando antecedens. Ad eius probationem, negatur minor, cuius probationis itidem negatur minor: nam eo ipso, quòd paternitas in Deo, sit relatio originis per actionem intellectus, habet realiter conuenire vni personæ, quod nulli alteri conuenire possit, ac proinde fundat negationem communicabilitatis; at verò relatio spiratoris, quia fundatur in origine Spiritus Sancti, qui est terminus mutui amoris, postulat esse duabus personis cõmunis; & ideò negationem communicabilitatis fundare non potest.

Obiectio quinta.

Obijcitur V. *Contra Corollarium* III. Si natura diuina, aut hic Deus non esset persona, sequeretur hinc, quod Pater v. g. non esset persona: siquidem natura diuina, non obstante hoc, quòd contrahatur ad esse Patris, potest vlterius determinari ad esse Filij. *Respondetur negando sequelam*: licet enim ipsa natura, quæ communicatur Patri, possit vlteriùs cõmunicari Filio; cõstitutum tamen ex diuina natura, & paternitate, non potest vlteriùs communicari, & tanquàm determinabile vlteriùs determinari. Persona itaque non exigit hoc, vt nihil, quod in ea reperitur, possit alteri communicari; sed solùm quod ipsa persona, seu totum, quod dicit ratio personæ, non possit vlteriùs determinari.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO II.

An persona sit idem, quod hypostasis, subsistentia, & relatio.

HAnc quæstionem ex ea occasione mouet S. Thomas, quia cum ex sacris literis constet, in Deo dari non solùm vnitatem, sed etiam trinitatem, vt dicitur 1. Ioannis 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt.* Instabant Hæretici, quinam sunt isti tres in vna diuina essentia; in Sacra autem Scriptura non habetur, quòd sint tres personæ, aut hypostases, aut subsistentiæ: ideò necessariũ erat Theologis, hæc nomina proferre noua, cum sensu scripturarũ concordantia, vt obseruat Sanct⁹ Augustinus lib. de Trinit. cap. 4. 5. & 6. ad respondendum Hæreticis, dum quærunt, quinam tres sunt in Deo.

Occasio quæstionis.

Suppono itaq; I. Licet in rebus intellectualibus ista tria, *suppositum, hypostasis, persona*, sint idem secundùm rem, solùmq; differunt vt magis, & minus; diuersas tamen habent acceptiones, & significationes. Hypostasis itaque, quod est antiquissimum nomen in Ecclesia, & a Græcis Doctorib⁹ vsurpatum ad explicãdam Trinitatem, aliquando accipitur pro *substantia*, vt habetur ad Hebr. 1. vbi enim nos habe-

habemus, *figura substantiæ eius*, Græcè legitur, *character, hypostasis eius*. Dicitur autem Filius Dei, figura substantiæ Patris, quia est Verbum expressè repræsentãs substantiam prout est in Patre. Aliquando accipitur pro *fundamento*, vt Hebr. 11. vbi nos legimus: *Fides est fundamentum rerum sperandarum*, Græcè loco *fundamenti*, habetur *hypostasis*. Aliquando pro *subsistentia*, siue suppositalitate. Aliquando demùm accipitur strictissimè, prout conuertitur cum persona significatq; solùm suppositum intellectuale.

Suppono II. Subsistentiam dupliciter accipi posse, *primò* ita, vt subsistens per se, dicatur suppositum incommunicabile. *Secundò*, accipitur pro *existentia*, quæ est cõplementum essentiæ. Vel vt loquitur Auctor summæ Conciliorum, Act: 11. Concilij sexti generalis, subsistentia potest accipi & *personaliter*, & *essentialiter*. Sic in epistola Agatonis subsistentia accipitur *essentialiter*, quando dicit: Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, vnius esse subsistentiæ, siue essentiæ.

Suppono III. Relationem diuinam esse identificatam cum substantia diuina; & ideò ex vi propriæ lineæ, esse quid substantiale, & subsistens. Hinc Theologi in diuinis relationib⁹, duos conceptus, seu duo munia inadæquata distinguunt, videlicet formæ referentis, seu puri respectus ad terminum, & formæ hypostaticè subsistentis.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Persona idem est quod hypostasis.

COnclusio I. Persona est idem, quod hypostasis in vltima acceptione. *Probatur I.* authoritate SS. Patrum, qui frequenter hoc nomine *hypostasis*, vtuntur pro persona in diuinis. Sic D. Athanasius in suo symbolo, quod græcè edidit, vbi nos legimus, *alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti*: ille habet, *alia hypostasis Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti.* Similiter Sanctus Basilius epist. 43 ad Gregor: docet, hypostasim esse rem indiuiduam, & proprietatibus subsistentem; res autem proprietatibus subsistens, idem est, quod persona in diuinis. *Præterea*, Sanctus Damascenus lib. 1. Fidei Orthodoxæ cap. 10. dicit: *In solis* inquit *personalibus proprietatibus differunt ab inuicem tres Sanctæ hypostases, non substantiâ; sed characterismo propriæ hypostaseos indiuisibiliter discretæ.* Ergo persona idem est, quod hypostasis in diuinis.

Probatur II *ratione.* Quia persona significat substantiam indiuiduam naturæ rationalis incommunicabiliter subsistentem. Sed etiam hypostasis hoc ipsum significat: nam sub hac significatione vox ista, fuit acceptata à Sanctis Patribus in Concilio Niceno 1. vt testatur Rufinus lib. 1. cap. 29. Ergo in diuinis persona, & hypostasis, sunt idem.

Subsistentiæ in Deo sunt tres.

Similiter subsistentia in I. significatione, idem est, quod persona, ac suppositum; & ideò sicut tres personas, ita & tres subsistentias in Deo fateri debemus. *Probatur I.* quia sic definitum est in V. Synodo generali, can. 1. vbi dicitur, *vnam deitatem in tribus subsistentijs esse confitendum.* Et in Concilio Constantinopolitano, quod fuit VI. generale. Actione 13. dicitur: *Trinitatem glorificamus pro tribus subsistentijs.* Ergo in Deo sunt tres subsistentiæ relatiuæ.

Probatur III. *ratione.* Quot sunt in Deo subsistentes, tot subsistentiæ. Sed tres sunt subsistentes, nimirùm tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: ergo in Deo subsistẽtiæ distinctæ sunt tres. *Ratio maioris*: quia tres personæ

diuinæ in esse subsistentium, constituuntur formaliter per subsistentias: ergo quot sunt subsistentes, tot subsistentiæ. *Præterea* quia personalitas nihil aliud est, quam subsistentia incommunicabilis. Sed in Deo tres sunt personalitates realiter distinctæ: ergo & subsistentiæ incommunicabiles sunt tres. Ex hac conclusione decuntur corollaria.

In Deo nō datur subsistentia absoluta.

Corollarium I. In Deo vltra tres subsistentias relatiuas, non datur subsistentia absoluta communis tribus personis. *Ratio*: quia subsistentia propriè dicta constituit personam, cùm omnis subsistentia naturæ rationalis, sit formaliter personalitas: proinde si daretur ista subsistentia absoluta, deberet dari & persona absoluta, quod est Hæreticum: quia iam essent quatuor personæ in Deo, tres relatiuæ, & quarta absoluta.

Corollarium II. Præcisis, seu abstractis per intellectū subsistentijs relatiuis ab essentia diuina, intelligitur manere hic Deus realiter existens, non per modum suppositi, seu personæ sed per modum indiuidui singularis. *Ratio*: quia in Deo datur vna existentia, ex qua sequitur præcisis relatiuis subsistentijs, relinqui aliquid absolutum existens; cum autem in Deo non detur subsistentia absoluta; ideò præcisis relatiuis subsistentijs, sequitur non relinqui aliquid absolutū subsistens. Vnde illud absolutum existens, quod præcisis subsistentijs relatiuis intelligitur manere, non potest esse aliud, quàm hic Deus, per modum indiuidui singularis.

Corollarium III. Subsistentia in II. acceptione, id est, quatenùs accipitur pro existentia, non est idem cum persona. *Ratio*: quia existentia in Deo, vna tantùm est communis tribus personis, absoluta, & essentialis; personæ autem tres. Ergo subsistentia pro existentia accepta, non est idem cum persona.

Antecedens deducitur ex Scriptura Sacra, Exodi 3. *Ego sum, qui sum*. Ex quo loco sic argumentor. *Qui est*, est essentiale, vt docet S. Augustinus lib. 12. de ciuit. Dei, c. 2. ergo significat aliquid commune tribus personis, nihil autem aliud, nisi existentiam. Quia vt docet S. Thomas q. 9. de verit. art. 5. esse Dei pertinet ad existentiam Dei; ergo existentia est aliquid absolutum commune tribus personis; & consequenter cùm S. Thomas doceat loco citato, in diuinis nullo modo concedendum *esse*, nisi vnum, vna tantum in Deo existentia datur.

In Deo nō dantur tres existentiæ relatiuæ.

Corollarium IV. In Deo vltra existentiam absolutam, & essentialem, non dantur tres existentiæ relatiuæ, distinctæ inter se realiter. *Ratio*: quia modus existendi per se, & modus existendi in alio, non superaddunt nouam existentiam, sed tantùm nouum modum prioris existentiæ, quod patet in natura humana, quæ siue per se existat, vt fit in nobis, siue existat in alio, vt fit in Christo, non censetur accipere nouam existentiam, sed nouum modum existentiæ. Similiter in accidentibus, quę siuè existant in subiecto, siue extra subiectum, vt in Eucharistia, semper retinent eandem existentiam, & solùm mutant modum existendi. Sed diuinæ personæ, seu relationes diuinæ personales, sunt modi modificantes existentiam absolutam diuinam: ergo non superaddunt nouam existentiam relatiuam, per hoc, quod habeant tres subsistentias relatiuas, sed tantùm, superaddunt tres modos nouos existendi relatiuos, & personales, scilicet modos existendi subsistenter.

Corollarium V. Opinio Caietani qui 1. p. qu. 3. art. 3. & 3. p. q. 2. ar. 2. in Deo admittit vnam subsistentiam absolutam, & tres relatiuas, potest absq; formidine sustineri: *Ratio*: quia per hoc non

ponit quatuor subsistentias in Deo, sed tantùm tres, eò quòd subsistentiâ essentialis non distinguatur à tribus relatiuis, proinde subsistentiam absolutam, & essentialem accipit pro ipsamet existentiâ, vt docet Bannes 1. p. qu. 29. in Commentario ar. 3.

Nomē personæ quid significet.

Conclusio II. Nomen personæ in concreto sumptum, significat constitutum ex natura rationali completâ, & subsistentiâ incommunicabili; quemadmodùm homo significat constitutum ex animali, & rationali. Vnde etiam persona in diuinis significat constitutum ex substantia incommunicabili, & diuina natura, idq; intrinsecè. *Probatur*, Diuina persona, non tantùm identicè, sed formaliter est Deus, sapiens, omnipotens, &c. ergo in suo conceptu includit diuinam naturam. Similiter intrinsecè est subsistens incommunicabiliter: ergo etiam intrinsecè includit subsistētiam incōmunicabilem, ita vt non solùm connotet vnum illorum, & alterum dicat intrinsecè. At verò nmeon istud *persona*, sumptū pro abstracto, seu personalitas, formaliter significat vltimum terminum, id est eum, qui naturam rationalem completam reddit vlteriùs incommunicabilem in genere substantiæ, proinde in recto significat ipsum vltimum terminū, connotando naturam rationalem. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Persona diuina non significat directè essentiam.

Corollarium I. Persona diuina non significat directè essentiam propriè acceptam, nimirùm pro substantia, naturâ, seu quidditate rei; sed tantùm indirectè, & in obliquo. *Ratio primi*: quia si persona diuina, significaret directè essentiam, sequeretur in Deo dari tres essentias; sicut dantur tres personæ: hoc autem falsum est, cùm nomen essentiæ nunquam pluraliter dicatur de Deo, sed semper singulariter, ita vt hæc propositio sit hæretica: *in Deo sunt plures essentiæ*; hæc autē Catholica: *in Deo est vna essentia*. Hinc in Concilio I. Niceno definitum est contra *Arrium*, diuinas personas esse *homusion*, id est, vnius essentiæ. Idem docet S. Hieronymus epist. ad Damasum: *sufficiat* inquit, *nobis dicere vnam essentiam, & tres personas*. Similiter D. Athanasius in symbolo: *Neque confundentes personas, neq; substantiam separantes*. Atq; ex hoc fundamento deducunt Catholici contra Arrianos, Filium esse Patri consubstantialem, quia nimirùm vtriusq; vna est substantia, id est, essentia, & natura. *Ratio etiam secundi est*: quia persona diuina, est indiuidua naturæ diuinæ substantia. Sed in hac definitione natura diuina solùm in obliquo importatur, non autem in recto: ergo persona diuina solùm indirectè, & in obliquo significat naturam, seu essentiam.

persona diuina directè significat relationem in cōcreto.

Corollarium II. Personalitas in diuinis, seu persona diuina, directè & formaliter significat relationem in concreto; in abstracto autem sumptam, solùm in obliquo. *Ratio primi*: quia significatum directum personæ vt sic, est subsistens incōmunicabile in natura intellectuali; talis autem est relatio in concreto: quoniam absoluta in Deo, licet sint subsistentia, non sunt tamen incommunicabilia, nec in personis distincta. *Ratio secundi*: quia constituens indirectè solum, & in obliquo, importatur per nomen significans constitutum. Sed relatio in abstracto significatur vt constituens, & forma, v. g. paternitas, filiatio: ergo solùm indirectè, & in obliquo, importatur per nomen significans constitutum, vti est persona diuina.

Corollarium III. Persona diuina non significat relationem formaliter, vt est relatio, seu respectus ad terminum, sed vt est forma, quâ

perſona per ſe ſubſiſtit incommunicabiliter. Ita S. Thomas 1. p. q. 29. ar. 4. vbi docet, quòd *perſona diuina ſignificet relationem, non tamen in quantum eſt relatio, ſed in quantum ſignificatur per modum hypoſtatiſis*, ſeu relationē vt ſubſiſtentem. Et *ratio eſt*: quia audito nomine, *Perſona diuina*, non formamus conceptum relationis, tanquàm formalis, & diſtincti ſignificati, ſed in genere ſubſiſtentis incommunicabiliter in natura diuinâ. Ergo formale ſignificatum huius nominis, *Perſonalitas diuina*, non eſt relatio, vt relatio, ſed vt forma, quâ perſona ſubſiſtit incommunicaliter.

Corollarium IV. Diuinæ relationes aliter ſignificantur nomine Perſonæ Diuinæ, & aliter his diſtinctis nominibus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. *Ratio*: quia Perſona diuina ſignificat formaliter, & explicitè relationes diuinas, ſub conceptu ſubſiſtentium incommunicabiliter; ſicut perſona in communi ſignificat ſubſiſtens incommunicabiliter in qualibet natura intellectuali; implicitè autem & de materiali ſignificat eas ſub conceptu relationum, & prout exercent munus referendi ad terminum, ſeu correlatiuum. At verò tria recenſita nomina, ſignificant formaliter, & explicitè relationes, ſub conceptu relationum, & quatenus ſunt reſpectus ad terminum; implicitè autem & de materiali ſub conceptu ſubſiſtentium illas important.

Diuinæ relationes aliter ſignificatur nomine perſonæ; aliter nomine Patris & Filij.

Corollarium V. Quando in diuinis ratio perſonæ prædicatur de tribus perſonis, tanquàm ratio communis, tunc iſta communitas non eſt communitas rei, ſed rationis: neq; eſt communitas generis, aut ſpeciei, aut vniuerſalis. *Ratio*: quia non dicitur de pluribus differentibus ſecundùm eſſe: nam perſonæ diuinæ habent vnum eſſe; genus autem, & ſpecies, & quodlibet vniuerſale, prædicatur de pluribus ſecundùm eſſe differentibus.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

OBijcitur I. *Contra concluſionem I.* S. Hieronymus in epiſt. ad Damaſum, quæ incipit: *Quoniam vetuſto*, renuit concedere in diuinis tres hypoſtaſes. *Taceantur* inquit, *tres hypoſtaſes, & vna teneatur*: ergo cùm tres ſint perſonæ in Deo, perſona non eſt idem, quod hypoſtaſis. *Reſpondetur, negando conſequentiam*: S. enim Hieronymus eo tempore, ideò renuebat in diuinis concedere tres hypoſtaſes, quia cùm hypoſtaſis ſignificet idem, quod ſubſtantia, Heretici facilè decipiebant rudes in hunc modum argumētando: *in Deo ſunt tres ſubſtantiæ, ergo & tres eſſentiæ.* Cæterùm quia iam nunc in vſu communi hypoſtaſis vſurpatur pro ſolis ſubſtantijs incommunicabilibus; ideo coincidit cum perſona. Vnde ſicut in Deo tres admittuntur perſonæ; ita etiam tres hypoſtaſes[a].

Obiectio prima.

Solutio eiuſdem.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I. Secundæ Concluſionis.* Eſſentia, ſeu natura diuina ingreditur definitionem perſonæ in recto: ergo perſona diuina directè ſignificat naturam. *Reſpondetur negando Antecedens*, vt conſtat ex doctrina citati corollarij.

Obiectio II. & ſolutio eiuſdem.

Inſtabis *contra ſolutionem*. Natura diuina in concreto prædicatur de Perſona diuina, prædicatione, formali, vt patet in hac propoſitione: *Perſona diuina eſt Deus.* Sed ſi natura diuina non ingrederetur in recto definitionem Perſonæ Diuinæ, non poſſet ſic de illa prædicari: ergo natura diuina ingreditur in recto definitionem Perſonæ. *Minor deducitur*. De eo, quod ſolum in obliquo importat naturam aliquam, non poteſt in ſenſu formali talis natura prædicari, nomine illam importante in recto. Sed

Deus in recto importat naturam diuinam: ergo hæc non poſſet prædicari formali prædicatione de perſona diuinâ, ſi eius definitionem ſolum in obliquo ingrederetur. *Reſpondetur conceſſâ maiore, negatur minor.* Eius *probationis diſtinguitur maior.* Nomine importante naturam in recto, ſolùm in ſignificando, non autem in ſupponendo, *negatur maior*: nomine importante naturam in ſignificando, & ſupponendo, *conceditur maior.* Et ſic *diſtincta minore, negatur conſequentia.* Nam hoc nomen *Deus*, licet diuinitatem in recto ſignificet, ſupponit tamen pro habente diuinitatem, in qua ſuppoſitione importatur non in recto, ſed in obliquo Diuinitas: vnde cùm Perſona diuina, ſit habens naturam diuinam formaliter; inde fit quòd de illa prædicetur natura diuina in concreto, prædicatione formali. Nam licet nomen *Deus*, & nomen Perſona diuina, differant in ſignificato directo; conueniunt tamen in ſuppoſitione directâ: quia Deus directè ſupponit pro eo, pro quo ſupponit directè *perſona diuina.*

QVÆSTIO III.

Per quid diuinæ perſonæ in eſſe perſonali conſtituantur.

DE fide eſt, in diuinis à parte rei inter naturam diuinam, & perſonam, nullam dari diſtinctionem realem, tanquàm rei à re, neq; etiam formalem, vt communiter docent Theologi contra Scotum: quia tamen in Deo cum ſumma conuenientia in natura, eſt realis perſonarum diſtinctio, ita vt verè, & realiter ſit vnus Deus in tribus perſonis, ideò quæritur, per quid perſonæ conſtituantur in eſſe perſonali tāquàm per intrinſecum principium *quo*, conſtitutiuum, & ab alijs primò diſtinctiuum, non quidem per veram cōpoſitionem, cûm repugnet diuinæ ſimplicitati, ſed per ſimplicem identificationem cum diuina naturâ. Circa quod tres ſunt opiniones[a].

Prima fuit Præpoſitiui, cuius mentionem facit S Thomas 1. p. q. 32. art. 2. & q. 40. ar. 1. & Gregorij Ariminenſis in 1. diſt. 26. & 27. q. 1. ar. 2. qui cùm non admitterent in Deo proprietates relatiuas, cenſebant perſonas diuinas ſeipſis immediatè conſtitui, & ab alijs perſonis diſtingui, & conſequenter paternitatem v. g. non eſſe aliquid Patris, ſed eſſe ipſum Patrem: ac generatim loquendo, abſtracta, & concreta pro eodem ſupponere. *Fundamentum iſtius opinionis eſt hoc*: quia perſona diuina eſt res ſimpliciſſima, vt habetur definitum in Concilio Lateranen. ſub Innocentio III. *cap. Firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica.* Vnde licet in diuinis ſint varia nomina, vt nomen *eſſentiæ, originis, relationis, perſonæ*; omnia tamen ſignificant eandem rem ſimpliciſſimam, neq; vnum plus, vel minùs ſignificat; quàm aliud. Atqui res ſimpliciſſima nullā admittit compoſitionem: ergo & perſona diuina eandem non admittit. *Deinde*, quia ſimpliciſſima ſeipſis totis diſtinguuntur. Sed perſonæ diuinæ ſunt ſimplices: ergo ſeipſis totis diſtinguuntur; proinde non in aliquo diſtinguuntur, & in aliquo conueniunt.

Opinio prima.

Fundamentum illius.

Altera opinio tenet, perſonas diuinas à parte rei, conſtitui eſſentiâ, & relatione, tanquàm duobus extremis à parte rei inter ſe diſtinctis. Hanc tenet Scotus, *cuius fundamentum eſt hoc*: quia putat, eſſentiam diuinam ex natura rei formaliter diſtingui à relationibus, vnde infert eſſentiam, & relationes, eſſe verum conſtitutiuum diuinarum perſonarum.

Opinio ſecunda & eius fundamentum.

Tertia opinio docet, perſonas diuinas in eſſe perſonali, conſtitui

Opinio tertia.

per relationes personales, hoc est per Paternitatem, Filiationem, & spirationem passiuam. Hanc tenet Sanctus Thomas q. 40. art. 2. vbi postquàm ostendit personas non aptè distingui originibus, nimirum primò, & principaliter, eò quòd origines non significentur vt aliquid intrinsecum, quod est de ratione constitutiui, & distinctiui, docet eas principaliùs distingui per relationes.

Proprietates personales in Deo dantur.

Suppono itaq; I. Dari in Deo proprietates personales, vt constat ex Concilio Lateran. *cap. Firmiter*, vbi dicitur: *Sanctissima Trinitas secundùm communem essentiam est indiuisa; secundùm verò personales proprietates discreta.* Et ex Concilio Florent. sess. 1. vbi asseritur, *personas diuinas per suas proprietates differre.* Et sess. 18. vbi Ioannes Theologus dicit: *Persona ex substantia proprietateque subsistit.* Demùm Ecclesia in præfatione missæ festi Sanctissimæ Trinitatis canit: *vt in personis proprietas, in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas.* Porrò tres sunt istæ proprietates personales, nimirùm *Paternitas, Filiatio, & spiratio passiua*, dicunturq; personales ad exclusionem *spirationis actiuæ*, quæ reperitur in duabus personis, videlicet in Patre, & Filio, & consequenter non potest vllo modo censeri esse constitutiuum diuinæ personæ.

Proprietates personales possunt esse & absolutæ, & relatiuæ.

Suppono II. Proprietates personales, posse esse & absolutas, & relatiuas. Et quidem si accipiantur relatiuè, dupliciter possunt intelligi. *Primò*, quòd sint formaliter, & per se primò relationes, vt *paternitas, filiatio.* Secundò, quòd per se primò sint origines, vt *generatio*, & *processio*; quæ tamen secundariò important relationem. Nam origines diuinæ, licet non significentur vt relationes ex modo significandi per se primò, & formaliter; important tamen illas intrinsecè, & essentialiter, licet secundariò, & quasi in obliquo.

Persona in ratione personæ duo importat.

Suppono III. Quòd persona in ratione personæ duo importet, *vnum*, quòd sit subsistens, *alterum*, quòd sit incommunicabilis. Et quidem ratio subsistentiæ præcipua est in ratione personæ; incommunicabilitas verò est modus quidam intrinsecus per se pertinens ad personam, quo secluso non saluatur ratio personæ. Similiter personalis proprietas in quantum relatio, duo dicit, videlicet *esse in*, & *esse ad*: prout dicit *esse in*, est forma subsistens, & concipitur conceptu absoluto, id est, ad modum cuiusdam formæ, & proprietatis absolutæ; prout verò dicit *esse ad*, concipitur conceptu relatiuo, hoc est, per modum formæ relatiuæ, quæ apta nata est referre Patrem ad Filium.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Personæ diuinæ in esse personali constituuntur per proprietates relatiuas.

CONclusio. Personæ diuinæ in esse personali, cõstituuntur per proprietates relatiuas, tanquam per principium intrinsecum, & formale. Ita Sanctus Thomas citatus in tertia opinione. *Probatur* I quia Scriptura Sacra quoties loquitur de personis diuinis, semper vtitur nominibus relatiuis, v. g. Patris, Filij, & Spiritus Sancti. vt Matthæi vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et 1. Ioannis vlt. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Ergo per hoc censet Scriptura Sacra, personas diuinas distingui, & constitui proprietatibus personalibus.

Probatur II. ex Concilijs. *in primis*, Toletano 11. in confessione fidei, ar.2 vbi dicitur: *Hæc Sancta Trinitas, quæ vnus, & verus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero: in relatione enim personarum numerus cernitur; in diuinitatis verò substantia quid enumeratum sit, non comprehenditur. Hoc ergo solo numerum insinuat, quòd ad inuicem sunt; & in hoc numero carent, quòd in se sint.* Ex quibus verbis eruitur tale argumentum. In diuinis solum numerus cernitur in personis: ergo solum cernitur in eo, quòd personas constituit. Similiter in Concilio Lateran. sub Innocentio III. *cap. firmiter* dicitur: *Hæc Sancta Trinitas secundùm essentiam indiuidua, & secundùm personales proprietates discreta.* Quas proprietates paulò ante expressit his verbis: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres quidem personæ, sed vna essentia.* Ergo iuxta Concilia, personales proprietates, seu relatiuæ, sunt constitutiuum diuinarum personarum. *Consequentia probatur*: quia Concilium non tantùm materialiter enumerat tres personas nominibus relatiuis, sed etiam voluit indicare huiusmodi relationes, esse proprietates personales, quibus Sanctissima Trinitas est discreta, & per cõsequens voluit eas esse constitutiuum personarum.

Probatur III. ex Sanctis Patribus, qui constanter docent, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, idem esse, quòd omnia, excepto eo, quòd Filius non sit Pater, & Spiritus Sanctus nõ sit Filius. Hinc Sanctus Damascenus lib. 1. de fide, cap. 11. dicit: *In solis quidem proprietatibus Paternitatis, filiationis, & processionis, secundùm causam, & causale, & perfectionem personalem, id est, existentiæ modum, differentiam intelligimus.* Ergo iuxta Sanctos Patres, relatiuæ proprietates, sunt intrinsecum constitutiuum personarum diuinarum in esse personali. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Diuinæ personæ constituuntur per proprietates relatiuas conceptu relatiuo apprehensas.

Corollarium I. Diuinæ personæ constituuntur per proprietates relatiuas, non conceptu absoluto, sed relatiuo apprehensas. *Ratio* I. quia relatio, vt relatio, non potest concipi sub ratione præcisè absolutâ, cum hoc repugnet ipsius naturæ, & essentiæ: natura enim, & essentia relationis est, ad aliud se habere. *Ratio* II. quia quidquid concipimus in Deo, vt absolutum, id concipimus, vt commune tribus personis. Sed id, quod constituit personam diuinam in esse personali, non cõcipimus vt commune tribus personis: ergo illud non concipimus conceptu absoluto. *Ratio* III. quia relationes seu proprietates personales, sub eo conceptu constituunt personas, quo eas distinguunt. Sed distinguunt eas conceptu relatiuo, iuxta illud commune axioma: *Omnis distinctio in diuinis oritur ex oppositione relatiuâ.* Ergo etiam cõstituunt eas conceptu relatiuo apprehensæ.

Proprietas personalis aliter constituit personam vt dicit esse in, & aliter vt dicit esse ad.

Corollarium II. In diuinis proprietas, siue relatio personalis, v. g. *paternitas*, secundùm quod dicit *esse in*, constituit personam Patris, prout est persona in se subsistens; eadem verò relatio, prout dicit *esse ad*, constituit eandem personam Patris, vt est persona incommunicabilis. Et quidem sicut ratio incommunicabilitatis, non est præcipua in persona, sed est modus intrinsec⁹ personæ; ita relatio prout dicit *esse ad*, concurrit ad constitutionem personæ minùs principaliter, & tanquàm modus intrinsecus proprietatis, vt constitutiuæ personæ. Prout verò dicit *esse in*, concurrit principaliter tanquàm proprietas constitutiua personæ in ratione subsistentis. *Prima pars corollarij est communis apud omnes Theologos*: quia proprietas personalis vt dicit *esse in*, est proprietas in se subsistens: ergo prout dicit *esse in*, constituit personam subsistentem. *Altera etiam pars corollarij patet*: quia relatio, seu proprietas relatiua, vt dicit *esse ad*, nihil ponit in persona constitutiuâ: ergo vt sic non constituit

stituit illam subsistentem. Quod tamen secundùm istam rationem *esse ad*, constituat personam vt incommunicabilem, est veritas certissima ex hoc fundamento. Diuina persona non est incommunicabilis prout est subsistens, sed quatenùs habet oppositionē cum alijs personis diuinis: ergo proprietas relatiua prout dicit *esse ad*, constituit personam incōmunicabilem. *Antecedens manifestum*: quia persona diuina, v. g *Pater*, non alia ratione est incommunicabilis, nisi quatenùs habet oppositionem ad alias personas: nam seclusâ oppositione relatiuâ in diuinis, omnia sunt communia. Sed proprietas personalis, v. g. paternitas, prout dicit *esse in*, nullam dicit oppositionem ad alias personas, sed solùm prout dicit *esse ad*: ergo secundum istam rationem *esse ad*, constituit personam Patris incommunicabilem.

Corollarium III. Diuinæ personæ, licet vt significātur per istam vocem *Persona*, concipiantur à nobis conceptu absoluto, & tanquam hypostases absolutæ; tamen vt significantur per nomina propria, & particularia, v. g per ista, *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, concipiuntur conceptu relatiuo. *Ratio*: quia ista nomina ex modo significandi importāt relationem; nos autem loquimur de diuinis personis, vt significantur istis nominibus proprijs. *Præterea*, quia paternitas vt dicitur de creaturis, cōcipitur à nobis conceptu relatiuo, & nullo modo absoluto: ergo etiam vt dicitur de Deo. *Consequentia patet*: quia diuina cognoscimus ad modum creaturarum.

In diuinis personis datur aliqua constitutio.

Corollarium IV. In diuinis personis datur aliqua constitutio. *Ratio*: quia diuinæ personæ habent cōmunem essentiam, in qua conueniunt, & oppositas relationes, quibus differunt. Ergo in qualibet persona duo reperiuntur, quorum vnum est illi commune cum cæteris, alterum proprium, & distinctiuum. Sed vbi hæc duo reperiuntur, ibi datur aliqua constitutio: ergo in diuinis personis datur aliqua constitutio. Sic *Pater* v. g. intrinsecè includit duo, videlicet essentiam, & paternitatem, & sic ex illis duobus dicitur intrinsecè constitui; non tamen componi nisi in valde latâ significatione: quia verbum *compono*, in vsu communi vsurpatur, pro re constante pluribus, realiter distinctis, verbum autem *constituo*, non ita strictam distinctionem, sed solùm aliquam, saltem rationis importat.

Constitutio in diuinis non est realis sed virtualis.

Corollarium V. Hæc constitutio in diuinis a parte rei, non est realis, sed virtualis. *Ratio*: quia independenter ab intellectu virtualiter distinguitur relatio, seu proprietas relatiua ab essentia; & ideò ratione huius virtualis distinctionis, potest Pater idem esse cum Filio in essentia; non vero in relatione.

Articvlvs II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem*. Idem non potest constituere seipsum. Sed proprietates relatiuæ in personis diuinis, identificantur realiter cum illis: ergo personæ diuinæ in esse personali, non constituuntur per proprietates relatiuas. *Respondetur distinguendo maiorem*. Idem omni modo identitatis, non potest constituere seipsum, *conceditur*: idem cum distinctione virtuali, & rationis ratiocinatæ, *negatur maior*. Et similiter distinctâ minore, *negatur consequentia*.

Solutio eiusdem.

Duplex itaq; rerum constitutio datur, *vna compositionis*, vti homo physicè constituitur ex corpore, & animâ; metaphysice verò ex genere, & differentiâ. *Altera simplicitatis*, vti est constitutio entis, quod sub ratione veri, boni, ac vnius, per suas proprie-

proprietates, ac modos ab eo realiter indistinctos constituitur. Ad primam igitur constitutionem, requiritur distinctio realis, aut rationis quæ sit per modum excludentis, & exclusi; ad secundam autem sufficit distinctio virtualis, seu rationis ratiocinatæ, per modum expliciti, & impliciti, siue includentis, & inclusi. Vnde cùm isto secundo modo Paternitas v. g. à Patre distinguatur: nam *Pater* explicitè, & cōstitutiuè importat naturam diuinam, quam paternitas implicitè tantùm, & per realem transcendentiam includit; ideò Pater per paternitatem in ratione Personæ constituitur.

Obiectio secunda & solutio eiusdem.

Obijcitur II. *Contra Corollarium V*. Pater non solùm virtualiter, sed etiam realiter distinguitur à Filio per paternitatem, non per essentiam: ergo hinc colligitur constitutio diuinarum personarū non solùm esse virtualis, sed etiam realis. *Respondetur*, concedendo, esse realem virtualiter: distinctio enim & constitutio virtualis, est æquiualenter realis, quatenùs independenter ab intellectu æquiualet realiter prædicatis cōtradictorijs. Vnde verum est, realiter non distingui Patrem in essentia; distingui autem in paternitate ei identificatâ; inter ipsam tamen essentiam, & paternitatem, ante operationem intellectus, non datur distinctio actualis ex natura rei, vt vult Scotus, sed per operationem intellectus fit actualis cum fundamento in re: nam vbi datur virtualis distinctio, ibi etiā potest dari actualis fundata in virtuali: quia ex eo, quòd aliqua duo distinguantur inter se virtualiter, potest intellectus varios conceptus de illis formare, quod est distingui per intellectum. Sicut ergo diuina natura non est radix attributorum realiter formaliter, sed solùm realiter virtualiter, & formaliter per rationem; ita constitutio diuinarū personarum, non est realis formalis, sed realis virtualis, & formalis per rationem.

Tandem *ad fundamentum I. opinionis respondetur*, rem simplicissimam eo sensu, quo simplicissima est, non admittere compositionem: proinde & persona diuina cùm sit actu simplicissima, ex natura rei non admittit actualem compositionem; potest tamen admittere virtualem ex natura rei, vel actualem rationis: quia eo sensu non est simplicissima. *Ad secundum fundamentum dicitur*, simplicia eo modo, quo simplicia sunt, distingui se totis. At verò personæ diuinæ licet actu simplices sint ex natura rei; non tamen virtute, aut per operationem intellectûs.

QVÆSTIO IV.

An in diuinis sint tres personæ realiter distinctæ.

Occasio quæstionis.

OCcasionē tractandæ huius quæstionis præbuit error Sabellianorum, Praxeanorum, & Hermogenianorum, qui vnam tantùm personam in diuinis admittebant, quæ propter diuersos effectus diuersa sortiretur nomina, vocareturq; Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. *Pater*, inquam, quatenùs est Author omnium creaturarum: *Filius*, quatenùs assumpsit humanam naturam ex Virgine: *Spiritus Sanctus*, quatenùs sanctificat nos per suam gratiam. Atq; ex hoc errore sequebatur, Patrem esse passum: si enim vna tantum est Persona in diuinis, quæ dicitur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, dubio procul, si illa persona, nata, passa, & mortua est, necessariò sequitur, Patrem esse natum, passum, & mortuum. Hinc S. Thomas q. 30. duobus primis articulis, plures in Deo personas, quàm vnam concludit.

Suppono itaq; de fide esse, quòd in Deo sint plures Personæ realiter à se

In Deo datur pluralitas Personarum.

â se inuicem distinctæ: nam in varijs locis Sacræ Scripturæ frequenter mentio fit plurium personarum diuinarum, vt Genes. 1. vbi Deus dicit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Qui sermo fit in plurali numero, ordinaturque ad personas distinctas ab ipso loquente, quæ simul cum ipso ad creationem hominis operarentur. Non possunt autem aliæ personæ, quæ loco citato colloquuntur, nisi diuinæ intelligi, cùm ibi agatur de creatione, quæ solius Dei propria est. Quemadmodùm docent S. Hilarius lib. 5. de Trinit. cap. 6. & alij plures.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

In Deo tres tantùm personæ reperiuntur.

CONclusio. Personæ in diuinis nec sunt plures, nec pauciores, sed tantùm tres. *Probatur I.* ex veteri testamento. Genes. 18. *Apparuerunt ei tres viri stantes.* Et Psal. 66. *Benedicat nos Deus, Deus, noster benedicat nos Deus.* Super quem locum omnes viri docti adnotant, ideò tantùm secundo loco iungi pronomen istud *noster*, quia sola secunda persona futura erat nostra per assumptionem naturæ humanæ. Similiter Isaiæ 6. dicitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* vbi ter repetitur nomen istud *Sanctus*, propter Trinitatem personarum; semel verò *Dominus Deus*, propter vnitatem essentiæ. *Deinde*, ex nouo testamento. Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Quem locum S. Athanasius oratione contra gregales Sabellij potenter vrget: *Cùm* inquit, *Christus de se loquitur, dicit (ego) cùm de Patre, dicit (ille) cùm de Spiritu sancto, dicit (alium) nonne igitur manifesta pertinacia est, negare tres.* Item super illa verba S. Ioannis in epistola 1. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. & hi tres vnum sunt.* cap. 5. ita discurrit: *Tres sunt* inquit, *non dij, qui plures esse non possunt: non Angeli, aut aliæ creaturæ, quia ibi loquitur Apostolus de Deo, seu de ipsius Dei testimonio, vt patebit legenti ex verbis sequentibus, ergo verba hæc de tribus personis intelligi debent.* Tandem, Matth. 28. expresè hæc veritas habetur, vbi Christus baptizari homines præcipit in nomine trium personarum. *Baptizantes* inquit, *omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ergo iuxta Scripturam Sacram, nec plures, nec pauciores sunt in diuinis, sed tantùm tres.

Probatio secunda.

Probatur II. Ex Concilio Lateran sub Innocentio III. in decreto fidei cap. 1. vbi dicitur: *Firmiter credimus, & simpliciter cõfitemur, quòd vnus solus est verus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem Personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura omninò simplex.* vbi citatum Concilium, tres tantùm istas personas in diuinis admittit. Et cap. *damnamus* de summa Trinit. & fide Cathol. dicit: *In Deo solummodò Trinitas est, non quaternitas.* Ergo iuxta Conciliũ tres tantùm Personæ in Diuinis sunt.

Probatio tertia.

Probatur III. ex Sanctis Patribus. *In primis* Sanctus Ambrosius lib. 2. de fide ad Gratianum cap 4. explicans trisagium ex Isaia cap. 6. dicit: *Quid sibi vult* inquit, *sub vno nomine trina sanctitatis repetitio, &c. non dixit semel, ne Filium sequestraret: non bis, ne Spiritum Sanctum præteriret: non quater, ne creaturas adiungeret: & vt ostenderet, vnam esse Trinitatis Deitatem, (cùm tertiò dixisset, Sanctus, Sanctus, Sanctus) addidit singulariter Dominus Deus sabaoth.* Deinde, S. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 4. *Omnes* inquit, *quos legere potui, qui ante me de Trinitate scripserunt, hoc intenderunt secundùm scripturas dicere, quòd Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vnius eiusdemq; substantiæ, inseparabili æqualitate diuinam insinuent vnitatem.* Ergo solùm tres istas personas, Patrem,

trem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Sancti Patres agnoscunt.

Probatio quarta.

Probatur IV. *ratione.* In Deo solùm est vna persona improducta, & duæ productæ: ergo nec plures, nec pauciores, nisi tres. *Antecedens quoad I. probatur.* Quia distinctio personalis in diuinis, solùm est secundùm relationes originis. Sed inter personas improductas non potest intercedere relatio originis, quoniam vna ab altera non procederet, alias non essent improductæ: ergo in Deo non est nisi vna persona improducta. *Probatur deinde quoad II.* Processio in diuinis est secundùm actionem immanentem. Sed actiones immanentes solùm sunt duæ, nimirum *intelligere*, & *velle*: ergo diuinæ processiones duæ tantùm sunt, vna per intellectum, altera per voluntatem: & consequenter Personæ terminantes eiusmodi processiones, duæ tantùm sunt, scilicet Verbum procedens per intellectum, & Amor productus per voluntatem. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Personæ Diuinæ sunt realiter inter se distinctæ.

Corollarium I. Tres Personæ Diuinæ, sunt realiter inter se distinctæ. *Probatur* I. Pater est alius à Filio, & Filius est alius à Spiritu Sancto, vt habetur Ioan. 14. v. 16. ergo inter istas Personas est realis distinctio. Quare autem Pater dicatur alius, & Filius alius, & Spiritus Sanctus alius; non verò *aliud* Pater, aliud Spiritus Sanctus. *Ratio hæc est*: quia *aliud*, significat distinctionem in essentia; *alius* verò in Persona, vt docet Sanctus Augustinus lib. de fide ad Petrum, cap. 1. vbi dicit: *Vna est Patris, & Filij, & Spiritus Sancti essentia, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus.*

Probatur II. Qui accipit esse ab alio, realiter ab eo distinguitur, cùm nemo possit producere se ipsum. Sed Filius accipit esse à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque: quia Filius à Patre producitur; Spiritus verò Sanctus à Patre, & Filio, iuxta illud Ioan 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* & cap. 15. *Mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Ergo Filius accipit esse à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque, & consequenter distinguuntur realiter.

Tres Personæ Diuinæ sunt Deus.

Corollarium II. Tres Personæ Diuinæ sunt Deus. Hoc corollarium de Patre nemo negat etiam ex Hæreticis: proinde de solo Filio, & Spiritu Sancto controuersia est. Nam Filium Arriani negant esse Deum; Spiritũ verò Sanctum Macedoniani; ideò quoad Filium, *Probatur* I. quia Christus in vtroq; testamento vocatur Deus, vt Isaiæ 35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.* Ad Rom. 9. *Ex quibus Christus est secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* *Secundò*, quia est eiusdem essentiæ cum Patre, Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* *Tertiò*, quia est Patri coæternus. Ioan. 1. *In principio erat Verbum.* *Quartò*, quia est Filius Dei naturalis, & per hoc verus Deus. Ioan. 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Quantum verò ad Spiritum Sanctum, *Probatur* I. quia in Scripturis Sacris expresè vocatur Deus, Actor. 5. *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto non es mentitus hominibus, sed Deo.* *Secundò*, quia Spiritus Sanctus in veteri testamento locut' est per Prophetas 2. Petri 1. *Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines.* Iam verò qui in veteri testamento locutus est per Prophetas, Deus est, iuxta illud ad Hebr. 1. *Multifariam, multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* *Tertiò*, quia Spiritus Sanct' replet omnia, quod est proprium Dei, Sapien. 1.

Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Ergo tres Personæ diuinæ sunt Deus.

Tres Personæ diuinæ sunt vnus Deus.

Corollarium III. Tres Personæ in diuinis sunt vnus Deus. *Probatur*: quia verus Deus nō est nisi vnus numero, iuxta illud Deutor. 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus vnus est.* Et cap. 32. *Videte, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Et 1. ad Corint. 8. *Scimus, quòd nullus est Deus, nisi vnus.* Sed Pater est verꝰ Deus, vt omnes tam Iudæi, quàm Hæretici consentiunt; Filius pariter est verus Deus, & Spiritus Sanctus est verus Deus, vt in superiori corollario probatum est. Ergo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, sunt vnus numero Deus.

Personæ diuinæ sunt & vna res & tres res.

Corollarium IV. Tres Personæ diuinæ possunt dici & vna res, & tres res, diuerso respectu. Si enim res sumatur pro absoluto, tunc tres personæ diuinæ sunt vna res, vt definitum habetur in Concilio Loteran: *cap. damnamus de summa Trinitate, & fide Catholica*, vbi dicitur: *Pater, & Filius habent eandem substantiam, & sic eadem res est Pater, & Filius, nec non Spiritus Sanctus.* Si verò res sumatur pro relatiuo, tunc tres personæ diuinæ sunt tres res, vt docet Sanctus Augustinus de doctrina Christianâ cap. 5. *Res inquit, quibus fruendum est, sunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Et hoc indicare voluit S. Thomas, qui paulò inferiùs q. 39. ar. 3. ad 3. dicit: *Hoc nomen res, est de transcendentibus. Vnde secundùm quod pertinet ad relationem, pluraliter prædicatur in diuinis. Secundùm quod verò pertinet ad substantiam, singulariter prædicatur.*

Tres Personæ diuinæ nō possunt dici tria indiuidua naturæ diuinæ.

Corollarium V. Tres Personæ diuinæ nullo modo dici possunt, tria indiuidua naturæ diuinæ. *Ratio*. quia diuideretur natura diuina in illis, & sic dicerentur tres dij; & tres essentiæ; sicut enim dicitur Abraham, Isaac, & Iacob, tria indiuidua; ita tres homines. Vnde inter personam, & indiuiduum, hoc est discrimen, quia vt docet Sanctus Thomas q. 30. art. 1. ad 4. Persona habet pro significato materiali naturam, & pro significato formali personalitatem; indiuiduum verò substantiæ in concreto, è contra pro significato materiali habet personalitatem, & pro formali naturam singularem. Ergo cùm in Deo multiplicetur personalitas; non autem natura, licet in eo sint plures personæ, non erunt in Deo plura indiuidua naturæ diuinæ; quia ad multiplicationem nominis substantiui concreti, requiritur multiplicatio significati formalis. Vnde, quando dicimus, tres personas diuinas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, admittimus in Deo numerum, non illum de prædicamento quantitatis, qui significat multitudinem coalescentem ex vnitatibus quantitatiuis, cùm in Deo non sit quantitas; sed numerum prout significat aliquid transcendens, & omnibus rebus cōmune, seu quod potest inueniri in omnibus rebus, tam corporalibus, quàm spiritualibus. Quando ergo dicimus dari in Deo tres personas, iste terminus numeralis *tres*, nihil aliud dicit positiuum, quàm ipsas entitates personales, quibus tribuitur, & de quibus dicitur: quia vnū transcendens dicit ipsam entitatem: proinde solam addit negationem diuisionis in se, & identitatis cum quocunque alio. Vnde cùm dicitur vna natura diuina, terminus iste *vna*, non dicit aliquid positiuum præter ipsam naturam, sed dicit negationem, quâ natura diuina in se est indiuisa, & distincta à qualibet alia re. Similiter cùm dicuntur tres personæ, terminus iste *tres*, non addit aliquid positiuum præter ipsas entitates personarum, sed solùm addit negationem, quâ vnaquæq; persona

persona est in se indiuisa, & distincta à duabus alijs.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. Generatio in rebus creatis ex fœcunditate naturæ procedit: ergo similiter in Deo præter duas processiones, quarum vna est per intellectum, altera per voluntatem, admitti debet tertia ex naturæ fœcunditate proueniens, & consequenter plures personæ, quam tres.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando absolutè antecedens: generatio enim in rebus creatis, non procedit immediatè à natura, sed mediante potentia negatiuâ. Et sic etiam in Deo, nulla datur processio, quæ sit immediatè à natura, vt præintellectâ intellectui, & voluntati. Cùm ergo in diuinis generatio sit immediatè ab intellectu, qui vt est in Patre, habet rationem Potentiæ generatiuæ: & spiratio actiua sit à voluntate, quæ vt est in Patre, & Filio, habet rationem potentiæ spiratiuæ; ideò generatio, & spiratio in diuinis, non procedit ex fœcunditate naturæ præcisè.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. In Deo quatuor sunt relationes, nimirùm Paternitas, Filiatio, Spiratio, & processio: ergo etiam sunt quatuor personæ. *Consequentia patet*: quia diuinæ personæ constituuntur, & distinguuntur relationibus.

Solutio eiusdem.

Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia. Ratio inconsequentiæ desumitur ex Sancto Thoma 1. p. q. 30. ar. 2. ad 1. & q. 9. de potentia ar. 9. ad 27. vbi dicit: *Licet sint quatuor relationes in diuinis, vna tamen earum, scilicet spiratio, non est proprietas personalis, neq; constituit personam, & ideò non sunt in Deo nisi tres personæ.*

QVÆSTIO V.

Vtrum Sanctissima Trinitas sit in diuinis.

QVia Iudæi post prædicatū Christi Euangelium, negauerunt Trinitatem esse in diuinis, contra quos sic ait generalis Synodus Nicena prima: *Diuinitas inquit, non est vna persona, vt Iudæi opinantur, sed tres personæ verè subsistentes, non solo nomine, & hoc pluribus testimonijs in nouo, & in veteri testamento prædicatur.* Ideò Sanctus Thomas hanc materiam pertractat 1. p. q. 31. explicans quosdam modos loquendi.

Suppono itaque I. in materia de Trinitate vitandos esse terminos, aut propositiones, quibus designatur naturæ distinctio, vel pluralitas. Vitandos item esse terminos, aut propositiones, quibus significatur, vnicum in diuinis esse suppositum, eò quòd in Deo, cum perfecta naturæ vnitate, sit distinctio, & multiplicatio personarum. E contrario verò illæ propositiones concedendæ sunt, quibus huiusmodi pluralitas aptè significari potest.

Termini in mysterio Trinitatis qui & quomodo vitandi.

Suppono II. Quando propositio, vel terminus, in materia Trinitatis sunt ambigua, tunc ibi fugienda sunt, vbi potest esse erroris periculum. Hinc vt notat Durandus in 1. dist. 9. q. 1. quædam nomina olim non fuerunt recepta à Sanctis Patribus, dùm fieret sermo de Trinitatis mysterio, non propter repugnantiam significationis ipsorum nominum, sed quia propter malitiam Hæreticorum, poterant offerre occasionem errandi. Sic D. Hilarius, vt refert Sanctus Thomas citata q. ar. 2. negabat Deum esse singularem, aut vnicum, propter errorem Sabellij confundentis Diuinas personas, & per vnicum Deum intelligentis incommunicabilitatem diuinæ naturæ. Cæterùm quando nullum subest periculum erroris, huiusmodi terminis, & propositionibus, saltem cum explicatione vti possumus.

mus. Sic quia iam errores Sabellij, & aliorum Hæreticorum ab Ecclesia extirpati sunt, ideò liberè, & absq; distinctione, asserimus Deum esse singularissimum, & vnicum: quia istis vocibus non negatur pluralitas personarum, sed Deitatis vnitas exprimitur.

Suppono III. In vsu nominum, vel propositionum, in materia Trinitatis, recurrendum esse ad communem vsum, & significationem: neq; semper posse haberi rationem rigoris Logici, hoc est, quomodò in logico rigore termini, aut propositiones accipi deberent. Hinc frequenter non secundùm rigorem philosophicum, sed iuxta communem vsum propositiones in hac materia, negandæ, aut explicandæ sunt.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Datur in Diuinis Sanctissima Trinitas.

CONclusio Datur in Diuinis Sanctissima Trinitas. *Probatur:* quia in Deo sunt tres personæ, vt supra ostensum est, patetque ex illo Genes. I. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Et postea: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Ex quibus verbis SS Patres colligunt mysterium Trinitatis: Sanctus Augustinus de Genesi ad literam, cap. I. Origenes & Rupertus explicantes iij, *in principio*, id est, in Filio; per Spiritum autem Domini, tertiam Personam designari asserentes. Eandem veritatem determinauit Concilium Lateran. cap. *damnamus de summa Trinitate, & fide Cathol.* vbi dicitur: *In Deo Trinitas est, non quaternitas.* Tandem Sanctus Athanasius in symbolo dicit: *Trinitas in vnitate & vnitas in Trinitate veneranda sit.* Ergo in diuinis Sanctissima Trinitas datur. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Rectè in abstracto, & verè dici potest, non solùm in Deo esse gloriosissimam Trinitatem Personarum, sed etiam Deum esse ipsam Trinitatem adorandam, id est, entitates Personarum, quibus conuenit vt sint tres. *Ratio:* quia termini numerales transcendentes de formali significant entitates ipsas, quarum singulæ in se indiuisæ, diuisæ verò à quauis alia denominantur vnum; Deus autem est entitates ipsæ Personarum: ergo verè dici potest, Deum esse ipsam Trinitatem.

Verè dici potest Deum esse ipsam Trinitatem.

Corollarium II. Non potest dici Trinitas est trina. *Ratio:* quia cùm tale prædicatum significet, ipsam Trinitatem multiplicari, & ter in se reduci; ideò per huiusmodi propositionē significaretur nouem in Deo esse supposita, quod apertè falsum est. Hinc etiam patet, Deum Trinum, non triplicem esse appellandum. Ita definitum habetur in Concilio Toletano II. in confessione fidei, vbi dicitur: *Deus non triplex, sed Trinitas & dici, & credi debet.* Et *ratio est*: quia ista nomina, *Duplex*, *Triplex &c.* opponuntur simplicitati, & important aliquid compositionis, vel vt vult Sanctus Thomas q 31. art I. I p. inæqualitatem proportionis. Error autem est, ponere in Deo aliquid oppositum simplicitati, vel inducens inæqualitatem. At verò nomen istud *Trinus*, seu *Trinitas*, dicit absolutè numerum trium, sine diminutione simplicitatis, aut additione inæqualitatis, & ideò Deus Trinus, aut Trinitas, non verò triplex appellari debet.

Corollarium III. Licet in Deo non possit dici *aliud*, & *aliud* absolutè, v. g. Patrem esse aliud à Filio: quia particula *aliud*, significat distinctionem naturæ. Similiter non possit dici absolutè: Filius est diuersus à Patre: quia particula *diuersus* sine addito siue posito, etiam designat naturæ diuersitatem, seu discrimen, & distinctionem in forma essentiali, quod inter personas

Quomodo in Diuinis possit dici aliud & aliud.

sonas diuinas non inuenitur. Tamen cum apto addito potest dici dari in Deo *aliud*, & *aliud*; *diuersum*, & *diuersum*, v. g. quòd Pater sit aliud, & diuersum suppositum à Filio. *Ratio*: quia terminus iste, *suppositum*, additus, declarat distinctionem, quæ significatur per nomen *aliud*, aut *diuersum*, non designari in natura, sed in ipsis rationibus personalibus.

Corollarium IV. Dictio exclusiua in Diuinis, scilicet terminus iste *solus*, sumptus categorematicè, seu significatiuè, quatenùs significat solitudinem, seu idem, quòd solitarius, non potest iungi termino essentiali, ita vt dicatur, *Deus est solus*. *Ratio*: quia terminus iste *solus*, categorematicè sumptus, non determinat alterius significationem, sed stat per se, & significat Deum esse solitarium, seu non esse in Deo personarum consortium, & pluralitatem. Si tamen sumatur syncategorematicè, id est, vt denotat modum perinde, vt alia syncategoremata, idque multipliciter, tunc potest iungi termino essentiali, dicendo v. g. *Solus Deus est infinitè sapiens, est omnipotens*, &c. *Ratio*: quia iste terminus ita sumptus, non reddit significatum per se, sed tantùm afficit, & determinat terminum, cui adiungitur. Vnde in tali casu terminus sic sumptus, efficit propositionem exclusiuam: quia præter Deum, nihil est infinitè sapiens, omnipotens, &c. *Tandem* dictio ista *solus*, sumpta categorematicè, vt denotat solitudinem, non potest addi termino personali. *Ratio*: quia excludit consortium reliquarum personarum diuinarum, a Persona cui adiungitur. Vnde ista propositio, *solus Pater est Deus*, si dictio *solus* efficit propositionem exclusiuam ex parte subiecti tantùm, ita vt sensus sit, is cum quo nullus alius est Pater, seu qui ita est Pater, vt nulla

Nomina solitudinem significantia in Trinitate vitanda.

alia Persona sit Pater, est Deus, potest subsistere tanquam vera; inconsueta tamen est, vt docet Sanctus Augustinus 6. de Trinitate, cap. 9. Si verò dictio exclusiua *solus*, excludit alium substantiuè, vt sensus sit, Pater est Deus, & nullus alius, siuè nulla alia res à Patre, est Deus, tunc est propositio falsa: quia Filius est alius à Patre, & tamen est Deus. Quòd si excludat *aliud* substantiuè, hoc est, rem alterius naturæ distinctam essentialiter à Deo, vt sensus sit solus Pater est Deus, & nihil aliud, seu nulla res alterius naturæ, & essentiæ, est Deus, tunc propositio est vera, quod totum explicat Sanctus Thomas citatus ar. 3. & 4.

Corollarium V. In eiusmodi propositionibus dictio exclusiua, non excludit concomitantia subiectum; nomine autem *concomitantium* intelliguntur, quæ in numero non ponuntur cum subiecto propositionis, cuiusmodi sunt omnes partes, omnia superiora, inferiora, accidentia illius in concreto, & si quid est aliud simile. Sic quando dicimus, *solus Socrates scribit*, licet manus non sit Socrates; non sequitur tamen, ergo manus non scribit: quia manus est de concomitantibus. Similiter quando dicitur: *solus Deus creat*, non sequitur, ergo Pater, aut Filius non creat: quia Personæ sunt de numero concomitantium naturam diuinam. Similiter quando dicitur, *sola Sanctissima Trinitas est Deus*, non sequitur: ergo Filius non est Deus, quia Filius non est Sanctissima Trinitas: siquidem Filius non minus est de concomitantibus Sanctissimam Trinitatem; quàm manus sit de concomitantibus Socratem; eò quòd quasi pars quædam gloriosissimæ Trinitatis sit, cum ea non ponens in numero. Vnde sicut hæc consequentia nulla est: *Solus Socrates scribit: ipsius manus non est Socrates:*

crates: ergo manus non scribit, eò quòd dictio exclusiua non excludat concomitantia; ita hæc consequentia nihil valet: *Sola Sanctissima Trinitas est Deus. Sed Filius non est Sanctissima Trinitas: ergo Filius non est Deus.*

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra Conclusionem*. Ex infinitate, diuinæ naturæ, colligimus eam esse vnam, & immultiplicabilem. Sed Persona Diuina vt distincta virtualiter ab essentia, non minùs est infinita: ergo non minùs est vna, & immultiplicabilis: & sic in Diuinis non datur Trinitas Personarum. *Respondetur distinguendo maiorem.* Ex infinitate Diuinæ naturæ simpliciter, colligimus eam esse vnam, *conceditur maior*: ex infinitate in certo quodam genere, *negatur maior*. Similiter *distinguitur minor*, Persona Diuina vt distincta virtualiter ab essentia, nō minùs est infinita simpliciter, *negatur minor*: secundùm propriam rationem relatiuam, *conceditur minor, & negatur consequentia*. Dupliciter enim Persona potest considerari in Deo. I. vt imbibit transcendentaliter ipsam Diuinam essentiam, & hoc modo est infinita simpliciter; quia tamen vt sic non cōsideratur in ratione Personæ; ideò non est inconueniens, quòd in ratione Personæ multiplicetur. II. Potest considerari quatenùs secundùm propriam rationem relationis, distinguitur virtualiter à natura, & hoc modo non exigit infinitatem simpliciter, sed intra propriam rationem; quæ ratio cùm sit relatiua, dicit necessariò exclusionem termini, quem respicit, & sic non petit infinitatem simpliciter, sed solùm in propria ratione, v. g. Paternitas in ratione paternitatis, proinde non excludit quamcunq; aliam Personam, sed tantùm alium Patrem.

Solutio eiusdem.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. Concilium Toletanum II. non admittit in Deo Trinitatem: ergo Trinitas in Diuinis non datur. *Antecedens patet*: quia Concilium sic loquitur: *Nec rectè dici potest, vt in vno Deo sit Trinitas.* Respondetur, *negando antecedens*: nam Concilium in citatis verbis, non negat nostram conclusionem in sensu communi acceptam, sed in alio minus obuio. Proinde solum negat in Deo esse naturarum Trinitatem, quod est verissimum; non autem Trinitatem Personarum, cùm mox subiungat: *sed vnus Deus Trinitas.* Vel certè hac loquendi forma voluit Concilium significare, Trinitatem nō esse quidpiam in re distinctum à Deitate.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO VI.

An mysterium Sanctissimæ Trinitatis possit naturali lumine cognosci.

Opinio prima & eius fundamenta.

IN hac quæstione duæ sunt opiniones. *Prima* affirmat posse naturaliter cognosci mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Huius opinionis Authores refert Durandus in 1. dist. 2. q. 4. *Fundamentum istius opinionis I. est hoc*: quia potest naturaliter demonstrari Sanctissimam Trinitatem, aut pluralitatem Personarum esse in Deo, sic argumentando. Omnis operatio terminatur ad aliquid productum. Sed in Deo intelligere, & velle, sunt operationes immanentes: ergo terminantur ad aliquid productum, videlicet intelligere ad Verbum, & velle ad amorem: ergo in Deo datur Persona producens, & Personæ productæ, scilicet Verbum, seu Filius, & Amor, seu Spiritus Sanctus.

Fundamentum II. Quidquid perfectionis cernitur in rebus creatis, id totum Deo seclusâ imperfectione tribui debet. Sed naturam reperiri in multis suppositis, est perfectio in rebus creatis, licet diuidi,

diuidi, & multiplicari in eis, sit imperfectio; ergo primum Deo tribui debet, secluso secundo.

Fundamentum III. Naturali lumine cognoscitur, humanum animum esse totum simul in pluribus partibus corporis, inter se realiter distinctis. Angelum simul esse totum in pluribus partibus loci: ergo eodem naturali lumine potest cognosci, eandem naturam, ac essentiam diuinam, esse simul totam in pluribus suppositis diuinis, re inter se distinctis.

Fundamentum IV. Euidenter possumus ostendere mysterium Sanctissimæ Trinitatis, nō esse de numero earum rerum, quæ esse nequeunt, ac proinde Deo non repugnare, vt sit trinus in Personis. Sed euidens est id omne reale, quod Deo ad intra potest conuenire, semper, necessarioq; eum habere: quia vt docet Aristoteles 3. Physic. tex. 32. *in Deo, rebusq; æternis, idem est esse, & posse.* Ergo naturaliter est euidens, Deum esse trinum in Personis.

Fundamentum V. In homine est imago Sanctissimæ Trinitatis, iuxta illud Genes. 2. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Sed per imaginem naturaliter cognoscitur id, cuius est imago: ergo naturaliter possumus inuestigare, & cognoscere mysterium Sanctissimæ Trinitatis. *Præterea*, quia multi ex antiquis Philosophis mysterium altissimæ Trinitatis naturaliter cognouerūt: nam teste S. Augustino 10. de Ciuit. Dei, cap. 23. Plotinus Platonicus, & Porphyrius, de Patre, ac Filio locuti sunt. Item Trismegistus multa de mysterio venerandæ Trinitatis docuit, vt refert citatus Augustinus, & Eugubinus de perenni Philosophia. Item Bessarius Patriarcha Constantinopolitanus lib. 2. aduersùs calumniatorem Platonis cap. 4. & D. Cyrillus lib. 1. aduersùs Iulianum affirmant, Platonem mysterium altissimæ Trinitatis cognouisse. Idem docet Sanctus Augustinus de vera religione cap. 4.

Opinio secunda.

Altera opinio constanter affirmat, impossibile esse ratione naturali mysterium Sanctissimæ Trinitatis inuestigare. Hanc tenet communis Theologorum sententia cum Magistro sententiarum in 1. dist. 2. & S. Thomas ibid dist. 3. q. 1. ar. 4. & 1. p. q. 23. ar. 1.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Mysterium Trinitatis naturaliter cognosci non potest.

COnclusio. Lumine naturali impossibile est deuenire in cognitionem mysterij Sanctissimæ Trinitatis, illudq; demonstrare seclusâ omni reuelatione. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, Matth. 11. *Nemo nouit Filium nisi Pater; neq; Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Et cap. 16. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus.* Et 1. ad Corint. 2. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius sæculi, neq; Principum huius sæculi, quam nemo Principum huius sæculi cognouit.* Vbi loquitur Apostolus de mysterio Incarnationis, quod Sanctissimæ Trinitatis mysterium includit, ac supponit: ergo impossibile est ratione naturali mysterium Sanctissimæ Trinitatis inuestigare.

Probatur II. authoritate Sanctorum Patrum. *In primis* Sanctus Hilarius lib. 1. de Trinit. sic loquitur: *Non putet homo suâ intelligentiâ se consequi posse mysterium diuinæ generationis.* Et Sanctus Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 5. de hoc mysterio ita loquitur: *Priùs* inquit, *credere debemus, quàm intelligere.* Hinc Gregorius 11. Summus Pontifex, opinionem Raymundi Lullij, asserentis omnes articulos fidei, proinde & Sanctissimæ Trinitatis mysteri-

myſterium, probari poſſe per rationes neceſſarias, demōſtratiuas, & euidentes, tanquam Hæreticam damnauit, vt refert Nic. Emericus in decretorio Inquiſitorū p. 2. q. 9. ar. 96. Ergo lumine naturali myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis cognoſci non poteſt.

Probatur III. *ratione* Omnis cognitio naturalis, quam de Deo habemus, aut habere poſſumus, ducitur ſolùm ex creaturis à poſteriori, & per effectus, ſed nullus eſt effectus, qui referat nobis Deum vnum in eſſentia, & trinum in Perſonis: quoniam omnia opera Dei ad extra ſunt communia tribus Perſonis diuinis, & omninò indiuiſa, neq; Deus ad extra operatur vt trinus, ſed quatenùs vnus. Ergo Dei opera ad extra, nos ad trium Perſonarum diuinarum notitiam perducere nequeunt, neque vlla ratio ex illis peti poteſt, quæ Deum eſſe vnum, & ſimul trinum in Perſonis demonſtret. Ex hac Concluſione deducuntur corollaria.

Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis eſt ſupra rationē naturalē.

Corollarium I. Myſteriū Sanctiſſimæ Trinitatis eſt ſupra rationem naturalem. *Ratio*: quia omnis naturalis cognitio, quâ Deum in hac vita cognoſcimus, originem trahit à cognitione rerum creaturum vt patet ex Ariſtotele, qui frequenter docet, omnem cognitionem noſtri intellectus ortum habere à ſenſu. Quod ipſum docet S. Paulus Rom. 1. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi. per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, & tali modo etiam Angelus naturaliter Deum cognoſcit. Sed res creatæ nō emanant à Deo, quatenùs eſt trinus in Perſonis, ſed quatenùs eſt vnus in eſſentia: ergo res creatæ nō oſtendunt nobis pluralitatem Perſonarum, ſed vnitatem eſſentiæ, & ea, quæ ad vnitatem ſpectāt ac proinde nulla eſt ratio à ſolo lumine naturali ducta, quæ ſaltem probabiliter myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis ſuadeat. Sicut ergo à natiuitate cæcus per odorem roſæ, in notitiam eius pulchritudinis deuenire non poteſt, eò quòd odor non à colore, & figura roſæ, in quibus pulchritudo eſt poſita, ſed à ſubſtantia emanat; ita homo, aut Angelus ex notitia rerum creatarum, nequit deuenire in notitiam altiſſimæ Trinitatis, ſed ſolius eſſentiæ: quia res creatæ à Deo, non vt eſt trinus in Perſonis, ſed vt eſt vnus in eſſentia, proficiſcuntur.

Myſterium SS. Trinitatis nō repugnat vlli veritati naturali.

Corollarium II. Non eſt contra naturam, ſeu veritatem aliquam naturalem, tres Perſonas eſſe vnius eſſentiæ. *Ratio*: quia hoc nec mediatè, nec immediatè implicat contradictionem. *Non immediatè*: quia hæc non eſt contradictio: *Tres Perſonæ ſunt vnius eſſentiæ*. Non etiam *mediatè*, quia inde non poteſt deduci aliqua contradictio *Tandem*, quia verum vero nō repugnat. ſed myſterium Trinitatis eſt verum: ergo non repugnat vlli veritati naturali, & conſequenter non eſt contra naturam, ſeu veritatem naturalem.

Corollarium III. Solo lumine naturali non poſſumus demonſtrare, myſterium Trinitatis eſſe rem poſſibilem. *Ratio*: quia creaturæ, per quas naturaliter poſſumus Deum cognoſcere, potiùs nos ducunt in cognitionem contrarij nimirùm Deum non eſſe trinum in Perſonis, & vnum in eſſentia: tota enim vniuerſitas rerum clamat, vnam eſſentiam vnius tantùm rei eſſe.

Dupliciter peccat, qui myſterium Trinitatis rationibus naturalibus perſuadet.

Corollarium IV. Fidem Catholicam quoad myſterium Trinitatis, nec poſſumus, nec debemus rationibus naturâlibus perſuadere. *Ratio*: quia vt docet S. Thomas q. 32 ar. 1. qui vellet ad perſuadendum hoc myſterium rationes naturales adhibere, dupliciter peccaret: *Primò*, quia faceret iniuriam noſtræ fidei, quæ verſatur circa res ſupernaturales, quæ captum intellectus noſtri ſuperant, vt docet S. Paulus Hebr. 11. vbi fidem veram ita definit; *Fides eſt ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Secundò, quia impedimento eſſet infidelibus, ne conuerterentur, ludibrioque, ac irriſioni exponeret fidem Sanctam, cum facilè homines arbitrarentur, nos adeò debilibus fundamentis duci ad aſſentiendum tanto myſterio, & daret Philoſophis occaſionem errandi: quia putarent noſtram religionem, non habere alia fundamenta, præter rationes naturales.

Corollarium V. Suppoſitâ tamen reuelatione de myſterio Trinitatis, poſſumus illud illuſtrare varijs exemplis, & ſimilitudinibus, quæ ad infirmitatem ingenij humani ſint accommodata. *Ratio*: quia ita fecerunt antiqui Patres, cùm dicerent, Trinitatem eſſe ſimilem ſoli, luci, & ſplendori: aut tribus coloribus in iride, quorum idem lumen eſt: aut arbori, in qua truncus, rami, & radix differunt; & tamen eandem habent naturam: aut triangulo, in quo ſunt tres anguli, & vna tantùm figura.

Myſterium SS Trinitatis ad quid nobis reuelatū.

Quòd ſi quæſieris, quorsùm ergo Deus nobis reuelauit hoc myſterium Trinitatis, quod tàm difficilè eſt ad credendum? quorsùm illud non abſcondit, quouſq; nos in claram ſui viſionem perduceret? Multas iſtius rei allegat rationes D. Thomas 1. contra Gent. cap. 5. *Præcipua tamen hæc eſt*, Deum id feciſſe propter myſterium Incarnationis. quod Trinitatis myſterium ſupponit, & quod aduenienteChriſto, tantoperē hominibus reuelari expediebat, ad gratitudinem, & amorem in Deum excitandum, ad ſpem noſtram erigendam, ſegnitiem & torporem in Dei famulatu excutiendum, & veſtigia Filij Dei carnis facti, cruciq; pro nobis affixi ſequendum, ac pleraq; alia emolumenta, quæ ex notitia Incarnationis, aduentûſq; Filij Dei, in humanum genus extiterunt. Vnde quò clarior fieret mundo, eò aptior fuit notitia Myſterij Sanctiſſimæ Trinitatis. Et quemadmodùm ante Chriſti aduentum, ſolis Prophetis, inſignibuſq; Patribus, tam legis naturæ, quàm ſcriptæ, explicitè erat traditum myſterium Incarnationis; cæteris verò implicitè, vt prophetia tanti myſterij explicitam vniuerſis illius promulgationem antecederet, quò facilius ſuſciperetur, corroborarenturq; magis homines in fide; ita pariter poſt aduentum Chriſti, reuelatio myſterij gloriſiſſimæ Trinitatis; quemadmodùm & incarnationis explicitè promulgari cæpit.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem*. Communicatio naturæ diuinæ ad intra, poteſt naturali ratione euidenter oſtendi. Sed hac cognitâ myſtarium Trinitatis cognoſcitur: ergo myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis poteſt lumine naturali cognoſci, & demōſtrari. *Maior probatur*: quia cùm natura boni ſit, ſui ipſius eſſe diffuſiuum, & lumine naturali notum ſit, omne bonum poſſe communicare, & diffundere ſe iuxta ipſius naturam, naturali ratione cognoſcitur, bonum finitum poſſe finitè communicari, & bonum infinitum, vti eſt natura diuina, poſſe communicari infinitè. Sed ſolam communicationem naturæ diuinæ ad intra eſſe infinitam ſimpliciter, etiam lumine naturali manifeſtum eſt: ergo poteſt naturali ratione euidenter oſtendi communicatio naturæ diuinæ ad intra.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando maiorem. Eius probationis diſtinguitur itidem maior. Naturali ratione cognoſcitur, bonum infinitum poſſe communicari infinitè, ex parte modi communicandi, *conceditur maior*. ex parte rei communicatæ, *negatur*: & ſimiliter

ter diſtinctâ minore, *negatur conſequentia*. Licet enim communicatio Diuinæ bonitatis ad extra, non ſit infinita ex parte rei communicatæ; eſt tamen infinita ex parte modi, quo Deus ſe communicat ad extra, educendo res de nihilo, ad quod requiritur virtus infinita; ideò ſolùm iſta communicationis infinitas, vt poſſibilis poteſt lumine naturali demonſtrari; non autem poſſibilitas communicationis infinitæ ex parte rei communicatæ.

Inſtantia & eius ſolutio.

Inſtabis. Non minùs eſt conformis bono infinito, communicatio infinita ex parte rei communicatæ; quàm bono finito communicatio finita ex parte quoq; rei communicatæ. Sed communicatio finita, quia eſt bono finito conformis, poteſt de illo per rationem naturalem demonſtrari: ergo etiam communicatio infinita, ex parte rei communicatæ, poteſt de bono infinito naturaliter demonſtrari. *Reſpondetur diſtinguendo maiorem*. Non minùs eſt conformis in re ipſa, *conceditur maior*: quoad nos, *negatur maior*: & ſic conceſſa minore, *negatur conſequentia*. Nam vim communicandi conuenientem bono creato, noſtris viribus cognoſcimus, eò quòd ſit proportionata viribus noſtri intellectus; at vero virtutem, quam Deus habet communicandi ſe ad intra, non poſſumus proprijs viribus apprehendere, cùm nobis non ſuppetant iſtius cognitionis principia, ſolâ ratione naturali conſultâ. Vnde licet in re ita ſit conformis Diuinæ naturæ communicatio; ſicut bono creato eſt conformis finita cõmunicatio; nihilominùs iſta poteſt à bonis viribus naturæ cognoſci, illa verò minimè.

Obiectio III. & ſolutio eiuſdē

Obijcitur III. *Contra Corollarium III.* S. Thomas 1. p. q. 32. ar. 1. docet, nos poſſe defendere, quòd myſterium Trinitatis non ſit impoſſibile: ergo poſſumus naturaliter cognoſcere, quòd ſit poſſibile. *Ratio conſequentiæ*: quia poſſibile, & non impoſſibile, idem ſunt. *Reſpondetur*, S. Thomam hoc ſolum velle, quòd ſuppoſitâ reuelatione fidei, poſſimus defendere, myſteriũ Trinitatis non eſſe impoſſibile, quod veriſſimum eſt; non autem quòd ſecluſa omni reuelatione poſſimus cognoſcere, myſterium hoc eſſe poſſibile.

Reſpondetur inſuper ad argumenta primæ opinionis.

Reſponſio ad fundamenta primæ opinionis.

AD I. Dicitur, *negando maiorem*: hæc enim ſolùm verificatur de actione, quæ realiter eſt diſtincta ab agente, cùm omninò exigat aliquem terminum. At vero intelligere, & velle diuinum, eſt idem omninò cum operante, ſcilicet cum Deo, neq; eſt quid productum, aut comproductum, & ideò non ſequitur, quòd talis actio terminetur ad aliquid productum; nam intelligere, & velle in diuinis, non minùs ſunt operationes Filij, & Spiritus Sancti, quàm Patris; & tamen Filius ac Spiritus ſanctus, per intelligere, & velle, nihil producunt. Inſuper, intelligere in Patre, non eſt ipſamet productio Filij actiua, ſed eſt dicere, hoc eſt, intelligendo producere, eſſe productionem actiuam Filij, quod nihil aliud eſt, niſi habitudo Patris ad Filiũ, tanquam eius, à quo Filius per intellectum, ſupponens intellectionem eſſentialem, eamque quodammodò includens.

Ad II. *Dicitur*, naturaliter cognoſci non poſſe, quòd poſſibile ſit naturam reperiri in pluribus ſuppoſitis, ſine diuiſione & multiplicatione, quod imperfectionem redolet: proinde naturaliter videtur implicare contradictionem, naturam diuinam eſſe in pluribus ſuppoſitis, & in illis non diuidi.

Ad III. *Negatur conſequentia*. Ratio diſparitatis eſt: quia natura diuina ita eſt in pluribus ſuppoſitis,

vt cum ſingulis ſit idem realiter, quod videtur eſſe contra principia naturalia. At verò anima rationalis ita eſt in ſingulis partibus corporis, vt non ſit idem realiter cum ſingulis, quod lumine naturali facilè concipitur, proinde non eſt par ratio.

Ad IV. *Negatur abſolutè maior*: quia myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis eſt ſupra naturam, proinde duce natura cognoſci, & demonſtrari nequit.

Ad V. *Dicitur*, eſſe quidem in homine imaginem Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed imperfectam, quæ minimè ſufficiens ſit, vt ex ea Trinitas diuinarum Perſonarum naturaliter cognoſcatur, idque ideò, quia iſta imago naturaliter non apprehenditur, vt imago Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed vt eſt quædam res in ſe. Poſt reuelatum autem myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, hæc imago ducit ad explicationem huius myſterij: nam in homine dicitur eſſe imago Trinitatis, *tum* ideò, quia in humano animo ſunt tres potentiæ; ſicut in Deo ſunt tres Perſonæ, *Tum* præcipuè ideò, quia ſicut Pater intelligendo producit Verbum: & Pater ac Verbum producunt Spiritum Sanctum, qui eſt amor productus; ita humanus animus intelligendo producit Verbum mentis, & idem animus concurrente verbo, ſeu ſpecie expreſsâ, producit amorem.

Ad *vltimum reſpondetur cum ſancto Thoma*, Philoſophos naturales cognouiſſe quidem de Deo attributa aliqua, quæ diuinis perſonis appropriantur, vt potentiam, quæ appropriatur Patri; Sapientiam, quæ Filio: & bonitatem, quæ Spiritui Sancto appropriatur. Ipſam tamen Sanctiſſimam Trinitatem, & Perſonas diuinas, & appropriationem eiuſmodi attributorum minimè cognouerunt. *Præterea*, ſi quid antiqui Philoſophi de myſterio Trinitatis cognouerunt, id non ſui intellectus acumine, lumineq; naturæ aſſecuti ſunt, ſed vel à Prophetis, alijſque viris Catholicis inſignibus, tam legis naturæ, quam Scriptæ didicerunt, qualis fuit in lege naturæ Abraham, Loth, Sibyllæ, & ſimiles: aut certè hæc illuſtratio diuinitùs illis facta eſt.

QVÆSTIO VII.

An in Diuinis notiones Perſonales admitti debeant & quot.

SUppono I. Nomen *notionis* interdùm ſignificare idem, quod *cognitio*, & formalis conceptus, quo rem cognoſcimus: interdùm verò ſignificat rationem quandam obiectiuam, per quam deuenimus in notitiam alicuius rei. & hoc ſecundo modò conſideratur in præſenti *notio*, nihilq; eſt aliud, quàm ratio, ſeu character obiectiuus, per quem vnam perſonam cognoſcimus, vt diſtinctam ab alijs. Cùm autem Perſonæ diuinæ diſtinguantur relationibus originis; ideò tria requiruntur, vt aliquid dicatur *notio* in Diuinis. *Primum*, vt ſignificet aliquid pertinens ad originem. Hinc *Paternitas* eſt notio, quâ Pater intelligitur diſtingui à Filio: *filiatio* eſt notio, quâ Filius intelligitur diſtingui à Patre: *Spiratio actiua* eſt notio, quâ tam Pater, quàm Filius, intelliguntur diſtingui à Spiritu Sancto: & *proceſſio*, ſeu ſpiratio paſſiua eſt notio, quâ Spiritus Sanctus intelligitur diſtingui à Patre, & Filio. *Secundum*, quòd pertineat ad dignitatem, aut ſaltem illam denotet, quia Perſona nomen dignitatis eſt. *Tertium*, vt dicat aliquid ſpeciale: quod enim commune eſt tribus Perſonis, non poteſt eſſe ratio diſcernendi vnam perſonam ab alia.

De ratione originis tria ſunt.

Suppono. II. Ne quis forſan æquiuocatione decipiatur, tria eſſe nominum genera in diuinis. *Quædam eſſentialia*, & hæc ſunt illa, quæ vel

In Diuinis alia nomina eſſentialia alia notionalia, a-

lia personalia.

vel in concreto, vel in abstracto significant diuinam essentiam, aut id, quod conuenit Deo ratione essentiæ. Vnde sicut essentia communis est tribus Personis; ita etiam significata nominum essentialium, tribus Personis communia sunt, vt sunt, ista nomina, Deus, essentia Diuina, Sapiens, Sapiētia, potentia, æternitas, Dominus, creator, &c. *Alia notionalia*, nimirum illa, quæ significant processiones ipsas, id est, relationes originis per modum actionis, aut passionis, vt sunt hæc nomina; *generans, genitus, spirans, spiratus, dicere, generare, spirare, generatio, &c.* Alia deniq; *personalia*, nimirùm illa, quæ significant Personas, aut id, quod ratione personarum conuenit: cuiusmodi sunt nomina hæc, *Pater, Verbum, Spiritus sanctus*, persona in singulari, & persona in plurali.

Suppono III. Notionem esse diuersum quid à nomine conditioli. Hinc *paternitas, filiatio, spiratio actiua, & spiratio passiua*, sunt notiones; nomina autem quibus ista significantur, non dicuntur nomina notionalia; cùm enim non significent processiones, seu relationes, per modum actionis, aut passionis, pertinent ad nomina personalia, eò quòd sint abstracta personarum; abstractum autem, & concretum, ad idem genus nominū pertinent. Sunt igitur duæ opiniones in hac quæstione.

Opinio prima.

Prima Præpositiui, qui sicut proprietates; ita & notiones personales in Diuinis negat dari. *Fundamentum eius est hoc*: quia proprietates, & notiones sunt abstracta. Sed in Diuinis abstracta non sunt admittenda, propter diuinam simplicitatē; & ideò Præpositiuus omnia abstracta in diuinis, per concreta exponebat. v. g. *rogo benignitatem tuam*, rogo te benignum; *in Deo est paternitas*, est Deus Pater. Ergo notiones in Diuinis non dantur. Hanc opinionem vt falsam refutat S. Thomas 1. p. q. 32 ar. 2. ostendens in Diuinis vniuersim admittenda esse abstracta, & cōcreta, tàm in essentialibus; quàm in personalibus. *Ratio illius est hæc*: quia in rebus creatis vtimur abstractis, ad significandas formas simplices; concretis verò ad significandas res subsistentes: sed in Diuinis sunt formæ simplices, ac subsistentes: ergo ratione simplicitatis debemus vti abstractis; ratione verò subsistentiæ concretis. Imò potiùs abstracta, quàm concreta quadrant diuinæ simplicitati, cùm concreta potiùs, quàm abstracta, denotent compositionem. Hinc S. Bernardus sermone 80. in cantica. Sic habet: *Si quid de Deo propriè dici possit, rectiùs, congruentiusq; diceretur: Deus est magnitudo, bonitas iustitia, sapientia; quàm Deus est magnus, bonus iustus, aut sapiens.*

Opinio secunda.

Altera Opinio est S. Thomæ loco citato, & communis Theologorum asserentium, notiones in Diuinis omninò admittendas esse.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Notiones in Diuinis omninò admitti debent.

CONclusio I. Notiones in Diuinis omninò admittendæ sunt. Ita cōmuniter Theologi cum Magistro sententiarum in 1. dist. 26. *Probatur* I. authoritate Sanctorum Patrum, tàm Græcorum; quam Latinorum, qui ex vnanimi consensu notiones in diuinis admittunt. Et *in primis*, Sanctus Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 6. dicit, *aliam esse notionem, quâ Pater æternus intelligitur vt genitor, aliam quâ dicitur ingenitus*; priorem ei competere relatiuè ad Filium, posteriorem verò absolutè in ordine ad seipsum. *Deinde* Sanctus Basilius epist. 43. *Notionem* vocat propriam personæ formam, & notam, vel characterem, seu signum distinctiuum, dicitque illas notiones esse necessarias, vt de Trinitatis mysterio inconfusa cognitio habeatur. *Tandem*, Sanctus Damascenus lib. 2. de fide, cap. 11. ostendit diuinas Personas inter se distingui quibusdam proprietatibus: ergo in Diuinis dantur aliquæ notæ, & rationes obiectiuæ, quibus in notitiam huius distinctionis deueniamus. *Consequentia probatur ex conceptu notionis communiter recepto*: si enim non obstante simplicitate Dei, & naturæ Diuinæ, Personæ Diuinæ inter se distinguuntur, eadem simplicitate non obstante, possunt dari aliquæ notæ, & rationes, quibus huiusmodi distinctio cognoscatur.

Probatur II. *ratione*. Tum, quia Persona Patris refertur ad duas alias: ergo debet habere aliquam notam, per quam cognoscatur ad illas referri tanquàm ad terminos oppositos; hæc autem nota erit notio. *Tum* quia Catholici debent habere nomina abstracta, quibus vtantur ad respondendum Hæreticis inquirentibus, quonam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sint Personæ? iam verò rationes obiectiuæ correspondentes his nominibus, ab illisq; significatæ, sunt notiones; quia sunt proprietates personales, non vtcunque, sed vt principia quibus Personæ Diuinæ innotescunt. Ergo notiones in diuinis poni debent. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Notio significari debet in abstracto.

Corollarium I. *Notio* propriè loquendo, significari debet in abstracto. *Ratio*: quia est formale cognoscendi principium; formale autem principium cognoscendi, sicut & formale principium essendi, congruentiùs in abstracto significatur, quod est modus formæ; quàm in concreto: ergo sicut personalitas, quia est formale principium essendi personaliter, propriè significatur in abstracto; ita & *notio*. Vnde quia notiones significantur per modum formæ, per quam Personæ dignoscantur; non verò per modum principij alicuius actionis, aut essentialis, aut personalis, neq; significantur vt supposita habentia huiusmodi formale principium, ideò actio essentialis, aut personalis non potest de illis prædicari, v. g. non potest dici, *paternitas generat, spiratio actiua spirat*. *Ratio*: quia ista abstracta solùm nobis repræsentant notam distinguendi Personas.

Corollarium II. Vt propositiones in quibus actio in diuinis prædicatur, sint veræ, debet subiectum propositionis continere principium formale illius actionis, vel dicere ipsum formale principium non solùm identicè, sed in sensu formali, vt ab alijs virtute distinguitur. Hinc illa propositio, *Pater generat*, est vera: similiter *Pater intelligit, Filius intelligit, &c.* sunt veræ: quia Pater, & Filius, sunt supposita cōtinentia principia actionum, quæ de illis prædicantur. Similiter; *Deus intelligit, Deus vult, Deus punit*: imò *Deitas intelligit, intellectus intelligit*, veræ sunt. Quia Deitas tanquàm natura continet principium formale intellectionis; intellectus verò est ipsum principium formale quasi effectiuum intellectionis. Non potest autem dici, *Intellectus vult, diuina iustitia miseretur, misericordia punit*: quia subjecta istarum propositionum, nec sunt, nec continent principium actionum, quod principium designatur per huiusmodi propositiones, cum efficiant sensum formalem. in quo sensu propositiones sunt falsæ; nam intellectus prout virtute distinguitur ab alijs, non vult. Similiter quando inter principium generationis, & terminum requiritur distinctio à parte rei, tunc actio non potest prædicari de principio formali expresso in recto, v. g. non potest dici, intellectus, vel essentia diuina generat.

Quia

Quia Filius, qui est terminus generationis, debet distingui à suo principio; potest tamen dici, Filius generatur per intellectum: quia hoc modo loquendi solùm explicatur principium *quo* generationis.

Actus notionales in concreto, sunt naturales ac necessarij.

Corollarium III. Actus notionales, (qui in concreto dicuntur *generare*, *spirare*, *dicere*, & *diligere*; in abstracto verò generatio, & spiratio) sunt naturales, ac necessarij. *Ratio*: quia Pater naturaliter, & necessariò se intelligit: ergo naturaliter, & necessariò generat Filium, proinde actus generandi est naturalis, ac necessarius. Similiter Pater, & Filius, naturaliter, & necessariò se amant: ergo naturaliter, & necessariò spirant Spiritum Sanctum, & consequenter actus spirādi est necessarius. Ijdem tamen actus dicūtur etiam voluntarij voluntate diuinâ, non vt libera, sed vt naturalis est. Hinc Pater non liberè genuit Filium, sed naturaliter, ac necessariò; non tamen inuitus, sed voluntarius. Similiter Pater, & Filius, non inuiti, nec liberè, sed volentes ac necessariò spirant Spiritum Sanctum.

Corollarium IV. Nihilominus isti duo actus notionales, *generare*, & *spirare*, non sunt eodem modo volūtarij: nam spiratio duobus modis est voluntaria. *Primò*, à voluntate, vt à principio. *Secundò*, à voluntate concomitante: Pater enim & Filius, non tantùm producunt Spiritum Sanctum voluntate, tanquàm principio actiuo, sed etiam productionem illam voluntate approbant, ita vt productio illa sit obiectum volitum, & amatum, non liberè, & necessariò. *Ratio est*: quia Deus naturaliter & necessariò diligit se, & vult se esse, sicut in se est. Sed est trinus per productionem ad intra: ergo necessariò diligit Trinitatem, & productionem ad intra. Quantum verò ad generationem Filij, illa quidem voluntaria est voluntate concomitante, quia nimirūm amatur, & diligitur a Deo; non tamen est voluntaria à voluntate, tanquàm à principio actiuo: quia Pater non generat Filium uoluntate, sed intellectu tanquàm principio.

Volitio comitans nō est prior generatione.

Corollarium V. Falsum est, quòd volitio concomitans, quâ Pater vult generationem, sit prior generatione, id est, quòd Pater priùs velit generare, quàm generet, vt asserit Scotus in 1 dist. 6. q. 1. Cui ad hæsit Caietanus 1. p. q. 41. ar. 2. *Ratio est*: quia naturalis intellectio, prior est naturali volitione, cùm nihil sit volitum, nisi priùs cognitum. Sed Pater naturali intellectione producit Filium: ergo productio Filij est prior naturali volitione. *Deinde*, quia Pater, & Filius, producunt Spiritum Sanctum naturali volitione: ergo Filius est prior illa volitione, & multò magis generatio Filij, est prior eadem volitione.

Notiones in Diuinis quinq; tantùm sunt.

Conclusio II. Notiones in Diuinis sunt tantùm quinque, videlicet *Innascibilitas*, *Paternitas*, *Filiatio*, *spiratio actiua*, & *Processio seu spiratio passiua*. *Probatur*. Notio est ratio cognoscendi vnam Personam, vt ab alia, vel ab alijs distinctam. Sed Personæ diuinæ multiplicantur, & distinguuntur per originem eius, à quo alius, & qui ab alio: ergo innotescunt per modos originis eius, à quo alius, & qui ab alio. *Subsumo*. Sed isti modi, seu notæ, quibus dignoscitur is à quo alius, & qui ab alio, sunt tantùm quinque, quod sic *probatur*. Pater non potest cognosci per hoc, quòd sit ab alio, sed per hoc, quòd à nullo alio sit, & sic ipsius notio constituitur *innascibilitas*, per quam cognoscitur vt distincta Persona ab alijs. Et quia eadem persona Patris potest, & debet innotescere, in quantum ab ea aliquis procedit; ideò cùm duæ Personæ à Patre procedant, nimirùm Filius, & Spiritus Sanctus, Pater dupliciter innotescit,

primò comparatione Filij, & sic innotescit per paternitatem, eò quòd Filius ab eo generetur, *secundò comparatione Spiritus Sancti*, & sic innotescit per spirationem actiuam, propter processionem Spiritus Sancti. *Deinde* Filius comparatione Patris, innotescit per filiationem, secundum quam passiuè est ab illo; comparatione verò Spiritus Sancti, innotescit per spirationem actiuam, sibi cum Patre communem, secundum quam Spiritus Sanctus etiam à Filio procedit. *Tandem* Spiritus Sanctus innotescit per processionem, seu spirationem passiuam, eò quòd procedat à Patre, & Filio per voluntatem, qui modus procedendi ob defectum nominū, significatur communi nomine *processionis*. Ergo quinq; tantùm sunt notiones superiùs enumeratæ. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Ex quinq; notionibus quatuor tātùm sunt relationes.

Corollarium I. Ex his quinq; notionibus, quatuor tantum sunt relationes. *Ratio*: quia innascibilitas non est relatio, sed negatio relationis. Similiter quatuor tantùm sunt proprietates: quia spiratio actiua non est vlli personæ propria, sed communis Patri, & Filio: atque sic notio relatiua latius patet, quam proprietas personalis, & relatio, cùm innascibilitas non sit relatio.

Proprietates personales tres tantùm sunt.

Corollarium II. Proprietates Personales, id est, constituentes Personas in esse Personæ, sunt tantùm tres, Paternitas, Filiatio, & Processio. *Ratio*: quia *innascibilitas*, & *spiratio actiua*, non constituunt Personas, cùm *innascibilitas* sit negatio; *spiratio* verò *actiua*, sit communicabilis duabus personis.

Corollarium III. In diuinis eadem res, v. g. *paternitas*, potest dici notio, relatio, proprietas, & personalis proprietas. Dicitur enim *notio*, quatenùs est ratio cognoscendi Patrem, vt ab alijs distinctum. Dicitur *relatio*, quatenùs est ratio referendi Patrem ad Filium. Dicitur *proprietas*, quatenùs conuenit vni tantùm Personæ. Dicitur deniq; *proprietas personalis*, quatenùs constituit Personam, in esse Personæ.

Corollarium IV. In Diuinis illa solùm negatio inter notiones numerari debet, quæ aliquam perfectionem, aut dignitatem exhibet, cuiusmodi est innascibilitas in Patre, quatenùs significat Patrem esse principium totius Deitatis, nec ab alio vllo produci. Ex hac tamen Patris notione non sequitur, quòd *Pater* sit alijs Personis excellentior: quia in omnibus summa, ac perfectissima æqualitas est, vt constabit ex infra dicendis.

Notiones Patris sunt tres Filij duæ, Spiritus S. vna.

Corollarium V. Tres sunt notiones Patris, videlicet *innascibilitas*, *paternitas*, & *spiratio actiua*: Duæ Filij, nimirùm *filiatio*, & *spiratio actiua*: vna tandem Spiritus Sancti, nempè *processio*. Porrò innascibilitas consistit in negatione omnimodæ producibilitatis, quod nostro modo concipiendi, magnam ponit in Patre dignitatē; sicut è contra, quòd nulla Persona procedat à Spiritu Sancto, nulla dignitas est. Similiter quòd Spiritus Sanctus non procedat per generationem, nulla dignitas est; & ideò non debet poni notio Spiritus Sancti distincta a Processione, puta ingenerabilitas.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra Corollarium V. primæ conclusionis*. Absoluta sunt priora relatiuis, vt docet Sanctus Thomas 1. p. q. 33. ar. 3. ad 1. Sed volitio quâ Pater vult generationem, est quid absolutum; generatio verò est quid respectiuum: ergo talis volitio est prior generatione. *Præterea*, quia voluntas spirandi,

randi, est prior spiratione: ergo etiam voluntas generandi, est prior generatione, cum sit par ratio. *Antecedens manifestum:* quia Spiritus Sanctus procedit ex naturali volitione Patris, & Filij. Sed eadem illa volitione Pater, & Filius, volunt productionem Spiritus Sancti: ergo &c. *Tandem,* quia Pater in illo priori, antequam generatio concipiatur existere, est perfectè beatus: ergo tunc comprehendit essentiam, ac naturaliter eam diligit. Sed dilectione naturali, quâ diligit essentiam, vult generationem: ergo volitio generationis, est prior generatione. *Respondetur ad I. distinguendo maiorem.* Absoluta, quæ significantur per modum actus primi, vti sunt *intellectus, voluntas, potentia, æternitas,* sunt priora relatiuis, *conceditur:* absoluta, quæ significantur per modū actus secundi, vt sunt *velle*, seu *amare*, sunt priora relatiuis, *negatur.* Licet enim intellectio essentialis, sit prior omnibus relatiuis; non tamen volitio essentialis. *Ad II. negatur sequela,* quia non est par ratio: Spiritus enim Sanctus producitur à Patre, & Filio, volitione naturali, & ideo necesse est, volitionem naturalem esse priorem productione Spiritus Sancti; at verò Filius non producitur volitione naturali; & ideò non est necesse, volitionem naturalem esse priorem productione Filij. *Ad vltimum negatur Antecedens:* Pater enim in ratione Patris, concipi non potest, antequàm sit genitus Filius, cùm Pater, & Filius, sint correlatiua, quæ sunt simul naturâ, & cognitione.

Solutio eiusdem.

Obijcitur II. *contra secundam conclusionem.* Sicut in Patre, quatenùs non est ab alio, est vna notio, quæ dicitur *innascibilitas;* ita in Spiritu Sancto, quatenùs ab eo non est alius, erit alia notio: ergo notiones sunt plures, quam quinque. *Respondetur negādo paritatem.* *Ratio:* quia propriè loquendo, notiones debent esse intrinsecæ Personis, non extrinsecæ. Vnde negationes originum, eo ipso, quòd sint negationes, & quòd sint extrinsecæ Personis, non pertinent ad notiones diuinas; proinde ista negatio, quòd à Spiritu Sancto non sit alius, notio dici non potest.

Obiectio secunda.

Solutio eiusdem.

Instabis. Etiam innascibilitas est negatio originis, & tamen est notio Patris: ergo negationes originum pertinent ad notiones. *Respondetur negando consequentiam.* Quòd enim innascibilitas, quæ est negatio originis, dicatur esse notio Patris, hoc fit præter communem ordinem, propter hanc peculiarem rationem: quia in Diuinis solus Pater, est primum principium ad intra, & sic quatenus principium est, innotescit per paternitatem respectu Filij, & per spirationem actiuam respectu Spiritus Sancti; quatenùs verò est primum principium, id est, non de principio, cognoscitur per innascibilitatē, quæ licet iuxta cōmunem legē, & propriè notio non sit, cùm sit negatio originis, numeratur tamē inter notiones propter dictā rationē; hinc tamen non licet inferre, quòd etiam aliæ negationes, inter notiones numerari debeant. Vnde *inspirabilitas passiua,* notio dici non potest: quia est negatio originis & in ea desideratur illa peculiaris ratio, cur præter communem legem constituatur notio; sicut constituitur innascibilitas.

Instantia & eius solutio.

Obijcitur III. *contra Corollarium V. Conclusionis secundæ.* Datur notio communis Patri, & Filio, nimirum spiratio actiua, eò quòd Spiritus Sanctus ab eis procedat: ergo etiam dari debet notio communis Filio, & Spiritui Sancto, eò quòd Filius, & Spiritus Sanctus à Patre procedant. *Respondetur negando cōsequentiam.* Ratio est: quia Filius, & Spiritus Sanctus, non conueniunt in aliquo speciali modo procedendi à Patre, sed alio procedit Filius, alio Spiritus Sanctus, qui modi in singulis sunt causa specialis notionis, proinde non debet dari alia notio communis vtriq; propter modū similem procedendi quasi genericè, cùm prædicata vniuersalia non ponant nouam notionem, eò quòd non faciánt numerum cum particulari. At verò Pater, & Filius, conueniūnt in eadem ratione vltima spirandi Spiritum Sanctum, & ideò datur notio vtriq; communis. Hinc facilè constat, quòd etiam ratio imaginis, & Verbi, non multiplicet notiones: nam eo ipso, quòd dicatur Filius, dicitur imago, cùm Filius procedat per generationem, quæ est productio per modum similis. cumq; generatio Filij sit per intellectum, ideò Filius dicitur Verbum, & sic Verbum includitur in notione filiationis, quæ notio secundæ Personæ considerata secundûm esse specificum, est filiatio essentialiter fundata in generatione intellectuali. Similiter ratio *doni*, non multiplicat notiones Spiritus Sancti: quia hæc ratio essentialiter inuoluitur in eo, quòd Spirit⁹ Sanctus procedat per voluntatem.

Obiectio tertia.

Solutio eiusdem.

DISPVTATIO II.

De Personis Diuinis in particulari.

POst explicationem eorum, quæ sunt tribus Personis Diuinis communia, & quæ ad earum notitiam spectare vidētur, progrediendo cum D. Thoma, ad tractationem de Personis diuinis in particulari, & quidem primò de Persona Patris, quæ est origo, & Principium aliarum personarum, tria potissimum in hac disputatione considerabimus, videlicet nomina Personis conuenientia, earundem processiones, ac distinctiones ad inuicem.

QVÆSTIO I.

An nomen principij, Patris, & ingeniti, propriè conueniat primæ Personæ in Diuinis.

CIrca hanc quæstionem, suppono I. Primā Trinitatis Personam, nō ideò vocari primam, quasi tempore, perfectione, aut dignitate cæteras antecellat; sed ideò, quia ipsa est à se, reliquæ duæ ab illa. Varia autem nomina huic Personæ tribui solent: *primò* enim vocatur *Pater,* quia generat filium sibi coæternum, & consubstantialem. Vocatur *fons Deitatis*, non quòd diuinitatem ipsam, seu Deitatem producat, aut quòd hæc ab illo oriatur; sed quia ipse communicat eam Deitatē duabus alijs Personis. Vocatur *Principium* specialiter ex eo: quia est duarum Personarum productiuus. Vocatur deniq; *ingenitus* seu *innascibilis:* quia prima Persona in diuinis, à nullo alio principio est producta, per quod distinguitur à duabus alijs, quæ aliquod suæ productionis principium agnoscunt. Hinc S. Basilius lib. 4. contra Eunomium, ex hac appellatione ingeniti, argumentum ducit ad probandum, secundam Trinitatis Personam, non esse factam, aut creatam, sed genitam: quia alias frustra Pater ingenitus appellaretur, si nulla esset genitura, cum qua comparatus dici posset ingenitus; imò potiùs increatus, quàm ingenitus dici deberet.

Varia nomina primæ Personæ in Diuinis.

Suppono II. Nomen principij dupliciter considerari posse. *Primò ad extra,* & secundûm respectum ad creaturas, & sic est nomen essentiale tribus Personis commune. *Secundò ad intra,* & secundùm actiones immanentes, & sic est nomen notionale, quod conuenit tàm Primæ, quàm secundæ Personæ. Similiter nomen istud *Pater,* potest accipi vel in ordine ad creaturas, & sic non est nomen Personæ, sed essentiæ, proinde nō solùm primæ, sed etiam alijs duabus Personis cōuenit.

Nomē principij in Diuinis dupliciter sumitur.

uenit. Nam eo sensu paternitas in Deo, significat eius bonitatem, & prouidentiam erga creaturas, præsertim rationales, quatenùs illas creat, gubernat, conseruat &c. quæ actiones creandi, gubernandi, conseruandi, communes sunt toti Trinitati, cùm sint actiones ad extra; Deus autem ad extra non operatur vt trinus, sed quatenùs vnus est. Vnde Christus Dominus Matth. 23. dicit: *Vnus est Pater vester, qui in cœlis est.* In quibus verbis, dictio ista *Pater*, ex communi Thologorum sententiâ sumitur essentialiter, referturq; simul ad tres Personas. Vel potest accipi in ordine ad internam generationem, seu *personaliter*, & sic soli primæ Personæ attribui solet.

Nomen ingenitũ tribus modis sumitur.

Suppono III. Nomen hoc *ingenitum*, tribus modis sumi *Primò*, prout significat non factum, nec creatum, & in hoc sensu Ethnici Philosophi Deum ingenitum esse dicebant: proinde in hac acceptione non solum Pater, sed & Filius, & Spiritus Sanctus, dicuntur *ingeniti*, quia non sunt facti, nec creati, vt docet S. Athanasius in epist. de decretis Sydoni Nicenæ contra Hæresim Arrianam, qui fraudulenter nomen ingeniti soli Patri tribuebant, vt inde concluderent, facileque deciperent imperitos, Filium esse factum, & creatum a Patre. *Secundò*, prout significat *non genitum*, seu non productum per veram generationem, & sic non soli Patri conuenit, sed etiam Spiritui Sancto, vt docet S Augustinus 5 de Trinit. cap. 6. 7. & 15. S. Hieronymus in regulis definitionum contra Hæreticos. *Tertiò*, prout negat omnimodam producibilitatem, & originem ab alio, significatque idem, quod ens nulla ratione ab alio, id est, nec per generationem, nec per quamcunq; aliam productionem, siue creatam, siue increatam; ita vt non solùm non sit res producta, sed nec alicui communicatã per processionem, aut productionem aliquam. Et in hoc sensu quæstio præsens currit, an nomen ingeniti propriè competat Patri.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Nomẽ principium notionaliter sumptum, est proprium primæ Personæ.

CONclusio I. Nomẽ *principij* sumptũ notionaliter, est proprium primæ Personæ respectu duarum Personarum ad intra; respectu verò Spiritus Sancti, est commune Patri, & Filio. Ita S. Thomas 1. p. qu. 33. ar 1. in corpore. *Probatur I. Pars Conclusionis*: quia de fide est Filium generari à Patre, vt constat ex Symbolo Apostolico, vbi dicitur: *Ex Patre natum ante omnia sæcula.* Et ex illo Ioan. 15. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre. Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Ergo de fide est, Patrem esse principium aliarum Personarum, & Processionum ad intra, proinde tàm respectu Filij, quam respectu Spiritus Sancti. Deinde, patet eadem veritas ex definitione principij 5. Metaph. cap. 1. *Principium est id, vnde aliquid est, fit, aut cognoscitur*: seu est id, à quo aliquid procedit. Sed à Patre procedit Filius, & Spiritus Sanctus: ergo est principium Filij, & Spiritus Sancti.

Probatur II. *ratione*. Suppositis principijs Theologicis, constat tres in Deo Personas esse. Sed istæ Personæ non possunt multiplicari sine processione vnius ab alia: nam sic daretur processus in infinitum, cùm in nullo numero status fingi posset: ergo multiplicantur per processiones; cùm autem ratio manifesta ostendat, non omnes procedere ab alia Personâ, sequitur aliquam ex illis esse improductam, à qua procedant aliæ, quæ per consequens sit earum principium.

Probatur *insuper altera pars conclusionis*, quòd nimirum respectu proces-

sionis Spiritus Sancti, nomen principij sit commune Patri, & Filio, ex Concilio Florentino sess. vltima, & ex Boncilio Lugdunensi sub Gregorio 10. cap. vnico de summa Trinitate, vbi vocabulum principij dicitur commune Patri, & Filio ad intra, quatenùs ambo simul producunt Spiritum Sanctum. definiturq; ibidem, Parrem & Filium esse vnicum principium Spiritus Sancti. Et apertè hæc veritas habetur in symbolo illis verbis: *Qui ex Patre, Filioquè procedit*: ergo vera conclusio. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Pater non est causa Filij & Spiritus Sancti.

Corollarium I. Licet Pater ad intra sit principium Filij, & Spiritus Sancti; non debet tamen concedi, quòd sit causa illorum. *Ratio*: quia accipiendo causam propriè, & in rigore, in nullo genere causæ est causa Filij, aut Spiritus Sancti. Non enim in genere *causæ materialis, aut formalis*, vt per se manifestum. Non in genere *causæ finalis*: quia finis est præstantior eo, quod est ad finem; inter Personas autem diuinas, vna non est præstantior alterâ. Non deniq; in gnere *causæ efficientis*: quia sic Filius esset effectus Patris, proinde factus, similiter Spiritus Sanctus, quod est Hæreticum. *Præterea*, quia nomen causæ in cõmuni acceptione, importat diuersitatem substantiæ, & dependentiam vnius ab alio, ac proinde quandam prioritatem, & posterioritatem naturæ, præsertim si sermo sit de causa efficienti, qualis esset Pater respectu aliarum Personarum: ergo Pater non potest dici causa Filij, & Spiritus Sancti, modus tamen iste loquendi Græcorum, toleratur ab Ecclesia Sancta, & à Doctoribus Latinis, propterea, quòd Græci vocabulum *causæ* latiùs vsurpent, nihilq; aliud velint significare; quàm principium. Et ideò hunc modum loquendi eorum, nõ improbat Concilium Florentinum in literis Sanctæ vnionis, in Decreto de processione Spiritus Sancti, vbi sic ait: *Declarantes quòd id, quod Sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur Filium quoq; esse, secundum Græcos quidem causam; secundùm Latinos verò principium Spiritus Sancti, sicut & Patrem.*

Pater verè dicitur esse Author Filij, & Spiritus Sancti.

Corollarium II. Pater verè dicitur esse Author Filij, & Spiritus Sancti. Ita S Thomas in 1. dist. 29. qu. 1. ar. 1. S. Hilarius lib. 4. de Trinit. & S. Augustinus lib. 3 contra Maximinum cap. 14. vbi dicit: *Sed habet* inquis, *Dei Filius authorem Patrem. Si propterea Deum Patrẽ Deo Filio dicis authorem, quia ille genuit, genitus est iste; quia iste de illo est, non ille de isto, fateor, & concedo. Si autem per nomen authoris minorem vis facere Filium, Patremq; maiorem, nec eiusdem substantiæ Filium, cuius est Pater, detestabor, & respuam.* Et *ratio corollarij est*: quia nomen istud *author*, non maiorem dicit dependentiam in altero, quàm nomen *Principij*. Vnde licet modo nostro concipiendi maioritas quædam sit in Patre; aliæ tamen Personæ non sunt illo minores, vt docet S. Hilarius lib. 9. de Trinit. longè post medium dicens: *Donantis authoritate Pater maior est* (puta non in re, sed secundum nostrum concipiendi modum) *sed minor non est Filius, cui vnum esse donatur.* Istud tamen nomen *Authoris*, Filio respectu Spiritus Sancti, non esse tribuendum, censet S. Thomas, & ideò propositionem hanc: *Filius est author Spiritus Sancti*, negat in 1. sent. dist. 29. qu. 1. ar. 1. *ex eo fundamento*, quia existimat nomen authoris importare rationem primi principij, proinde de ratione eius esse, vt sit principium non de principio, S. tamen Hilarius lib. 2 de Trinit. concedit etiam Filium respectu Spiritus Sancti posse dici authorem, dum sic loquitur:

quitur : *à Patre & Filio authoribus confitendus est Spiritus Sanctus*, ex eo fundamento, quia censet non esse de ratione authoris, vt non sit ab illo. Sic Pater Platonis dicitur eius author, licet ipse fuerit ex alio principio.

Personæ Filij & Spiritus Sancti nõ possunt dici esse principiatæ.

Corollarium III. Licet *Pater* sit principium cæterarum Personarum ; aliæ tamen Personæ dici non possunt habere principium, seu esse principiatæ, si per hoc designetur, quod habeant principium durationis, vel quòd sint factæ. *Ratio* : quia per hoc facilè daretur occasio erroris, vt Filius, & Spiritus Sanctus existimentur quid effectũ. Cæterum si per hoc solùm denotetur, quòd Filius, & Spiritus Sanctus habeant principium, à quo procedunt, concedi potest. Vnde non debet absolutè dici, quòd Filius v. g. sit principiatus, nisi cum hac restrictione, principiatus à Patre, à quo procedit. Et in hoc sensu ista propositio, *Filius est principiatus*, seu principiatur, conceditur à Græcis, quatenùs videlicet nomen *principiatum*, significat ens à principio, ex hoc fundamento. Quia principium est relatiuum quoddam : ergo debet habere correlatiuum. Sed hoc non aliud esse potest, nisi principiatum, proinde si Pater est principium Filij, & Spiritus Sancti, Filius, ac Spiritus Sanctus erit principiatus comparatione Patris. Cæterum ista locutio nõ est in vsu, vt obseruat S. Thomas 1. p. q. 33. ar. 1. ad 2.

Pater propriè dici nõ potest principium totius Deitatis.

Corollarium IV. Ex eo, quòd *Pater* sit principium Diuinarũ Personarum, propriè dici non potest, quòd sit principium totius Deitatis. *Ratio* : quia si Pater propriè loquendo, esset principium Deitatis, Deitas procederet à Patre tanquàm à principio, quod damnatum est in Concilio Lateran. cap. *damnamus*, vbi definitum est essentiam diuinã neq; generare, neq; gigni, neq; procedere. *Præterea*, quia si *Pater* esset principium totius Deitatis, esset etiam principium sui, siquidẽ *Pater* est aliquid *Deitatis*. Impropriè tamen potest dici principium totius Deitatis, id est, non quòd ipsa Deitas ab eo procedat : hoc enim dicere hæreticum est, sed quia Pater est principium aliarum Personarum, videlicet Filij, & Spiritus Sancti, in quibus singulis est tota Deitas, & quibus totam Deitatem ipse communicat, vt exponit Magister sentent in 1. dist. 29. Similiter *Pater* propriè, & in rigore loquendo, nõ potest dici fons totius diuinitatis ; minùs tamen propriè potest dici, vt loquitur S. Dionysius cap. 1. de cælesti Hierarch. *Pater* inquit, *Diuinitatis fons, atq; principium est.* Et Concilium Toletanum 6. cap. 1. vbi sic ait : *Creaimus Patrem ingenitum, increatum, fontem, & originem totius Diuinitatis.* Et Cõcilium Toletanum 11. in Professione fidei dicit : *Fons ergo ipse est, & origo totius Deitatis.*

Corollarium V. Ratio principij Patri per cõpationem ad creaturas, & per compationem ad alias Personas ab eo procedentes, solum analogicè conuenit : principaliusque dicitur de Patre respectu Personarum diuinarum ; quàm respectu creaturarum. *Ratio primæ partis* : quia ratio principij ad intra, seu respectu diuinarum Personarum procedentium, est relatio intrinseca Personæ Patris, quem denominat, vti est *paternitas & spiratio actiua*. At verò ratio principij ad extra, seu respectu creaturarum, est illi extrinseca, vt potè relatio rationis, à qua extrinsecè denominatur actu principium ; enti autem reali, & enti rationis, non potest esse aliquid commune vniuocum, & modus denominandi intrinsecè, ac extrinsecè, non est vniuocus, sed analogus.

Nomẽ hoc Pater personaliter sũptum, proprium est primæ Personæ.

Conclusio II. Nomen istud *Pater* personaliter sumptum, est proprium primæ Personæ in diuinis, id est *Patris*. Est de fide. *Probatur I. ex Scriptura Sacra*, in qua nomen istud *Pater*, frequenter vni Personæ in Trinitate tribuitur, vt significetur illã distingui à cæteris. vt Matt. 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* Et Ioan. 17. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus.* Ergo vera conclusio.

Probatur II. ex omnibus fidei symbolis, in quibus Ecclesia profitetur, primam in diuinis Personam verè & propriè esse, ac dici Patrem, nulliq; alteri Personæ hoc nomen in eo sensu acceptum competere. Vnde S. Athanasius in suo symbolo dicit : *Vnus ergo Pater, non tres Patres.*

Probatur III. *ratione*. Illi in diuinis tribuendum est nomem *Patris*, cui conuenit generare, & habere Filium. Sed soli primæ Personæ in Diuinis, conuenit generare, & habere Filium : ergo soli primæ Personæ in Diuinis conuenit nomen Patris.

Probatur IV. Illud nomen est proprium alicuius Personæ Diuinæ, per quod illa Persona ab alijs distinguitur. Sed id, per quod Prima Persona distinguitur ab alijs, est *paternitas* : ergo nomen istud *Pater*, significans paternitatem, est proprium primæ Personæ. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Hoc nomen *Pater*, per prius dicitur in diuinis, quatenùs sumitur notionaliter, quàm quatenùs sumitur essentialiter. *Ratio est* : quia tota ratio significata per hoc nomen *Pater*, perfectè saluatur in Patre respectu Filij ad intra, cùm illum verè producat eiusdem secum naturæ ; non saluatur autem respectu creaturarum, sed solùm secundùm aliquid in eo inuenitur, cùm Deus non producat creaturas eiusdem secum naturæ.

Corollarium II. Nomen istud *Pater* comparatione rerum creatarum, non dicitur propriè de Deo, sed metaphoricè, & in translata significatione. *Ratio* : quia Deus non producit res creatas eiusdem naturæ specificæ secum, proindè ratio paternitatis respectu creaturarum, non nisi secundùm quandam similitudinem ipsi conuenit.

Corollarium III. Quantò creatura maiorem habet cum Deo similitudinem, tantò perfectiùs significatum Patris, respectu illius Deo tribuitur. Hinc Deus perfectiùs dicitur Pater creaturarum rationalium. *Ratio* : quia in irrationalibus solùm inuenitur similitudo secundùm quandam rationem vestigij ; in rationalibus autem inuenitur etiam secundùm quandam rationem imaginis, quatenùs illæ sunt prædictæ intellectu, & voluntate, habentq; dominium suarum actionum.

Corollarium IV. Illi qui habent gratiam sanctificantem, perfectiùs dicuntur filij Dei, & Deus perfectiùs dicitur illorum Pater. *Ratio est* : quia ratione gratiæ, maiorem cum Deo habent similitudinem, maioremque participationem diuinæ naturæ. Insuper adhuc perfectiùs dicitur pater beatorum, qui diuino eius conspectu fruuntur ; quàm iustorum in hac vitâ : quia Beati per gloriam maximam cum Deo similitudinem habent.

Nomen Pater notionaliter sumptum, perfectiùs conuenit primæ Personæ.

Corollarium V. Licet nomen istud *Pater*, essentialiter, & personaliter sumptum, dicatur de Deo per prius, & posterius ; tamen per hanc particulam priùs, non debet intelligi pefectiùs, quia de hoc egit S. Thomas, q. 33. ar. 2. in responsione ad 4. vbi ostendit hoc nomen *pater*, notionaliter sumptum perfectiùs conuenire primæ Personæ ; quàm sumptum *essentialiter* : cùm & propriè sumatur ; propria autem significatione perfectior est, quam metaphorica : & ratio paternitatis

nitatis longè perfectiùs inuenitur in prima Perſona reſpectu Filij ad intra; quàm reſpectu creaturarum ad extra. Per prius ergo intelligit S. Thomas prioritatem quandam ſecundùm rationem, id eſt, quòd eſſe Patrem, de prima Trinitatis Perſona, dicatur tanquàm de magis proprio ſignificato, & principaliori analogato, quatenùs eſt Pater Verbi diuini; quàm de Deo, quatenùs dicitur Pater rerum creatarum.

Eſſe ingenitum conuenit primæ Perſonæ in Diuinis.

Concluſio III. Nomen *ingeniti* tertio modo ſumptum, ſoli primæ Perſonæ, ſeu Patri proprium eſt. *Probatur. Ex eo,* quòd Pater ſit prima Trinitatis Perſona, & cæterarum Perſonarum origo, ac principium ſine principio, manifeſtè ſequitur, quòd ſit illi proprium eſſe ingenitum tertio modo, vt ita vt nulli diuinæ Perſonæ conueniat: nam ſi eſſent plures ingeniti in hac ſignificatione, eſſent plures dij, cum eadem numero diuina natura, non poſſit inueniri in pluribus ſuppoſitis, ſine proceſſione vnius ab alio. Ergo nomen ingeniti tertio modo ſumptum, ſoli primæ Trinitatis Perſonæ, hoc eſt Patri, proprium eſt. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Corollarium I. *Ingenitum* non ſignificat rationem aliquam poſitiuam relationis oppoſitæ genitoris, vt aliqui falsò exiſtimârunt, quos refert S. Bonauentura in 1. diſt 28 q. 1. *Ratio*: quia hinc ſequeretur in Diuinis dari quinq; relationes reales contra cõmunem Theologorum ſententiam: imò ſequeretur quatuor in Deo eſſe Perſonas, quod eſt Hæreticum: cùm enim relationes oppoſitæ in Diuinis non poſſint competere vni, & eidem Perſonæ, ſequeretur relationem *ingeniti,* non competere Patri, vt potè cui competit relatio oppoſita, videlicet genitoris: neq; competere Filio, & Spiritui Sãcto, cùm iſtæ Perſonæ ſint productæ, & per conſequens non poſſint dici ingenitæ, in tertia ſignificatione ingeniti: ergo deberet competere alteri alicui perſonæ, tanquàm ratio eius conſtitutiua, & ſic daretur quarta Perſona in Diuinis, neque iam *ingenitum* eſſe proprietas Patris, contra doctrinam Sanctorum Patrum.

Ratio ingeniti non conſiſtit in aliquo poſitiuo.

Corollarium II. Ratio *ingeniti,* non conſiſtit in aliquo poſitiuo. *Ratio*: quia illud poſitiuum, vel eſſet aliquid diſtinctum à paternitate, vel eſſet formaliſſimè ipſa paternitas. Sed *primum dici non poteſt*; nam ſi eſſet quid diſtinctum ratione, cùm non poſſet eſſe quid abſolutum commune tribus Perſonis, deberet eſſe relatio, quod repugnat: quia darentur quinq; relationes reales in Diuinis.

Corollarium III. Ratio *ingeniti,* conſiſtit in negatione nuda. Eſt ſententia communis Sanctorũ Patrum, & Theologorũ. *Ratio*: quia nullum poſitiuum adferri poteſt, in quo ſine magno incommodo, eius ratio poſſit inueniri.

Corollarium IV. Nihilominùs nomine *ingeniti,* non ſola negatio generationis ſtrictè ſumptæ importatur: quia ſic non eſſet Patri proprium, ſed conueniret etiam Spiritui Sancto. cùm ille non ſit Filius, nec genitus, nec eius proceſſio ſit vera generatio; ſed importat etiam negationem omnis proceſſionis, & communicationis ab alio. *Ratio*: quia hoc pacto ſoli Patri conuenit, cùm ille ſolus à nullo procedat, & quidquid habet, à nullo recipiat.

Radix ingeniti ſeu innaſcibilitatis eſt paternitas.

Corollarium V. Radix, & proximum fundamentum *ingeniti,* ſeu innaſcibilitatis, eſt paternitas. *Ratio*: quia cùm diuina natura poſtulet eſſe in tribus ſuppoſitis, idque media proceſſione; non poſſint autem omnes perſonæ procedere, requirit vnam relationem ſibi identificare ſine productione; hæc autem relatio eſt paternitas, quæ eſt Patri ratio, cur à nullo alio produci poſſit? ergo eſt radix *ingeniti,* ſeu innaſcibilitatis. *Ratio ſecunda*: quia per ſimplicem identificationem paternitatis cum Diuina natura, Pater conſtituitur principium duarũ aliarum Perſonarum; ergo paternitas eſt illi radix, propter quam à nullo alio poſſit procedere.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Corollarium I. Concluſionis II.* In Diuinis nomina communia priora ſunt proprijs noſtro modo intelligendi. Sed nomen Patris ſumptum eſſentialiter, eſt commune toti Trinitati; ſumptum verò perſonaliter, ſeu notionaliter, eſt proprium primæ Perſonæ: ergo nomen Patris eſſentialiter ſumptum, per prius dicitur in Diuinis; quàm perſonaliter acceptum.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur, duplicia eſſe nomina communia in Diuinis. *Alia abſoluta,* vt ſunt *intellectus, voluntas, ſapientia, potentia, æternitas, &c.* & hæc ſunt priora perſonalibus, noſtro modo concipiendi: quia includuntur in Perſonis; & Perſonæ non includuntur in illis. *Alia ſunt reſpectiua,* quæ dicunt ordinem ad creaturas, vt *eſſe Patrem, Dominum, creatorem,* & hæc ſunt poſteriora perſonalibus: quia liberè Deo conueniunt; quæ autem liberè conueniunt, poſteriora ſunt illis, quæ naturaliter conueniunt. Et hæc nomina reſpectiua, quæ dicunt ordinem ad creaturas, duplicia adhuc ſunt: quædam enim dicunt reſpectum fundatum in actionibus tranſeuntibus, vt *Dominus, creator, gubernator, Pater.* & hæc ſunt poſteriora prioris, ac Perſonalibus, quia liberè Deo conueniunt. Quædam fundantur in actionibus immanentibus, & quidem ſi fundentur in actu immanente naturali, vt eſſe *intelligentem,* ſunt priora proprijs; quod ſi fundentur in actu libero, vt eſſe *prædeſtinantem,* tunc ſunt poſteriora.

Obiectio II. & eius ſolutio.

Obijcitur II. *Contra Corollarium II. Tertiæ Concluſionis.* S. Baſilius lib. 5. contra Eunomium, cap. 2. & Cyrillus Alexandr. *ingenitum,* cenſent eſſe modum ſubſtantiæ: aut exiſtentiæ: ergo ratio *ingeniti* conſiſtit in aliquo poſitiuo. *Reſpondetur negando conſequentiam*: citati enim SS. Patres per hoc non intelligunt modum poſitiuũ, ſed quandam rationem habendi, ſiue ea ſit poſitiua, ſiue negatiua; quemadmodùm etiam de cæcitate dici poſſet, quod deſignet certum modum ſe habendi potentiæ. Neq; obſtat, quod *ingenitum* videatur relatiuè opponi genito; relatiua autem dicunt rationẽ quandam poſitiuam. Quia ingenitum, & genitum, ſi accipiantur ſecundùm ſuum formale ſignificatum, non relatiuè, ſed contradictoriè opponuntur. Nihilominùs, quia per *ingenitum,* ſolemus intelligere Patrem, & confuſo modo apprehendere per habitudinem ad Filium; ideò ingenitum apprehendimus modo relatiuo, licet præcisè loquendo, non ſit aliquid relatiuum.

Obiectio III. & eius ſolutio.

Obijcitur III. *Contra Corollarium III.* Ingenitum eſt notio Patris, & quædam eius dignitas: ergo non conſiſtit in nuda negatione. *Conſequentia patet*: quia negatio non videtur vllam deferre dignitatem. *Reſpondetur negando conſequentiam*: noſtro enim modo cõcipiendi, eſt quædam dignitas, quòd aliquid à nullo alio habeat ſuum eſſe, neq; poſſit habere, & ſic etiam negatio adfert quandam dignitatem.

QVÆSTIO II.

An Verbum in Diuinis ſit nomen perſonale, proprium Filij, importans reſpectum ad creaturas.

OCcaſionem huius quæſtionis ſumpſit D. Thomas ex varijs hæreſibus.

resibus. Alogiani enim Hæretici teste D. Augustino libro de Hæresibus, hæresi 30. Verbum in Diuinis admittere noluerunt, existimantes illud in diuinis non dici personaliter. Sabelliani quoquè censuerunt, Verbum nō esse rem aliquam subsistentem, sed simplicem quandam conceptionem de carne suo tempore assumendâ, vt refert Sanctus Athanasius oratione contra Gregales Sabellij. Eadem Hæresis fuit Georgij Blandratæ, qui in disputatione habita Claudiopoli in Transyluania dixit: *Verbum illud non asserimus Filium aliquem fuisse, sed Dei rationem agendi, siue voluntatem, mentemquè, quam habuit de exhibendo nobis Redemptore ex semine Dauid.* Hinc ergo D. Thomas sumpsit occasionem tractandi de Verbo, siue de secunda Persona in Diuinis, de qua agit, q. 34. 1. p. per tres articulos, & q. 35. per duos. Quod vt melius intelligatur, duæ sunt in hac materia opiniones.

Opinio prima.

Prima est Durandi in 1. dist. 27. q. 3. qui censuit Verbum in Diuinis simpliciter, & absolutè, esse quid essentiale; ex accommodatione tamen vsus, appropriari Filio, & ita fieri Personale; quemadmodùm Sapientia simpliciter, & absolutè, est quid essentiale, & commune tribus Personis; appropriatur tamen Filio, qui dicitur *Sapientia genita.* Fundamenta istius duo sunt. *Primum*, quia censet Verbum non esse aliud, quàm intelligere, ad cuius rationem non est necessarium, vt sit aliquid productum. Sed intelligere, est essentiale commune tribus Personis: ergo & Verbum est commune ijdem, ac proinde simpliciter, & absolutè est essentiale.

Fūdamēta istius opinionis duo.

Alterum fundamentum, quia censet processiones in diuinis, non esse per intellectum, & voluntatem; sed per naturæ fœcunditatem, proinde Filium non procedere à Patre per intellectum, sed per naturam fœcundam: & sic non esse rationē, cur potiùs secunda Persona, quàm tertia sit Verbum. Vult itaq; Filium non propriè dici Verbum Patris, sed solùm per quandam similitudinem, & appropriationem vocabuli istius *Verbum*, quæ similitudo in eo consistit, quod sicut volitio in nobis præsupponit intellectionem; ita quoq; in Diuinis processio Spiritus Sancti, præsupponat processionem Filij. Pro meliori itaque intelligentia quæstionis.

Secunda in Trinitate Persona dupliciter nominatur.

Suppono I. Secundam in Trinitate Personam dupliciter nominari, videlicet *Filium*: quia procedit per generationem, à prima. & *Verbum*, quia est terminus per intellectionem productus, quæ duæ rationes, Filij, & Verbi, in secunda Persona, solùm ratione nostra distinguuntur, cuius distinctionis sufficiens fundamentum est, conuenientia cum rebus realiter distinctis, Cùm enim in creatis filius à Verbo distingatur realiter; ideò possumus in diuinis concipere Filium, quatenùs conuenit cum filio creato in hoc, quod est prodire per originem viuentis à viuente, in similitudinem naturæ, non cogitando tunc quidquam de Verbo, aut termino intellectionis. Item è contrario possumus illum concipere, quatenùs est terminus productus per intellectionem, non cogitando, an sit in similitudinem naturæ, aut origo viuentis, & sic duo isti conceptus in secunda Trinitatis Persona, sola ratione nostra distinguuntur.

Verbū duplex est.

Suppono II. Verbum esse duplex, *vnum exterius*, quod ore profertur, & de tali verbo hoc loco non agimus: *alterum interius*, quod mente concipitur, estq; ipsius rei intellectæ expressa similitudo, vt docet S. Thomas 1. p. q. 27. ar. 1. Sic loquens: *Quicunq; intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitiâ procedens; quàm quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis, significatū verbo vocis.* Atq; de tali verbo præsens quæstio currit, de cuius ratione est, quod ab alio procedat.

In Verbo duplex respectus cernitur.

Suppono III. Cum S. Thoma 1. p. q. 34. art. 3. In verbo duplicem respectum cerni, *vnum* significantis ad significatum, qui est respectus rationis, conuenitq; Verbo diuino ratione absoluti essentialis communis tribus personis, hoc est, ratione intellectionis essentialis, quam includit. Et ratione huius respectus habent omnia, quæ à Patre intelliguntur, vt Verbo diuino, in ea significatione dicantur, quâ id, quod Verbo significatur, verbo dici consueuit: ac proinde ratione eiusdem respectus, habet Verbum diuinum, vt sit verbum illorum omnium, tanquàm eorum, quæ ipso dicuntur, & significantur. Cæterùm iste respectus, non est proprietas personalis Verbi diuini. *Altera respectus in verbo cernitur, dicti, ac prolati ad dicentem*, qui est respectus realis, constituitq; Verbū Diuinum, vt Verbum, & Filius est. Et ratione huius secundi respectus, habet Verbum Diuinum, quòd dicatur, id est proferatur, producatur, ac generetur à Patre, sitq; Verbum Patris tanquàm dicentis, & proferentis; proinde huiusmodi respectus, est proprietas Personalis Verbi, ac Filij sensus ergo præsentis quæstionis iste est, an Verbum, dicatur personaliter in Diuinis; an verò essentialiter: id est, an sola vna Persona, an verò scientia vt omnibus communis, sit Verbum. Et quòd personaliter dicatur, tenet altera opinio, quæ est S. Thomæ 1. p. q. 34. ar. 1 Magistri sentent. S Bonauenturæ, D. Augustini lib. 6. de Trinit. cap. 2. & lib. 7. cap. 2.

Opinio secunda.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

CONclusio I. Verbum in Diuinis propriè, & strictè loquendo, est nomen personale proprium Filij. *Probatur I.* Ex Scriptura Sacra. Ioan. 1. *In principio erat Verbum*: item, *Verbum caro factum est.* vbi per istam vocem *Verbum*, designatur aliqua Diuina Persona à Patre distincta: quia illud Verbum vocatur *vnigenitus*, & dicitur *esse in sinu Patris.* quæ omnia distinctionem à Patre designant. Item, 1. Ioan. 5. dicitur: Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, *Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* vbi Verbum ponitur tanquàm distincta Persona a Patre, & Spiritu Sancto. Item Apocal 19. de Filio dicitur: *Et vocatur nomen eius Verbum Dei*, vbi numen istud *Verbum* propriè dictum appropriatur Filio. Ergo Verbum in Diuinis est nomen Personale proprium Filio.

Probatur II. Ex Sanctis Patribus. *In primis*, Anacletus epist. 1. ad Episcopos Italiæ in fine dicitur: *Filius est æqualis Patri, quia licet Verbum fuerit abbreuiatum; non tamen diminutio Deitatis in Dei Filio significatur.* S. Ignatius epist. ad Philipp. *Nomine vnus Pater est omnium nostrūm, vnus quoq; est Filius Deus Verbum.* S. Irenæus lib. 4. aduersùs Hæreses, cap. 37. *Adest ei semper Verbum, & Sapientia Filius, Spiritus Sanctus, per quos, & quibus omnia liberè, & spontè fecit.* Et paulò inferiùs: *Verbum, id est Filius, semper cùm Patre erat.* Sanctus Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 2. *Verbum* inquit, *solus Filius accipitur; non simul Pater & Filius, tanquàm vnum Verbum.* Et lib. de Hæres. cap. 12. Alogianos recenset inter Hæreticos, eò quòd negarent Verbum in Deo esse propriè Filiū Dei. Ergo ex mente Sanctorū Patrum, Verbum in Diuinis est nomen personale, proprium Filij.

Verbum in Diuinis est nomen personale proprium Filij.

Probatur III. *ratione.* Verbum in Diuinis propriè, & strictè loquēdo, non est ipsum intelligere, sed esse aliquid productum per intellectum, & terminum intellectionis: si enim Verbum non diceret

talem terminum, tunc non esset ratio, cur potius hoc nomen à Scriptura Sacra tribueretur Filio; quam Patri, & Spiritui Sancto. Jam verò in Diuinis producere, vel produci ab aliquo, pertinet ad rationem nominum personalium, cùm Personæ Diuinæ secundùm originem distinguantur; ideoque licet tota Sanctissima Trinitatis, sit verè intelligens, & intellecta; vna tamen Persona sola est dicens, quæ profert Verbum, scilicet Pater; & vna sola vt Verbum dicta. nimirùm Filius. Ergo Verbum in Diuinis & nomen personale proprium Filio. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Verbum in Diuinis dicitur interdum essentialiter, sed impropriè.

Corollarium I. Verbum in Diuinis dicitur interdùm essentialiter, sed impropriè, & metaphoricè: quod ex eo patet: quia dùm quærunt Theologi, an Beati aliqua videant formaliter in Verbo, tunc Verbum non sumunt personaliter, sed essentialiter: proinde hunc sensum faciunt, an Beati videant aliqua in Diuina essentia, id est, ex vi ipsius claræ visionis diuinæ essentiæ. Hanc autem significationem esse metaphoricam, & impropriam constat ex eo: quia diuina essentia non est producta, ac proinde non est terminus, qui se habeat tanquàm similitudo producta obiecti; dicitur tamen *Verbum* solùm similitudine quadam ex eo desumptà, quòd quemadmodùm in Diuinis Filius est similis Patri, cumq; repræsentat; ita diuina essentia cætera eminenter continens, possit ea repræsentare; nihilominùs cum eo discrimine, quòd Filius id habeat ex modo, & speciali ratione suæ productionis; essentia verò diuina id non recipiat per productionem. Vnde Verbum in Diuinis propriè dicitur personaliter, & tanquam proprium nomen secundæ Personæ.

Esse Verbum conuenit secundæ Personæ ab æterno.

Corollarium II. Esse Verbum conuenit secũdæ Personæ ab æterno. Vnde illa Persona non dicitur Verbum propter assumptam humanitatem, sed ratione sui esse æterni, secundùm quòd à Patre æterno procedit per generationem intellectualem. Verbum itaq; Diuinum, est secunda Trinitatis Persona, cui per ipsum Verbum loquitur Pater: in eadem enim numero Persona, hoc duo coincidunt. *Ratio*: quia Pater non aliter loquitur Filio, quàm ipsum producendo, & ei communicando intellectionem. Est autem hoc discrimen inter Verbum Diuinum, & nostrum; quia nos per nostrum verbum nobis metipsis loquitur; Pater autem æternus per suum Verbum, non sibi, sed ipsimet Verbo, seu Filio loquitur.

Corollarium III. De ratione Verbi est, esse verè productum intelligendo. *Ratio*: quia hæc est proprietas Filij, complens Filium in esse Filij, ac Verbi. Vnde fit, vt nomen *Verbum*, prout de Diuinis dicitur, sit nomen personale proprium Filij, quà Filius est.

Pater Verbo dicit se & creaturas.

Corollarium IV. Verum est dicere, *Pater dicit Verbum*: similiter, *Pater Verbo dicit se, & creaturas.* Ratio *primi*: quia Pater æternus intelligendo verè producit Verbum, per quod tanquàm per subsistentem sui similitudinẽ sibi repræsentatur, & per quod etiam repræsentantur creaturæ. Proinde, priori propositione denotatur certi generis productio; posteriori verò denotatur res significata, & repræsentata per huiusmodi terminum.

Spiritus S. in quo sensu dicitur Verbũ Filij.

Corollarium V. Quando Sanctus Basilius lib. 5. contra Eunomium cap. 11. Spiritum Sanctum vocat Verbum Filij, sumit Verbum impropriè, pro eo, quod *procedit*, licet nõ per generationem. Quod eo fine fecit, vt ostenderet Spiritum Sanctum esse qui Filium nobis manifestauit; quemadmodùm Verbum solet manifestare conceptus. Similiter, quando Sanctus Anselmus cap. 6. Monologij censet, quod *dicere*, sit commune tribus Personis, dùm inquit, *Pater est dicens, Filius est dicens, Spiritus Sanctus est dicens*: verbum *dicere*, latè, & impropriè sumit, pro *intelligere*. Nam licet intelligere competat omnibus Personis; dicere tamen soli Patri: quia solus Pater intelligendo producit, & ita solus dicit: similiter solus Filius producitur, tanquàm terminus intellectionis, ac proinde solus est Verbum propriè loquendo. *Dicere* itaque non est propriè idem, quod *intelligere*; sed est intelligendo producere.

Discrimen inter dicere, & intelligere.

Vnde *dicere* duo includit, *vnum* in obliquo, scilicet *intelligere*: alterum in recto, nimirùm relationem Personæ producentis per intellectum, ad Personam productam, id est, relationem Patris ad Filium, quæ relatio per modum relationis significatur. Atque hoc est discrimen inter intelligere, & dicere, in rebus spiritualibus: quia *intelligere* importat solàm habitudinem intelligentis ad rem intellectam; at verò *dicere* importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum, seu ad terminum ipsius intellectionis: in illo nulla importatur originis ratio; in isto verò maximè. Vnde facilè patet: vtrumque fundamentum Durandi in opinione prima relatum, falsum esse. *Primum* enim est contra Philosophiam, iuxta quam verbum mentis, non est ipse actus intelligendi, sed est aliquid productum per actum intelligendi, quod sit veluti imago, seu expressa species rei cognitæ, & intellectæ. Et *ratio est*: quia si verbum mentis esset vera actio intellectûs, tunc deberet per eam produci aliquis terminus; qui tamen non posset esse alius; quàm expressa similitudo rei intellectæ, quæ nihil aliud est, quàm verbum mentis: & sic actio intelligendi, non esset ipsum verbum, sed terminaretur ad verbum. *Alterum etiam fundamentum*, pugnat contra Thologiam, quæ duas tantùm in diuinis processiones admittit, vnã per intellectum, alteram per voluntatem.

Verbum Diuinũ includit respectum ad creaturas.

Conclusio II. Verbum diuinum includit respectum ad creaturas. Ita Sanctus Thomas q. 34. ar. 3. *Probatur.* Deus cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam: ergo Verbum diuinum est repræsentatiuum omnium creaturarum. *Antecedens ab omnibus admittitur. Consequentia probatur*: quia sicut in nobis verbum mentis, est actualis quædam repræsentatio rei intellectæ; ita quoq; Verbum diuinum, est actualis repræsentatio eorum, quæ Deus Pater intelligit intelligit autem essentiã suam, Personas, & creaturas: ergo Verbũ Diuinũ hæc omnia repræsentat. *Tum*, quia Pater æternus, Verbo per æternam generationem communicat omnem suam scientiam, & cognitionem, & essentiam, per quam creaturas repræsentat, ac cognoscit: ergo in nomine Verbi importatur respectus ad creaturas. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Respectus Verbi Diuini ad creaturas non est realis, sed rationis.

Corollarium I. Iste respectus non est realis, sed rationis. *Ratio*: Tum quia nullus datur respectus realis in Deo ad creaturas. *Tum*, quia est respectus significantis, ad rem significatam, scilicet ad essentiam, tres Personas, & creaturas, quas repræsentat, qui est respectus rationis. Respectus tamen Verbi Diuini ad Patrem dicentem, & vicissim Patris dicentis ad Verbum dictum, est, realis, nihilq; est aliud ex parte Verbi; quàm filiatio, seu natiuitas; ex parte verò Patris, paternitas, seu generatio actiua.

Corollarium II. Verbum Diuinum differt à verbo mentis nostræ in repræsentatione. *Ratio*: quia nos non solùm producimus,

ſeu dicimus Verbum, ſed etiam illo mediante dicimus obiecta, quæ nobis repræſentamus, & per Verbum intelligimus. In Diuinis autem Pater non intelligit alia mediante Verbo, tanquam vitali ſimilitudine ſibi inexiſtente: proinde Verbum diuinũ ſolùm habet, quòd ſit terminus per intellectionẽ productus, qui poſſit repræſentare non tantùm Patri dicenti, ſed etiam ſibi, Spiritui Sancto, & Beatis. Quia etiam his Filium clarè videntibus innoteſcit, quòd Verbum ratione ſuæ proceſſionis ſit repreſentatiuum.

Verbũ Diuinũ creaturarũ non ſolùm expreſſiuum, ſed & operatiuũ eſt.

Corollarium III. Verbum Diuinum, eius quod in Patre eſt, ſolùm eſt expreſſiuum; creaturarum verò & expreſſiuum, & operatiuum. *Ratio*: quia ſcientia Dei eſt ipſius cognoſcitiua tantùm; creaturarum verò etiam factiua. Vnde reſpectus Verbi, ſicut & ſcientiæ Dei, ad creaturas poſſibiles neceſſarius eſt; ad creaturas verò in aliqua temporis differentiâ exiſtentes, liber.

Corollarium IV. Id, per quod Verbum repræſentat creaturas, non eſt Perſonalis proprietas, ſed Diuina eſſentia, & cõſequenter eſt ratio reſpectûs ad creaturas Verbo. *Ratio*: quia Verbum duobus modis poteſt concipi manifeſtare creaturas, & tanquàm cognoſcens, & per modum obiecti repræſentatiui. Sed vtrumq; conuenit Verbo ratione eſſentiæ, non ratione proprietatis Perſonalis, cùm Diuina eſſentia, ſit illi ratio eminentialis continentiæ creaturarum, per modum obiecti cogniti inducentis in earum notitiam, ſiquidem hæc eminentialis continentia, oritur ex ratione cauſæ æquiuocæ, ac primæ, quæ ratio cõmpetit Verbo per ſuam eſſentiam; non verò per proprietatem Perſonalem. *Deinde*, quia cognoſcere competit Verbo ratione Deitatis, quod eſt commune tribus Perſonis. Nihilominùs relatio, ſeu Perſonalis proprietas Verbi, eſt illi conditio, ſine qua peculiari modo nõ repræſentaret: quia ſi non procederet per intellectum, non haberet hoc, quòd modo peculiari non repræſentaret, id eſt, tanquàm ſimilitudo producta, & per quam creaturæ dicantur.

Corollarium V. Licet Diuina eſſentia ſit cõmunis omnibus Perſonis, & ratione illius omnes, ac ſingulæ Perſonæ, dici poſſint repræſentare creaturas; Verbum tamen peculiari quadam ratione eas reſpicit, ac repræſentat, propter rationem proximè allatam, quia ſcilicet in alijs Perſonis non habet eam conditionem, quam habet in Filio, ſeu Verbo. Hinc ſtatim patet, reſpectum, quem dicit Verbum ad Patrem, & Spiritum Sanctum, in ratione repræſentatiui, non eſſe realem, ſed rationis. Quia fundamentum huius reſpectus, eſt diuina eſſentia, ac intellectio, & per conſequens iſtud fundamentum eſt idem cum alijs Perſonis, proinde Verbum non poteſt ratione illius referri ad alias Perſonas relatione reali: ſiquidem fundamentum realis relationis, neceſſariò debet diſtingui ab eo, ad quod refertur aliquid ratione talis fundamenti, cùm ipſummet fundamentum tranſcendentali quodam reſpectu referatur ad illud aliud; diuina autem intellectio eſt communis, & identificata Perſonis.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I *contra Concluſionem primam*. Omnia quæ ſunt de intrinſeca ratione Verbi, conueniunt Diuinæ eſſentiæ, non Perſonæ: ergo nomen Verbi propriè, & ſtrictè loquendo, non eſt Perſonale, ſed potius eſſentiale. *Antecedens probatur*. De intrinſeca ratione Verbi eſt, eſſe id, quo intelligens intelligit, eſſe rationem intelligendi, ac inſuper repræſentare rem intellectam. Sed hæc omnia nulli Perſonæ ſecundùm ſibi propria conueniunt, verùm ſoli diuinæ eſſentiæ.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando Antecedens. *Ad eius probationem dicitur*, de ratione quidem intrinſeca Verbi eſſe id, quo intelligens intelligit, & rationem intelligendi, ſed non quacunq; intellectione, verùm eâ, quæ eſt *dictio*, cùm ſit terminus dictionis productus per illam, & id quo res dicitur, vel exprimitur ab intelligente; hoc autem non conuenit eſſentiæ diuinæ, ſed Perſonæ Filij. Similiter repræſentare rem intellectam, Verbo conuenit vt aliquid expreſſum, & prolatum à dicente, quod non eſſentiæ ſecundùm ſe, ſed Filio conuenit.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. Verbum ſecundùm ſuam rationem formalem, eſt quid abſolutum, ſicut & ſapientia: ergo propriè eſſentialiter dicitur in diuinis; perſonaliter autem ſolum dicitur per appropriationem, ſicut & ſapientia. *Confirmatur*. Amor propriè nõ dicitur perſonaliter in diuinis: ergo neque Verbum. *Conſequentia patet*: quia ſicut ſe habet Verbum ad intellectum, ita Amor ad voluntatem.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando Antecedens. Ad confirmationem quoque *negatur conſequentia*. Ratio diſcriminis eſt: quia amor non nominat primò, & per ſe terminum productum, ſed actionem voluntatis; Verbum autem terminum productum per dictionem, primò, & per ſe nominat.

QVÆSTIO III.

An imago in Diuinis ſit nomen perſonale ſoli Filio proprium.

Opiniones duæ.

PRima opinio eſt Durandi in 1. ſent. diſt. 28. q. 3. qui negat nomen imaginis propriè vſurpari in Diuinis, ſolumq; latiori ſignificationi illud tribuit; & ideò cenſet hoc nomen non ſolum conuenire Filio, ſed etiam Spiritui Sancto.

Altera opinio eſt Theologorum communis cum Sancto Thoma 1. p. q. 35. ar. 1 & 2. Qui affirmant hoc nomen propriè Deo tribui, & in propria ſignificatione ſoli Filio conuenire: ideò pro reſolutione quæſtionis.

Ad veram rationem imaginis duo requiruntur.

Suppono I. Ad veram, & propriam rationem imaginis, duo requiri. *Primum*, vt ſit producta; & ideò Pater æternus nullus eſt imago, quia improductus. *Alterum* requiritur, vt imago exprimatur ad repræſentandum. Triplex autem imago ſolet aſſignari iuxta triplicem ſimilitudinem ab alio expreſſam, videlicet artificialis, quæ in re artificiali, vti eſt ſtatua, tabella, exprimitur ad repræſentandam figuram alterius. Et hæc eſt omnium imperfectiſſima, quia importat ſimilitudinem in aliqua tantùm qualitate, quæ deſignat rationem ſpeciei, puta figura. *Altera imago eſt intentionalis*, vti eſt ſpecies impreſſa, & expreſſa, quæ in nobis eſt cognitio, non ſolum ex eo, quòd in ſe ſit magis ſimilis obiecto formaliter, quàm amor; ſed quia ſicut imago artificialis facit nos venire in cognitionem repræſentati; ita etiam cognitio per ſeipſam formaliter repræſentat obiectum. Et hæc ſecundum obtinet gradũ, quia importat ſimilitudinem non tantùm in ſigno ſpeciei; verùm etiam in ipſa ſpecie, ſeu naturâ, ſub modo tamen eſſendi intelligibili, aut intentionali. *Tertia imago eſt naturalis*, ad repræſentandum alium naturaliter producta, cuiuſmodi imago eſt Filius reſpectu Patris. Et hæc eſt omnium perfectiſſima, quia importat ſimilitudinẽ in ſpecie, ſeu naturâ, ſub modo eſſendi naturali, ſeu entitatiuo.

Suppono II. Ex D. Thoma ſupra citato ar. 1. tria eſſe de ratione imaginis

imaginis. *Primum*, quòd ſit ſimilitudo. *Alterum*, quòd iſta ſimilitudo non ſit quæcunque, ſed perfecta, nimirum ea, quæ eſt in ſpecie rei, aut ſaltem in aliquo ſigno ſpeciei: vti eſt figura in rebus corporeis. Vnde ſimilitudo in gradu generico, aut analogo, aut in accidentibus communibus, non ſufficit ad rationem imaginis: ſic vermiculi in homine producti, non ſunt ipſius imagines: aut ſi depingatur color alicuius rei in pariete, non dicitur eſſe imago, niſi depingatur figura. Tertium requiſitum eſt origo, hinc Sanctus Auguſtinus lib. 83 quæſtionum, docet vnum ouum licet ſit perfectè ſimile alteri, non eſſe imaginem illius, quia non eſt de illo expreſſum, ſeu productum.

Suppono III. Rationem imaginis duplicem importare reſpectum, *vnum* producti ad producentem, qui ſemper eſt realis, cùm inter producens, & productum, ſemper debeat eſſe diſtinctio realis: *alterum* ſimilitudinis ad exemplar, ſeu prototypum in natura, ſeu ſigno naturæ, & hæc tunc eſt realis, quando natura in qua fundatur, eſt realiter diſtincta in prototypo, & imagine, vt contingit in creatis; tunc verò eſt rationis, quando eadem numero natura in vtroq; exiſtit; quemadmodûm fides docet de Perſonis diuinis.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Imago in Diuinis eſt nomen Perſonale, ſoli Filio proprium.

CONCLUSIO. Imago in Diuinis eſt nomen Perſonale, ſoli Filio proprium. *Probatur I pars concluſionis*, authoritate Diui Auguſtini lib. 7. de Trinit. cap. 1. poſt medium vbi dicit: *Quid abſurdius, quàm imaginem ad ſe dici.* Sed quod non dicitur ad ſe, dicitur relatiuè, ſeu perſonaliter: ergo imago in Diuinis dicitur perſonaliter, proinde non eſt nomen eſſentiale, ſed perſonale, cum omnia eſſentialia in Deo, dicantur abſolutè, non relatiuè. *Præterea*, quia de ratione imaginis eſt, procede ab alio: ergo imago non eſt nomen eſſentiale, ſed perſonale, cùm in Diuinis ſolis Perſonis competat procedere. *Tandem*, quia imago in Diuinis non poteſt competere reſpectu creaturarum, cùm Deus non dicatur ſimilis ſuæ creaturæ; quod tamen requireretur ad hoc, vt eſſet imago creaturarum: ergo competit ad intra. Sed ad intrà nō poteſt competere eſſentiæ, niſi Perſonæ: quia imago debet diſtingui ab eo, cuius eſt imago; in diuinis autem eſſentialia non diſtinguuntur ab vllo, quod in Deo reperitur: quoniam eſſentialia ſunt in Perſonis cum ſumma identificatione à parte rei: ergo competit Perſonæ, & conſequenter eſt nomen Perſonale.

Probatur deinde *Altera pars concluſionis* I. ex Scriptura Sacra ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini Filij ſui.* Ad Coloſſen. 1. vbi de Filio dicitur: *Qui eſt imago Dei inuiſibilis.* Ad Hebr. 1. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Ergo nomen imaginis, ſoli Filio proprium eſt, cùm illud Scriptura Sacra nulli alteri Perſonæ diuinæ in propria ſignificatione tribuat.

Probatur II. authoritate Sanctorum Patrum. *in primis* S. Auguſtini lib. 7. de Trinit. cap. 7. vbi dicit: *Id dici accipiamus, cùm dicitur Verbum, ac ſi dicatur nata ſapientia, vt ſit, & Filius, & imago. Et hæc duo cùm dicuntur, id eſt, nata ſapientia, in vno eorum eo quod nata eſt, & Verbum, & imago, & Filius intelligatur.* Deinde Sanctus Athanaſius epiſtola de Decretis Nicænæ Synodi, paulò ante medium dicit: *Et quandoquidem vnus eſt Deus, neceſſarium eſt quoq; vnam eſſe Dei imaginem, quæ ipſius eſt Filius.* Ergo ex mente

mente Sanctorum Patrum, nomen imaginis ſoli Filio proprium eſt.

Probatur III. *ratione.* Sola ſecunda Trinitatis Perſona eſt Filius: ergo hæc ſola eſt imago. *Conſequentia probatur.* In Trinitate nihil ad intra poteſt requiri, & ſufficere ad rationem Filij, quod non requiratur, & ſufficiat ad rationem imaginis: ergo in Diuinis ſoli illi Perſonæ competit ratio imaginis, cui competit ratio filiationis, ſeu eſſe Filium; hæc autem ratio ſoli ſecundæ Trinitatis Perſonæ competit. *Antecedens deducitur.* Ad rationem Filij requiritur, vt procedat tanquam ſimilis in natura cum Patre producente, idq; ſufficit. Sed hæc ratio etiam requiritur, vt aliquid dicatur imago in Diuinis, cùm in nullo alio cerni poſſit conuenientia in Diuinis; quàm in natura: proinde talis ſimilitudo omninò requiritur ad rationem imaginis in Diuinis. Vnde cùm ſufficiat, quòd terminus ex vi ſuæ productionis, ſeu proceſſionis, ſit ſimilis ſuo principio producenti in natura, ideò ſequitur, nihil poſſe in diuinis requiri, & ſufficere ad rationem Filij, quod non ſufficiat, & requiratur ad rationem imaginis. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Filius in Diuinis eſt naturalis imago Patris.

Corollarium I. Filius in Diuinis eſt naturalis imago Patris. *Ratio*: quia procedit ſimilis formaliter in natura, iuxta illud ſcripturæ: *Ego & Pater vnum ſumus.* vbi vox *vnum*, denotat perfectam eſſentiæ ſimilitudinem, ac vnitatem) eò, quòd procedat per intellectionem; quidquid autem procedit per intellectionem, procedit formaliter, & ex vi ſuæ proceſſionis ſimile intelligenti, cùm intellectio habeat pro termino verbum internum, quod eſt ſpecies, ſeu ſimilitudo, vel imago expreſſa rei intellectæ.

Corollarium II. Ratio imaginis in Diuinis, non petitur à ſola diuina natura, neq; à ſola relatione filiationis, ſed ab vtroque ſimul ſumpto. *Ratio:* quia ad imaginem duo ſpectant, *vnum*, eſſe ſimilem illi, ad cuius imitationem prodocitur, & hoc conuenit Filio ratione eſſentiæ: nam ratio ſimilitudinis; & conuenientiæ, à natura petitur, & ſumitur. *Alterum*, eſſe quid productum ab alio, & ab eo diſtinctum, & hoc conuenit Filio ratione relationis, id eſt filiationis. Principaliùs tamen prouenit à ratione eſſentiæ: quia ratio imaginis præcipuè petitur ex eo, in quo cum repræſentato conuenit; hoc autem eſt eſſentia, in qua Filius eſt idem cum Patre.

Corollarium III. In ſecunda Trinitatis Perſona ex eodem capite petitur, quòd ſit Filius, quòd ſit Verbum, & quòd ſit imago. *Ratio*: quia ſecunda Perſona ideò dicitur Filius, quòd procedat à principio viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ eiuſdem numero; cùm autem in Diuinis nulla ſit alia origo, quàm per principia vitalia, & vitali modo, inde fit, vt ſecunda Perſona debeat hoc modo procedere. Et quoniam inter ea, quæ per vitales operationes procedūt, ſolus terminus intellectus eſt ſimilis ſuo principio, ex vi ſuæ proceſſionis, ſoluſque, ſit repræſentatiuus; ideò ſecunda Perſona debet procedere, vt terminus intellectionis, & per conſequens vt Verbum. Et quia tàm Filius, quàm Verbum procedit vt repræſentatiuum; ideò Filius, & Verbum eſt imago.

Nomina ſecundæ Perſonæ, Filius Verbum, & imago, non ſunt ſynonyma.

Corollarium IV. Hæc tria nomina, Filius Verbum, & imago, ſecundæ Perſonæ, non ſunt Synonyma. *Ratio*: quia ſub alio, & alio conceptu eam repræſentant: nam *ratio imaginis* in genere, abſtrahit à ratione Verbi, & Filij: *ratio pariter Verbi*, abſtrahit à ratione

Filij,

Filij, & vicissim ratio Filij, abstrahit à ratione Verbi.

Corollarium V. Spiritui Sancto non conuenit *ratio imaginis*. Ratio est: quia Spiritus Sanctus licet participet eandem naturā cum Patre, & Filio; non tamen producitur similis ex vi suæ processionis, proinde non producitur tanquam repræsentatiuus sui principij productiui. Hoc autem ideò fit: quia Spiritus Sanctus producitur per voluntatem, & tanquam terminus illius, proinde modus quo procedit, non est assimilatiuus principio, cum de ratione amoris non sit similitudo speciei, ad id, à quo procedit. Quod vt meliùs intelligatur.

Modus operandi intell. & voluntatis in quo differunt.

Sciendum est, modum operandi intellectus, & modum operandi voluntatis, in hoc differre, quòd intellectus intelligendo formet vitalem rei similitudinem; ita vt intellectus ex suo modo tendendi in obiectum, repræsentet res; voluntas verò nō tendit in obiectum illud repræsentando, neq; terminus voluntatis ex sua ratione generica est repræsentatiuus, vel repræsentatio formalis, sed est vitalis quædam inclinatio, & impulsus in rem: & ideo Spiritus Sanctus ex vi suæ productionis, non procedit vt similis, cùm Pater, & Filius, se mutuò amantes, producant amorem personalem, seu Spiritum Sanctum, per modum termini, amoris, & tanquam nexum sui inuicem; non autem similitudinem sui.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra Conclusionem.* Genes. 1. dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* vbi nomen *imago* videtur esse commune toti Trinitati. Similiter quando Fulgentius libro de fide ad Petrum cap. 1. dicit: *Vnam esse Sanctissimæ Trinitatis diuinitatem, & imaginem ad quam factus est homo*: ergo imago in Diuinis potiùs est nomen essentiale. *Respondetur negando consequentiam*: nam ex citato Geneseos loco nō habetur, nomen imaginis etiam impropriè tribui Sanctissimæ Trinitati, sed solum ibi nomen imaginis refertur ad hominem, de quo dicitur *faciamus*, vt sensus sit: faciamus hominem nostri imaginem, seu qui sit nostra imago, & similitudo. Quod ipsum indicat citata Fulgentij verba, qui dum in numero singulari dicit *imaginem*, ostendit, vnam naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret, & quam tanquàm imago repræsentaret, scilicet imperfectè. Est ergo in homine Dei imago, & similitudo licet imperfecta, quatenus scilicet præditus est intellectu, & voluntate, estq; Dominus suarum actionum, in quo imitatur aliquomodò diuinam naturam.

Solutio eiusdem.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. Multi Græci Patres, Spiritum Sanctum vocant imaginem Filij, vt Sanctus Basilius lib. 5. contra Eunomium cap 12. & Sanctus Damascenus lib. 1. de Fide, cap. 13. Ergo Spiritui Sancto conuenit ratio imaginis. *Respondetur negando cōsequentiam*: nam citati Sancti Patres, nomen *imaginis* impropriè sumunt, attendentes ad conuenientiam Spiritus Sancti cum Filio, in eadem numero naturâ diuinâ, & quòd à Filio producatur. Quemadmodum etiam idem Basilius, propter processionem Spiritus Sancti à Filio, vocat illum Verbum Filij, sed impropriè. Vnde Filius in Diuinis, solùm est imago Patris: quia à solo Patre & Filio per intellectū procedit; imago autem debet produci ab eo, cuius dicitur imago, saltem mediante eius conceptu.

Solutio eiusdem.

Neque obstat, quòd Filius procedat ex notitia creaturarum, vt quæstione sequenti patebit, & sic videatur esse imago illarum: quia illa notitia nōn sumitur à creaturis, vt ab obiecto motiuo, & tanquàm specie, sed solum tanquam ab obiecto terminatiuo, quod non sufficit, vt censeatur earum imago.

QVÆSTIO IV.

An Verbum Diuinum procedat, tàm ex cognitione eorum, quæ sunt formaliter in Deo; quàm ex cognitione creaturarum possibilium?

Occasio quæstionis.

QVia secunda Persona in Diuinis procedit per intellectionem, & intellectio respicit aliquid tanquàm obiectum, quod cognoscitur, ideò controuersia oritur, ex quarumnam rerū cognitione procedat Verbum, non tanquam principij productiui, sed tanquam obiecti necessariò cogniti, & tali modo se habentis ad intellectionem, per quam producitur Filius. Et quoniam varia sunt, quæ concipiuntur à Deo intelligi, videlicet diuina essentia, attributa communia, Persona Patris, qui est principium Filij, & aliæ duæ Personæ, ac tandem creaturæ, tum sub esse possibili spectatæ, tum sub esse realis existentiæ, & vt terminant diuinam cognitionem intuitiuam.

Opiniones in præsenti materia.

Circa I *igitur quæstionis punctum*, duæ sunt magis celebres opiniones. *Prima* Scoti in 2. dist. 1. q. 1. ar. 2. qui censet Verbum Diuinum procedere ex cognitiōne solius essentiæ Diuinæ. *Altera* est communior Theologorum, asserens Verbum Diuinū procedere ex cognitione Diuinæ essentiæ, attributorum, & Personarum. *Circa* II. *etiam quæstionis punctum*, tres sunt opiniones; *Prima* simpliciter negat, Verbum Diuinum procedere ex cognitione creaturarum possibilium. Hanc tenet Scotus supra citatus, Gamachæus q. 33. circa II. conclusionem. *Altera affirmat*, Verbum Diuinum procedere ex cognitione creaturarū etiam spectatarum quoad existentiam, seu ex scientia visionis earum. Hanc sequuntur aliqui Thomistæ, & ex Neotericis Valentia, disp. 2. q. 8. puncto 2. & Zuniga disp 9. dub. 7. *Tertia tandem affirmat*, Verbum procedere ex cognitione creaturarum possibilium, eaq; necessariâ, non liberâ, proinde ex cognitione, seu scientiâ simplicis intelligētiæ creaturarum; non verò ex scientia visionis earundem. Hanc tenet D. Augustinus lib. 83 quæst. 9. 63. & lib. 15. de Trinit. cap. 14. Sanctus Thomas 1. p. qu. 44. art. 3. Caier. ibidem & cōmuniter Theologorum sententia.

Deus vnica simplicissima cognitione & se, & creaturas cognoscit.

Suppono itaque I. Cùm Pater intelligendo producat Filium, sicut Pater, & Filius amando producunt Spiritum Sanctum; ideò ista intellectio, seu cognitio Dei, quæ est vnica, & simplicissima secundùm rem, extendit se ad omne intelligibile, nimirum ad Diuinam essentiam, eius attributa, perfectiones omnes, Personas, ac creaturas, *tum* sub esse possibili, *tum* sub esse futuro spectatas, imò etiam ad non entia. Proinde Deus vnicâ simplicissimâ cognitione intelligit se, & omnes creaturas possibiles, id est, quia illa vnica cognitio Dei, attingit omnia prædicata essentialia, & accidentalia, quæ conueniunt creaturis, estq; distinctà non ex parte cognoscentis, sed ex parte obiecti cogniti.

Suppono II. Ad hoc, vt Verbum per intellectionem, seu cognitionem producatur, non sufficit, quòd Pater, qui producit Filium, seu Verbum, cognoscat omnia intelligibilia, sed requiritur, vt illa ipsa cognitio terminetur ad ea omnia, tanquàm ad obiectum cognitum: nam obiecta priori modo spectata, solùm materialiter se habent ad notitiā, quatenùs per eam Verbum producitur; spectata verò posteriori modo, requiruntur per se in

ſe in ratione obiecti cogniti, ad Filij generationem.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Verbũ Diuinum procedit ex cognitione omnis intelligibilis.

CONcluſio. Verbum Diuinum procedit ex cognitione omnis intelligibilis, id eſt, diuinæ eſſentiæ, attributorum eius, trium Perſonarum Diuinarum, & creaturarum poſſibilium. *Probatur* I. authoritate D. Auguſtini lib. 15. de Trinit. cap. 14. *Deus Pater* inquit, *non integrè perfectèq́ ſeipſum dixiſſet, ſi aliquid eſſet minus in Verbo, quàm in ſeipſo.* Et ibidem cap. 15. ait de Patre: *Nouit omnia Deus Pater*: & de Verbo: *De ſcientia Patris natum eſt.* Quibus verbis docet, Verbum Diuinum eſſe de omnibus, quæ ſunt in ſcientia Dei. Sed ſub ſcientiam Dei cadunt eſſentia Diuina, attributa, Perſonæ omnes, & creaturæ poſſibiles: ergo Verbum Diuinum ex cognitione horum omnium procedit.

Probatur II. authoritate Sancti Thomæ 1. p. q. 34. ar. 1. ad 3. vbi S. Doctor ita dicit: *Pater intelligendo ſe, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ in eius ſcientia continentur, concipit Verbum, vt ſic tota Trinitas Verbo dicatur, & omnis creatura.* Ergo iuxta D. Thomam, Verbum Diuinum procedit ex cognitione Diuinæ eſſentiæ, attributorum, Perſonarum, & creaturarum poſſibilium.

Probatur III. Verbum Diuinum procedit ex cognitione eorum omnium, quorum eſt naturaliter, ac neceſſariò expreſſiuum, & repræſentatiuum. Sed prædicta omnia naturaliter exprimit, & repræſentat: ergo ex cognitione horum omnium procedit. *Maior patet*: quia vt loco citato D. Thomas dicit: Verbum mente conceptum, eſt repræſentatiuum omnis eius, quod actu intelligitur: ergo procedit ex cognitione eorũ omnium, quorum eſt naturaliter, & neceſſariò expreſſiuum, ac repræſentatiuum. *Minor etiam manifeſta*: quia Verbum naturaliter, ac neceſſariò repræſentat omnia, quæ Deus naturaliter cognoſcit. Sed Deus omnia enumerata naturaliter cognoſcit: ergo Verbum ex cognitione horum omnium procedit.

Probatur IV. Verbum Diuinum procedit ex cognitione Patris nobiliſſimâ, ac perfectiſſimâ, qualis eſt ſola comprehenſiua cognitio eſſentiæ Diuinæ. Sed comprehenſiua cognitio eſſentiæ Diuinæ, eſt cognitio eorũ omniũ, quæ tam formaliter, quàm eminenter in eſſentia Diuina continentur, cuiuſmodi ſunt omnia ſuperiùs enumerata: ergo Verbum Diuinum procedit ex cognitione eorum omnium. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Ad productionẽ Verbi requiritur, vt Pater ſeipſum cognoſcat.

Corollarium I. Ad productionem Verbi Diuini requiritur, vt Pater etiam ſeipſum cognoſcat, id eſt, vt non ſolùm cognoſcat Diuinam naturam, ſed etiam ſuam Perſonalitatem. *Ratio* I. quia Verbum, ſeu Filius, ex vi ſuæ proceſſionis procedit, vt ſimilis Patri: ergo debet procedere ex notitia, quâ Pater ſeipſum intelligit. *Conſequentia manifeſta*: quia Pater non poteſt modo intelligibili producere ſui imaginem, niſi ſeipſum cognoſcendo, vt patet in verbo creato, quod non dicitur ſimilitudo hominis intelligentis, ſi ſola eius natura in abſtracto intelligatur. *Ratio* II. quia Verbum procedit ex comprehenſiua notitiâ Patris, quæ neceſſariò requirit notitiam relationis, id eſt paternitatis, vt potè ſummè identificatæ à parte rei cùm natura diuina, per quam relationem prima Perſona conſtituitur in eſſe Patris.

Ad productionẽ Verbi, requiritur etiam notitia aliarum Perſonarum.

Corollarium II. Ad productionem Verbi, requiritur etiam notitia aliarum Perſonarum, nimirùm

rùm ipſiuſmet Verbi, & Spiritus Sancti. *Ratio* I. quia ad productionem Verbi, requiritur comprehenſiua notitia eſſentiæ Diuinæ, quæ non poteſt haberi ſine notitia Perſonarum, cùm neceſſariò habeat Diuina eſſentia eſſe exiſtentiæ in tribus Perſonis, idq́; ex intrinſeca, & eſſentiali ſua conditione, & per ſummam cum illis identificationem. *Ratio* II. quia ad productionem Verbi requiritur cognitio Patris, vt iam oſtenſum eſt; Pater autem non poteſt comprehendi, ſine aliarum Perſonarum notitiâ, cùm Perſonæ Diuinæ ſecundum eſſe perſonale neceſſariò exiſtant, proinde limitatè à Deo cognoſci non poſſint, niſi omnes ſimul comprehendantur.

Corollarium III. Si cognitio, ex qua procedit Verbum, non eſſet cognitio creaturarum poſſibilium, tunc illa cognitio non eſſet infinitè perfecta. *Ratio*: quia poſſet dari alia perfectior, nimirùm cognitio, quâ cognoſcitur Diuinitas, & ſimul creaturæ.

Cognitio ex qua procedit Verbum Diuinum, reſpectu diuinarum Perſonarum eſt intuitiua.

Corollarium IV. Cognitio ex qua procedit Verbum Diuinum, reſpectu Diuinarum Perſonarum, eſt intuitiua. *Ratio*: quia ad cognitionem viſionis, ſeu intuitiuam ſufficit, quòd ea, quæ taliter cognoſcuntur, ſint ſimul duratione, cuiuſmodi ſunt omnes diuinæ Perſonæ. Licet ergo cognitio hæc, vt ſit viſionis, id non habeat ex eo capite, quòd noſtro modo intelligendi cum fundamento in re, nondum Verbum intelligatur in illo priori exiſtere in eſſentia; id tamen habet ex eo capite, quòd ſimul duratione exiſtat, atq; hoc ſufficit, vt cognitio illa ſimpliciter dicatur *viſionis*; non autem ſimplicis intelligentiæ. *Ratio* II quia in primis illa cognitio ex qua procedit Verbum Diuinum, eſt intuitiua Verbi: licet enim ſit prior origine ipſo Verbo, tamen vt productiua illius, habet illud pro termino, & ſic ad illud vt præſens terminatur. Eſt etiam intuitiua Spiritus Sancti: quia licet illa cognitio ſit prior ordine rationis; tamen à parte rei ſimul exiſtunt illa, Verbum, & Spiritus Sanctus, in eodem nunc æternitatis, neq́; vnum eſt prius altero duratione aliquâ. Quod ſufficit, vt illa cognitio ſit intuitiua, cùm prioritas rationis noſtræ non impediat, vt aliqua cognitio ſit intuitiua. Nam cognitio eſſentialis Dei, eſt prior ordine rationis, quàm Diuinæ Perſonæ; & tamen eſt intuitiua illarum, eò quòd Perſonæ Diuinæ in re coexiſtant illi cognitioni in eadem menſura, & duratione reali.

Verbũ non procedit ex cognitione intuitiua creaturarum.

Corollarium V. Verbum Diuinum non procedit ex cognitione intuitiuâ creaturarum: neq́; ex notitia intuitiuâ decretorum Diuinorum de earum productione. *Ratio primi*: quia cognitio intuitiua creaturarum, eſt poſterior productione Verbi: ergo Verbum ex tali cognitione non procedit. *Conſequentia manifeſta*: nam cognitio, quæ eſt aut productio Verbi, aut principium productionis, non poteſt eſſe poſterior ipſo Verbo, vt ex terminis liquet. *Antecedens etiam manifeſtum*: quia cognitio, quâ Deus cognoſcit creaturas ſecundùm eſſe exiſtentiæ, & ſcientiâ viſionis, ſecundùm rationem ſubſequitur diuinum decretum liberum. Sed decretum liberum ſecundum rationẽ eſt poſterius productione Verbi: ergo & ipſa cognitio, ac ſcientia intuitiua, eadem Verbi productione eſt poſterior. Similiter prædicta, ſunt poſteriora conſtitutione Perſonarum, neq́; ſunt neceſſaria ad comprehenſionem diuinæ naturæ. Procedit nihilominus Verbum Diuinum per ſe ex cognitione Diuinorum decretorum ſub conceptu entitatis;

entitatis; per accidens verò seu concomitanter ex cognitione illorum sub conceptu terminationis ad creaturas. *Ratio*: quia Verbum per se procedit ex cognitione essentiæ, vt terminatâ ad formalitates necessarias, seu necessariò cum essentia connexas; per accidens verò siue concomitanter, ex cognitione illius, vt terminatâ ad formalitates liberas, & cum essentia necessariò non connexas. Jam verò libera Dei decreta sub conceptu entitatis increatæ, quam implicant, sunt necessaria, ac cum essentia Diuinâ necessariò connexa; defectibilia autem, seu cótingentia, sub conceptu terminationis ad creaturas, cum sub illa ratione, & formalitate potuerint in Deo non esse.

ARTICVLVS II

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Corollarium I.* Verbum distinguitur a Patre secundùm Personalitatem, ergo non potest dici in ea esse simile, & consequenter non potest dici, quòd ad productionem Verbi requiratur notitia Patris.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam: nam etiam posita distinctione inter producens, & productum, Verbum debet dici simile Personæ Patris, cùm sit illius imago; non possit autem dici imago Patris, nisi tendat ad illum repræsentandum, quod fieri nequit, si non procedat ex notitia, quâ Pater intelligit seipsum. Vnde cùm Verbum Diuinum procedat modo intelligibili, & per cognitionem vt imago, non solùm debet procedere ex cognitione naturæ ipsius producentis, sed etiam ex cognitione rationis personalis eiusdem: quia nisi illa ratio cognoscatur, producens non diceretur cognosci.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium II.* Si Verbum procederet ex cognitione sui, & Spiritus Sancti; ergo ipsum Verbum esset principium sui: quia obiectum est principium cognitionis.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando sequelam: quia Verbum solùm se habet per modū obiecti cogniti, quod autem tali modo se habet, non producit alterum, proinde non potest dici eius principium. Neq; etiam necessarium est, vt obiectum sit principium, aut causa cognitionis sui, etiam in creaturis, vt constat ex animasticis, vbi docetur eandem cognitionem posse esse supra se reflexam, & sic non repugnat Verbū oriri ex cognitione sui.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. Verbum procedit ex cognitione solius obiecti primarij diuini intellectus. Sed Personæ nō pertinent ad rationem obiecti primarij, verùm sola essentia Diuina: ergo ad productionem Verbi non requiritur notitia aliarum Personarum. *Consequentia patet*: quia essentia Diuina est prior Personis secundùm rationem: ergo etiam priùs cognoscitur; quàm illæ.

Solutio eiusdem.

Respondetur I. negando maiorem: licet enim Diuinā essentia sit obiectum formale Diuinæ cognitionis; non tamen sola spectat ad rationem obiecti primarij, sed etiam omne id, quod tanquam illius terminus, & complementum substantiale ad eam pertinet, tanquam summè illi a parte rei identificatum. *Respondetur II. negando maiorem*: quia Diuinus intellectus cōprehendendo essentiam Diuinam, non potest in ea sistere, sed necessariò sese extendit ad omne id, quod cum illa summè identificatur, siue illud se habeat per modum obiecti primarij, siue solùm pertineat ad obiectum secundarium: repugnat quippe rem comprehendi, & non cognosci omne id, quod illi formaliter inest, & summè identificatum est. *Ad probationem consequentia dicitur.* Licet Diuina natura secundùm rationem sit prior, quàm Personæ; nō tamen potest priùs cognosci, seu terminare actum Diuini intellectus, quàm cogno-

cognoscantur Personæ: quia Diuinus intellectus non potest limitatè cognoscere essentiam, sed in omni instanti, quo concipitur esse, debet illam perfectè comprehendere, & perfectè nosse, quidquid illi identificatur. Hæc tamen prioritas rationis inter essentiam, & Personalitates, non est respectu Dei, sed tantùm respectu nostri, qui inadæquatè Deum cōcipimus; proinde hæc prioritas nihil facit ad hoc, vt Deus priùs cognoscat essentiam, quàm Personas: licet nostro modo concipiendo, in illo signo rationis aliæ Personæ nondum sint: quia sufficit, quod in eodem instanti durationis verè habeant esse existentiæ necessarium, & identificatum essentiæ Diuinæ: inde enim oritur, quòd notitia earum non possit in Diuino intellectu separari, cum Diuinus intellectus nullo instanti possit diuinam essentiam imperfectè, & limitatè cognoscere. Hinc non possumus concipere Patrem, nisi concepto Filio: quia Pater constituitur essentialiter per actualē productionem Filij; proinde in Diuinis omnia sunt simul, licet vnum sit ab alio.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV *Contra Corollarium III.* Actus intellectus Diuini priùs terminatur ad Verbum Diuinum; quàm cognoscat creaturas possibiles: ergo non procedit ex cognitione creaturarū possibilium.

Solutio eiusdem.

Respondetur cum Ferrariense 4 contra Gentes, cap. 13. concedendo, quod nostro modo intelligendi, priùs naturâ terminetur actus intellectus Diuini ad Verbum, quàm creaturæ cognoscatur. Vnde quando S. Thomas dicit: quòd Verbum procedat ex cognitione creaturarum, ita intelligendus est, quòd eodem actu, quo se, & omnia alia intelligit, producat Verbū, in quo omnia contemplatur. Ex quo facilè patet, quòd dicere sit priùs, quàm intelligere.

Obiectio quinta.

Obijcitur V. *Contra Corollarium IV.* Pater æternus communicat Verbo notitiam intuitiuam: ergo notitia intuitiua Diuinorum decretorum, est prior productione Verbi, proinde nihil obstat, quominus Verbum ex ea procedat. *Consequentia videtur vera*: quia quod cōmunicatur Verbo, non potest esse posterius eius generatione: ergo debet esse prius, aut concomitans; hic autem non videtur esse concomitans: ergo debet esse prius.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam: nam per generationē possunt Verbo ea communicari, quæ secundùm rationem sunt posteriora eius productione, seu generatione. Persona quippe priùs ratione censetur cōstituta; quàm habere volitionem creandi, aut internam gubernationem. Et hæc propriè non tam communicantur in se, & formaliter per generationem; quàm mediatè & in radice, quatenus communicantur natura diuina, intellectus, & voluntas, quæ in sequenti signo, erunt volitio libera, scientia visionis &c. proinde communicantur radicaliter, non formaliter. Addo deniq; hanc notitiam creaturarum, ex qua Verbum Diuinum procedit, esse notitiam naturalem, seu simplicis intelligentiæ; non autem liberam. *Ratio*: quia in Diuinis naturalia sunt priora liberis; productio autem Verbi est naturalis, proinde præcedit notitiam, seu scientiam liberam.

QVÆSTIO V.

An nomen Spiritus Sancti sit proprium alicuius Diuinæ Personæ.

Nomen Spiritus dupliciter deducitur.

PRo resolutione quæstionis. *Suppono I.* Nomen hoc *Spiritus*, dupliciter deduci. 1. à spiratione, quasi spiritus idem significet, quod spiratus, & sic soli tertiæ Personæ Diuinissimæ Trinitatis tribuitur, quia huic soli conuenit spirari. II. à spiri-

à Spiritualitate, & sic nomen *Spiritus*, ex primæua sua significatione, impositum fuit, ad significandum halitum tenuem, & agilem, suapte natura inquietum, cuiusmodi ille est, qui ventorum materies est propria, & qui secum aërem concitat. Qualis etiam est ille, qui ex feruore sanguinis, præsertim exhalat in corde, quem Medici vitalem, ac sensitiuũ Spiritum appellant, quo mediante operationes animales, viriumque sentientium exercemus. Quia verò Spiritus ille fugit aciem oculorum, estq; tenuis, ac subtilis; ideò inter alias acceptiones, nomen *Spiritus* eam induit, quâ significat substantias materiæ expertes, quæ etiam videri nequeunt; adeoq; vt ita loquar, subtiles sunt, vt penetrent corpora, cum illisq; prorsùs indiuisis sint in eodem loco.

Nomen Spiritus Sanctus dupliciter considerari potest.

Suppono II. Nomen hoc, *Spiritus Sanctus*, duobus modis considerari posse I. secundùm vim suæ significationis, vt est nomen compositum ex duabus dictionibus, & sic est nomen essentiale, commune omnibus tribus Personis Sanctissimæ Trinitatis: quia vnaquæq; Persona est verè Spiritus, & vnaquæq; est verè Sancta II. prout ex communi vsu, & accommodatione Ecclesiæ, ac Sanctorũ Patrum, est vnicum nomen ex illis duobus conflatum, sumiturq; per modum vnius dictionis, & de hoc tota controuersia procedit, an nomẽ istud, *Spiritus Sanctus*, taliter sumptum, alicui Personæ Diuinæ proprium sit.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

CONclusio. Nomen Spiritus Sancti, licet I. *modo* consideratũ, & complexè sumptum, sit commune tribus Personis Diuinis; tamen ex accommodatione Scripturæ, & Ecclesiæ Sanctæ, idem nomen in-complexè sumptum, vsurpatur ad significandam solam tertiam Personam Sãctissimæ Trinitatis, transitq; in nomen illi proprium. *Probatur* ex Scriptura Sacra I. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Et Matth. vltimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ergo ex accommodatione Scripturæ, & Ecclesiæ Sanctæ, nomen Spiritus Sancti, est proprium tertiæ Personæ Diuinæ.

Probatur II. *Ratione D. Thomæ*, I. p. q. 36. ar. 1. in corp. Quia tertia Persona Diuina carebat proprio nomine, quemadmodùm & ipsa relatio originis, quâ constituitur in esse tertiæ Personæ; debuit illi aliquod nomen conuenienter accommodari. Sed non fuit conuenientius, quàm nomen Spiritus Sancti: *tum* quia hoc nomen est commune alijs duabus Personis, à quibus tertia Persona procedit, vt docet Sanctus Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 11. & 19. propè finem: *Quoniam* inquit, *sicut Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio; sic etiam nomen Spiritus Sancti, quod vtriq; Personæ, à qua proficiscitur, erat commune, accommodandùm fuit Personæ procedenti.* Tum, quia nomen hoc *Spiritus*, ex primæua sua significatione, significat halitum impellentem, & mouentem; cùm autem proprium sit amoris impellere, & mouere volentẽ in rem amatam, meritò tertiæ Personæ Diuinæ accommodatur nomen hoc *Spiritus*, quatenùs per voluntatem procedit, estq; Patris, & Filij amor, ab vtroq; Spiratus: meritò & alterum nomen *Sanctus*, eidem accommodatur: quoniam ijs rebus Sanctitas conuenit, quæ in Deum ordinantur; amoris autem est, omnia in Deum referre. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Tertia Trinitatis Persona cur dicatur Spiritus.

Corollarium I. Tertia Trinitatis Persona, ex eo dicitur *Spiritus*,

tus,

tus, quia procedit per modum impulsus, & spirationis. *Ratio*: quia processio Spiritus Sancti, in multis similitudinib⁹ conuenit cum respiratione nostra. Sicut enim ab inferiori corporis parte, nimirùm à corde, pulmone, & viscerib⁹, respiratio nostra prouenit; ita & dilectio, quâ Spiritus Sanctus procedit, intima ac visceralis est, & ex infinita Patris, ac Filij bonitate prouenien s. Sicut respiratio nostra à calore cordis causatur; ita & Diuina illa spiratio, ex infinito claritatis ardore procedit; sicut respiratio nostra continua est, & nunquam interrũpitur, quàm diù homo viuit; ita suauissima illa Patris, & Filij dilectio, ac spiratio æterna est, omnisq; successionis ac vicissitudinis expers. Denique sicut respiratio nostra est maximè vitalis, & vitæ corporeæ conseruatiua; sic & illa dilectio est perfectissima vitæ Diuinæ operatio. *Ratio* II. Ideò tertiæ Trinitatis Personæ nomen *Spiritus* appropriatur: quia suis donis nos Spirituales efficit, & in quandam Diuinæ spiritualitatis trahit participationem. Hinc Magister sent in I. dist. 18. dicit, duplicem nos accepisse à Deo Spiritũ, *vnum*, quo essemus; *alium*, quo Sancti, & spirituales essem⁹: Spiritu enim creato, qui est anima rationalis, sumus; Spiritu autem increato, qui est Spiritus Sanctus, spirituales, & Sancti sumus. Nam vt dicit S. Basilius, *Homo Spiritu Sancto Sanctum animal factum est.*

Tertia Trinitatis Persona cur dicatur Spiritus Sanctus.

Corollarium II. Tertia Sanctissimæ Trinitatis Persona, ex eo dicitur *Spiritus Sanctus*, *tum*, quia procedit, vt amor purissimus, & mundissimus, proinde per operationem voluntatis, ad quam sanctitas propriè spectat. Nemo quippè dicitur Sanct⁹ ab operatione intellectûs, sed solùm ab operatione voluntatis; queadmodùm etiam spirare, & Spiritus sunt voces specialiter ad voluntatẽ pertinentes. Licet ergo sanctitas sit aliquod attributum tribus Personis commune, vt sacrum declarat trisagium à Seraphinis decantatum, Isaiæ 6. Speciali tamen titulo Spiritui Sancto tribuitur, eò, quòd illi ex vi processionis, & ratione proprietatis Personalis conueniat. vt docet Sanctus Thomas in I. dist. 10. art. 4. vbi dicit: *In opere naturæ non est inuenire rectum, & non rectum; quia natura semper eodem modo operatur: benè tamen in opere voluntatis; quia voluntas non semper eodem modo operatur*: & ideò cõuenienter Sanctitas, quæ rectitudinem voluntatis importat, adiungitur processioni Amoris, & nõ generationi Verbi. *Tum ideò*, quia Spiritus Sanctus, est creaturæ rationalis sanctificator, totiusq; sanctitatis fons, ac origo: *Sanctum* enim tribus modis sumitur. *Primò* pro eo, quod est purum, ac mundum; & sic sanctificatio dicitur emundatio à peccato per gratiam. *Secundò ex eo*, quòd cultui Diuino deputatum, & consecratũ sit; & sic dicitur templum sanctificari, similiter vasa, quæ ad ministerium Dei seruiunt; multò tamen magis rationalis creatura, quando ad obsequium Dei applicatur. *Tertiò ex eo*, quòd sit firmum, seu in bono firmatum. Atq; his tribus modis sanctitas, appropriatur Spiritui Sãcto: nam ille per infusionẽ gratiæ sanctificantis, creaturam rationalem mundat, & purificat, illamque arctissimo nexu Deo coniungit, consecrat, in virtute firmat, eique immobilitatem quandam in bono tribuit.

Corollarium III. Tertia in Trinitate Persona non habet nomen proprium in rigore loquẽdo. *Ratio*: quia nobis nomina certa ad significandum ea, quæ procedunt per modum amoris, non suppetunt.

Corollarium IV. Spiritus San-

ctus

Spirit⁹ Sanctus eſt verus De⁹ Patri ac Filio conſubſtantialis.

ctus eſt verus Deus, Patri ac Filio conſubſtantialis. Eſt contra errorem Macedonij, eiuſq; aſſeclarum, qui, vt refert Zozomenus lib. 4. cap. 26. aſſerebant, Spiritũ Sanctũ non eſſe Deum, ſed aliquam ſubſtantiam ſpiritalem, ſuperiorem omnibus Angelis, creatam à Patre per Filium. Et contra errorem Arrij, qui ſicut Filium, ita etiam Spiritum Sanctum, creaturam dicebat, teſte Sancto Epiphanio Hæreſi 69. *Ratio* I. deſumitur ex Scriptura Sacra 1. Ioan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt.* Quæ verba apertè indicant, vnitatem ſubſtantiæ, & Diuinitatis in Spiritu Sancto, & alijs Perſonis Diuinis. Similiter Matthæi vltimo, Chriſtus præcipit credentes baptizari *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti;* Sacramenta autem conferri non debent, niſi nomine, & authoritate veri Dei, qui ſolus eſt Author, & largitor gratiæ. *Tandem*, Marci 3. dicitur, *cætera peccata hominibus dimitti, peccata autem in Spiritũ Sanctũ, non remitti in æternum.* Et Actor. 5. Sanctus Petrus increpans Ananiam, quòd mentitus eſſet Spiritui Sancto, addidit, illum *non eſſe mentitum hominibus, ſed Deo.* Ergo juxta teſtimonia Scripturæ Sacræ, Spiritus Sanctus eſt verus Deus.

Ratio II. deſumitur ab authoritate vniuerſalis Eccleſiæ, quæ in Symbolo Apoſtolorum profitetur ſe credere in Spiritum Sanctum, æque ac in Patrem, & Filium. Et in Concilio Conſtantinopolitano, in quo Macedonij Hæreſis proſcripta fuit, in ſymbolo fidei dicitur: *Credo in Spiritum Sanctum, Dominum, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur.* Et in ſymbolo S. Athanaſij dicitur: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, & Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vna eſt Diuinitas, æqualis gloria.* *Ratio* III. deſumitur ex vnanimi conſenſu Sanctorum Patrum, qui libris integris Spiritus Sancti diuinitatem, contra Hæreticorum blaſphemias propugnauerunt, vt Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus, & alij.

Corollarium V. Tertia Sanctiſſimæ Trinitatis Perſona, rectè etiam appellatur *donum*, quod ei perſonali proprietate competit. *Ratio*: quia Spiritus Sanctus procedit, vt amor notionalis Patris, & Filij; amor autem eſt primum donum, quod confertur Amico, & ad quod cætera conſequuntur: ergo Spiritus Sanctus ex ſua proprietate Perſonali habet, quòd ſit Donum.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra Corollarium* IV. Ad Rom. 8. dicitur: *Spiritus poſtulat pro nobis.* Sed ſi Spiritus Sanctus eſſet verus Deus, non poſtularet, verùm daret: ergo Spiritus Sanctus nõ eſt verus Deus. Præterea Ioan. 16. de Spiritu Sancto dicitur: *Quæcunq; audierit, loquetur, & annuntiabit vobis.* Sed qui audire debet, & inſtrui, vt alijs loquatur, non eſt Deus, cùm hic inſtructione non egeat: ergo Spiritus Sanctus non eſt verus Deus. *Reſpondetur ad 1. Scripturæ locum*, cum Sancto Auguſtino epiſt. 121 quòd Sanctus Paulus ſolum ibi aſſerat, Spiritum Sanctum poſtulare pro nobis, quia nos docet poſtulare, vt ſtatim declarat Apoſtolus his ſequentibus verbis: *Adiuuat infirmitatem noſtram.* Vnde poſtulare Spiritum Sanctum pro nobis, idem eſt, quod poſtulantes nos facere, vt exponit Sanctus Thomas.

Solutio eiuſdem.

Ad ſecundum locum dicitur, cum D. Baſilio lib 1. contra Eunomium, Spiritum Sanctum audire à Patre, & Filio, ea quæ loquitur, non per inſtructionem, & diſciplinam inferioris ad ſuperiorem; ſed per communicationem ipſius eſſentiæ, & ſcientiæ Diuinæ, quam à Patre, & Filio, per æternam proceſſionem accipit.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. *contra Corollarium* V. Donum debet eſſe illius, à quo datur. Sed Spiritus Sanctus non eſt Patris, & Filij, cùm hoc dominium, & ſubiectionem importare videatur, quæ inter Diuinas Perſonas locum nõn habet. Ergo Spiritus Sanctus non rectè appellatur donum. Antequàm ſoluatur obiectio, ſciendum eſt, *donum* tripliciter poſſe eſſe alterius, *primò* per modum identitatis, vt potè à dante indiſtinctum: *ſecundò* per modum poſſeſſionis, quaſi danti ſubditum: tertiò per modum originis, quaſi à dante originatum, ſiue procedens.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur itaq; negando minorem. Eſſe enim *donũ* primo modo, conuenit eſſentiæ Diuinæ: & in hoc ſenſu Sanctus Hilarius lib. 8. de Trinit. dicit, Diuinam eſſentiam eſſe *donum*, quod Pater dat Filio, quatenùs videlicet per modũ identitatis eam habet. Secundo verò modo, gratia ſanctificans, habitus charitatis, & alia bona creata, *dona* Dei, eſſe dicuntur. Tertio inſuper modo, Spiritus Sanctus, donum Patris, & Filij appellatur, eò quod ab vtroq; procedat.

QVÆSTIO VI.

An Spiritus Sanctus procedat etiam à Filio.

Occaſio quæſtionis.

QVoniam multi ex Antiquis Græcis negabant Spiritum Sanctum procedere à Filio, ſed à ſolo tantùm Patre. Cuius erroris primus Author fuit anno Chriſti 403. Theodoretus, qui cùm adhuc faueret partibus Neſtorij, docuit, blaſphemum eſſe, & impium aſſerere, Spiritum Sanctum, ex Filio, aut per Filium habere eſſentiam, vt patet ex refutatione noui anathematiſmi D. Cyrilli Alexandrini, inter eiuſdem Cyrilli opera lib. ad Euoptium. Qui error paulatim ſerpere cæpit. Poſtea anno Chriſti 840. eundem errorem auxit Theophylactus in cap. 3. Ioannis, qui tanquàm ex communi ſententia lõquens, traduxit Latinos, quòd ſentirent Spiritum Sanctum à Filio procedere. A quo tempore hic error tanta ſumpſit incrementa, vt ſub annum 1054. quidam Michàël Patriarcha Conſtantinopolitanus, fretus gratiâ Imperatoris, non dubitauerit LEONEM IX. Romanum Pontificem, & omnes Latinos declarare excommunicatos, eò, quòd ſine conſenſu Græcorum, in Symbolo Niceno, ad profeſſionem fidei addidiſſent particulam, *Filioque;* Porrò neceſſitas addendæ huius particulæ fuit hæc, quòd tunc in Gallia, & Hiſpania oriretur Hæreſis docens, Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere, quam oportebat ſopiri, etiam Græcis non expectatis, nec vocatis. Fides itaque Catholica conſtanter tenet, Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedere, ita vt vterque eundem Spiritum verè ſpiret. Proinde de Patre nulla eſt inter Græcos, & Latinos diſſenſio, ſed ſolùm de Filio.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Spirit⁹ Sanctus à Patre & Filio procedit.

COncluſio. Spiritus Sanctus non tantùm à Patre, ſed etiam à Filio procedit. Eſt dogma fidei: & licet in Scriptura Sacra non habeatur expreſsè, Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere; id tamen ex illa nõ obſcurè deducitur. *In primis*, Ioan. 15. Filius dicitur mittere Spiritum Sanctum. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre:* ergo Spiritus Sanctus etiam à Filio procedit. *Conſequentia patet*: quia miſſio in Diuinis Perſonis denotat proceſſionẽ, vt ex-

vt explicant Sancti Patres, Sanctus Gregor. homil. 26. in Euangelia. *Missio* inquit, *Spiritus Sancti, est eius processio de Patre, & Filio.* Et Sanctus Hilarius lib. 8. de Trinit. dicit: *Spiritus Sanctus mittitur à Filio, quia esse ab illo accipit.*

Probatio secunda.

Probatur II. ex Concilijs. Nam in Concilio Ephesino idem dogma fidei definitum est, in epistola totius Concilij ad Nestorium, illis verbis: *Nam Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est. Vnde & ab isto similiter, sicut ex Deo Patre procedit.* Vbi supponendo quòd procedat à Patre, argutè concluditur etiam procedere à Filio, ex eo, quòd Spiritus Sanctus in scripturis vocetur Spiritus veritatis; veritas autem sit Filius. Eadem veritas definita est in Concilio Chalcedonensi, Actione 5. in quinta Synodo Collat. 6. & in VI. Synodo, Act. 17. & in Synodo VII. Act. 7. Item in quatuor Concilijs antiquis Generalibus, in Græcia celebratis, Item in Concilio Lateran. sub Innocentio III. vt habetur cap *firmiter, de summa Trinit.* vbi dicitur: *Pater à nullo, Filius à Patre solo, ac Spiritus Sanctus pariter ab vtroq;.* Item in Lugdunen. vt refertur cap. *vnio, eodem tit. in 6.* vbi dicitur, quòd hoc habeat orthodoxorũ Patrum, atq; Doctorum pariter Latinorum, & Græcorum incommutabilis, & vera sententia. Tandem in Concilio Florent. decreto de processione Spiritus Sancti, vbi post prolixas Græcorum disputationes, tandem veritas fidei ab omnibus credenda definita est hæc: *Spiritus S. à Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumq; esse subsistens habet ex Patre, & Filio, & ex vtroque æternaliter procedit.* Et his tribus vltimis Generalibus Concilijs interfuerunt Græci, ac in definitiones consenserunt.

Probatio tertia.

Probatur III. ex Sanctis Patribus Græcis. *In primis*, S. Athanasius in suo symbolo hoc expresse habet. *Spiritus* inquit, *Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Sanctus Basilius lib. 5. contra Eunomium in titulo capitis octaui dicit: *Quod imago vera, & naturalis Dei, ac Filij, Spiritus est.* Cùm autem naturalis imago necessariò debeat procedere ab eo, cuius dicitur imago, & in ratione talis imaginis inuoluatur relatio producti, ad producens, ideò dum Sanctus Basilius tribuit Spiritui Sancto rationem imaginis respectu Filij, supponit illum a Filio procedere. Et in titulo capitis 11. ait: *Quòd sicut Filius ad Patrem se habet, & Spiritus ad Filium.* Sed Filius ad Patrem refertur tanquàm ab eo procedens: ergo iuxta D. Basilium, Spiritus Sanctus refertur ad Filium, tanquam procedens ab illo, cum nulla alia relatio, habitudo, aut respectus fingi possit, secundùm quem ita se habeat Spiritus Sanctus ad Filium, sicut Filius ad Patrem, præter respectum producti ad producens. Sanctus Chrysosthomus homil. 1. de symbolo tom. 5. dicit: *Iste est Spiritus procedens à Patre, & Filio* Et homil. 2. *Istum Spiritum Sanctum dicimus Patri, & Filio æqualem, & procedentem de Patre, & Filio.* Sanctus Epiphanius in Anchorato: *hic ausim dicere, quòd neq; Spiritum* (intellige quis nouit) *nisi Pater, & Filius, ex quo procedit, & à quo accipit.* Deniq; Cyrillus Alexandrinus lib. 3. thesauri, cap. 2. *Ex Filio* inquit, *naturaliter & essentialiter Spiritum Sanctum, sicut ex Patre prouenire credimus.*

Probatio quarta.

Probatur IV. ex Sanctis Patribus Latinis. Primus est Sanctus Hilarius, qui lib 2. de Trinit. post medium dicit: *Spiritum Sanctum de Patre, & Filio, auctoribus confitendum esse.* Sanctus Ambrosius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 10. *Spiritus Sanctus cùm procedat à Patre, & Filio, non separatur à Filio* Sanctus Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 26.

26. *Inter cætera cùm per scripturarum sacrarum testimonia docuissem, de vtroq; procedere Spiritum Sanctum.* Insuper Leo I. epist. 93. cap. 1. *Alius est qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de vtroq; processit.* Ergo ex mente Sanctorum Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum, Spiritus Sanctus non tantùm à Patre, sed etiam à Filio procedit.

Probatio quinta.

Probatur V. ratione fundata in principijs Theologicis I. Omnia quæ sunt Patris, sunt etiam Filij, præter esse Patris, vt constat ex Concilio Florentino in decreto de Processione Spiritus Sancti, proinde & virtus spiratiua est Filij. Ergo Spiritus Sanctus procedit à Filio. *Consequentia probatur.* Quemadmodùm virtus generatiua in Patre, priùs ratione, quàm generetur Filius, reddit illum fæcundum ad generandum; ita virtus spiratiua in Filio præexistens spirationi Spiritus Sancti, debet illum reddere fæcundum ad spirandum. *Deinde*, quia quando nominantur tres Personæ Diuinæ, Spiritus Sanctus semper tertio loco ponitur, ergo signum est, quod sit posterior Filio secundùm originem. Vnde cùm Filius in eodem rationis instanti, quo producitur, habeat omnia, quæ Patris sunt, præter esse Patris, habet virtutem producendi Spiritum Sanctum & sic Spiritus Sanctus procedit à Filio. Fateor tamen in mysterio Sãctissimæ Trinitatis, parum concludi ex ratione naturali, nisi in his quæ reuelata sunt. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Filius cùm Patre non ex aliqua indigentia producit Spiritum Sanctum.

Corollarium I. Filius non producit Spiritum Sanctum vna cum Patre, ex aliqua Patris indigentiâ, & imperfectione, sed quia antequàm voluntas concipiatur habere suum terminum productum, Filius productus est cum eadẽ omninò virtute spiratiua, quam habet Pater, qui proinde vna cum illo spirat Spiritum Sanctum, & quidem vnâ numero spiratione, quæ eodem rationis instanti procedit à Patre, & Filio. *Ratio*: quia licet Filius vim spirandi recipiat à Patre; Pater tamen non priùs spirat; sed omninò simul ea vis exit in actum, cùm in illum exire non possit, antequàm sit Filius, qui per consequens omninò simul cum Patre potest spirare.

Corollarium II. Græci, qui à Latina Ecclesia dissentire videntur, solis verbis differunt, estq; facillima inter vtramque Ecclesiam concordia. *Ratio*: quia neutri negant Spiritum Sanctum, accipere suam essentiam, ac esse subsistens, procedereq; à Filio, tanquàm à supposito intermedio inter Spiritum Sanctum, & Patrem. Vnde Græci à Latinis solùm in eo differunt, quòd illi nolint spirationem Spiritus Sancti vocare processionem ex Filio, sed ex Patre per Filium; Latini verò vocant eam spirationem ex Filio. Et sic tota hæc controuersia solùm est de modo loquendi.

Spiritus S. æq; principaliter procedit tám à Patre quàm à Filio.

Corollarium III. Spiritus Sanctus immediatè, & æq; principaliter procedit tàm à Patre, quàm à Filio. *Ratio*: quia cùm inter Filium, & Spiritum Sanctum, nulla intercedat persona, per quam Filius dici queat esse principium Spiritus Sancti; ideò si ab illo procedit, necessariò debet procedere immediatè. *De Patre etiam patet*, ex omnibus locis, in quibus dicitur Spiritus Sanctus prodire à Patre. Nam hæc omnia loca intelligi debent de processione propriâ, quæ solùm est productio immediata: remota enim minùs propriè dicitur productio. *Ratio* II. quia Spiritus Sanctus procedit per eandẽ virtutem immediatam, id est, per eandem volitionem, & spirationem actiuam. Ergo immediatè, & æque principaliter ab vtroque. *Tum*,

quia Filius ita est principaliter Deus, sicut Pater, licet hic sit à se, ille ab eo: ergo Spiritus Sanctus æquè principaliter ab vtroq; procedit.

Corollarium IV. Quando Christus in Euangelio, loquens de principio Spiritus Sancti, solum Patrem nominat, dicens: *Spiritus qui à Patre procedit*, per hoc non excludit seipsum, quasi non sit idem principium cum Patre, productiuum ipsius, vt falsò aliqui Græcorum opinantur. *Ratio*: quia dum Christus de Processione Spiritus Sancti loquitur, ideò solum Patrem nominat, quòd ad illum soleat referre totum, quidquid sui est, cùm totum ab illo habeat: quemadmodùm etiam Ioan. 7. dicit: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* Cùm tamen, vt docet Sanctus Augustinus tract. 29. in Ioan. doctrina Patris non sit alia, nisi Verbum Patris.

Corollarium V. Ex eo, quòd in symbolo Concilij Nicæni, in quo fides vniuersalis Ecclesiæ exposita est, Spiritus Sanctus solùm à Patre procedere dicatur illis verbis: *Credo in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum.* Et postea in fine huius symboli adiungitur: *Qui aliter docuerit, vel aliter prædicauerit, anathema sit.* Per hoc non excluditur Filius à ratione principij productiui Spiritus Sancti. *Ratio*: quia tempore Concilij Nicæni, nondum exortus fuerat error dicentium Spiritum Sanctum non procedere à Filio; & ideò non fuit necessarium, vt explicitè poneretur in eius symbolo, quòd Spiritus Sanctus à Filio procederet: siquidem continebatur implicitè in hoc, quòd diceretur procedere à Patre. Cùm enim omnia quæ habet Pater, sint Filij, exceptis ijs, in quibus relatiuè opponuntur, & in spiratione actiuâ Filius Patri non opponatur relatiuè: idcircò quando postea in alijs Concilijs Nicæno posterioribus, ista particula *Filioque*, addita est, non tam fuit additio; quàm potiùs veritatis in symbolo Nicæno implicitè contentæ, maior explicatio.

Articvlvs II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBjicitur I. *contra Conclusionem.* Isaiæ 48. & 61. Christus dicitur mitti à Spiritu Sancto: *Dominus Deus misit me, & spiritus eius*; & tamen hinc non sequitur, Christum à Spiritu Sancto procedere: ergo pari ratione licet Spiritus Sanctus dicatur mitti à Filio, hinc non sequitur, quòd ab illo procedat. *Respondetur negando cõsequentiam*: nam in Christo duplex est natura, scilicet diuina, & humana, & secundùm vtramq; dici potest mitti; sed secundùm diuinam mittitur à solo Patre, à quo solo procedit; secundùm verò humanam dici potest etiam mitti à Spiritu Sancto, imò & à seipso, vt subsistente in naturâ diuinâ, & hæc missio est per imperium. At verò in Spiritu Sancto, cùm non sit duplex natura, solùm potest dici mitti secundùm naturam diuinam, & consequenter, quia naturam diuinam accipit per originem à Patre, & Filio, verè dicitur ab vtroq; mitti, & procedere.

Solutio eiusdem.

Obiectio secunda.

Objicitur II. *fundamentum Græcorum.* Nobis non licet aliquid affirmare de Diuinis Personis, nisi fuerit in sacris literis expressum, vt docet Sanctus Dionysius cap. I. de Diuinis nominib⁹, ita loquens: *omninò audiendum non est quidquam de summa, abstrusaq; diuinitate, aut dicere, aut cogitare, præter ea, quæ nobis diuinitùs scripta diuina enuntiârunt.* Sed in sacris literis, non habetur expressum, quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio: ergo Spiritus Sanctus non procedit à Filio. *Respondetur* licet in sacris literis non

sit apertè expressum, Spiritum Sanctum procedere à Filio; est tamen expressum sub alijs verbis, ex quibus id euidenter colligitur. Non solùm autem licitum est affirmare, quod formaliter sub certis quibusdam terminis, in Scriptura de rebus Diuinis continetur, sed etiam quod ex ea euidenter colligitur. Imò etiam licitum est id affirmare, quod Scripturæ Sacræ plus innuunt, quàm oppositum. *Ad fundamentum autem S. Dionysij dicitur*, eum id solùm velle, quòd non sint alia affirmanda de rebus diuinis, & quæ supra captum nostrum sunt; quàm ea, quæ scripturæ, vel in ipsimet rebus formaliter, vel in alijs, vnde illa certò, aut probabiliter deduci queant, enuntiarunt, id est, quod nihil tale confingendum, asserendumque sit ex nostro capite, sine fundamento in Scripturis Sacris, aut traditione Ecclesiæ.

Qvæstio VII.

An si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, distingueretur ab illo.

QVamuis ista hypothesis sit, cùm Spiritus Sanctus re ipsa procedat à Filio, ac proinde sit impossibile eum non procedere: quoniam in Diuinis ad intra, idem est esse, & posse esse: & quæ Deo ad intra conueniunt, omnimodâ necessitate ei competunt. Licet inquam ita se res habeat, nihilominùs quæstio præsens non inutiliter mouetur: quia ex eius resolutione patere potest, an de facto sit aliud principium Spiritus Sancti à Filio, propter quod personaliter ab eo distinguatur, præcisâ processione, an inquam sit aliud principium, quod sit ratio distinctionis, licet concipiamus Spiritum Sanctum à Filio non procedere. Sensus igitur præsentis quæstionis iste est. An si in Diuinis esset quidem processio per intellectum, & voluntatem, sine vlla tamen habitudine principij in termino processionis per intellectum, respectu termini producti per voluntatem, huiusmodi termini realiter à se inuicem distinguerentur; an verò esset vnus idemq; terminus, qui procederet & per intellectum, & per voluntatem. Qua in re duæ sunt opiniones.

Opinio prima.

Prima est Scoti in 1. sent: dist. 11. q 2. Occhami, Gabrielis, Aureoli, aliorumque Scotistarum, eadem distinctione, qui asserunt in tali casu terminos illos fore distinctos, proinde censent causam distinctionis vnius Personæ ab alia, non esse solam opposionem originis. Proinde admissa hypothesi, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio; ab eo tamen illum distingui affirmant. *Fundamentum istius opinionis I. est hoc*: quia si per impossibile Spiritus Sanctus à solo Filio procederet, & non à Patre; adhuc distingueretur à Patre: ergo pariter si procederet à Patre, & non à Filio, distingueretur à Filio. *Antecedens patet*: si enim in illo casu Spiritus Sanctus non distingueretur à Patre, sed esset idem cum illo, tunc Filius producendo Spiritum Sanctum, produceret suum Patrem, quod est summum absurdum.

Fundamentum II. Quia vnum quodq; per id distinguitur ab alio, per quod constituitur in suo esse. Sed Filius in suo esse Personali constituitur per Filiationem, quæ illi soli conuenit; non autem per spirationem actiuam, quæ illi cum Patre communis est. Ergo Filius distinguitur à Patre, & Spiritu Sancto per filiationem: & quoniam licet Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc Filius retineret filiationem, per eandem à Spiritu Sancto distingueretur.

Fundamentum III. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc Filius non minùs esset vnus, quàm modò sit: ergo non minùs esset

esset indiuisus in se, & distinctus à quocunque alio, quàm modò est: proinde non minùs distingueretur à Spiritu Sancto, quàm de facto distinguitur. *Consequentia per se manifesta:* quia ratio vnius in eo consistit, vt sit quid indiuisum in se, & distinctum à quocunq; alio.

Fundamentum IV. Quia processio per intellectum, & processio per voluntatem, sunt disparatæ, neque possunt habere eundem terminum productum; ergo eo ipso, quòd Filius procedat per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem, à se inuicem distinguuntur, etiamsi supponamus Spiritum Sanctum non procedere a Filio, sed à solo Patre.

Opinio secunda.

Altera opinio est S. Thomæ 1. p. q. 36. art. in corpore, qui asserit, quòd si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo, & hanc sequitur communis sententia Theologorum. *Fundamentum* istius opinionis est proclamatum illud axioma: *In Diuinis solùm est inter ea distinctio, inter quæ cernitur relatiua oppositio.* Cùm autem axioma hoc deficere videatur in paternitate, & spiratione passiuâ, & rursus in hac, ac filiatione, inter quas tamen admittitur distinctio; ideò duobus modis axioma hoc exponi potest.

Primò, vt relatiua oppositio, non solùm sit ratio, cur distinguantur secundùm rem ea, quæ formaliter sunt opposita; sed etiam ea, quibus relatio opposita aduenit, tanquàm præsuppositis ordine originis, sitq; sensus axiomatis illius: *In Diuinis solùm est realis distinctio inter ea pertinentia ad originem, inter quæ cernitur relatiua oppositio*, vel ratione sui, vel ratione relationis adiunctæ, & quasi superuenientis, quæ sit ratio, vt quæ ita ordine originis præsupponuntur, etiam distinguantur v. g. Paternitas constituit Patrem in esse principij Filij per intellectum; & spiratio actiua constituit spiratorem in esse principij Spiritus Sancti per voluntatem. Quia ergo emanatio per voluntatem, supponit emanationem per intellectum, eò quod velle ex natura rei supponat intelligere, inde fit, vt nostro intelligendi modo cum fundamento in re, priùs sit Patrem esse Patrem; quàm spiratorem & vt ratio spiratoris supponat rationem Patris, eiq; quasi superueniat. Oppositio ergo quæ cernitur inter spiratorem, quà spirator est, & inter Spiritum Sanctum, est ratio non solùm cur spirator quà spirator est, distinguatur à Spiritu Sancto realiter; sed etiam cur ratio Patris (quam ratio spiratoris ordine originis supponit, & cui quasi præexistenti aduenit) distinguatur etiam à Spiritu Sancto. Similiter in Filio, quia priùs est Filium esse, quàm ipsum esse spiratorem, eò quòd Filius per generationem, quæ adesse Filij terminatur, à Patre acceperit, vt sit spirator, fit, vt oppositio, quæ est inter spiratorem, & Spiritum Sanctum, non solùm sit ratio distinguendi spiratorem, quâ spirator est, à Spiritu Sancto, sed etiam Filium secundùm esse Filij, ita quòd nisi ratio filij, & Patris adiunctam haberent modo explicato rationem spiratoris, nulla ratione à Spiritu Sancto secundùm rem distinguerentur.

Secundò, Axioma illud sic exponi potest, vt nomine oppositorum non intelligantur correlatiua, sed ea inter quæ mediatè, vel immediatè est ordo originis, eius à quo alius, & qui ab alio. Cùm enim nihil magis pugnet, quàm idem vel mediatè, vel immediatè producere seipsum, eo ipso, quod aliquid mediatè, vel immediatè est ab alio, necessariò ab eo debet distingui re, non solùm quoad ipsam habitudinem originis, sed etiam quoad omne aliud esse relatiuum, quod præsupponitur in eodem supposito, & cui quasi superuenit talis

lis ordo originis. Vnde quia à Patre, & à Filio est Spiritus Sanctus, & ratio spiratoris in Patre, supponit esse Patrem, & in Filio esse Filium, fit, vt Pater, & Filius, non solùm in ratione spiratoris, sed etiam in ratione Patris, & Filij, distinguantur realiter à Spiritu Sancto, quod non esset, si Spiritus Sanctus, ab vtroq; non procederet. Hanc expositionē innuit Caietanus 1. p. q. 30. ar. 2. ad 2. dubium, differtque à priori, quia iuxta hanc expositionem possumus dicere, paternitatem, & filiationem, in hoc sensu habere à se, quòd distinguantur à spiratione passiuâ, quia a se, & à suis rationibus formalibus habent, quòd constituant supposita, à quibus est Spiritus Sanctus, & ob id, quòd distinguantur à Spiritu Sancto: iuxta priorem verò expositionem, non habent id à proprijs rationibus, formalibus spirationis actiuæ, quam suaptè naturâ habent adiunctam. Et hæc explicatio est vera.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Conclusio. Si Spiritus Sanctus nō procederet à Filio, non distingueretur ab illo. *Probatur*, Data ista hypothesi Filius, & Spiritus Sanctus, nullo modo inter se opponerentur: ergo non distinguerentur ab inuicem. *Antecedens patet:* quia omnis oppositio in Diuinis est relatiua, quæ est vel originis, vel nostro modo concipiendi, supponit originem, proinde vbi in Diuinis non est oppositio vnius ab alio, non est quoq; multiplicatio. *Consequentia verò deducitur.* In Diuinis omnia sunt vnum, & idem, vbi non intercedit relationum oppositio: ergo si Persona Filij, & Spiritus Sancti, non opponerentur, neq; distinguerentur ab inuicem. *Antecedens* pro communi axiomate habetur, & *probatur contra Scotum* 1. ex Concilio Toletano 11. in professione fidei, vbi dicitur: *hoc solo numerum insinuat, quòd ad inuicem sunt.* Ergo iuxta Concilium sola oppositio relatiua, est ratio multiplicandi personas in Diuinis: non enim Concilium vult, imò nec potest velle, numerum Personarum constituendum, iuxta numerum relationum materialiter loquendo, cùm sit de fide, tres tantùm esse Personas in Diuinis, & nihilominùs sint quatuor relationes; sed vult personas solis relationibus oppositis multiplicari: ergo iuxta Concilium in Diuinis, vbi non est relatiua oppositio, neq; est multiplicatio. Quòd palam innuit Boëtius lib. de Trinit. versùs finem dicens: *Substantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem.* Et S. Damascenus lib. 1. de Fide, cap. 11. vbi dicit: *In solis quidem proprietatibus, filiationis, & processionis, secundùm causam, & causale, differentiam intelligimus.* Quibus verbis manifestè indicat, vbi non est oppositio relatiua, qualis est inter producens, & productum, ibi non esse differentiam in Personis.

Spiritus S. si non procederet a Filio, non distingueretur ab illo.

Probatur II. *Idem Antecedens.* Quia non potest dari solida ratio, cur relatio Patris, & spiratoris, nō distinguantur in Patre, nisi quia inter se non opponuntur: ergo vbi in Diuinis non est oppositio, ibi non est distinctio, seu multiplicatio, sed omnia sunt vnum. Ex hac Conclusione deducuntur corollaria.

Si pater nō produceret Spiritum S. nec esset idem Pater, nec idem Spiritus Sanctus.

Corollarium I. Dato, quòd Pater non produceret immediatè Spiritum Sanctum, tunc neq; Pater futurus esset eadem numero Persona, quæ nunc est, neque Spiritus Sanctus futurus esset idem, qui nunc est. *Ratio*: quia Pater de facto habet voluntatem fœcundam, & necessariò adiunctam spirationem actiuam; iam verò datâ hypothesi

pothesi careret illis, proinde eius paternitas esset alia. *De Spiritu Sancto etiam patet*: quia hic necessariò respicit Patrem, à quo procedit, quod in casu hypothesis non fieret, & sic non esset idem Spiritus Sanctus, qui de facto est.

Corollarium II. Spiritus Sanctus necessariò postulat procedere etiam à Filio. *Ratio*: quia supposità distinctione Personarum, Filius per generationem accipit virtutem producendi Spiritum Sanctum, seu voluntatem fæcundam, & nondum habentem suum terminum. *Præterea*, quia Spiritus Sanctus ex sua proprietate personali habet, quòd sit mutui, ac reciproci amoris terminus. Sed amor non potest esse, neq; intelligi mutuus, ac reciprocus, sine pluralitate suppositorum: ergo Spiritus Sanctus ex suà proprietate Personali, pro principio sui productiuò exposcit pluralitatem suppositorum. *Maior ex eo constat*: quia Spiritus Sanctus per se petit ex perfectissimo, & fæcundissimo amore procedere. Sed huiusmodi amor, est amor amicitiæ mutuus, ac reciprocus; cùm sit multò perfectior amore concupiscentiæ, aut simplicis beneuolentiæ: ergo Spiritus Sanctus ex sua proprietate Personali, postulat procedere ex mutuo, ac reciproco amore. *Insuper*, quia sine reali processione Spiritus Sancti à Filio, non videtur posse saluari eorum distinctio, cùm Spiritus Sanctus non aliunde distinguatur ab alijs Personis Diuinis, nisi ex vi suæ proprietatis Personalis. Quoniam realis distinctio in Diuinis, non est nisi per oppositionem relatiuam, neq; oppositio relatiua, nisi ratione originis, vnius Personæ ab alia.

In Diuinis non est distinctio realis, nisi inter opposita relatiuè

Corollarium III. In Diuinis nō est possibilis vlla distinctio realis, nisi inter ea, quæ relatiuè opponūtur. *Ratio*: qui in Diuinis non est possibilis vlla mutatiatio, proinde cùm ibi de facto non sit alia distinctio, nisi inter relatiuè opposita; ideò alia distinctio præter hanc non est possibilis. Dupliciter autem aliquà possunt relatiuè sibi opponi. *Primò*, ratione sui, vt paternitas, & filiatio; spiratio actiua & passiua. *Secundò*, ratione relationis adiunctæ, sicut paternitas, quia habet adiunctam spirationem actiuam, opponitur spirationi passiuæ.

Corollarium IV. Relatio spirationis actiuæ, pertinet ad rationem Personalem Patris, & Filij; nō tamen illis aduenit perfectè constitutis, sed solùm quatenùs à nobis concipiuntur incompletè. *Ratio*: quia licet ratio spirandi non minùs sit de ratione Patris; quàm ratio principij generandi, similiter non minùs sit de ratione Filij, quam ratio producti per intellectum; possumus tamen incompletè concipere primam Personam per ordinem ad Filium; & similiter secundam Personam per ordinem ad Patrem, & quidem concipiendo tanquàm substantias Diuinas incōmunicabiliter subsistentes, proinde tanquàm Personas, quibus sic conceptis, cōcipimus aduenire rationem spiratoris, & sic communiter concipitur ratio spiratoris aduenire Personæ Patris, & Filij, talis autem conceptus est inadæquatus istarum Personarum. Licet ergo Patri, & Filio repræsentatis conceptu inadæquato, ratio spiratoris videatur aduenire; nullo tamen modo aduenit ijsdem, perfectè in ratione Personæ constitutis.

Ratio spiratoris non est cōstitutiua Personæ.

Corollarium V. Licet ratio spiratoris, sit de ratione Patris, & Filij; non est tamen ratio vltimò constitutiua illorum, quamuis verè spectet ad eorum constitutionem. *Probatur*: quia hæc ratio est communis Patri, & Filio: ergo non potest esse ratio vltimò constitutiua eorum, cùm ratio vltimò constitutiua Personæ, non possit esse communis eidem Personæ cum alia. Vnde ratio spiratoris, licet sit communis

actiuæ, hæcq; illam præsupponat, ac prærequirat. Si autem Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non esset filiatio radix spirationis actiuæ, & sic nec mediatè per illam distingueretur. Constituitur itaq; de facto Filius per filiationem, & per eam à quocunq; alio distinguitur, sed non eodem modo. A disparatis quippè distinguitur disparata distinctione: à correlatiuo sibi immediatè id est à Patre, distinguitur distinctione relatiuà immediatâ, & à Spiritu Sancto (cui filiatio solùm mediatè opponitur, eò quòd sit radix spirationis actiuæ, ad eum modum, quo natura ignis, opponitur frigiditati, quia est radix caloris) distinguitur solùm distinctione relatiuà mediatâ, quæ in casu, & hypothesi prædicta deesset; sicut & quæuis alia distinctio realis, etiam disparata. Sicut enim hac non distinguitur modò filiatio à spiratione actiua: ita neq; tunc distingueretur à processione: quia sicut in diuinis non est nisi oppositio relatiua; ita non est nisi sola distinctio relatiua.

Fundamenti tertij solutio.

Ad III. *Fundamentum, concesso Antecedente, & eius consequentiâ, negatur* Filium non minùs distinguēdum fore à Spiritu Sancto, quàm nunc distinguatur. Quia tunc Spiritus Sanctus nō esset alius à Filio: vnde quemadmodùm Filius modò est vnus, licet non distinguatur à spiratore, eo quod spirator non sit alius à Filio; ita & tunc esset vnus, licet non distingueretur à Spiritu Sancto, eò quòd ex hypothesi datâ, Spiritus Sanctus non esset alius a Filio.

Ad IV. *Fundamentum, negatur Antecedens*, facta hypothesi, quòd Spiritus Sanctus non procederet à Filio: nam sicut processio actiua per intellectum, & processio actiua per voluntatem, non repugnant eidem Personæ, cum vtraq; conueniat Personæ Patris, licet vna supponat aliam; ita processiones passiuæ non repugnarent, si neutra Persona passiuè procederet ab alio.

QVÆSTIO VIII.

An Spiritus Sanctus procedat à Patre per Filium, & num ambo sint vnum principium ipsius.

SUppono I. Quando dicitur, Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium non esse intelligendū, quasi Pater non producat immediatè immediatione suppositi Spiritum Sanctum: neq; quòd Filius sit Patris instrumentum, sed solùm, quòd Filius non sit primum principium Spiritus Sancti, sed eum spiret virtute sibi communicatâ à Patre, tanquàm à fonte & primo principio.

Occasio quæstionis.

Suppono *præterea, circa II. quæstionis membrum.* Difficultatem inde ortam esse; quia cùm Pater & Filius sint duo supposita, & tamen per vnam eandemque vim spiratiuam producant Spiritum Sanctū; ideò controuertitur, an sint duo principia propter dualitatem suppositorum; an verò vnum principium, propter vnitatem virtutis spiratiuæ. Procedit autem quæstio de principio *quod*, non autem de principio *quo*, quod est potentia spiratiua. Et quidem Durandus, & Gregorius docuerunt, Patrem, & Filiū duo Spiritus sancti principia posse dici; Gabriel autem & Occham, vnum, & plura. Quæ sententia tanquàm erronea, & temeraria reijcitur, ob definitionem Concilij Lugdunensis relatam in cap. *Fideli de summa Trinitate, & fide cathol.* in 6to vbi damnantur illi, *qui temerario ausu asserere præsumpserint, quòd Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, tanquàm ex duobus principijs, & non tanquam ex vno procedat.* Communis itaque sententia tenet, Patrem, & Filium vnum tantùm esse Spiritus sancti principium.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Spiritus S. procedit à Patre per Filium.

COnclusio. Spiritus ſanctus procedit à Patre per Filium. *Probatur* authoritate D. Thomæ 1. p. q. 36. ar. 3. vbi dicit: *Quia Filius habet à Patre, quòd ab eo procedat Spiritus Sanctus, poteſt dici, quòd Pater per Filium ſpiret Spiritum Sanctum, vel quòd Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium, quod idem eſt.* Quia ergo Filius producit Spiritum ſanctum per virtutem acceptam à Patre, ideò iuxta S. Thomam procedit à Patre per Filium. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Spiritū S. procedere à Patre per Filium eſt conformæ Concilijs, & Sanctis Patribus.

Corollarium I. Hæc propoſitio, *Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium*, eſt conformis Sanctis Patribus, & Concilijs. *Ratio:* quia ſic expreſsè docet S Hilarius lib. 12 de Trinitate, & Concilium Florentinum in literis Sanctæ vnionis. his verbis *Declarantes quòd Sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc ſignificetur, Filium quoq; eſſe ſecundùm Græcos quidem cauſam; ſecundùm Latinos verò principium ſubſiſtentiæ Spiritus Sancti, ſicut & Patrem.*

Corollarium II. Si in Patre, & Filio, ſpectemus vim ſpiratiuam, quâ producunt Spiritum ſanctum, tunc Spiritus ſanctus procedit ab vtroque immediatè, & non à Patre per Filium. *Ratio:* quia vis ſpiratiua eſt vna, & eadem numero in Patre, & Filio, & per illam vim immediatè producunt Spiritum Sanctum.

Corollarium III. Si conſideremus Patrem tanquàm primam Deitatis Perſonam, à qua ordine quodam originis procedunt aliæ duæ Perſonæ, nimirùm Filius, & Spiritus Sanctus, tunc dici poteſt Spiritum Sanctum procedere à Patre mediantè Filio. *Ratio:* quia Filius priùs origine procedit à Patre, quàm Spiritus Sanctus. Et in eodem ſenſu dicitur, Spiritum Sanctū procedere à Patre per Filium, quatenùs Filius per virtutem acceptam à Patre ſpirat.

Hæc p[...] poſitio [...] ritus S. [...] cedit à [...] lio per [...] trē adm[...] non deb[...]

Corollarium IV. Licet iſtam propoſitionem, *Spiritus ſanctus eſt à Filio per Patrem*, Durandus in 1. ſent. diſt. 12. qu. 3. & Torres, admittant in hoc ſenſu, videlicet per virtutem acceptam à Patre, quemadmodùm concedi ſolet, Prætorem operari per regem, id eſt, per facultatem communicatam à Rege; veriùs tamen eam negat S. Thomas. *Ratio*: quia inter Patrem, & Filium, non attenditur ordo ſecundùm virtutem, ſed ſecundùm Perſonam.

Corollarium V. Licet iſtam propoſitionem, *Spiritus ſanctus eſt principaliter à Patre*, cōcedat D. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 17. & 26. in hoc ſenſu, quòd Pater à ſe habeat, vt producat Spiritum Sanctum; Ftlius verò non à ſe, ſed à Patre id acceperit per generationem. Et D. Thomas 1 p. qu. 36. ar. 3. ad 2. eandē admittat. Nunquam tamen concedendum eſt, Spiritum Sanctum minùs principaliter procedere a Filio, aut minus propriè.

Pater & Fi[...] lius ſunt [...] num pri[...] cipiū Spi[...] tus Sanc[...]

Concluſio II. Pater, & Filius, ſunt vnū principium Spiritus Sancti. Ita S. Thomas qu. 36. art. 4. *Probatur I.* ex Concilio Florentino in Decreto de Spiritu Sancto, vbi ita definitum eſt. *Spiritus ſanctus à Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam, ſuumq; eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul, & Filio, & ex vtroq; æternaliter, tanquàm ab vno principio, & vnica ſpiratione procedit.* Idem definitum habetur in Concilio Generali Lugdunenſi de ſumma Trinit. & Fide catholica, vbi expreſsè dicitur, Spiritum Sanctum eſſe à Patre, & Filio, non tanquàm duobus principijs, ſed tanquàm vnico principio. Frgo Pater & Filius, ſunt vnum principium Spiritus Sancti.

Probatur II. Authoritate Sanctorum

munis primæ, & ſecundæ Perſonæ, pertinet ad earum conſtitutionem, eſtq; intrinſeca illis Perſonis.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem.* Filius diſtinguitur à Spiritu Sancto per filiationem: ergo etiam admiſsa hypotheſi diſtingueretur. *Antecedēs patet*: quia Filius cōſtituitur præcisè per filiationem: ergo etiam per eam diſtinguitur à quolibet alio. *Conſequentia verò manifeſta*: quia datâ hypotheſi Filius conſtitueretur per filiationem, verè enim generaretur à Patre. *Reſpondetur negando Conſequentiam*: nam admiſsâ hypotheſi, Perſonalis ſubſiſtentia Filij, non eſſet futura eadem numero cum hac, quæ nunc eſt. Licet enim ſpiratio actiua cenſeatur aduenire Perſonæ Filij, iam perfectè conſtitutæ In eſſe Perſonali; tamen *Filiatio*, quâ Filius de facto conſtituitur, neceſſariò poſtulat eam ſibi ſaltem identificatam in poſteriori rationis. Similiter eadem *filiatio* neceſſariò poſtulat adiunctam voluntatem, & fæcundam. Vnde iam formale conſtitutiuum Filij, non eſt *filiatio* vt præciſa ab ordine ad Spiritum Sanctum, ſed aptâ ad illum ſpirandum, & ita poſtulantem vim ſpirandi; quæ tamen admiſsâ hypotheſi non inuenirentur; proinde in caſu hypotheſis, *filiatio* nullo modo, nec ratione ſui formaliter, nec ratione adiuncti neceſſariò competentis, & ſummè identificati, reſpiceret Spiritum Sanctum, ac per conſequens non eſſet eadem filiatio, ſed alia, quæ ſumeretur per nudum ordinem ad Patrem; quemadmodùm in caſu hypotheſis, non eſſet eadem Perſona Spiritus Sanctus, cum ea, quæ nunc eſt: quia Perſona Spiritus Sancti, ſeu relatio, per quam modò conſtituitur Spiritus Sanctus, eſſentialiter reſpicit Patrē, & Filium, tanquàm terminos ſuæ ſimpliciſſimæ habitudinis. Ergo ſi in terminis eſſet mutatio, inueniretur quoque in relatione, atq; ita Spiritus Sanctus, eiuſque ſubſiſtentia foret alia, quàm nunc eſt.

Solutio eiuſdem.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium III.* Si per impoſſibile Spiritus Sanctus non procederet à Patre, ſed à ſolo Filio, adhuc realiter diſtingueretur à Patre, & non opponeretur ei relatiuè. Ergo in Diuinis poſſibilis eſt diſtinctio realis, præter relatiuè oppoſita. *Reſpondetur negando Antecedens quoad alteram partem*: Si enim Spiritus Sanctus procederet à ſolo Filio, adhuc opponeretur mediatè Patri, quia procederet mediatè ab illo. Nam Pater daret Filio virtutem, quâ ſpiraret Spiritum Sanctum, & ſic Pater mediatè produceret Spiritum Sanctum, quod ſufficeret ad diſtinguendum Patrem à Filio.

Solutio eiuſdem.

Inſtabis, *contra ſolutionem.* Etiam eſſentia Diuina dat Patri *paternitatem*, & tamen non opponitur Filio mediatè: ergo ex hoc, quod Pater daret Filio ſpirationem actiuam, non ſequitur Patrem opponi mediatè Spiritui Sancto. *Reſpondetur negando conſequentiam. Diſparitas eſt*: quia eſſentia Diuina dat paternitatem ſolùm per virtualem emanationem, non verò per realem proceſſionem, ac oppoſitionē cum Patre. Iam autem Pater dat Filio ſpirationem actiuam per realem proceſſionē, & oppoſitionem cum illo: & ſic Peter dat talem virtutem Filio, cum mediatâ oppoſitione cum Spiritu Sancto; eſſentia verò non dat Patri paternitatem cum oppoſitione mediata cum filiatione; quoniam oppoſitio mediata cum vno, debet ſupponere immediatam cum alio, ratione cuius dicatur mediatè opponi alteri.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. Filiatio realiter diſtinguit Filium à Spiritu Sancto,

cto, & tamen illi non opponitur relatiuè, cum non referat Filium ad ipſum, ſed ad Patem: ergo in Diuinis datur diſtinctio realis inter ea, quæ, ſibi relatiuè non opponuntur.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur diſtinguendo Antecedens. Filius per filiationem non opponitur relatiuè formaliter Spiritui Sancto, *conceditur*: non opponitur relatiuè radicaliter, *negatur*: nam filiatio eſt radix relationis ſpiratoris, quâ Filius formaliter refertur ad Spiritum Sanctum, eiq; relatiuè opponitur.

Inſtabis *contra ſolutionem*. Eſſentia Diuina eſt radix Paternitatis, & tamen per hoc non opponitur radicaliter Filiationi, cui formaliter opponitur paternitas: ergo pariter filiatio non opponitur radicaliter ſpirationi paſſiuæ, ſeu Spiritui Sancto, ex eo, quòd ſit radix ſpirationis actiuæ, ſeu relationis ſpiratoris, quâ Filius relatiuè formaliter refertur ad Spiritum Sanctum, eiq; opponitur. *Reſpondetur conceſſo Antecedente, negatur conſequentia. Diſparitas eſt*: quia eſſentia eſt quid abſolutum, & radix communis omnium relationum, non peculiaris alicuius; ideoq; nulli ex illis opponitur, nec ab aliqua illarum diſtinguitur. At verò filiatio non eſt aliquid abſolutum, ſed relatiuum: proinde ita eſt radix ſpirationis actiuæ, ſeu relationis ſpiratoris, vt cum illa adæquetur, neque ſit radix alterius.

Reſpondetur ad fundamenta primæ opinionis.

Fundamēti primi ſolutio.

AD I. *Fundamentū diſtinguitur Antecedens.* Si Spiritus S. procederet à ſolo Filio, & nullo modò à Patre, ſcilicet nec mediatè, nec immediatè, adhuc diſtingueretur à Patre, *negatur*: ſic enim nulla eſſet inter Patrem, & Spiritū Sanctū oppoſitio relatiua, cōſequēter nec diſtinctio. Si Spiritus S. procederet à ſolo Filio immediatè; à Patre verò mediatè, adhuc diſtinguerctur ab eo *conceditur, & negatur conſequentia*: non enim eſt par ratio vtrobique: Nam ſi Spiritus S. non procederet à Filio, nulla eſſet inter Filium, & Spiritum Sanctum oppoſitio: licet autem non procederet immediatè à Patre, ſed mediatè, quatenùs procederet à Filio producto à Patre, adhuc eſſet oppoſitio relatiua inter Patrē, & Spiritum S. principij mediati ad id, quod mediatè eſſet à tali principio; quemadmodùm inter nepotem, & auum, eſt oppoſitio relatiua. Proinde tunc in Patre æterno negari non poſſet relatio eius, à quo mediatè eſſet Spiritus S. per quam, & per aliam, quæ ex parte Spiritus S. reſponderet, mutuò ſe reſpicerent, opponerenturq; relatiuè ſuppoſitum Patris, & Spiritus Sancti; ſicut ſuppoſita aui, & nepotis, in humanis mutuò ſeſe reſpiciunt, & relatiuè opponuntur, quæ oppoſitio ſufficeret, vt ſuppoſita Patris, & Spiritus Sancti diſtinguerentur realiter inter ſe.

Fundamēti ſecundi ſolutio.

Ad II. *Fundamentum, negatur maior vniuerſaliter loquendo*: natura enim humana vt eſt in Socrate, realiter diſtinguitur à ſeipſa, vt eſt in Platone; & tamen non diſtinguitur per rationale; per quod conſtituitur in eſſe naturæ humanæ, ſed per differentias indiniduantes adiunctas. Ita quoque Filius in Diuinis quoad eſſe Filij, diſtinguitur realiter à Spiritu Sancto, non ratione filiationis, per quam conſtituitur in eſſe Filij, quaſi filiatio ſit ratio, quòd diſtinctus ſit à Spiritu Sancto, ſed ratione ſpirationis actiuæ quaſi ſuperuenientis, ſecundùm quam relatiuè opponitur Spiritui Sancto.

Reſpondetur II. Filium de facto diſtingui à Spiritu Sancto per filiationem, non quidem proximè & immediatè: nam hoc modo ab illo diſtinguitur per ſpirationē actiuā; ſed radicaliter, & mediatè: eò quòd filiatio ſit radix ſpirationis acti-

ctorum Patrum. In primis S. Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 14. ita loquitur: *Sicut Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt vnus creator, & vnus Dominus; ita Pater, & Filius, ſunt vnicum Spiritus ſancti, non duo principia.* S. Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos poſt tria folia ait: *Non enim tria principia, aut tres Patres introducimus, quemadmodùm Marcioniſtæ, cùm non tres ſoles ad comparationem adducamus, ſed vnum ſolem, eiuſdemq; ſplendorem, vnicamq; ex ambobus lucem.* Vbi per *lucem* intelligit Spiritum S. quem vult eſſe ex ambobus, nimirùm ſole, & ſplendore, id eſt Patre, & Filio. S. Chryſoſthomus homil. 1. de ſymbolo tom. 5. dicit: *Iſte eſt Spiritus procedens à Patre, & Filio.* Idem docet S. Hilarius lib. 4. de Trinit. & ſanctus Anſelmus lib. de Proceſſione Spiritus Sancti, cap. 10. Ergo ex mente Sanctorum Patrum, Pater, & Filius ſunt vnū principium Spiritus Sancti.

Probatur III. *ratione.* In Diuinis omnia ſunt vnum, inter quæ nō eſt oppoſitio relatiua. ſed Pater, & Filius non opponuntur relatiuè in hoc, quod ſint principium Spiritus Sancti: ergo ſunt vnum principiū Spiritus Sancti. *Præterea*, quia nomina ſubſtantiua non dicuntur pluraliter, niſi multiplicetur forma, quam in concreto ſignificant: vnde tres Perſonas non vocamus tres Deos, eò quòd vna tantùm ſit Deitas, non plures. Sed vis ſpiratiua eſt forma ſignificata nomine principij, ſeu ſpiratoris, eſtq; vna numero in Patre, ac Filio: ergo Pater, & Filius ſunt vnum principiū Spiritus Sancti. Vnde S. Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 14. dicit: *Sicut Pater, & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatus vnus creator, & vnus Dominus; ſic relatiuè ad Spiritum Sanctum vnum principium.* Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Spiritus S. neceſſariò poſtulat producere à duobus ſuppoſitis.

Corollarium I. Ad hoc, vt producatur Spiritus Sanctus, realiter, ac Perſonaliter diſtinctus à Patre, & Filio, per ſe requiritur pluralitas ſuppoſitorum, id eſt Patris, & Filij, in principio productiuo, tanquàm conditio, ſine qua non produceretur talis. *Ratio*: quia natura diuina eſſentialiter poſtulat eſſe in tribus Perſonis; in vna quidem immediatè; in duabus verò mediante proceſſione, in qua proceſſione neceſſarius eſt ordo, vt prius producatur Filius, quam Spiritus Sanctus, atq; adeò Spiritus Sanctus poſtulat produci tanquàm tertia Perſona; vt autem producatur tanquàm tertia Perſona, neceſſariò poſtulat produci à duobus ſuppoſitis. ergo per ſe, & ex ratione ſuæ proceſſionis poſtulat duo ſuppoſita ex parte principij. *Antecedens patet*: tum, quia ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab eodem. *Tum*, quia Spiritus Sanctus non per accidens reſpicit duas Perſonas, à quibus procedit, ſed per ſe, & per ſuam Perſonalē proprietatem, nec minùs dicit per ſe ordinem ad Filium, quàm ad Patrem, & è contra: ergò neceſſariò requirit Patrem, & Filium à quibus procedat.

Corollarium II. Si tamen conſideremus proceſſionem Spiritus Sancti in genere, quòd videlicet procedat in genere tanqàm terminus voluntatis & per modum amoris, tunc non poſtulat ab intrinſeco, & ratione termini duo ſuppoſita cōcurrentia ad eius productionem. *Ratio*: quia terminus voluntatis, & amor ſufficienter refunditur in voluntatem, tanquàm principium actiuum, & in ſuppoſitum, cui ineſt voluntas. Ergo ad productionem Amoris ex intrinſeca eius conditione, non requiruntur plura ſuppoſita. *Conſequentia patet*: quia voluntas inuenta in vno ſuppoſito, poteſt amare & producere terminum.

Corol-

Pater & Filius sunt duo spirantes sed vnus spirator.

Corollarium III. Pater, & Filius possunt dici, & de facto sunt duo spirantes, adiectiuè sumendo; non tamen dici potest, esse duos spiratores, sed vnus spirator. *Ratio discriminis est:* quia adiectiua nomina pluraliter efferri possunt, quoties sunt diuersa supposita, licet non sint diuersæ formæ; at verò substantiua nomina multiplicari non debent, nisi & forma, quam supposita significant, multiplicetur. Vnde rectè dicimus duos habentes vim spirandi, seu duos spirantes adiectiuè: quia sunt duæ Personæ. Sed dicere non debemus, duo principia, nec duos spiratores substantiuè: quia vnica est forma, & vna virtus, per quam spirant.

Corollarium IV. Pater, & Filius, non spirant vt duæ Personæ, particulâ *vt* reduplicatiuè sumendo. *Ratio*: quia spirant vt vnum principium, seu vt habent vnam eandemque virtutem spiratiuam. Quod si eadem particula *vt*, sumatur specificatiuè, tunc spirãt vt duæ Personæ. *Ratio*: quia licet diuersitas suppositorum non sit illis formale principium productiuum; tamen singulæ verè concurrunt per virtutem sibi intrinsecam.

Corollarium V. Virtus spiratiua, & actus spirandi, est prius origine in Patre, quàm in Filio. *Ratio*: quia Pater habet à se huiusmodi virtutem; Filius verò habet illam communicatam à Patre: ergo prius origine est in Patre, quàm in Filio.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra Conclusionem* II. Quando dicitur, quòd Pater, & Filius, sint vnum principium Spiritus Sancti, non potest assignari aliquid, pro quo supponat lij *vnum principium*: ergo non sunt vnum principium. *Antecedens probatur.* In primis Lij *vnum principium*, non supponit pro Patre, quia iam falsò de Filio diceretur: neq; supponit pro Filio, quia sic non posset verè affirmari de Patre: non etiam supponit pro vtroque simul, alias de nullo illorum seorsim posset enunciari. Ergo nihil potest ostendi pro quo supponat. *Respondetur negando Antecedens. Ad eius probationem dicitur*, in hac propositione, *Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti.* Lij, *vnum principium*, supponere pro Patre, & Filio copulatiuè seu collectiuè; ex hoc autem non sequitur, quòd non possit verè affirmari de Patre, & Filio seorsim: quando enim de illis sic prædicatur, non supponit pro vtroq; collectiuè, sed pro subsistente in virtute spiratiua, communi vtriq; communitate reali ex parte virtutis, & communitate solùm per rationem ex parte subsistentiæ. Vt patet in hoc exemplo, *Pater, & Mater sunt causa filij*: in hac enim propositione prædicatum pro vtroq; parente supponit, eò, quòd vtroq; ad generationem Filij requiratur. Nihilominùs in istis propositionibus: *Pater est causa Filij: mater est causa filij*: prædicatum non supponit collectiuè pro vtroque, sed pro principio filij abstrahente ab actiuo, & passiuo.

Solutio eiusdem.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium* II. Terminus intellectus, concurrit ad terminum voluntatis: ergo requirit plura supposita. *Respondetur negando Antecedens*: non enim requiritur, quasi effectiuè ad illum concurrat, sed solùm tanquàm conditio essentialiter requisita obiecti repræsentatiua. Et licet in diuinis terminus per intellectum productus sit substantialis, habens vim quam habet Pater, atq; adeò concurrat ad productionem amoris personalis; non arguit tamen, quòd amor in genere consideratus requirat illi⁹ concursum, quantũ est ex intrinseca eius conditione,

Solutio eiusdem.

ditione, sed aliunde oritur in casu particulari.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* III. Sanctus Hilarius lib. 2. de Trinit. vocat Patrem, & Filium, Auctores Spiritus Sancti: ergo pari modo dici potest, esse duos spiratores. *Respondetur*, Sanctum Hilarium nomen illud *Auctores*, quod est substantiuum, modo adiectiuo vsurpasse; ideò autem sic locutus est, vt significaret Spiritum Sanctum ratione sui requirere vtramq; Personam ad sui productionem, vt docet Sanctus Thomas 1. p. q. 36. ar. 4. ad 7.

Solutio eiusdem.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium* V. Sequeretur hinc Spiritum Sanctum prius procedere à Patre, quàm à Filio. *Respondetur negando sequelam:* quia Pater non potest intelligi producere Spiritũ Sanctum, antequàm generauerit Filiũ; Filius autem genitus præditus eadem indiuisibili virtute, quâ Pater, vnâ & indiuisibili actione, in sequenti signo producit Spiritum Sanctum, atq; ita Pater non prius producit Spiritum Sanctum, quàm Filius, & non prius spirat.

DISPVTATIO III.

De Personis Diuinis comparatiuè sumptis.

TRia hoc loco agit Sanctus Thomas. *Primò*, confert personas Diuinas cum essentia, & hoc facit q. 39. per octo articulos. *Secundò* confert Personas cum relationibus q. 40. per quatuor articulos. *Tertiò* confert Personas cum actibus notionalibus q. 41. per sex articulos.

QVÆSTIO I.

An in Diuinis essentia sit idem quod Persona.

QVæstio hæc decisa habetur Disp. 1. q. 2. vbi ostendi Personam in Diuinis non esse idem, quòd essentia propriè accepta; ideò non repetendo sæpiùs eadem.

In Diuinis essentia & Persona idem sunt secundum rem.

Concluditur. In Diuinis essentiam, & Personam esse idem secundùm rem, & solùm differre ratione. Ita definitum est, in Concilio Nicæno, & in Constantiensi 1. contra Arium congregato. Et in Florentino, habeturq; in capite *Firmiter, de summa Trinitate, & fide Cathol.* & in cap. *Damnam⁹ eodem titu.* Et in Scriptura Sacra Ioan. 10. vbi Christus dicit: *Ego, & Pater vnum sumus.* Et Ioannis vltimo: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt.* Et ratio euidentissima id suadet: quia si essentia Diuina à Personis realiter distingueretur, tunc in Deo daretur quaternitas rerum, videlicet trium Personarum realiter distinctarum, & essentiæ realiter quoq; à Personis diuersæ; cùm tamen contrarium cap. *Damnamus*, definitum sit. Hinc deducuntur corollaria.

In Diuinis vna est essentia in tribus Personis.

Corollarium I. Vna essentia est in tribus Personis, & tres Personæ Diuinæ sunt vnius essentiæ. Est de fide, vt definitum est in sexta Synodo, Act. 4. vbi dicitur: *Trinitatem Personarum esse vnius voluntatis, vnius operationis, & vnius essentiæ.* Et in Concilio Nicæno, vbi dicitur: quòd *Filius sit Patri homusion*, id est, eiusdem essentiæ. Similiter in Concilio Constantinopolitano definitur, quod Spiritus Sanctus est consubstantialis Patri, & Filio, id est eiusdem naturæ.

Corollarium II. Hæc propositio: *Vna essentia diuina est trium Personarum*, vera est. *Ratio*: quia quælibet forma dicitur esse illius suppositi cuius est forma. Cùm ergo Diuina essentia sit forma trium Personarum, seu esse Personarum: ideò rectè dicitur, Diuina essentia est trium Personarum.

Corollarium III. Meliùs explicatur vnitas Diuina, si dicatur, quòd tres Personæ sunt vnius essentiæ; quàm si dicatur, quod sint vnius naturæ, licet vtrumq; verè dicatur.

Corollarium IV. Non est tamen concedendum, tres Personas esse ex vna, aut de vna essentiâ. *Ratio*: quia præpositiones *ex*, & *de*, non denotant habitudinem formæ, sed vel causæ efficientis, vel materiæ; neutrum autem conuenit diuinæ essentiæ respectu Personarum.

Corollarium V. In Diuinis sicut est vnica essentia, ita vnica tantùm est definitio. Ita Magister sententiarum in 1. dist. 29. Et Sanctus Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 10. Et *ratio* I. est: quia definitio de essentia assignatur: ergo sicut in Diuinis vnica tantùm est essentia; ita & vnica definitio. *Ratio* II Verbum est expressiuum definitionis. Sed in Diuinis vnicum tantûm est Verbum; ergo & vnica definitio. *Ratio* III. Beati, qui vident Diuinam essentiam, & Trinitatem Personarum, solùm habent vnicam notitiam, & vnicum conceptum simplicem: ergo solum est vnica definitio.

Neque valet, si dixeris. Filius procedit per modum intellectus, Spiritus Sanctus per modum voluntatis; modi autem procedendi ita diuersi diuersas exigunt definitiones. *Præterea*, quia in Patre diuersæ sunt relationes spiratio, & Paternitas. Nam Pater alia ratione Pater est, puta, quia habet Filium; & alia ratione spirator est, quia habet Spiritum Sanctum: ergo istæ relationes habent diuersas definitiones. *Respondetur* enim, inde solùm sequi, quòd in Diuinis sint plures definitiones partiales, & inadæquatæ, cæterùm adæquata & infinita, vt sic loquar, non nisi vnica. Diuina igitur essentia, quæ est res simplicissima, propter infinitam sui perfectionem, & eminentiam, vnicam habet definitionem, quæ eminentiâ quadam continet omne absolutum, & omne respectiuum, estq; communicabilis, & incommunicabilis.

QVÆSTIO II.

Quomodò nomina essentialia prædicentur de Personis Diuinis.

QVomodò de Sanctissimæ Trinitatis mysterio loquendum sit, docet Sanctus Thomas 1. p. q. 39. ar. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. Circa quod, *Suppono* I. Cùm mysterium Sanctissimæ Trinitatis sit alijs sublimius, ideoq; difficilius, propterea quoties de illo loquendum est, maior cautela adhiberi debet, ne forsan defectu aut scientiæ, aut aduertentiæ, verbis minus sanis, aut aptis, tanti mysterij veritas obscuretur. Quod pulchrè tetigit Apostolus 2. ad Timot. 1. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti.* Et quoniam in omni enuntiatione duo termini reperiuntur, scilicet prædicatum, & subiectum, idcirco quoties de hoc mysterio loqui oportet, diligenter obseruari debet, quâ ratione vterq; propositionis terminus, rectæ fidei consonus, & conformis esse possit. Nam pro vario modo, quo nomen eandem rem repræsentat intellectui, oritur diuersus modus prædicandi, vt scilicet enuntietur vel in numero singulari, vel in plurali.

Suppono II. In præsenti controuersia, triplicis generis esse nomina. *Quædam abstracta*, & hæc significant rem præcisè per modum formæ secundùm se, atq; vt talem repræsentant intellectui, vt sunt *Deitas humanitas, &c.* Nam auditis eiusmodi nominibus formamus conceptum, quo nobis repræsentamus naturam Diuinam, & humanam secundùm se, abstrahendo ab omni eo, cui inest. *Alia nomina sunt concreta substantiua*, vt *Deus*,

Deus, homo, animal, & hæc nomina repræsentant intellectui suum significatum per modum subsistentis, & vt *quod*, abstrahendo ab vna, vel pluribus subsistentijs, imò etiam à propria, vel alienâ subsistentiâ. *Alia* deniq; sunt nomina concreta adiectiua, vt *Diuinus, albus, humanus*, & hæc repræsentant suum formale significatum, tanquàm alteri adiacens, seu potiùs repræsentant suppositum tali re affectum, v. g. nomen hoc *diuinus*, repræsentat intellectui suppositum affectum diuinitate. Vnde ex hac nominum diuersitate, oritur diuersus prædicandi modus in singulari, aut in plurali.

Suppono III. Præcipuum intentum D. Thomæ in præsenti quæstione esse hoc: vt constituat discrimen inter nomina substantiua, & adiectiua, quod consistit in hoc: quia pluralitas nominis substantiui, attenditur penes formas; pluralitas verò nominis adiectiui penes supposita. Est autem conuenientia inter nomen substantiuum, & adiectiuum hæc, quòd ad quodlibet illorũ multiplicandum requiratur pluralitas suppositorũ, vt obseruat Bannes in cõmentario super articulum 3. quæstionis 39.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Quomodò nomina essentialia prædicentur in Diuinis.

COnclusio. Nomina essentialia concreta substantiua in Deo (videlicet illa, quibus essentia Diuina, vel aliquod eius attributum absolutum exprimitur,) de tribus Personis Diuinis in numero singulari prædicari debent. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 39. ar 3. v. g. nomen istud *Deus*, quod est substantiuum essentiale, non debet prædicari in plurali de tribus Personis, sed tantùm in singulari. At verò nomina essentialia concreta adiectiua, adiectiuè sumpta pluraliter dicuntur de Personis Diuinis. *Probatur Conclusio quoad* I. authoritate Sancti Athanasij in symbolo vbi dicit: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus; & tamen non tres dij, sed vnus est Deus: ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Domini, sed vnus est Dominus.* Ergo nomina essentialia concreta substantiua in Deo, de tribus Personis Diuinis in numero singulari prædicari debent. *Probatur deinde conclusio quoad* II. ex Concilio Lateran. cap. *firmiter de summa Trinit, & Fide Cathol.* vbi dicitur: *Pater generans, Filius nascens, & Spiritus Sanctus procedens, consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni.* Ergo nomina essentialia adiectiua adiectiuè sumpta, dicuntur de Personis Diuinis pluraliter. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Nomina essentialia substantiua in Deo, non multiplicantur, seu non enuntiantur in numero plurali. *Ratio*: quia vt docet S. Thomas in præsenti, nomen concretũ substantiuum, suum significatũ offert intellectui vt subsistens, & per se vt *quod*: ideoq; non multiplicatur, nisi multiplicetur formale significatum.

Nomina essentialia substantiua in Diuinis non multiplicantur.

Corollarium II. Falsa est sententia Petri de Aliaco, qui censuit, tres Personas in rigore dici posse, tres esse Deos, & hunc modum loquendi solùm vitari propter periculum erroris. *Ratio*: quia Deus in scripturis perpetuò dicitur vnus, vt 2. Ioan. 10. *Ego, & Pater vnum sumus.* Tum quia in Concilijs, & symbolis docetur, vnus tantùm esse Deus, & tres Personas esse vnum Deum. Quæ doctrina non esset in omni rigore vera, si verè dici posset, Tres Personas Diuinas, esse tres Deos.

Corollarium III. Falsa est doctrina Marsilij in 3. q. 2. ar. 3. dub.

2. asserentis, in termino concreto attendendam esse vnitatem, vel pluralitatem suppositi, non verò formæ, ac proinde si supposita sint plura, debere multiplicari concretum, quod coalescit ex forma, & supposito. *Ratio:* quia iuxta hanc doctrinam deberet dici, tres Personas Diuinas, esse tres Deos, quod iam refutatum est.

Corollarium IV. Vt nomen concretum substantiuum enuntietur in numero plurali, non sufficit formam multiplicari, nisi & suppositum multiplicetur. *Ratio:* quia licet aliquis habeat varia regna; dicitur tamen vnus *Rex:* similiter habens plures scientias, dicitur Doctor: ergo signum est, quòd ad pluralitatem nominis substantiui concreti non sufficiat pluralitas formæ, sed vltra hoc requiratur pluralitas suppositorum; ita vt si suppositum sit vnum, non obstante pluralitate formæ, nomen enuntietur in singulari.

Ad pluralitatem nominis substantiui concreti, requiritur pluralitas tam formæ quàm suppositi.

Corollarium V. Licet vt nomen substantiuum concretū enuntietur pluraliter, requiratur tàm suppositi, quam formæ prædicatæ multiplicatio; vt tamen enuntietur singulariter, sufficit alterutra vnitas, id est, aut formæ, aut suppositi. *Ratio:* quia pluralitas significat negationem quandam inter ea, quæ dicuntur plura, quā vnum non est aliud, vnitas autem solùm designat quandam affirmationem, ad quam sufficit indiuisio in forma, aut saltem in supposito. Ad euitandum itaque errorem in hac materia, duas regulas tradit Sanctus Thomas.

Regula I.

Prima regula. *Singularitas, vel pluralitas, nominis substantiui, attenditur secundùm formam significatam per nomen.* Quæ sic intelligi debet: si sermo sit de nominibus substantiuis abstractis, tunc ad eorū vnitatem, vel pluralitatem, sufficit vnitas, vel pluralitas suppositi. Si verò sit sermo de nominibus substantiuis concretis, tunc ad eorum pluralitatem, requiritur pluralitas non solùm formæ, sed etiam suppositi. Hinc Pater in Diuinis licet habeat virtutem generandi, & spirandi, duasq; relationes; non tamen dicitur plura principia, quia deest pluralitas suppositorum. Similiter si Persona Diuina assumeret duas naturas humanas, propter vnitatem suppositi, diceretur vnus homo. Ad vnitatem tamen eorum sufficit vnitas formæ, & non requiritur vnitas suppositi: alias tres diuinæ Personæ non essent vnus Deus, nec si assumerent vnam humanitatem, essent vnus homo, quorum primum est contra fidem; alterum verò contra D. Thomam 3. p. qu. 3. art. 6. ad 1. *Ratio discriminis est:* quia vt aliqua sint vnum sub aliqua ratione, satis est, quòd sub illa ratione vniantur; vt autem sint plura, requiritur, vt absolutè, & simpliciter diuidantur. Sic vt multi homines sint plures exercitus, aut populi, absolutè, & simpliciter diuisos esse oportet; vt verò sint vnus exercitus, aut populus, non requiritur, vt sint absolutè, & simpliciter indiuisi, sed sufficit, quòd sub ratione exercitus, aut populi vniantur.

Regula II.

Altera regula. *In nominibus adiectiuis attenditur singularitas, & pluralitas secundùm supposita.* In his ergo duabus regulis, verbum illud *attenditur*, denotat rationem, & causam formalem singularitatis, ac pluralitatis nominum: quàm in nominibus adiectiuis Sanctus Thomas docet esse singularitatem, & pluralitatem suppositorum. Vnde quando suppositum est vnum, prædicatio nominis adiectiui fit in singulari; quando verò supposita sunt plura, prædicatio fit in plurali. Sic nomen istud *omnipotens* adiectiuè sumptum, si prædicetur de Patre, prædicatur in singulari, dicendo *Pater est omnipotens;* si verò de pluribus Personis, prædicatur in pluraliter,

tali, dicendo *Pater & Filius*, item *Pater & Filius & Spiritus Sanctus*, sunt omnipotentes. Similiter *Pater*, *& Filius spirant*, vel sunt spirantes Spiritum Sanctum. Et *ratio est:* quia concretum adiectiuum, repræsentat intellectui suum significatum, vt alteri inexistens, seu potiùs significat suppositum tali formâ affectum. In substantiuis verò nominibus docet esse singularitatem, & pluralitatem formarum significatarum; cùm hoc tamen stat, quòd tanquam conditio sine *qua non*, ad pluralitatem nominis substantiui concreti, requiratur etiam pluralitas suppositorum. Hinc si Verbum Diuinum dimitteret humanitatem, & illa assumeretur à Patre, adhuc diceretur vnus, & idem homo, propter identitatem formæ. Vt ergo nomen concretum substantiuū enuntietur pluraliter, requiritur, vt multiplicetur tàm suppositum; quàm forma prædicata, vt autem enuntietur singulariter, sufficit alterutra vnitas, videlicet aut formæ, aut suppositi.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Sanctus Athanasius in suo symbolo, de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto dicit: *non sunt tres omnipotentes, sed vnus omnipotens; sicut nec tres æterni, aut increati, aut immensi; sed vnus increatus, vnus æternus, vnus immensus.* Ergo nomina essentialia concreta adiectiua, non dicuntur pluraliter de Personis Diuinis, sed singulariter. *Respondetur negando consequentiam:* Sanctus enim Athanasius illa nomina sumit non adiectiuè, verùm substantiuè, (licet quædam eorum, quod non sumantur in terminatione neutra, præferant formam adiectiuorum) negatq; illa dici pluraliter de tribus Personis.

Solutio eiusdem.

Quod ex eo patet: quia idem S. Athanasius in eodem symbolo, alia nomina adiectiua, cuiusmodi sunt *coæternus*, & *coæqualis*, quia adiectiuè sumpta pluraliter enuntiat de Personis Diuinis, loquens: *coæternæ sibi sunt, & coæquales.*

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra duas regulas datas.* Sanctus Thomas in præ dictis regulis dicit: singularitas, vel pluralitas nominis substantiui, attenditur secundùm formam significatam per nomen: ergo videtur sentire, quòd vbi forma significata nomine concreto substantiuo est multiplex, ipsum quoq; nomen debeat enuntiari pluraliter, licet suppositū non multiplicetur, cum nullam mentionem faciat multiplicationis suppositi. *Respondetur negando cōsequentiam:* per hoc enim non vult, habendam rationem solius formæ, sed quòd etiam habenda sit, & non solius suppositi, sicut fit in nominibus adiectiuis, in quibus habetur ratio solius suppositi ad hoc, vt prædicetur in singulari, vel plurali. Quasi diceret: nomen adiectiuum prædicatur in singulari, si suppositum sit vnum, licet plures sint formæ; & in plurali, si supposita sint plura, quamuis forma vna sit: proinde in his prædicatio nō attenditur secundùm vnitatem, aut pluralitatem formæ; in substantiuis verò habetur ratio illius, ita vt si ea sit vna, nomen prædicetur in singulari, licet suppositum multiplicetur; vt tamen prædicetur pluraliter, requiritur pluralitas formæ, quamuis non solius, sed etiam suppositi.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO III.

Pro quonam nomina essentialia in Diuinis tàm concreta; quàm abstracta supponant.

AD intelligendam faciliùs quæstionem. Suppono I. Suppositionem

tionem quantum ad præsens nihil aliud esse; quàm acceptionem vocis pro suo significato. Hoc autem significatum potest esse duplex, videlicet *primò, & immediatè significatum*, & hoc est illud, ad quod significandū vox per se imponitur. *Deinde mediatum significatum*, cuiusmodi sunt inferiora, vel supposita, de quibus vox aliqua prædicatur. v. g. immediatum significatū huius vocis *homo*, est natura humana per modum subsistentis: quia est id, quod explicitè, & immediatè ea vox significat; significata verò mediata, sunt indiuidua, & inferiora contenta sub illa communi ratione quæ implicitè, & in confuso, per hanc vocem possunt significari. Sic in Diuinis, immediatum significatum istius vocis *Deus*, est Deitas, seu natura Diuina; mediatum verò est Persona: quia ista vox *Deus* in recto, significat Deitatem, seu essentiam, in obliquo Personalitatem; sicut etiam *Persona* in recto significat personalitatem, in obliquo naturam. Et ideò, quia natura in Diuinis est vnica, solùm dicitur vnus Deus; quia verò Personalitas est triplex, dicuntur tres Personæ.

Suppono II. Vocem aliquam posse accipi pro vtroq; hoc significato, iuxta exigentiam propositionis: quia propositio interdùm exigit, vt supponatur pro solo significato immediato; aliquando verò exigit, vt etiam accipiatur pro mediato. Quia verò nulla vox supponitur pro re nisi per suam significationem; vox autem nihil potest significare mediatè, nisi exerceat significationem circa aliquod immediatum significatum, fieri non potest, vt vox supponat pro mediatis significatis, non supponendo pro immediato; licet è contrario possit supponere pro immediato, non supponendo pro mediatis.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

CONCLUSIO I. Nomina concreta substantiua essentialia in Diuinis, interdum supponunt pro ipsa Diuina essentia, prout per se in tribus Personis subsistit: interdùm pro qualibet Dininarum Personarum. *Prima pars* constat ex Scriptura Sacra, Genes. 1. *Creauit Deus cælum, & terram.* vbi nomen istud *Deus* supponit pro essentia: significat enim ipsam Diuinam essentiam in tribus Personis subsistētem: quia licet singulæ Personæ creent, proprietates tamen Personales, nō sunt rationes, vel conditiones, cur prædicatum conueniat subiecto, sed creatio essentiæ Diuinæ in tribus Petsonis subsistentis, quæ considerata cum sola perfectione essentiali, habet omnia requisita ad creandum. Nam si vna tantùm in Diuinis esset Persona, adhuc tamen potens esset creare. Ergo nomina concreta substantiua essentialia in Diuinis, interdùm supponunt pro ipsa essentia Diuina prout per se in tribus Personis subsistit.

Nomina con-creta sub-stantiua in-terdū sup-ponunt p[ro] essentia D[i]-uina, inter-dū pro P[er]-sona.

Altera etiam pars Conclusionis, habetur in illis verbis Ioan. 3. *Misit Deus Filium suum in mundum*, vbi nomen *Deus* sumitur pro prima Trinitatis Persona, sicut in hac propositione, *Deus generat*. Iam verò in his verbis Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo*, nomen *Dominus* tàm pro prima, quàm pro secunda in Diuinis Personâ sumitur: sicut & in his propositionibus, *Deus spirat*, & *Deus generatur*. in quibus propositionibus prædicatum exigit, vt subiectum supponatur saltem secundariò & mediatè pro Personis, vnâ, vel pluribus: quia hæc prædicata non possunt conuenire Deo, ratione solius perfectionis essentialis, sed ad veritatem propositionis necessariò requirunt aliam

aliam conditionem, vt prædicatum possit conuenire subiecto. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Ista propositio, *Hic Deus, est hic Deus*, in priori parte ostenso Patre, & in posteriori ostenso Filio, est vera. *Ratio*: quia particula *hic*, non facit, vt Deus supponatur pro certa Personâ, sed pro indiuiduo Deitatis in confuso subsistente, & per illam designatur immediatè, illud indiuiduum Deitatis commune Patri, & Filio, quòd dicitur de seipso in alia, atq; aliâ Personâ existente. At verò ista propositio, *Hic Deus non est hic Deus*, falsa est: quia de indiuiduo Deitatis, negatur ipsummet indiuiduum.

Ista propositio hic Deus est hic Deus, vera est.

Corollarium II. Hæc propositio, *Deus generat*, est verissima, & proprijssima. *Ratio*: quia in symbolo Apostolorum Filius expresse appellatur, *Deus de Deo, lumen de lumine*. Et Matthæi 16. dicit Petrus ad Christum: *Tu es Christus Filius Dei viui*. At verò ista propositio, *Deus non generat, falsa est*. *Ratio*: quia licet cùm dicitur, *Deus generat*, prædicatum *generat*, facit vt terminus *Deus* supponat pro Persona, saltem in confuso, supponitur tamen etiam pro Deitate, cùm immediatum significatum illius termini, sit indiuiduum Deitatis: vnde quando negatur, seu dicitur, *Deus non generat*, terminus *Deus* supponitur etiam pro indiuiduo Deitatis, licet non solo, & sic ab illo indiuiduo remouetur generatio, quæ illi competit in & ratione alicuius suppositi Diuini, quod generat. *Præterea*, quia istæ propositiones *Deus generat*, & *Deus non generat*, sunt contradictoriæ: ergo omninò vna illarum est vera, altera falsa.

Deus genitus non generat, verum est.

Corollarium III. Hæc propositio, *Deus genitus non generat*, est vera. *Ratio*: quia in tali propositione ratione adiuncti statim repræsentatur intellectui, quòd subiectum *Deus* sumatur pro Filio, & non tantùm possit verificari, pro illo retento significato generali indiuidui Deitatis.

Corollarium IV. Hæc propositio: *Deus generans non est Deus genitus*, vera est. *Ratio*: quia in illa vox *Deus*, ratione adiunctorū supponit pro Personis, pro vna quidem in priori parte; pro alia verò in posteriori: nam illud complexum ex Deo habente actum generandi, necessariò supponit pro prima Persona, cui nō conuenit prædicatum, seu esse genitum.

Corollarium V. Hæc propositio, *Deus genuit se Deum*, falsa est. *Ratio*: quia pronomen reciprocum se, trahit significationem Dei ad eum, qui genuit, & sensum reddit, quòd Deus generans genuerit seipsum. Similiter hæc propositio, *Deus genuit alium Deum*, falsa est: quia per illam designatur diuersitas in natura Diuina inter generantem, & genitum: cùm enim relatiuum *alius*, coniungatur termino *Deus*, afficit diuinam naturam, & significat Deum genuisse alium in Diuinitate, quod est falsum, & Hæreticum.

Deus genuit se Deum, falsum est.

Conclusio II. Nomina essentialia in abstracto significata, nunquàm supponere possunt pro Diuinis Personis. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 39. ar. 5. cuius oppositum tenuit Abbas Ioachim, qui attendens ad Dei simplicitatem, quâ efficitur, vt non sit aliud *Deus*, & *essentia Diuina*, asseruit, quòd sicut dicitur, *Deus genuit Deum*; ita dici possit, *essentia genuit essentiam*. Verùm hæc eius doctrina damnata est in Concilio Lateran. sub INNOCENTIO III. cap. *Damnamus, de summa Trinitate, & Fide Cathol.* his verbis. *Illa res, videlicet substantia, essentia,*

Nomina essentialia in abstracto significata, non supponunt pro Personis Diuinis.

essentia, seu natura Diuina, non est generans, neq; genita, nec procedens. Probatur Conclusio. Nomen abstractum repræsentat suum significatum, per modum cuiusdam formæ, secundùm se, & præcisè, ac proinde non potest supponere pro Persona. v.g. ista nomina *Deitas, Diuina essentia &c.* repræsentant nobis suum significatum nudè, & præcisè per modum formæ; non autem per modum cuiusdam subsistentis, vel etiam alteri adiacentis, & sic non possunt supponere pro Personis. *Deinde*, quia Diuina essentia non distinguitur à Filio: ergo non potest dici generare, seu esse principium eius actiuum, id est, principium *quod. Consequentia patet:* quia inter principiū, & terminum productum, requiritur distinctio realis: idem enim non potest verè, & realiter à seipso procedere, & in reipsa esse sui causa, ac effectus, vel quasi effectus. Vnde omnis illa propositio est falsa, in qua notionale prædicatum ita tribuitur essentiæ, vt designetur, quòd terminus actionis verè, & realiter ab ea procedat: cùm talis terminus verè producatur, & sic principium *quod*, ab eo distingui debeat. *Tandem*, quia cùm essentia in abstracto propter modum significandi non supponat pro Personis, tunc si generaret, conueniret illi generare ratione sui, idemq; conueniret Personis omnib᷒: quod enim conuenit essentiæ ratione sui, conuenit Personis omnib᷒ ratione essentiæ in eis inclusæ. Vnde omnes Personæ generarent, aut generarentur, quod est Hæreticum. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Nomina Personalia abstracta non supponunt pro Personis.

Corollarium I. Sicut nomina essentialia abstracta non supponūt pro Personis; ita nec pro ijsdem supponunt abstracta personalia. v.g. Paternitas non supponit pro Persona Patris. *Ratio:* quia ex modo significādi solùm repræsentant formam præcisè, & secundùm se. hinc de similibus abstractis non possunt prædicari etiam notionalia adiectiuè, dicendo *Paternitas generat, filiatio generatur &c.*

Corollarium II. Hæc ptopositio: *Pater producit Diuinitatem*, falsa est. *Ratio:* quia licet Deus, & Diuinitas, seu essentia Diuina, sint idem secundùm rem, seu in sensu identico; non tamen est idem modus significandi vtrobique, seu non sunt idem in sensu formali. Nam hoc nomen *Deus*, cùm significet Diuinam essentiam vt in habente illam, ex modo suæ significationis potest supponere pro Persona. At verò hoc nomen *Diuinitas*, seu *Diuina essentia*, cùm significet Diuinam essentiam vt formam abstractam, ideò ex modo suæ significationis, pro Persona supponere non potest. In mysterio autem Sanctissimæ Trinitatis, vt obseruat S. Thomas, ad veritatem locutionū, oportet considerare non solùm res significatas, sed etiam modum significandi.

Corollarium III. Quando interdùm Sancti Patres, nomina quædam essentialia in abstracto ponunt pro Diuinis Personis, tunc illa nomina sumunt pro concretis, vel pro personalibus, vt docet Sanctus Thomas 1. p. q. 39. ar. 5. ad 9. v. g. cùm apud aliquos legitur, in Diuinis sapientiam de sapiētia procedere, sensus est. Filium, qui est sapientia Diuina, procedere à Patre, cui hæc Diuina perfectio ac Filio competit. Aliquando etiam nomina illa essentialia abstracta Personis Diuinis tribuuntur per quandam appropriationem, quod fusè explicat Sanctus Doctor proximè citatus, ar. 8. Sic v. g. potentia communiter tribuitur Patri, Sapientia Filio, Bonitas Spiritui Sancto, non quòd illa, & similia nomina, non sint toti Trinitati communia, sed hoc fit ad iuuandam vtcunq; intellectus humani imbecillitatem,

vt sic faciliùs veram, & realem distinctionem Personarum Diuinarum, in perfectissima, & simplicissima Diuinæ essentiæ vnitate concipere possit.

Corollarium IV. Istæ propositiones in Diuinis, *intellectus spirat, voluntas intelligit, immensitas creat*, falsæ sunt. *Ratio:* quia sumuntur pro supposito, cui conuenit huiusmodi prædicatum, neq; sumuntur pro principio formali huiusmodi actionum.

Corollarium V. Personæ Diuinæ possunt prædicari de nominibus essentialibus, tàm in concreto, vt de Deo; quàm in abstracto, vt de essentia Diuina, dicendo v. g. *Diuina essentia est Pater, est Filius, est Spiritus Sanctus*, idq; propter realem identitatem essentiæ cum Personis, quæ in tali prædicatione denotatur. Similiter dicendo, Essentia est tres Personæ, & Deus est tres Personæ.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *contra Corollarium* II. *primæ conclusionis.* Hæc propositio, *Deus generat*, solùm est vera: quia Pater generat, proinde prædicatum verificatur de subiecto ratione Patris: ergo & hæc propositio, *Deus non generat*, potest verificari ratione Personæ, quæ non generat, v. g. ratione Filij, & Spiritus Sancti, & sic potest esse vera.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam: licet enim hæc propositio negans, possit verificari ratione Personæ non generantis; non tamen ideò vera dici debet: quia vniuersaliter negat, seu remouet generationem ab indiuiduo Deitatis. Vnde ad hoc, vt sit vera, non sufficit aliquam Diuinam Personam non generare, sed requiritur, vt nulla generet. At verò in affirmante propositione aliter se res habet, in qua solùm significatur attributum conuenire subiecto; hoc autem verum est, si vel vni eius supposito conueniat: si enim vel vni eius supposito aliqua conditio competat, potest dici illi competere.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *contra* II. *conclusionem.* Vera est ista propositio, intellectus intelligit, voluntas vult: ergo & hæc vera, essentia generat.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam: nam prædicata priorum propositionum non sunt notionalia, sed communia, quæ possunt tribui intellectui, & voluntati: quia ex modo significandi statim apparet, subiectum in illis propositionibus supponi pro principio *quo:* deinde ista prædicata non distinguunt terminos verè productos, qui exigant realem distinctionem ab eo, à quo procedunt; actio verò notionalis habet terminum verè productum, qui debet distingui à producente, cùm ergo diuina essentia non distinguatnr à Filio, dici non potest, quòd generet.

QVÆSTIO IV.

An in Diuinis relatio sit idem quod Persona, & an Personæ distinguantur per relationes.

Dantur in Deo relationes reales.

DE hac meteria disputat Sanctus Thomas 1. p. q. 40. per 4. articulos. Pro cuius intelligentia suppono I. Dari in DEO aliquas relationes reales, vt patet ex Scriptura Sacra, quæ pluribus locis Personas Diuinas, nominibus relatiuis *Patris, Filij*, & *Spiritus Sancti*, exprimit, & appellat. Quod ipsum *ratio suadet:* quia Pater est alicuius Filij Pater, & Filius alicuius Patris Filius: similiter Spiritus Sanctus est ab aliquo spirante, cumq; per modum amoris procedat necessariò dicit relationem ad principiū: quoniam omnis amor est alicuius amantis.

Suppono II. Duplices in Deo esse

esse relationes. *Aliæ ad extra*, quibus Deus refertur ad creaturas, & istæ sunt triplices. Quædam enim fundantur in actionibus Dei transeuntibus, & ex tempore Deo tribuuntur, vt relatio creatoris, gubernatoris, Redemptoris &c. *Quædam* in actionibus Dei immanentibus, & liberè illi conueniunt ab æterno, vt relatio prædestinantis, reprobantis, & præscientis futura absolutà. *Quædam* deniq; partim in actionibus immanentibus, partim in quibusdam attributis, & necessariò illi conueniunt ab æterno, vt relatio ideæ, omnipotentiæ, scientiæ, simplicis intelligentiæ, & Verbi. Verbum enim præter relationem, quâ respicit Patrem, refertur etiam ad creaturas. *Alias verò relationes esse ad intra*, quibus Diuinæ Personæ mutuò ad se referuntur, & istæ sunt duplices: Quædam enim versantur circa certas tantùm Personas, vt Paternitas, filiatio, spiratio actiua, & processio, siue spiratio passiua. Quædam verò cõmunes sunt omnibus Personis, vt identitas, similitudo, æqualitas. Priores quatuor sunt reales: nam Pater, & Filius, realiter distinguũtur per Paternitatem, & Filiationem. Similiter spirator, & Spiritus Sanctus, realiter distinguuntur per spirationem actiuam, & processionem. Proinde Paternitas, filiatio spiratio actiua, & processio, sunt relationes reales: quia distinctio realis fieri non potest, nisi per entia realia. Tres verò posteriores, vt idẽtitas æqualitas, & similitudo, non sunt reales in Deo, sed tantùm rationis. vt docet Sanctus Thomas citatus q. 42. ar. 1. ad 4. & cõmunius Theologi contra Scotum, qui æqualitatem, & similitudinem, putat esse relationes reales. *Ratio S. Thomæ hæc est:* quia ad relationem realem requiritur, vt fundamentũ sit reale, & realiter distinctum in vtroq; extremo; iam verò fundamentum identitatis, æqualitatis, & similitudinis in Deo, est essentia Diuina, quæ non distinguitur in vtroq; extremo, cùm in omnibus Personis, eadem numero essentia sit.

Relationes quibus Deus refertur ad creaturas, sunt triplices.

Relationes in Deo ad intra, non omnes sunt reales.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

CONclusio I. Relatio in Diuinis est idem quod Persona secundùm rem. Est contra Gilbertum Porretanum, qui asserebat proprietates Diuinarum Personarum, non esse ipsas Personas, quem postea errorem dicitur in Concilio Rhemensi reuocasse. *Probatur* I. quia hanc conclusionem apertè docuit in Concilio Florentino Bessarion Theologus Græcus, vbi Ioanni Theologo Latino quærenti, *An proprietates cum Persona sint idem?* Respondit sessione 20. *Secundum quidem rem, & subiectum, idem esse creduntur, ratione verò differre.* Eandem pariter veritatem idem Ioannes ibidem asseruit, his verbis: *Patris Persona non nisi ratione ab ipsa Paternitate, substantiaq; differt.* Ergo relatio in Diuinis secundùm rem, est idem quod Persona.

Relatio in Diuinis est idem quod Persona secundùm rem.

Probatur II. *Ratione* S. Thomæ 1. p. qu. 40. art. 1. in corpore, vbi docet, relationẽ in Deo idem cum essentia esse, & non nisi secundùm rationem differre, his verbis: *Quia relatio secundùm quod est quædam res in Diuinis, est ipsa essentia; essentia autem idem est, quod Persona.* Ergo quoque relatio in Deo est idem, quod Persona, vt ibidem concludit Sanctus Thomas illis verbis: *Oportet, quod tunc relatio sit idem, quod Persona. Antecedens* patet ex simplicitate Dei, quæ non permittit, vt quidquam ab eius essentia sit à parte rei distinctum, neque id permittit infinita eius perfectio. Si enim relatio reipsa distingueretur à Diuina essentia, adueniret illi, tanquam aliqua eius affectio, sine qua Diuina essentia non haberet suum

suum complementum, idq; necessariò, cùm in Deo nihil possit inueniri, quod non necessariò illi competat quoad existentiam; hoc autem magnam in Deo argueret imperfectionẽ: nam esset signum, quòd Diuina essentia nõ haberet ex se omnem suam perfectionem, & quod deberet illam aliunde emendicare. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Ex hac omnimoda identitate relationis cum Diuina essentiâ à parte rei, non sequitur relationem, v. g. Paternitatem, esse pluribus Personis communem, sicut essentia communis est. *Ratio:* quia licet relatio idem sit à parte rei cum Diuina essentiâ; virtualiter tamen, & ratione ratiocinatâ distinguitur ab illa, quod sufficit.

Corollarium II. Ipsæ tamen relationes, quæ sunt in Deo, realiter ab inuicem distinguntur, loquendo de relationibus personalibus. *Ratio:* quia constituunt Personas distinctas, v. g. *Paternitas* constituit personam Patris, re ipsa distinctam à Persona Filij. Ergo ipsæ relationes realiter inter se distinguuntur. Sic Paternitas realiter distinguitur à Filiatione: similiter spiratio actiua realiter distinguitur à spiratione passiuâ, seu à proprietate relatiuâ, quâ Spiritus Sanctus constituitur in esse Personæ. Spiratio tamen communis, seu actiua, non distinguitur realiter à Paternitate, & Filiatione, sed sola ratione, & virtualiter. *Tum* quia nullo modo illis opponitur; *tum* quia non est constitutiua Personæ.

Relationes Diuinæ realiter ab inuicem distinguuntur.

Corollarium III. Ista realis distinctio relationum ab inuicem, cum earundem identitate cum Diuina essentiâ, non repugnat illi principio. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se:* ergo si relationes sunt idem realiter cum Diuina essentia, sunt quoq; idem realiter inter se, proinde non distinguuntur realiter. Quia istud principium, quo vtitur Philosophus 3. Physic. solùm tenet in illis, quæ sunt idem re, & ratione; sicut tunica, & indumentum; non autem in his, quæ differunt ratione sicut relationes & essentia diuina, vt docet Sanctus Thomas 1. p. q. 28. ar. 3. ad 1. *Deinde* hoc principium in isto sensu verum est: Quæ sunt eadem vni tertio singulari incõmunicabili, sunt eadem inter se; in præsenti autem non tenet: quia Diuina essentia est communicabilis tribus Personis Diuinis. *Tandem*, quia hoc principium solùm verum est in rebus creatis, & finitis; falsum autem in præsenti mysterio, quod nec Aristoteles nouit, nec vllus Ethnicorum Philosophorum cognoscere naturaliter potuit; ideòq; illo non obstante, verum esse id, quod fides docet, scilicet Deum esse verè vnum in essentia, trinum in Personis, Diuinamq; essentiam ob infinitatem suam identificare sibi omnia, cum quibus nullam habet oppositionẽ, ac proinde omnes Diuinas relationes; cùm tamen hæ sibi mutuò identificari nequeant, ob realem, quam ad inuicem habent, oppositionem.

Corollarium IV. Diuinæ relationes non addunt perfectionem relatiuam ad essentiam. Ita Sanctus Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 1. & 6. vbi dicit: *Bonitatem, & magnitudinem perfectionis in Diuinis, non relatiuè, sed ad se dici.* Vnde eruitur tale argumentum. Relationes ad Essentiam nihil addunt absolutũ ratione ab illa distinctum. Sed ratio perfectionis in Deo est quid absolutum, cùm non dicatur relatiuè. Ergo relationes in Diuinis non addunt perfectionem relatiuam ad essentiam, ratione ab illa distinctam. Et *ratio est:* quia ratio perfectionis debet sumi per respectum

Relationes Diuinæ nõ addunt perfectionem relatiuam ad essentiam.

ctum ad subiectum inspectum ratione sui. Sed relatio nullum sibi peculiare subiectum respicit ratione sui in illo sistendo, verùm ratione termini, seu correlatiui: cùm eo ipso, quòd conceptus aliquis relatiuus sit, licet subiectum respiciat, debeat illud respicere, ordinando illud ad terminum, & ratione ipsius termini. Ergo nihil relatiuum potest ex se obtinere rationem, seu conceptum perfectionis: & sic relationes Diuinæ, ex vi proprij, & relatiui conceptus, non addunt perfectionem ad essentiam Diuinam.

Relationes Diuinæ nō habent existentias relatiuas.

Corollarium V. Relationes in Diuinis non gaudent existentijs relatiuis, realiter inter se, & virtualiter ab existentia absolutâ Essentiæ distinctis. Ita Sanctus Thomas q. 2. de potentia, art. 6. vbi dicit: *Non est concedendum, quòd aliquid absolutum in Diuinis multiplicetur, sicut quidam dicunt, quòd in Diuinis est duplex esse, essentiale, & Personale: omne enim esse in diuinis essentiale est, nec Persona, est nisi per esse essentiæ.* Et *ratio est*: quia Relationes Diuinæ existunt per existentiam Essentiæ: ergo existentijs relatiuis nō gaudent. *Antecedens est certum*: sicut enim natura Diuina intimè includitur in Relationibus, ita & eius existentia; repugnat autem existentiam alicui subiecto communicari, nisi reddat illud existens; sicut impossibile est sapientiam esse in aliquo, & illi non dare esse sapientem. *Consequentia etiam clara*: quia cùm existentia sit vltima actualitas, & vltimus terminus rei, quam terminat, implicat eandem rem existere per duas existentias: haberet enim duas vltimas actualitates, & duos vltimos terminos. Ergo si Relationes Diuinæ existunt per existentiam essentiæ, non habent existentias relatiuas, & sibi proprias.

Personæ Diuinæ distinguūtur per relationes.

Conclusio II. Personæ Diuinæ distinguuntur per Relationes, seu proprietates relatiuas. Hæc conclusio quia sufficienter probata, est, Disp. 1. q. 3. ideò hîc rationes aliquas tantùm addo. *Prima ratio*: quia Personæ Diuinæ non possunt distingui primò, & principaliter per origines, neq; per proprietates absolutas: ergo debent distingui per relationes, seu proprietates relatiuas. *Prima pars antecedentis probatur*: quia origines in Personis Diuinis nō præsupponunt ipsas Personas subsistentes, sed significantur tanquam via ad illas, vt constat ex D. Thoma 1. p. q. 40. ar. 4. proinde licet fundamentaliter, & præsuppositiuè intelligantur Personæ Diuinæ constitui, & distingui per origines passiuè significatas, videlicet per natiuitatem, & processionē; formaliter tamen per relationes per modum formæ significatas, v. g. per filiationem, & spirationem passiuam constitui, & distingui dicuntur, ac intelliguntur: ergo per origines primò, & principaliter distingui non possunt. *Altera etiam pars antecedentis probatur*: quia omne ens absolutum est formaliter aliqua perfectio, proinde si Personæ Diuinæ constituerentur, & distinguerentur proprietatibus absolutis, tunc aliqua perfectio esset in vna Persona, quæ non est in alia, quod est summum absurdum. *Deinde*, quia si Personæ Diuinæ constituerentur, & distinguerentur proprietatibus absolutis, non essent omninò consubstantiales, neq; Pater Filio totam suam substantiam communicaret, siquidem proprietas absoluta, est pars eius substantiæ, cuius est proprietas. Ergo Diuinæ Personæ non possunt distingui, & constitui per proprietates absolutas. *Ratio secunda*: quia in Diuinis sola oppositio relatiua efficit distinctionem realem: ergo necesse est, Personas ab inuicem relationibus distingui. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. In præsenti

quæstione loquimur de distinctione, & constitutione Personarum, non secundùm rem ipsam absolutè, sed prout à nobis concipiuntur, & significantur: nam relatio, & origo, v. g. Paternitas, & generatio, à parte rei eadem prorsùs est relatio Paternitatis, & identicè, ac formaliter; habet tamen fundamentum propter sui eminentiam, vt à nobis concipiatur & per modum relationis, & per modū originis; & ideò iste modus diuersus significandi, & per modum relationis, & per modum originis, non est grammaticalis, & verbalis, cùm habeat fundamentum in re ipsa; & ideò Persona Patris v. g. per relationem paternitatis constituitur, & ab alijs Personis distinguitur formaliter, & per se primò, secundùm nostrum modum intelligendi; non autem per potentiam generatiuam: quia huiusmodi constitutiuum secundùm id, quod principaliter, & in recto significat, non debet esse commune tribus Personis. *Deindo*, quia potentia generandi significatur vt aliquid suppositi constitutiui; non verò vt primò constitutiua, & distinctiua. Non potest etiam per se primò, & formaliter constitui, ac distingui per generationem, quæ est origo significata actiuè: quia cùm actiones sint suppositorum, ideò origo actiuè sumpta, seu ipsum generare, supponit constitutam Personam, quæ generat, & vt egrediens ab illa significatur.

Personæ Diuinæ distinguuntur etiam per origines sed secundario.

Corollarium II. Personæ Diuinæ distinguuntur etiam per origines, sed secundariò, & per ordinem ad nostram cognitionem. *Ratio*: quia nos optimè explicamus distinctionem Personarum per origines, quatenus vna generat, alia generatur, alia denique spiratione procedit. Et ita expresè docet S. Thomas 1. p. q. 40. art. 2. & Sanctus Augustinus lib. de fide ad Petrum, cap. 1. & 2. ac Sanctds Damascen⁹ lib. 1. suæ Theologiæ cap. 11. qui distinctionem Diuinarum Personarum explicant per origines.

Corollarium III. Proprietates constituentes Personas, non abstrahunt à relatiuo, & absoluto. *Ratio*: tum quia Concilia, & Sancti Patres, definiunt, Personas Diuinas relatiuis tantùm proprietatibus distingui, & numerari: ergo dicere Personas Diuinas constitui, & distingui proprietatibus à relatiuo, & absoluto, repugnat definitioni Conciliorum, & Sanctorum Patrum. *Tum*, quia hinc sequeretur, Diuinas Personas non esse relatiuas simpliciter loquendo, quod est contra doctrinam Sacræ Scripturæ, in qua Diuinæ Personæ explicantur nominib⁹ relatiuis, videlicet Pater, Filius, & Spiritus Sanct⁹. *Tum denique*, quia omne ens vel est relatiuum, vel absolutum: ergo fictitium est asserere, proprietates Diuinas abstrahere à relatiuo, & absoluto.

Corollarum IV. Si à Personis Diuinis per intellectum abstrahantur relationes, per modum vniuersalis, id est, ita, vt concipiatur sola essentia, non concipiendo relationes cognitione saltem confusâ actuali, tunc neq; ratio hypostasis, neq; ratio Personæ remanet, sed natura communis tribus Personis, nimirùm Deitas. *Ratio*: quia in tali casu remoueretur proprium constitutiuum hypostasis.

Corollarium V. Si tamen abstractione quasi mathematicâ, qaâ v. g. circulus abstrahitur ab ære, seorsimq; concipiuntur circulus, & æs, concipiantur seorsim proprietas non personalis, vt ratio spirationis actiuæ, & seorsim ratio Patris præcisè considerati à ratione spiratoris, aut ratio Filij similiter præcisè considerati à ratione spiratoris, tunc remaneret in Patre, & Filio,

Filio, ratio hypostasis, & Personæ. Quod si eodem modo abstraheretur proprietas Personalis, ita quòd seorsim conciperetur essentia, & seorsim paternitas, aut filiatio, tunc non remaneret ratio hypostasis, aut Personæ.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio I & solutio eiusdem.

OBijcitur I. *Contra Corollariū IV. Primæ Conclusionis.* Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, dicit summam, & infinitam perfectionem in Deo. Sed hoc includit relationes diuinas, quibus Personæ constituuntur, & distinguuntur: ergo Diuinæ relationes dicunt summam, & infinitam perfectionem in Deo. *Respondetur distinguendo maiorem.* Mysterium Trinitatis dicit summam, & infinitam perfectionem, tenentem se ex parte naturæ Diuinæ, quæ tribus Personis communicatur, *conceditur maior*: prouenientē à Diuinis relationibus, quæ sunt termini Diuinæ communicationis, & fæcunditatis, *negatur maior*. Nam tota perfectio, quæ est in mysterio Trinitatis, tenet se ex parte Diuinæ naturæ, quæ summè, & infinitè perficit Diuinas Personas; non autem ex parte relationum, quæ sunt puri respectus ad terminū, & correlatiuum, puriq; termini Diuinæ fœcunditatis, & Naturæ, qui nullam addunt perfectionem, sed solùm dant illi subsistere incommunicabiliter, quod nulla perfectio est, cùm in hoc quod est, alteri non posse communicari, nulla perfectio eluceat. Nihilominùs licet Diuinæ relationes nō superaddant perfectionem Diuinæ naturæ; pertinent tamen ad perfectionem Diuinitatis, *tum*, quia in natura Diuina radicaliter continentur: *tum*, quia perfectionem infinitam Diuinæ essentiæ in se recipiunt, & intimè claudunt. Vnde sicut ex defectu possibilitatis creaturarum, infertur à posteriori, & per locum extrinsecum destructio Diuinæ omnipotētiæ; ita pariter ex negatione relationum, & processionum in Deo, rectè colligitur arguitiuè, & à posteriori Deum non fore perfectum, si in illo non esset processio Verbi & Amoris, illumq; infinita perfectione cariturum, si per impossibile Paternitate, & Filiatione careret.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium V.* Existentia Diuinæ relationis debet esse relatiua: ergo Diuinæ relationes gaudent existentijs relatiuis virtualiter ab existentia essentiæ distinctis. *Consequentia patet: Antecedens probatur I.* Quia existentia debet proportionari, & in eodē genere conuenire cum entitate, cuius est existentia: ergo existentia relationis Diuinæ, debet esse relatiua II quia *relatiua illa sunt, quorum totum esse est ad aliud se habere.* III. quia si existentia Diuinarum relationum non esset relatiua, sed absoluta, sequeretur quòd Pater æternus esset ad se, & non ad alium, quod est contra rationem relatiuorum.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando Antecedens. Ad eius primam probationem, distinguitur Antecedens. Existentia debet proportionari &c. quoad rationem communem substantiæ, & accidentis, *conceditur Antecedens*: quoad alias peculiares rationes, *negatur antecedens*: & sic *negatur consequentia*. *Disparitas est*: quia essentia, & existentia, debent se mutuò respicere, & vnum per se constituere; vnde cùm substantia sit absoluta ab omni respectu ad intrinsecum, nec possit cum accidente vnum per se constituere, consequens est, quòd conuenientia in ratione substantiæ desideretur inter essentiam, & existentiam; secùs verò conuenientia in alijs rationibus, quibus mutua respicientia sine tali conuenientia competere potest. *Deinde* existentia solùm primo sui susceptiuo; non autem

tem secundò proportionari debet: cùm ergo non Relatio Diuina, sed essentia sit quasi primum susceptiuum Diuinæ existentiæ; ideò non Relationi proportionari debet sic existentia hominis non materiæ, quæ solùm est secundarium eius susceptiuum, sed animæ rationali tanquàm primo susceptiuo proportionatur. *Ad I. Antecedentis probationem dicitur*, in definitione relatiuorum particulam *esse*, non sumi pro existentia; (siquidem *esse*, quod pro existentia sumitur in relatione, non est ad aliud se habere, sed inesse) sed sumitur pro quidditate, seu ratione formali. *Tandem ad III. probationem distinguitur Antecedentis sequela.* Sequeretur, quòd Pater æternus esset ad se, quoad existentiam, *conceditur*: quoad quidditatem relatiuam, *negatur*.

Obiectio III. & solutio eiusdem.

Obijcitur III. *Contra Corollarium II.* Oppositio relationum Diuinarum, est relatio rationis: ergo Personæ Diuinæ per relationes nō opponuntur sibi realiter. *Respondetur*, oppositionem relatiuam dupliciter sumi. *Primò fundamentaliter*, pro ipsis relationibus oppositis, & sic illa oppositio est realis: quia & ipsæ relationes oppositæ sunt reales, & realiter distinctæ. *Secundò formaliter*, pro ipsa relatione oppositionis, quæ fundatur in relationibus oppositis, & à qua formaliter dicuntur oppositæ, & sic spectata illa relatio, non est realis, sed rationis.

QVÆSTIO V.

An actus notionales sint attribuendi Personis.

DIsputatione I. q. 7. egimus de notionibus, quæ pertinent ad origines; cùm autem hæ designari non possint, nisi per actus notionales, ideò hìc de actibus notionalibus tractari oportet, de quibus tractat S. Thomas q. 41. per sex articulos.

Actus notionales quid sint.

Suppono itaque I. Actus notionales nihil aliud esse; quàm originem, & actum, quo vna Persona in Diuinis producit, & quo alia procedit, vt sunt v. g. generatio, spiratio, processio. Vnde actus notionales nihil aliud sunt, nisi productiones; dicuntur autem *actus*, quia omnis productio est actus: dicuntur prætcrea *notionales*, eò quòd non sint communes omnibus Personis, sed proprij alicuius: proinde deseruiunt, vt per illos noscantur, aut dignoscantur Personæ.

Suppono II. Actus notionales formaliter, & in recto importare relationes Diuinas; essentiam autem non nisi per quandam identitatem: vnde conuertibiliter, & adæquatè identificantur cum relationibus, ab illisq; sola ratione ratiocinante, secundùm modum significandi terminorum distinguuntur, vt docet S. Thomas proximè citatus, ar. 1. ad 2. his verbis: *Quod actus notionales secundùm modum significandi tantùm differant à relationibus Personarum, sed re sunt omninò idem.* Et *ratio est*: quia actus notionales per modum viæ, & tendentiæ significantur; relationes verò per modum formarum relatiuarum.

Actus notionalis ab essentia virtualiter distinguendi.

Suppono III. Actum notionalem, seu productionem Personarū in Diuinis, ab actu essentiali ratione, & virtualiter distingui, v. g. intelligere essentiale, & intelligere notionale vnde potest esse intelligere essentiale in aliquo, etiamsi ab illo nullus terminus producatur. Sic intellectio essentialis est in Spiritu Sancto; in quo tamen non habet rationem generationis actiuæ, aut passiuæ, neque per eam producitur Spiritus Sanctus, nec quidquam producit; at verò actū notionalem implicat esse in aliquo, & terminum ab eo non produci, v. g implicat *intelligere notionale* esse in Patre, & Filium ab eo non produci. Hinc *intelligere*, & velle

velle Diuinũ necessariò distinguendum est in essentiale, & notionale, non quòd realiter aut formaliter ex natura rei distinguantur; sed quia distinguuntur ratione ratiocinatâ, & virtualiter, eo modo, quo distinguuntur essentia, & relationes. Atque hoc duplex *intelligere*, innuit Diuus Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. dicens: *Nouit itaq; omnia Deus Pater in seipso, nouit & in Filio*: vbi loquitur de intelligere essentiali, de notionali verò ita subdit: *Sciunt ergo inuicem Pater, & Filius, sed ille gignendo, hic nascendo.* Hinc tamen non sequitur, in Deo dari intellectum notionalem, sicut datur *intelligere notionale*: quia intellectus non potest significare ordinem originis; sicut illum significat intelligere Patris, quod est generatio Filij, & dictio Verbi.

Suppono IV. Actus notionales esse de aliquo vt docet S. Thomas 1. p. q. 41. ar. 3. Quia natura Diuina, quæ nostro modo concipiendi præexistit Personis, communicatur Personis productis per earũdem productionem: & sic actus notionales, seu productiones sunt de aliquo. Hinc Filius est genitus non de nihilo, neq; de aliena substantiâ, sed de substantia Patris, & Processio Spiritus Sancti est de substantia Patris, ac Filij. Obseruandum tamen est, istas præpositiones *de*, & *ex*, denotare habitudinem principij, vnde cùm inter principiũ, & id, quod est à principio, debeat esse distinctio, ideò hæc propositio non debet concedi: *Filius est de substantia, aut de essentiâ*: quia substantia, & essentia non distinguitur à Filio. Hæc verò concedi debet: *Filius est de substantia Patris*: quia apponitur dictio illa *Patris*, quæ significat id, quod distinguitur à Filio, & habet rationem principij comparatione Filij. Hinc D. Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 6. *Tres* inquit, *Personas eiusdem essentiæ, vel tres Personas vnam essentiam dicimus: tres autem Personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud in ibi sit, quod essentia est, aliud quod Persona; sicut tres statuas ex eodem auro possumus dicere: aliud enim illic aurũ esse, aliud statuas esse.* Propter eandem rationem concedi non debet, *Patrem esse de substantia Filij*, aut *Filium de sunstantia Spiritus sancti*: quia neque Filius est principium Patris, neq; Spiritus Sanctus est principium Filij. Filius ergo generatur de substantia Patris, seu est, tanquàm ex principio consubstantiali, ac formali. Hinc minùs castè loquuntur, qui dicunt Diuinam Essentiam, quæ est actus purissimus, in generatione Filij habere se, vt materiam; quemadmodum præclarè D. Augustinus lib. 3. contra Maximinum, cap. 14. docet his verbis: *Non de aliqua* inquit, *materiâ, aut de nihilo est Dei Filius.*

Articulus I.

Resoluitur Quæstio.

Actus notionales Diuinis Personis attribui debent.

CONclusio. Actus notionales Diuinis Personis attribui debent. Est de fide ex illo Psal. 2. *Ego hodiè genui te.* Et *probatur ratione*: quia in Diuinis Personis distinctio attenditur penes originem vnius ab alia, quæ origo conuenienter exprimitur per actus notionales, quales sunt *generare*, *nasci*, *spirare*, *spirari*, qui in ipsis Personis existunt: ergo actus notionales Diuinis Personis attribui debent. Hinc Pater generat Verbum per intellectionem notionalem, quæ intellectio est in Persona, quæ intelligit. Similiter Pater, & Filius per actum volitionis spirant Spiritum Sanctum, & ideò spiratio actiuè sumpta in Patre & Filio; non autem in Spiritu Sancto esse debet. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Voluntas Diuina vt voluntas nullius actus notionalis principium esse potest.

Corollarium I. Voluntas Diuina vt voluntas, nullius actus notionalis principium esse potest. *Ratio*: quia voluntas eorum tantùm principium est, quæ possunt sic, vel aliter esse; quod autem potest sic, vel aliter esse, longè est à natura Diuinâ. Hinc tàm Filius, quàm Spiritus Sanctus naturaliter procedunt. Neq; huic opponitur, quod S. Thomas q. 10. de Potentia, ar. 2. ad 2. dicit: *Liberè Spiritus Sanctus procedit à Patre*: loquitur enim ibi de libertate, vt opponitur violentiæ, & coäctioni; licet autem voluntas nullius actus notionalis principium esse possit, eò quòd vt docet S. Thomas q. 2. de potentia, ar. 3. *Voluntas inquantum voluntas cùm sit libera, ad vtrumlibet se habet*, sicq; actus, cuius illa vt sic est principiũ, liber sit, & naturalis esse nequeat; cùm tamen Spiritus Sanctus, quamuis naturaliter, per modum tamen voluntatis procedat, quod est procedere per voluntatem, vt quædam natura est: ideò eius processio naturalis simul, ac intrinsecè voluntaria est; quia voluntarium non repugnat cum necessariò, & naturali, imò voluntarium necessarium, & naturale, cæteris paribus, magis & perfectiùs voluntarium est; quam liberum: sicut magis voluntarius est Deo amor sui, quàm creaturarum: quia magis inclinatur Deus ad diligendum se, quàm creaturas.

In Diuinis est potentia respectu actuum notionalium.

Corollarium II. In Diuinis est potentia respectu actuum notionalium. id est, in Pàtre v. g. datur potentia realis à Patre aliquomodò distincta, quâ generat Filium: & in Patre, ac Filio datur potentia realis, quâ spirant Spiritum Sanctũ. *Ratio*: quia omne generans generat aliquo sui: ergo & in Diuinis Pater aliquo sui generat, ac producit Filium, tanquàm potentiâ, quâ eum generat; eademq; ratione Pater, & Filius, aliquo sui spirant, ac producunt Spiritum Sanctum, tanquàm potentiâ vt sic loquar spiratiuâ, ac Spiritus Sancti productiuâ. Nihilominùs in Patre non est potentia secundùm rem comparatione generationis secundùm se sumptæ, eò quòd generatio nec producatur, nec distinguatur à Patre generante, verùm in Patre est potentia secundùm rem ad generandum Filium, eò quòd Filius verè à Patre producatur, ab eoq; realiter distinguatur. Similiter in Patre & Filio, non est potentia secundùm rem comparatione spirationis secundùm se, eò quòd spiratio actiua ab eis non distinguatur; est tamen ad spirandum Spiritum Sanctum. Nam vbi productio non est actio, sed respectus eius à quo alius, significatus per modum actionis, ibi non datur potentia comparatione productionis, sed comparatione termini, & rei productæ; vbi verò productio est vera actio (vt in creaturis) ibi datur potentia realis, non solùm ad effectum, terminumuè actionis, sed etiam ad ipsam productionem. Et hoc est discrimen inter potentiam, quæ cernitur in Deo, & inter potentiã, quæ cernitur in creaturis. Vnde in Deo actio tàm essentialis, vt creatio; quàm notionalis, vt generatio, non producitur realiter à Potentia creatiuâ, aut generatiuâ, nec ab ea realiter distinguitur, & ideò respectu eius secundùm se sumptæ, non est realiter potentia principium. At verò in rebus creatis, potentia non solùm est principium effectûs, sed etiam actionis secundùm se, cùm hæc realiter producatur, & à principio producente realiter distinguatur.

Principium agendi, sicut & potentia duplex est.

Corollarium III. Potentia generandi in recto dicit Diuinam naturam; in obliquo verò dicit relationem; illud autem propriè dicitur potentia in quocunq; agente, quo agens agit. Porrò principium quo agens agit, duplex est, primum scilicet, & proximum. *Primum* est, natura ipsius agentis, seu forma substantialis adæquata, qualis est humanitas in homine; proximum verò

verò in agentibus creatis, est quoddam accidens naturæ substantiali superadditum: cùm nulla substantia creata sit per seipsam immediatè operatiua. Vnde duplex est potentia, *vna radicaliter, prima, & remota*, nimirùm agentis natura, vt docet S. Thomas q. 41. ar. 3. illis verbis: *Illud est potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum similatur generanti.* Altera verò *proxima*, quæ in creaturis est qualitas, & cum prima computatur quasi vnum principium, & vna potentia, constans ex primo, & proximo cõcurrentibus. Cùm autem in Deo nullum sit accidens; ideò principium *quo primum* in illo, est eius essentia, vt est natura; & principium *quo proximum*, est eius substantia, vt est quoddam eius attributum. Hoc verò respectu actus generandi, non potest esse nisi Diuinus intellectus: quia generatio est productio Verbi, cuius principium *quo* proximum, est intellectus; & respectu actus spirandi, est Diuina voluntas: quia productionis Amoris principium proximum est voluntas. Relatio autem neq; principium radicale est, nec proximum *quo* agens agit; & ideò potentia generandi in recto, non relationem, sed Diuinam naturam significat. Nihilominus licet relatio, v. g. Paternitas, non sit primum, aut proximum principium, quo Pater generat, nec est potentia generatiua; est tamen conditio necessariò requisita, vt diuina natura sit potentia generandi. Nam Diuina natura est communis tribus Personis, & per relationem paternitatis determinatur, ac vt per eam determinata, est propria Patris, atq; vt sic, id est, vt in Patre, seu vt Patris potentia, est potentia generandi. Sicut ergo in nobis, principium *quo* primum, est potentia radicalis, in qua genitum assimilatur generanti, est natura humana; forma verò indiuidualis, quæ Personam generantem constituit, ac naturam humanam determinat, facitq; vt sit Petris v. g. est conditio necessariò requisita, vt natura humana sit principicium *quo*, & potentia generandi; ita in Diuinis Paternitatis, quæ constituit Patris Personam, est conditio necessariò requisita, vt natura Diuina sit potentia generandi.

Corollarium IV. Terminus formalis actuum notionalium, est diuina essentia communicata. Ita S Thomas 1. p. qu. 41. ar. 3. ad 2. in fine. Caietanus ibidem, & communis Theologorum sententia. *Ratio*: quia terminus formalis alicuius productionis est id, per quod res producta est talis, vel talis naturæ: ergo terminus formalis actuum notionalium, seu diuinarum productionum, est natura Diuina communicata, ratione cuius Personæ productæ dicuntur Deus. *Antecedens probatur.* Omnis productio tendit ad positionem alicuius rei in tali, vel tali essentia: ergo terminus formalis est id, per quod dicitur talis naturæ.

Terminus formalis actuum notionalium est Diuina essentia communicata.

Corollarium V. Actus notionales in Diuinis non possunt terminari ad plures Personas. Ita S Thomas citatus ar. 6. estq; de fide. *Ratio*: quia in Diuinis non possunt generari plures Filij, neque possunt spirari plures Spiritus Sancti. Nam Diuinus intellectus non habet rationem potentiæ generatiuæ, nisi in eo, qui illum habet à se, is verò, qui eum habet à se, cùm vnico actu intellectus, vnicum producat Verbum, ac Filium, inde fit, vt vnus tantùm sit Filius, qui rursùs per intellectum non producit alium Filium, eò quòd intellectus in illo non habeat rationem potentiæ generatiuæ. Similiter cùm in solo Patre, & Filio, voluntas habeat rationem potentiæ spiratiuæ, inde etiam fit, vt vnum tantùm producant Spiritum Sanctum, qui rursùs non producit alium Spiritum Sanctum per voluntatem, eò quod voluntas in

illo

illo non habeat rationem potentiæ spiratiuæ. Et sic in Deo solùm sunt tres Personæ, quarum vna est improducta, duæ verò productæ, Filius per generationem; Spiritus verò Sanctus per spirationem.

ARTICVLVS II.
Soluuntur obiectiones.

Obiectio & solutio eiusdem.

OBijcitur *contra Conclusionem.* Actio non debet attribui Diuinis Personis: ergo neq; actus notionales. *Consequentia manifesta, Antecedens probâtur.* Quidquid in suo cõceptu obiectiuo dicit imperfectionem, non potest Diuinis Personis attribui. Sed actio dicit imperfectionem; ergo non potest Diuinis Personis attribui, *Minor patet*: quia actio dicit esse viam, per quam acquiritur esse; hoc autem dicit imperfectionem. *Respondetur neganda antecedens. Ad eius probationem, negatur minor. Cuius probatio distinguitur.* Actio per quam intelligitur via, & per quam principium tribuit alteri totum esse, omniaque cum quibus identificatur, dicit imperfectionem, *conceditur.* Et talis Deo non competit, cùm eiusmodi actio dicat causalitatem strictam, in terminoq; dicat dependentiam eius, quod producitur, ab eo, quod producit: quia nimirùm illius natura de nouo producitur à principio, quod debet supponi. Id autem in Diuinis locum non habet, siquidem Diuina natura non accipit esse per productionem, in Filio v. g. dum is producitur; sed eadem numero quæ est in Patre, communicatur Filio, sine sui productione, & sic Filius non dependet à Patre dependetiâ propriè dictâ Proinde, actio quæ est causalitas, & via, per quam alteri tribuitur tota entitas modo explicato, non reperitur in Diuinis. Actio non inuoluens huiusmodi dependentiam in termino producto, dicit imperfectionem, *negatur*: Quod sic ostenditur: quia in genere procedere ab alio, non inuoluit hanc imperfectionẽ, similiter nec eam inuoluit, producere alium: ergo talis imperfectio non inuoluitur in productione tàm actiuâ, quàm passiua. Sed per actionem potest intelligi eiusmodi simplex productio: ergo imperfectio non inuoluitur in actione sumpta in genere, & sic illa potest in Deo reperiri.

DISPVTATIO IV.
De Æqualitate, similitudine, & missione Diuinarum Personarum.

ÆQualitatem, & similitudinem Diuinarum Personarum explicat S. Thomas 1. p. q. 42 per sex articulos; missionem verò earundem qu. 43. per articulos octo, quod totum in præsenti disputatione discutiemus.

QVÆSTIO I.
An æqualitas in Diuinis locum habeat.

SUppono I. Æquale iuxta Aristotelem dici quasi per negationem maioris, & minoris: quia æqualitas est vnitas in quantitate cum priuatione excessus, vt habetur 10. Metaphysicæ. Æqualitas ergo fundatur in quantitate: nam illa dicuntur æqualia, quæ habent eandem quantitatem; sicut illa dicuntur similia, quæ habent eandem qualitatem. Vnde sicut est duplex quantitas, *vna propria*, seu molis, quæ solis corporibus competit: *altera metaphorica*, seu perfectionis, aut virtutis, & hæc reperitur etiam in substantijs immaterialibus. Ita pariter duplex est æqualitas, vna secundùm quantitatem propriam, altera secundùm metaphoricam.

Suppono II. Æqualitatem fundatam in quantitate metaphoricâ, de qua in præsenti sermo est, triplicem in Deo spectari posse, *vnam* in perfectione essentiali: *alteram* in virtute agendi: *tertã* in duratione. & de hac triplici æqualitate præsens quæstio procedit.

Sup-

Ad æqualitatem tria requirũtur

Suppono III. Ad hoc, vt aliqua dicantur æqualia, tria requiri. *Primò*, vt inter ſe diſtinguantur: idem enim non dicitur ſibi ipſi æquale, ſic vna linea ſibi ipſi æqualis dici non poteſt. *Secundò*, vt habeant quantitatem eiuſdem rationis, hinc linea non poteſt dici æqualis Angelo: quia non habet quantitatẽ eiuſdem rationis. *Tertiò*, vt quantitas in vno non ſit maior, quàm in altero: quia æqualitas vt dixi, eſt vnitas fundata in quantitate cum priuatione exceſſus.

Similitudo duplex.

Suppono IV. Quemadmodùm duplex eſt æqualitas, *vna* ſecundùm quantitatem propriam, *altera* ſecundùm quantitatem metaphoricam; ita duplicem eſſe ſimilitudinem, *vnam* ſecundùm qualitatem propriam, & hæc ſicut non inuenitur extra genus qualitatis; ita in Diuinis locum non habet, de qua loquitur Ariſtoteles in prædicamẽto qualitatis, quando affirmat maximè proprium eſſe qualitatis, vt ſecundùm eam res dicantur ſimiles, vel diſſimiles. Alteram ſecundùm qualitatem impropriè dictam, quo pacto omnis forma nuncupatur quædam qualitas, vt innuit Philoſophus in prædicamento ſubſtantiæ, dum affirmat ſecundas ſubſtantias ſignificare quale aliquid. Similitudo itaq; ſecundùm æqualitatem impropriè dictam, reperitur in omnibus generibus, atq; etiam in Diuinis.

Suppono *denique*, ſimile duobus modis accipi. *Primò*, vt eſt relatiuũ æqualis comparationis, quo pacto ſimile dicitur ſimili ſimile. *Secundò*, vt eſt relatiuum inæqualis cõparationis, & ſignificat id, quod imitatur alterum, tanquàm exemplar, aut quaſi exemplar, quo pacto ſpecies repræſentans obiectũ, dicitur ſimilis Cæſari; cæſar verò non dicitur ſimilis ſuæ imagini. Similiter creaturæ dicuntur ſimiles Deo; Deus tamen non dicitur ſimilis creaturis. Si ergo Perſonæ Diuinæ conſiderentur, quatenus ſimiles ſunt in natura Diuinâ, quam æq; participant, tunc ſicut dicimus, Filium eſſe æqualem Patri, ita & Patem Filio. At verò ſi ſimile ſumatur, vt ſignificat id, quod imitatur alterum, tanquàm productum quid ad illius imitationem, tunc dicimus Filium eſſe ſimilem Patri, quia producitur ad imitationem Patris, tanquàm imago, & figura ſubſtantiæ eius; Patrem verò non dicimus ſimilem Filio.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Æqualitas & ſimilitudo dantur in Diuinis.

CONcluſio. Æqualitas, & ſimilitudo dantur in Diuinis: ſeu quod idem eſt, Diuinæ Perſonæ ſunt ſibi inuicem æquales: ſeu ſunt inter ſe æqualis perfectionis eſſentialis. *Prabatur I. ex Scriptura Sacra.* Ad Philippen. 2 vbi de Filio dicit Sanctus Paulus: *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo.* Et in Concilio II Lateran cap. *Firmiter de ſumma Trinitate, & Fide Cathol.* de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto dicitur: *Coæquales, & coomnipotentes, & coæterni.* Et S. Athanaſius in ſuo ſymbolo dicit: *Perſonæ Diuinæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Et S. Auguſtinus lib. 83. quæſt. q. 15. dicit: *Deus quem genuit, quoniam meliorem ſe generare non potuit, nihil enim Deo melius: generare debuit æqualem: ſi enim voluit, & non potuit, infirmus eſt: ſi potuit, & non voluit, inuidus eſt, ex quo ſequitur Filium Patri æqualem eſſe.* Ergo ex vi Scripturæ Sacræ, datur æqualitas inter Diuinas Perſonas.

Probatur II. *ratione.* Quia vna, & eadem numero Diuina Eſſentia, quæ eſt infinitæ perfectionis, eſt in tribus Perſonis, proinde tota in ſingulis, ita vt ex intrinſeca ſua conditione poſtulet eſſe in tribus; ergo tota perfectio eſſentialis, quæ eſt in vna Perſona, eſt & in altera, & ſic

& ſic omnes Perſonæ Diuinæ ſunt æquales in perfectione eſſentiali. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Perſonæ Diuinæ ſunt æquales in duratione.

Corollarium I. Perſonæ Diuinæ ſunt æquales in Duratione, ſeu quod idem eſt, Perſona procedens eſt coæterna ſuo princio, v. g. Filius Patri. Ita S. Thomas 1. p. q. 42. ar. 2. Eſtq; de Fide ex illo Sancti Athanaſij: *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus S.* Et ex illo Michææ 5. *Egreſſio eius ab initio, à diebis æternitatis.* Et ex illo Ioan. 1. *In principio erat Verbum.* Et *ratio corollarij eſt*: quia productio Perſonarum ex ſua ratione, non neceſſariò requirit ſucceſſionem; ex parte autem principij nihil obſtat, quominùs talis productio ſit æterna, cùm Perſona producens ab æterno ſit perfectè conſtituta, & determinata ad producendum.

Corollarium II. Perſonæ Diuinæ ſunt æquales ſecundùm magnitudinem, id eſt, quoad perfectionem naturæ. *Ratio*: quia omnes Perſonæ Diuinæ, eandem numero naturam, ſeu eſſentiam participãt, quæ non eſt maior in vna, quàm in alia.

Perſonæ Diuinæ ſunt æquales in virtute, & potentia agendi.

Corollarium III. Perſonæ Diuinæ ſunt æquales in virtute, & potentiâ agendi. Ita S. Thomas citatus ar. 6. Patetque ex illo Ioan. 5. *Quæcunq; Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit.* Et *ratio eſt*: quia potentia actiua ſequitur eſſentiam, ſeu naturam: ergo quoniam in tribus Perſonis Diuinis eſt eadem numero eſſentia, ſequitur in omnibus quoq; eſſe eandem numero potentiam actiuam.

Corollarium IV. Ex eò, quòd Filius nõ generet, non ſequitur Filium non habere potentiam generatiuam, quam habet Pater, eumq; non eſſe Patri æqualem ſecundùm potentiam, loquendo de potentia productiua Perſonarũ. *Ratio*: quia etiam Filius id, quod in Patre eſt potentia generatiua habet, licet in Filio non habeat rationẽ potentiæ generatiuæ, eò quòd careat cõditione, ſine qua non eſt talis potentia. Hoc autem nullam facit inæqualitatem inter Perſonas Diuinas, præſertim cum conditio ſine qua, non eſt potentia generans, ſcilicet *Paternitas*, non dicat perfectionem in Patre; ac proinde eius carentia nullam prorsùs imperfectionem, nullam impotentiam, nullam debilitatem arguat.

Perſonæ Diuinæ tribus modis in ſe inuicem ſunt.

Corollarium V. Perſonæ Diuinæ ſunt in ſe inuicem. Tribus autem modis Perſonas Diuinas in ſe inuicem eſſe docet S. Thomas art. 5. *Primò* ſecundùm eſſentiam: quia enim omnes Diuinæ Perſonæ, vnam eandemq; numero eſſentiam participant, cum illaq; ſunt idẽ prorsùs realiter; ideò ratione Eſſentiæ rectè dicuntur ſingulæ eſſe in ſingulis, v. g. Pater in Filio, Filius in Patre, Spiritus Sanctus in Patre, ac Filio: & è contrario Pater ac Filius, in Spiritu Sancto. cùm res nullibi ſit magis propriè; quàm vbi eſt eius eſſentia. *Secundò*, ratione relationum, quibus ſe inuicem reſpiciunt: cùm enim vnum relatiuum ſit de conceptu alterius, & conſequenter vna perſona Diuina ratione relationis oppoſitæ, ſit de conceptu alterius, dicitur quodam modo vna eſſe in alia. *Tertiò*, ratione originis: cùm enim Diuinæ proceſſiones ſint ad intra, & immanentes, ideò terminus productus dici poteſt eſſe in producente, v. g. Verbum in Patre dicente, & producente; & è contra producens eſſe in termino producto, v. g Pater in Verbo. Quòd ergo Perſonæ Diuinæ ſint in ſe inuicem, per quandam circuminſeſſionem, vt loquuntur Theologi, eſt de fide ex illo Ioan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Palamq; id docet Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 1. vbi agens de tribus Perſonis Diuinis, ſic dicit:

Nullus horum extra quemlibet ipſorum, eſt propter Diuinæ naturæ vnitatem. Et S. Damaſcenus lib. I. de Fide cap. 10. *Tres inquit, Perſonas in ſe inuicem eſſe dicimus, ne Deorum copiam, aut turbam inducamus.* Vnitas itaq; eſſentiæ Diuinæ, eſt radix circuminſeſſionis.

Articvlvs II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio I. & ſolutio eiuſdem.

OBijcitur I. *Contra Corollarium I.* Fundamentũ Arrianorũ. Quando Filius genitus eſt, vel erat, vel non erat: ſi erat, quare genitus eſt, ſi non erat: ergo aliquando non fuit, & ſic non eſt coæternus Patri. *Reſpondetur* cùm S. Baſilio, non erat, antequam gigneretur, ſed erat, cum gigneretur: & quia ſemper genitus, ideò ſemper fuit, vt docet Sanctus Auguſtinus epiſt. 174. ad Paſcentium ita ſcribens: *Semper gignit Pater, & ſemper naſcitur Filius. Ratio:* quia Filius gignitur in æternitate, quæ eſt indiuiſibilis, immutabilis, infinita, coëxiſtens omnibus partibus noſtri temporis, inde fit, vt rectè dicamus, Filium ſemper genitum eſſe, & ſemper gigni: quia non poſſumus æternitatem explicare, niſi per reſpectum ad noſtrum tempus, coexiſtat autem toti noſtro tempori. Licet, vt rectè obſeruat S. Auguſtinus, aptiùs dicatur, ſemper genitum eſſe; quàm ſemper gigni: quia licet ſemper duret Diuinæ generationis actus; ſemper tamen etiam perfectus eſt, & conſummatus. Atq; ob hanc rationem Chriſtus Dominus, Diuinam ſuam generationem explicat per verbum præteriti temporis, Ioan. 8. *Ego ex Deo proceſſi.*

Obiectio II. & ſolutio eiuſdẽ.

Obijcitur II. *Contra Corollarium II.* Ioan. 14. Chriſtus Dominus dicit: *Pater maior me eſt*: ergo Perſonæ Diuinæ non ſunt æquales ſecundùm magnitudinem. *Reſpondetur conceſſo antecedente, negatur conſequentia*: illud enim Chriſti Domini dictum non debet intelligi de ſecunda Perſona, ſeu de Verbo; ſed de Chriſto vt homo eſt. Et ſic determinat S. Thomas ſupra citatus, art. 4.

Qvæstio II.

An relatio æqualitatis, & ſimilitudinis in Diuinis ſit realis, an rationis?

QVoniam Diuinæ Perſonæ, poſſunt dici æquales, vel ſimiles, non tantùm à fundamento æqualitatis, & ſimilitudinis; ſed etiam ratione relationis, quæ ex tali fundamento virtualiter reſultat, vel concipitur reſultare; ideò de hac relatione quæritur, an ſit realis; an verò rationis: id eſt, an ſine operatione intellectus, Perſonæ Diuinæ ſint æquales per relationem virtute diſtinctam à ſuo fundamento; an verò reipſa nulla ſit talis ralatio, ſed tantùm per noſtrum intellectum cõfingatur. Circa quod duæ ſunt opiniones.

Opinio I. & fundamenta ipſius.

Prima Scoti in I. ſent. diſt 31. qu. vnica, & in quodlib. q. 6. qui affirmat relationes æqualitatis, & ſimilitudinis in Deo reales eſſe. Fundamentum iſtius opinionis triplex eſt. I. quia S. Auguſtinus lib. 6. de Trinit. cap. vltimo, primam æqualitatem, & primam ſimilitudinem, aſſerit eſſe in Filio; ſi autem quæ eſt in Filio, eſſet relatio rationis, non eſſet prima.

Fundamentum *ſecundum.* Quia æqualitas fundatur in vnitate quãtitatis, ſeruata diſtinctione extremorum, ergo quò extrema inter ſe diſtincta habuerint quantitatem magis vnam, eò veriùs erunt æqualia, Cùm ergo Pater, & Filius, ſint extrema inter ſe realiter diſtincta, habeantq; eandem numero quantitatem perfectionis, nimirùm Diuinam eſſentiam; ideò Pater, & Filius, veriùs quàm quæcunq; alia, æquales erunt inter ſe æqualitate reali.

Fundamentum III. Quia Perſonæ

Diuinæ ſeclusâ operatione intellectûs, ſunt æquales in perfectione eſſentiali: vbi enim eſt quantitas, & vnum non eſt maius, neq; minus alio, ibi eſt æqualitas. Sed ſeclusâ operatione intellectus, in Perſonis Diuinis eſt quantitas perfectionis; & ſeclusâ mentis operatione, vna Perſona Diuina neq; eſt maior, neq; minor, quàm alia: ergo eſt ei æqualis, proinde datur inter eas æqualitas realis, ſiquidem relationes rationis non ſunt, niſi intellectus operatio interueniat.

Altera opinio eſt S. Thomæ I. p. q. 42. ar. I. ad 4. qui docet, Relationes ſimilitudinis, & æqualitatis in Diuinis, non eſſe reales, ſed rationis. Pro cuius intelligentiâ ſuppono, relationem æqualitatis, & ſimilitudinis, conuenire Perſonis, non ſolùm ratione eſſentiæ, & attributorum communium, in quibus ſingulæ Perſonæ conueniunt; ſed etiam ratione relationum, maximè in ſententia eorum, qui aſſerunt diuinas relationes, eſſe perfectionem: cùm enim ſingulæ dicant infinitam perfectionem in ſuo genere, Perſonæ etiam quoad huiuſmodi perfectiones, ſunt æquales, & ſimiles.

Articvlvs I.

Reſoluitur Quæſtio.

Relatio æqualitatis & ſimilitudinis in Diuinis nõ eſt relatio rationis.

COncluſio. Relatio æqualitatis, & ſimilitudinis in Diuinis, non eſt relatio realis, ſed rationis. *Probatur* I. Non datur relatio realis eiuſdem ad ſeipſum, proinde neceſſe eſt fundamentum, & terminum diſtingui. Sed idem, & vnum numero nõ poteſt eſſe fundamentum relationis oppoſitæ in duobus extremis: *cuius ratio hæc eſt*, quòd etiam fundamenta referantur: ergo niſi fundamenta ſint diſtincta, relatio non poteſt eſſe realis. Vnde cùm vna & eadem numero natura Diuina ſit fundamentum relationis æqualitatis in tribus Perſonis, illa relatio non poteſt eſſe realis, ſed rationis tantùm.

Probatur II. Quia ſi relatio æqualitatis inter Perſonas Diuinas, eſſet realis, tunc deberent in Deo concedi plures relationes reales, quàm quatuor, virtute ſaltem inter ſe diſtinctæ, eo modo, quo ſpiratio actiua diſtinguitur à paternitate, & Filiatione; quod tamen dici non debet: ergo relatio æqualitatis inter Perſonas Diuinas, non eſt realis, ſed rationis.

Probatur III. Quia ſi relationes æqualitatis Patris ad Filium, & Spiritus Sancti ad Patrem, ac Filium, eſſent reales, tunc cùm non eſſent accidentia, eò quòd accidens reale repugnet Deo, qui eſt actus purus, eſſent ſubſtantiæ: & cùm vnaquæq; non efficiat vnum per accidens cum Diuina Eſſentia, eò quod in Deo omnia ſint vnum, & idem, inter quæ non datur oppoſitio relatiua, efficerent vnum per ſe, cumq; illud non eſſet quid cõmunicabile, eſſet indiuidua ſubſtantia naturæ rationalis, id eſt Diuinæ, ac proinde eſſet ſuppoſitum, ac Perſona Diuina. Hinc autem ſequeretur in Deo eſſe tres alias rationes reales ſuppoſiti, ac Perſonæ realiter diſtinctas inter ſe; virtute verò à ratione ſuppoſiti Patris, Filij, & Spiritus Sancti, cùm non ſecùs ex eſſentia, & relatione æqualitatis Patris ad Filium, & Spiritum Sanctum, conſtituatur vna ratio ſuppoſiti, ac Perſonæ, à ratione Patris virtute diſtincta; quàm ex eſſentia, & Paternitate, conſtituatur ratio ſuppoſiti, ac Perſonæ. Concedere autem plures rationes Perſonæ in Deo, quàm tres, non eſt conſonum fidei: ergo relatio æqualitatis, & ſimilitudinis in Diuinis, non eſt realis, ſed rationis. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Corol-

Filius non est magis similis Patri, quam Spiritus Sanctus.

Corollarium I. In Diuinis Personis nō datur relatio realis æqualitatis, aut similitudinis, fundata in proprietatibus Personalibus, & virtualiter distincta à relationibus originis. Est contra quosdam recentiores. *Ratio:* quia Theologi præter quatuor relationes originis, nullam aliam relationem realem in Deo agnoscunt. Si autem daretur relatio realis æqualitatis, aut similitudinis, super Paternitate, vel Filiatione fundata, & virtualiter ab illis distincta, tunc iam quinta relatio realis in Deo admittenda esset. *Præterea*, quia si similitudo Diuinarum Personarum, attenderetur non solum secundùm perfectiones absolutas, sed etiam secundùm proprietates relatiuas, sequeretur Filium magis similem esse Patri; quàm Spiritum Sanctum: quoniam Filius assimilaretur Patri in relatione spiratoris in qua Spiritus Sanctus illi assimilari non potest: & sic Filius esset similior Patri quam Spiritus Sanctus, quod dicere absurdum esset.

Corollarium II. Etiam admissâ sententiâ, quæ docet, Relationes perfectionem relatiuam Essentiæ superaddere, non potest admitti inter Diuinas Personas relatio æqualitatis, aut similitudinis, fundata in proprietatibus Personalibus. *Ratio*: quia vt docet Sanctus Thomas 1. p. qu. 42. art. 1. ad 4. Vna relatio non potest aliam relationem fundare: alioqui daretur processus in infinitum. Cùm ergo proprietates Personales sint formaliter relationes; ideò super illis non potest alia relatio realis æqualitatis, aut similitudinis fundari.

Corollarium III. Ex eo, quòd Personæ Diuinæ dicantur realiter æqualis Perfectionis, non sequitur relationem æqualitatis inter Personas Diuinas, esse realem. *Ratio:* quia ista realis denominatio non desumitur à relatione reali, sed à reali fundamento relationis rationis; quemadmodùm etiam Deus dicitur realiter Dominus, à fundamento relationis dominij.

Relatio æqualitatis in Diuinis non est superflua.

Corollarium IV. Licet Personæ Diuinæ ab æterno sint, & dicantur æquales; nulla relatione existente; non est tamen superflua relatio æqualitatis. *Ratio;* quia licet relatio æqualitatis a nostro intellectu conficta, non sit necessaria ad esse Diuinarum Personarum, neq; ad earum vnitatem in Essentia; necessaria tamen est, vt ab intellectu nostro pro hoc statu concipiantur æquales: quia nos viatores non possumus illas vt æquales concipere, nisi ad modum quo res creatæ constituuntur æquales, ac proinde non nisi relatiuè, relatione consecutâ ad nostram apprehensionem. Quocirca prædicta relatio superflua censeri non debet; quemadmodùm neq; relatio Dominij in Deo, nostram subsequens apprehensionem, superflua censetur, etiamsi ad esse Dei nullatenùs requiratur, neq; vt realiter Dominus sit.

Corollarium V. Quando æqualitas Diuinarum Personarum adoratur ab Ecclesia Sancta adoratione latriæ, vt habetur in Missa festi Sanctissimæ Trinitatis: *Vt in essentia vnitas, & in Personis proprietas, & in Maiestate adoretur æqualitas*, id non est intelligendum de æqualitate formaliter sumpta, & prout relationem importat, prout à nobis in præsenti quæstione sumitur; sed de æqualitate fundamentaliter accepta, & prout dicit vnitatem magnitudinis cum negatione excessus. Quod vt facilius concipiatur, *sciendum est*, æquale duobus modis sumi. *Primò fundamentaliter*, prout importat vnitatem quantitatis cum negatione excessus: & in hac acceptione Diuinarum Personarū æqualitas ab Ecclesia adoratione latriæ adoratur, quia conuenit Verbo ex vi processionis esse æquale Patri, ex vi cuius accipit Pa-

tris

tris naturam. *Secundò formaliter*, prout dicit relationem aut realem, si adsint omnes conditiones ad illius resultantiam necessariæ; aut rationis, si aliqua desit, vt in præsenti. Et hæc non conuenit Verbo ex vi processionis, neq; adoratur adoratione latriæ, vt potè quid ab intellectu nostro confictum.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Verbum Diuinum, cùm sit imago Patris, refertur ad illum relatione similitudinis. Sed ista relatio vt potè eadem cum relatione Filij, est realis, non verò rationis: ergo relatio similitudinis in Personis Diuinis est realis.

Solutio eiusdem.

Respondetur, duplicem à Theologis relationem similitudinis distingui, *vnam*, quæ fundatur supra vnitatem essentiæ Diuinæ: *alteram*, quæ illam vnitatem supponit, aut connotat, & fundatur supra originem, aut expressionem, aut communicationem Diuinæ naturæ. Prima relatio est æquiparantiæ, id est, eiusdem denominationis in vtroq; extremo, & distinguitur à Filio: altera est disquiparantiæ, seu diuersæ denominationis in extremis, & hæc nō distinguitur à Filio. Vnde *distinguitur minor*. Relatio, quâ Verbum refertur ad Patrem, est realis, si sit relatio disquiparantiæ, *conceditur*: nam huius relationis fundamentum, scilicet passiua generatio, realiter distinguitur ab actiua generatione, saltem ratione illius, quod in obliquo importatur. Si sit æquiparantiæ, *negatur*, quòd sit realis, propterea quòd ratio fundandi (puta vnitas Diuinæ Essentiæ) in vtroq; extremo nō multiplicetur. Et similiter *distinguitur consequens*.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium* II. Pater, & Filius, in ratione Personæ constituuntur proprietatibus relatiuis, & tamen vt sic constituti referuntur ad Spiritum Sanctum relatione spiratoris, virtualiter distinctâ à Paternitate, & Filiatione: ergo relatio Diuina potest referri per aliam relationem realem, virtualiter distinctam.

Solutio eiusdem.

Respondetur distinguendo cōsequens. Relatio Diuina sumpta in abstracto potest referri per aliam, *negatur consequentia*: sumpta in concreto, & prout idem est, quod Persona, *conceditur consequentia*. Quemadmodùm enim Persona Patris, licet per relationem constituta in ratione Personæ, est principium *quod* generationis, referturq; vt *quod* per paternitatem sub conceptu referentis; ita Pater, & Filius, relationibus constituti, sunt principium quod processionis Spiritus Sancti, referunturq; vt quod relatione spiratoris. Cæterùm ista relatio non fundatur in Paternitate, & Filiatione, verùm in spiratione actiuâ vtrique communi. Vnde solùm sequitur relationem Diuinam concretiuè sumptam, (qua ratione idem est, quod Persona) posse referri vt *quod* relatione, non in ipsa, sed in spiratione actiua fundatâ; non verò posse esse fundamentum vlterioris relationis, per quam ipsa in abstracto sumpta, referatur vt *quod*.

Soluuntur fundamenta primæ opinionis.

Solutio fundamentorum aduersæ opinionis.

Ad I. *itaq; fundamentum Respondetur*, Sanctum Augustinum loco citato loqui de æqualitate, & similitudine, quoad fundamētum, quod in Diuinis est ipsamet essentia Diuina. non verò quoad relationem rationis in ea fundatam.

Ad II. *fundamentum dicitur*. Antecedens esse verum de æqualitate, vt suo ambitu comprehendit solam æqualitatē realem; ad æqua-

litatem

litatem verò realem necessariam esse vnitatem in quantitate, id est, negationem excessus vnius quanti supra aliud quantum, tanquam rationem fundandi eiusmodi æqualitatem: præterea requiri distinctionem quantitatum in vtroq; extremo. Si verò in antecedente sermo sit de æqualitate, vt comprehendit realem, & rationis, tunc concessis omnibus, negandum est, æqualitatem quæ est inter Patrem, & Filium, esse relationem realem. Sicut enim ratio Dominij veriùs cernitur in Deo; quàm in creaturis, eò quod eius ratio fundandi, & maius fundamentum sit in Deo, quam in creaturis; inde tamen non sequitur, relationem dominij esse realem in creaturis: ita etiam propter maius, arctiusque fundamentum æqualitatis, quod in Deo magis, quam in creaturis cernitur, verius ratio æqualitatis cernitur inter Personas Diuinas, quam inter res creatas; ratio tamen illa non est relatio realis in Personis Diuinis, sicut in rebus creatis: quia fundamentum, quod in Personis Diuinis habet, id non patitur; sicut patitur fundamentum, quod habet in rebus creatis, propter illius distinctionem in vtroq; extremo.

Ad III. *fundamentum dicitur.* Personas Diuinas seclusa operatione intellectus, solùm esse fundamentaliter, æquales; nō autem formaliter. Vnde ad verificandam doctrinam fidei, quæ docet Diuinas Personas æquales esse, satis est, quod sit fundamentū reale in ipsis hujus relationis æqualitatis. Proinde sicut Filius ante operationem est idem sibi ipsi, licet hæc relatio identitatis eiusdem ad seipsum, nō sit formaliter ante operationē intellectus; ita Pater, & Filius, absolutè sunt æquales, quamuis relatio æqualitatis non sit formaliter ante operationē intellectus: quia satis est, quod sit fundamentali ter.

QVÆSTIO III.

An in Diuinis Personis sit ordo naturæ.

CVm iam ex supra dictis sufficienter constet, inter Personas Diuinas non esse ordinem temporis, aut durationis, eò quod omnes Personæ sint æternæ, idcirco quæstio solùm procedit de ordine naturæ, & originis. Porrò nomine ordinis naturæ, hoc loco intelligitur ordo, qui non sit liber, proinde qui sit naturalis, vt distinguitur contra liberum. Ordo itaq; originis, qui inter Diuinas Personas cernitur, videlicet, quod Filius sit à Patre, & non è contra, Pater à Filio, & quod Spiritus Sanctus sit ab vtroque, quatenùs non est liber, sed ex natura rei, ac proinde naturalis, vt distinguitur contra liberum, appellatur ordo naturæ, vt explicat Sanctus Thomas 1. p. qu. 42 ar. 3. in responsione ad 3. In hoc etiam sensu ordinem naturæ sumit D. Augustinus lib. contra Maximinum cap. 14 vbi sic loquitur: *Non genitorem ab eo, quem genuit, genitum à genitore mitti oportebat, verùm hoc non est inæqualitas*, substantiæ, sed ordo naturæ, non quod alter prior esset altero, sed quod alter esset ab altero.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

COnclusio. In Diuinis Personis est ordo originis, qui dicitur ordo naturæ, qui in hoc consistit, quod vna Persona procedat ab alia. *Probatur.* Ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium, vnde fit, vt pro ratione diuersorum principiorum, sint diuersi ordines: per comparationem namq; ad principiū durationis, dicitur ordo secundùm durationem: per comparationem ad principium situs, dicitur ordo secundùm

In Diuinis Personis ordo originis.

cundùm situm: per comparationem ad principium causalitatis, dicitur ordo secundùm causalitatem. Sed in Diuinis datur principium originis, videlicet Pater, à quo est Filius, & à Patre, ac Filio, Spiritus Sanctus: ergo in Diuinis est ordo originis. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Ordo originis rectè vocatur ordo naturæ.

Corollarium I. Ordo iste originis, qui est inter Personas Diuinas, rectè appellatur ordo naturæ, cum non sit liber, sed naturalis, vt docet Sanctus Thomas citatus. *Ratio est*: quia naturale, & liberum, opponuntur in aliquo sensu: ergo cùm iste ordo non sit liber, sed necessarius, rectè appellatur naturalis, seu ex natura rei; non autem ex arbitrio voluntatis. Porrò huiusmodi ordo in mutua habitudine, ac relatione vnius Personæ ad aliam, est positus, quo fit, vt non sit aliud; quàm ipsæmet relationes originis indistinctæ, vt docet Sanctus Thomas citatus art. 3. in responsione ad primum.

Inter Patrē & Filium non est vlla prioritas ex natura rei.

Corollarium II. Licet inter Patrem, & Filium, sit ordo originis eius à quo alius, & qui ab alio; non est tamen prioritas aliqua ex natura rei. Similiter licet inter Patrem, & Filium, in ratione vnius spiratoris, ac Spiritum Sanctum, sit ordo originis; non tamen prioritas ex natura rei. Ita docet Sanctus Thomas in corpore citati articuli, & in responsione ad secundum. *Ratio* I. desumitur ex symbolo Sancti Athanasij, vbi dicitur: *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius.* Sed si ex natura rei esset prioritas aliqua inter Personas Diuinas, nunquàm Sanctus Athanasius absolutè dixisset; nihil est prius, aut posterius in Trinitate, neq; id Ecclesia Sancta approbasset. Ergo inter Personas Diuinas, non est vlla prioritas ex natura rei, prout volebat Scotus in 1. dist. 12. q. 2. & dist. 28. & in 2. dist. 1. qu. 1. & quodlib. 4. qui non solùm prioritatem originis inter Personas Diuinas admittit, sed etiam prioritatem naturæ, seu ex natura rei, asserens prius origine in instanti quodam originis esse Patrem, & postea in quodam alio instanti originis esse Filium. *Ratio* II. quia si Pater ex natura rei esset prior Filio, tunc vel id esset quoad esse absolutum, vel quoad esse relatiuum. Sed *non primum*, siquidem omne absolutum est prorsùs idem numero in Patre, & Filio. *Non etiam secundum*: quia quoad esse relatiuum, Pater, & Filius, mutuò sese respiciunt, proinde, naturà, cognitione, ac deniq; omnibus modis sunt simul, vt potè correllatiua: ergo Pater ex natura rei non est prior Filio.

Pater nō est prior Filio etiam nostro modo intelligendi.

Corollarium III. Sicut in Diuinis Pater v. g. ex natura rei non est prior Filio; ita neq; nostro modo intelligendi est prior. Ita Sanctus Thomas loco citato in responsione ad 2. *Ratio*: quia Pater, & Filius, mutuò se respiciunt: ergo etiam nostro modo intelligendi, Pater non potest esse prior Filio, cùm correlatiua sint simul cognitione.

Corollarium IV. Licet in Diuinis neq; Pater sit prior Filio, neq; spirator Spiritu Sancto, tam ex natura rei; quàm nostro modo intelligendi, vt ostensum est; tamen Pater vt Pater, & Filius, vt Filius sunt priores spiratore, & consequenter Spiritu Sancto nostro modo intelligendi cum fundamento in re. *Ratio*: quia sicut intellectus, & voluntas, itemq; intellectio, & volitio, distinguuntur in Deo virtualiter, & ratione ratiocinatā; ita vnū est altero prius prioritate virtuali, & rationis ratiocinatæ. Sed esse Patris, & Filij consequitur intellectionem; esse verò spiratoris, & Spiritus Sancti, consequitur volitionem: ergo priùs est esse Patris, & Filij,

& Filij; quàm eſſe ſpiratoris, & Spiritus Sancti.

Corollarium V. Quando enumeramus Diuinas Perſonas, quòd Pater ſit prima Perſona, Filius ſecunda, Spiritus Sanctus tertia, tunc in iſta enumeratione ſolùm eſt ordo originis; non autem prioritatis. *Ratio:* quia Pater nominatur primo loco ideò, quòd ipſe à nullo alio procedat: ideò Filius ſecundo loco; quia procedit à Patre per intellectũ: ideò Spiritus Sanctus tertio loco, quia procedit ab vtroq; per voluntatem. Et quamuis ille ordo originis vix poſſit à nobis explicari, niſi vocabulis ſignificantib⁹ aliquam prioritatem; reuera tamen nulla eſt prioritas: imò ſi eſſet falſa eſſet enumeratio: quia non Pater vt Pater, nec Filius vt Filius, eſſent priores Spiritu Sancto, ſed ſolùm Pater eſſet prior Filio, & ſpirator Spiritu Sancto.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio & ſolutio eiuſdem.

OBijcitur *Contra Corollarium* II. In rebus creatis ideò cauſa eſt naturâ prior effectu, cum quo conuertitur exiſtendi conſequentiâ: quia cauſa eſt id, à quo eſt effectus. Sed etiam Pater æternus eſt id, à quo eſt Filius: ergo Pater eſt prior Filio. *Reſpondetur*, id non ſequi: diſpar enim eſt ratio inter cauſam, & effectum, ac inter Perſonas Diuinas. Nam vtrumq; hoc, cauſa, & effectus, ſpectantur ſecundùm eſſe abſolutum, quia illud eſſe abſolutum, quod eſt in effectu, verè producitur ab ipſa cauſa, idq; per veram actionem, quæ ſit media inter cauſam, & effectum, vnde fit, vt inter cauſam quoad eſſe abſolutum, & inter effectum ſimiliter quoad eſſe abſolutum, ſit prioritas naturæ in rebus creatis; non tamen inter cauſam & effectum, quoad eſſe relatiuum: ſic enim ſunt ſimul naturâ. In Perſonis verò Diuinis, eſſe abſolutum vnius, non eſt id, à quo eſt eſſe abſolutum alterius: nam illud eſſe abſolutum, quod eſt v. g. in Filio, nõ producitur à Patre, cùm ſit idem numero in vtroque: neq; vna Perſona eſt ab alia per veram actionem, & cauſalitatem, ſed Pater conſtitutus in eſſe relatiuo Patris, eſt id, à quo eſt Filius conſtitutus, in eſſe relatiuo Filij, eſſeq; Filium à Patre, & Patrem eſſe à quo eſt Filius, non eſt aliud, niſi reſpectus ipſi Paternitatis & Filiationis, ſignificati per modum actionis, qui quidem reſpectus ſimul ſunt naturâ, ſimulque reſultant in Patre, & Filio: vnde fit, vt eſſe Patris non ſupponatur ad eſſe Filij, ac proinde non ſit priùs origine; quàm eſſe Filij. Pater itaq; æternus quoad ſuum eſſe abſolutum, non eſt id, à quo eſt Filius, ſed per nudum reſpectum, per quem conſtituitur in eſſe Patris, & qui eſt ſimul naturâ, & cognitione cum reſpectu Filij.

QVÆSTIO IV.

An alicui Perſonæ Diuinæ conueniat mitti?

Occaſio quæſtionis.

CVm ex Sacris Scripturis conſtet, Secundam, & Tertiam Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonam mitti, vt habetur de Filio Matth. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierant.* Et Ioan: 6. *Miſit me viuens Pater.* Similiter de Spiritu Sancto habetur Ioan. 14. *Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo:* Et cap. 15. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis.* Idcircò quæritur, quanam ratione vna Perſona Diuina dici poſſit mitti ab alia. Pro cuius reſolutione.

In ratione miſſionis duo importantur.

Suppono I. ex D. Thoma 1. p. q. 43. ar. 1. In ratione miſſionis duo importari. *primum eſt*, habitudo miſſi ad principium à quo mittitur, & iſta habitudo nihil eſt aliud, niſi proceſſio paſſiua miſſi à mittente, idq; aut per imperium, quomodò ſeruus à Domino mittitur: aut per conſilium, quomodò Rex dicitur mitti à conſiliarijs ad ineundum bellum: aut per impulſum, quomodò ſagitta mittitur à ſagittario: aut denique per originem, quomodò flos emittitur ab arbore. Et hic ſolus reſpect⁹ competit Diuinæ miſſioni: quia nullam inuoluit imperfectionem; alij verò priores modi, vt per imperium, per impulſum, dicunt imperfectionem in eo, qui mittitur. *Alterum, quod importat miſſio*, eſt habitudo miſſi ad terminum ad quem mittitur: & iſta habitudo nihil aliud eſt, niſi vt is, qui mittitur, aliquomodò incipiat eſſe in termino, ad quem mittitur, ita vt vel abſolutè ibi incipiat eſſe: quia nimirùm ibi antea non erat omninò: vel quia non erat eo modo, quo ibi incipit eſſe. Atq; hoc modo conuenit miſſio Diuinæ Perſonæ, ſecundùm quod importat nouum modum exiſtendi in termino. Sic Filius dicitur à Patre miſſus in mundum: quia ab ipſo Patre procedens incepit in mundo eſſe per carnẽ aſſumptam, licet antea in mundo eſſet, iuxta illud Ioan. 1. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt;* non tamen eo modo, quo cœpit eſſe per Incarnationem.

Suppono II. Quòd cùm nouus ille modus, quo Diuina Perſona miſſa dicitur eſſe, vbi antea non erat, ſit ſecundùm aliquam operationem ad extrà, quâ aliquid efficit in creatura; nihil autem in creatura operetur, niſi per entitatem ſuæ naturæ, quam accepit à Perſona mittente, ſeu producente, hinc fit, vt habeat ab ipſa, quod aliquid efficiat in creatura, & ſic cum nouo modo incipit eſſe, vbi taliter non erat, iure meritò illuc à Perſona mittente, ſeu producẽte mitti cenſeatur.

Suppono III. Sex iſta vocabula: *generatio, & ſpiratio, proceſſus & exitus, miſſio & datio*, diſtingui debere, vt docet Sanctus Thomas ar. 2. *Generatio* enim, & *ſpiratio* in Diuinis dicuntur ſolùm ab æterno: quia duo ſignificant, nimirùm habitudinem ad principiũ generans, atq; Spirans, & habitudinem ad terminum generatum, ac Spiratum. Iam verò *proceſſio*, & *exitus*, dicuntur & æternaliter, & temporaliter: quia ſignificant ſolam originem, ſeu proceſſionem, abſtrahendo à termino, proinde indifferenter dici poſſunt vel ab æterno, vel ex tempore, prout applicantur ad proceſſionem, quæ vel habeat terminum æternum, vel temporalem. Cuius rei euidens habetur exemplum in Verbo Diuino: hoc enim dici poteſt ab æterno procedere, vt eſſet Deus; & in tempore proceſſiſſe, vt eſſet homo. Vnde patet eandẽ proceſſionẽ Perſonæ, nunc æternam dici propter terminum æternum; nunc temporalem, propter terminum temporalem. Tandem *miſſio*, & *datio*, ſolum dicũtur ex tempore, iuxta illud Apoſtoli ad Galat. 4. *Cùm venerit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum.* Hinc licet miſſio Diuina includat æternam originem; abſolutè tamen dici debet temporalis, quia effectus, qui in miſſione includitur, temporalis eſt: nam miſſio non exiſtit, niſi quando integra eius ratio exiſtit, quod fit, dùm ad proceſſionẽ æternam accedit terminus temporalis. Vnde quia per terminum temporalem completur & perficitur miſſio, ideò dicitur temporalis. Sicut & creatio, quæ licet fiat per potentiam Dei, quæ eſt ab æterno; quia tamen completur per effectum temporalem, ideò non æterna, ſed temporalis dicitur. Et licet Chriſtus v. g. eò quòd includat non ſolùm naturam humanam, quæ eſt temporalis; ſed etiam Verbum Diuinum, quod eſt æternum, ratione Verbi rectè dicatur

Proceſſio Verbi quomodo æterna & temporalis.

dicatur fuisse ab æterno, eò quod Christus supponat pro Persona Diuina, cui per communicationem idiomatum, conueniunt attributa vtriusque naturæ, tam Diuinæ; quam humanæ; missio tamen Diuinæ Personæ, licet includat processionem æternam, ab illa non potest denominari æterna: quia non supponit pro sola processione æternâ, sed pro coniuncto ex processione æterna, & termino temporali, ideoq; solùm temporalis dicitur, sicut & creatio, vt ostendi.

Missio Diuinæ Personæ alia visibilis alia inuisibilis.

Suppono IV. Missionem Diuinæ Personæ diuidi in visibilem, & inuisibilem. Visibilis missio duobus modis potest contingere. I. Quando fit cum aliquo signo sensibili, quomodò Spiritus Sanctus descendit in specie columbæ supra Christum, & in specie linguarum ignis supra Apostolos. II. Quando illius terminus temporalis, est aliquid sensibile, quomodò Filius in carne humana missus est in mundum. Tunc verò est inuisibilis missio, quando Persona Diuina mittitur ad animas interiùs sanctificandas per gratiam sanctificantem, sine aliquo sensibili signo talis aduentus.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Missio Diuinis Personis conuenit.

Conclusio I. Missio Diuinis Personis conuenit. Est de Fide. *Probatur* ex Scriptura Sacra Ioan. 3. *Misit Deus Filium suum in mundum*, Et cap. 8. *Non sum ego solus, sed ego, & qui misit me Pater*. Et cap. 14. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*. Et cap. 15. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis*. Ergo ex mente Scripturæ Sacræ missio conuenit Diuinis Personis.

Probatur II. *ratione*. In Diuinis vna Persona procedit ab alia, incipitq; esse alicubi nouo modo, quo antea non erat, ita vt ad hoc determinetur a mittente ratione originis ab eo acceptæ: ergo missio Diuinis Personis competit. Cùm ergo mitti vnam Diuinam Personam ab alia, nihil aliud sit; quàm vnam ab alia procedere, & in mundo visibiliter, aut inuisibiliter apparere, sequitur Diuinis Personis missionem conuenire. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Vna Persona non potest seipsam mittere.

Corollarium I. Missio Diuinarum Personarum sic definiri potest, vel potiùs describi. *Missio est processio originis à mittente, cum nouo modo existendi in alio*. Ita communis Theologorum sententia.

Corollarium II. Vna Persona non potest seipsam mittere, licet possit seipsam dare. *Ratio*: quia sicut nulla Persona procedit a se; ita nec mittitur à se. Vnde sequitur eam solùm Personam in Diuinis mitti, quæ procedit ab alia, & quidem solùm ab ea, à qua procedit. Nam cùm missio dicat exitum ab aliquo, & missio in Diuinis non fiat nisi ratione originis; nulla autem Persona in Diuinis exit ab ea, à qua non procedit, ideò solùm mittitur ab ea, à qua procedit.

Corollarium III. In Diuinis ex missione nō potest colligi inæqualitas Personæ, quæ mittitur, respectu eius, quæ mittit. *Ratio*: quia solùm mittitur ratione originis. Et hoc expresse docet Sanctus Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20. ad initium, vbi dicit: Quid ergo mirum, si mittitur, (id est Filius) non quia inæqualis, sed quia est manatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera.

Missio Diuina absolutè dici debet temporalis.

Corollarium IV. Licet missio Diuina includat æternam originem; nihilominùs absolutè dici debet temporalis. *Ratio*: quia effectus qui in missione includitur, est temporalis: ergo ipsa missio dici debet temporalis. Et hoc expresse docet Sanctus Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 20. his verbis: *Non*

Non eo ipso, quod de Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel eo, quòd apparuit huic mundo, Verbum caro factum est.

Corollarium V. Ad hanc Diuinam missionem requiritur mutatio in creatura; cùm Persona Diuina mutari non possit, ac proinde requiritur aliquis effectus in ea. Vnde si nullus effectus temporalis ponatur, non mittitur Diuina Persona. Et in hoc differt missio Diuina, ab humana: quia cùm Persona humana possit mutari antequam perueniat ad terminum, potest dici mitti, antequàm aliquid operetur in termino; secùs Diuina Persona.

In Diuinis non quælibet Persona mittitur.

Conclusio II. In Diuinis non quælibet Persona mittitur, sed solùm illa quæ procedit ab alia, idq; solum ab ea à qua procedit. Constat iam cōclusio ex corollario II. vt tamen magis stabiliatur. *Probatur I. pars conclusionis*. Persona quæ mittitur debet procedere à mittente. Sed in Diuinis non quælibet Persona procedit ab alia, vt palam habetur de Patre, qui cùm sit fons & origo Diuinarum Personarum, à nulla alia procedit, sed est improductus: ergo in Diuinis non quælibet Persona mittitur, loquendo de propria missione. *Probatur deinde altera pars conclusionis*: quia cùm missio dicat exitum ab aliquo; in Diuinis autem nulla Persona exit ab ea, à qua non procedit: ergo in Diuinis illa tantùm Persona mittitur, quæ procedit, idq; non nisi ab ea, a qua procedit. Vnde fit, vt Filius, & Spiritus Sanctus, solùm mitti dicantur: & quidem Filius à solo Patre: quia ab eo solo procedit; Spiritus verò Sanctus à Patre & Filio, eò quòd ab vtroque procedat. Et hoc innuere voluit D. Augustinus lib. 4. de Trinit. cap. 20 vbi dicit: *Ab illo ergo mittitur Dei Verbum, cuius est Verbum*. Duæ itaq; solùm Personæ in Diuinis mitti dicuntur, Filius secundùm Diuinitatem à solo Patre; Spiritus verò Sanctus à Patre & Filio; ipse verò nullam Personam mittit. *Dixi Filius secundùm Diuinitatem*: quia secundùm humanitatem assumptam missus est à tota Trinitate per imperium, vt habetur Isaiæ 48. *Dominus Deus misit me, & Spiritus eius*. Quod de Christo vt homine dicitur. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Licet Pater in Diuinis nunquàm dicatur mitti, iuxta illud D. Augustini lib. 2. de Trinit. cap. 5. *Pater nunquàm legitur missus*. Et lib. 4. cap. 20. *Pater* inquit, *non dicitur missus: non enim habet, de quo missus sit, aut ex quo procedat*. Licet inquam Pater propriè non dicatur mitti; potest tamen verè dici venire. Vnde Christus de tota Trinitate loquens Ioan. 14. non dixit: ad eum mittemur, sed *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Similiter verè Pater dici potest, dare seipsum: quia venire, & dare, non dicunt respectum ad alium, ex quo procedat is, qui venit, aut datur: rectè enim quis seipsum donare dicitur. Vnde sequitur, quod licet Pater fuisset incarnatus; propriè tamen non fuisset missus.

Vna Persona potest mitti sine alia, missione visibili.

Corollarium II. Vna Persona Diuina missione visibili, potest mitti sine alia. v. g. Filius sine Spiritu Sancto, & hic sine illo. *Ratio*: quia vna Persona Diuina potest peculiariter repræsentari per res externas sine alia, sicut per nubē peculiariter apparuit Spirit⁹ Sanct⁹; non tamen Filius: similiter Filius per Incarnationem missus est: non verò Spiritus Sanctus. Vnde si è contrario Spiritus Sanctus carnem induisset, & non Filius, sine dubio fuisset missus Spiritus Sanctus per Incarnationem sine Filio. Et licet operationes ad extra sint communes toti Trinitati; negari tamen non potest, quin possit vna Persona signo aliquo

aliquo visibili manifestari sine alia, tunc autem illa dicitur specialiter missa præ alia.

Missio inuisibilis diuinæ Personæ solùm fit per gratiam.

Corollarium III. Attendendo modum loquendi Scripturæ, & Sanctorum Patrum, missio inuisibilis Diuinæ Personæ, solùm fit per gratiam sanctificantem. *Ratio:* quia Personæ quæ ita mittuntur, dicuntur mansionem facere apud eum, ad quem mittuntur, vt habetur Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sed Deus nõ dicitur hoc peculiari modo manere apud peccatorem, sed apud iustum, qui dicitur templum Spiritus Sancti. 1. Corint. 3. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis:* ergo Diuina Persona per solam gratiam sanctificantem inuisibiliter mittitur. Hinc homini in iustificatione, non solùm dantur ipsa dona gratiæ, & charitatis; sed etiam Persona ipsa Spiritus Sancti secundùm substantiam, vt constat ex illo Rom: 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Vbi Sanctus Paulus distinguit inter ipsum donum charitatis, & inter ipsam Personam Spiritus Sancti, quæ datur nobis. Similiter quando gratia præexistens augetur in homine, tunc Diuinæ Personæ dicuntur ad illum mitti: quia ratione huius intensionis gratiæ, dici possunt esse nouo modo in homine. Sic Spiritus Sanctus in die Pentecostes missus est ad Apostolos inuisibiliter etiam; qui tamen iam antea habebant gratiam.

In missione visibili vna Persona nõ potest mitti sine alia,

Corollarium IV. In missione inuisibili, vna Persona Diuina non potest mitti sine alia. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 43. art. 5. *Ratio:* quia Personæ missæ non sunt nouo modo in creatura, nisi ratione donorum, quæ animæ infunduntur, quæ necessariò proueniunt tam ab vna, quàm ab alia Persona: ergo non potest dici vna Persona mitti inuisibiliter, & non alia, cùm nulla ratio possit assignari, cur potiùs mittatur v. g. Filius; quàm Spiritus Sanctus.

Corollarium V. Licet interdùm fiat, vt dum Persona aliqua Diuina mittitur visibiliter, mittatur etiam simul inuisibiliter per collationem gratiæ concessæ illi Personæ; hoc tamen non semper fit. *Ratio primæ partis corollarij:* quia quando Filius Dei per Incarnationem missus est, tunc natura humana assumpta, repleta est excellentissimâ gratia habituali. Similiter quando Spiritus Sanctus in die Pentecostes missus est ad Apostolos abundantiã gratiæ receperunt, iuxta id, quod habetur Actor. 3. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto:* ergo interdùm fit, vt visibili missioni inuisibilis iungatur. *Ratio etiam secundæ partis corollarij est:* Quia dum Spiritus Sanctus missus esset ad Christum visibiliter in specie columbæ, Matth. 3. Christus tunc non recepit gratiam sanctificantem, cùm ab initio conceptionis fuerit plenus gratiâ, nec decursu temporis vllum illius receperit incrementum.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcîtur I. *contra Corollarium* III. In Incarnatione fit specialis quædam missio Verbi Diuini ad humanitatem assumptam, & Spiritus Sancti ad Beatam Virginem, iuxta illud Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Sed vtraq; hæc missio non est facta secundùm dona gratiæ sanctificantis: nam posset fieri Incarnatio sine vllo dono gratiæ collato naturæ assumptæ, v. g. si Deus assumeret naturam irrationalem, quæ donorum gratiæ incapax est: aut naturam rationalem omnibus naturæ donis spoliatam: vel si ex matre peccatrice nasceretur.

tur. Ergo missio inuisibilis Diuinæ Personæ, potest fieri independenter à gratia sanctificante, & donis illius.

Solutio eiusdem.

Respondetur ad 1, transeat antecedens, negatur consequentia: missio enim Verbi Diuini, quæ facta est in Incarnatione, non est inuisibilis, sed visibilis ratione assumptæ naturæ. *Deinde negari etiam potest antecedens:* nam in Incarnatione communicata est naturæ assumptæ gratia vnionis, quæ perfectiori modo sanctificat; quàm gratia habitualis, totamq; eius perfectionem & sanctitatem eminentissimo modo continet. Vnde licet natura rationalis à Verbo assumpta, omni dono accidentali careret, nihilominùs per ipsam substantialem Personæ sanctitatem perfectissimo modo sanctificaretur. Quod si Verbum naturam irrationalem, donorumq; gratiæ incapacem assumeret, tunc non esset in tali casu verè, & propriè missio, sed tantùm physica cõmunicatio sui. Quia licet missio non consistat in morali egressione ab alio, per imperium, aut suasionem; requirit tamen, vt is, qui mittitur, modo intellectuali, & tanquàm Persona exeat, procedatq; ad illum, cui mittitur. At verò in supposito casu Verbum Diuinum, modo intellectuali ad illam naturam non procederet, neq; illi in ratione Personæ, sed tantùm in ratione suppositi vniretur. Vel certè dici potest, illam assumptionem naturæ irrationalis, esse missionem: quia licet non sanctificaret huiusmodi naturam, eò quòd sanctitatis incapax esset, nihilominùs illa actio de se ordinabilis esset ad sanctificandum alios, quod sufficit ad rationem missionis. Sic apparitio Spiritus Sancti in linguis igneis, fuit vera missio: quia ordinabatur ad sanctificandum Apostolos.

Quantum verò attinet ad Beatam Virginem, etiam *falsum est antecedens:* nam Spiritus Sanctus ad B. Virginem superuenit, quando concepit Dei Filium: quia tũc nouum augmentum gratiæ recepit; missio autem Spiritus Sancti nun solùm fit in prima infusione grariæ, sed etiam quando nouũ eius augmentum acquiritur. Si verò de potentia absolutà, maternitas Dei esset sine sanctitate, tunc in eiusmodi matrem non superueniret Spiritus Sanctus per modum missionis simpliciter, quoniam non habitaret in ea; proinde solùm esset missio secundùm quid, quatenùs Spiritus Sanctus efficeret tale donum maternitatis, simul cum alijs Personis Diuinis. Quemadmodùm etiam dum fides informis, aut auxilia ad gratiam remote disponentia infunduntur, dicitur fieri quædam missio impropria, & secundùm quid.

Obiectio secunda.

Objicitur II. Diuinæ Persònæ habent specialem præsentiam in creatura rationali, independenter à gratia & charitate: ergo missio inuisibilis earum fit non solùm per gratiam, & charitatem, sed etiam per alia dona ab illis separabilia. *Antecedens facilè probatur.* Spiritus Sanctus fit speciali modo præsens animæ, quando per auxilium gratiæ illam mouet ad actum attritionis supernaturalis. Similiter Summo Pontifici, & Concilio Generali, res fidei definientibus, datur specialis quædam Spiritus Sancti assistentia, ne in huiusmodi definitionibus possint errare. Sed tunc non fit noua gratiæ, & charitatis infusio. Ergo Diuinæ Personæ habent specialem præsentiam in creatura rationali, independenter à gratia, & charitate.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam: licet enim Personæ Diuinæ independenter â gratia, & charitate, specialẽ quandam præsentiam in creatura rationali habere possint; non tamen illam, quæ ad veram, & propriè dictam missionem requiritur. Vera siquidem, & pro-

& propriè dicta missio, requirit præsentiam specialem, quæ fit per modum mansionis, & inhabitationis in anima, iuxta illud Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; talis autem præsentia, & inhabitatio non fit, nisi per gratiam sanctificantem. Vnde per auxilium quo Spiritus Sanctus mouet animam ad actum attritionis, nondum eam inhabitat, sed solùm ad ostium cordis pulsat, iuxta illud Apocal. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso.* Et ideò Concilium Trident. sess 14. cap. 4 loquens de imperfecta illa contritione, quæ *attritio* dicitur, dicit eam esse Spiritus Sancti impulsum, mouentis duntaxat, non inhabitantis. Similiter per illam specialem assistentiam, quæ datur Summo Pontifici, & Concilio generali, ad res fidei definiendas, non inhabitat Spiritus Sanctus animam, sed solùm intellectum mouet, instruit, ac dirigit, ne in veritatis cognitione aberret. Quocirca talis præsentia non requirit specialem missionem, sed ad generalem Dei præsentiam pertinet, quâ Deus est in rebus per operationem.

Pro complemento huius materiæ, quæri solet I. Cur Verbum in missione visibili, hypostaticè assumpserit rem, in qua apparuit, scilicet humanitatem; Spiritus verò Sanctus dum visibiliter appareret in specie columbæ, ignis, linguarum, res istas non assumpserit hypostaticè? *Ad quod respondetur*: quia Verbum, seu Filius assumpsit humanitatem in vnitatem suppositi, vt per eam mereretur, redimeretq; genus humanum. Proinde cùm Filius Missus sit, vt auctor nostræ iustificationis, & sanctitatis, conueniens erat assumi hypostaticè naturam humanam, vt nimirùm Persona per illam posset mereri. At verò in missione Spiritus Sancti res illæ sensibiles, solùm fuerunt indicium præsentiæ illius, & sanctificationis; sicut quando Spiritus Sanctus missus est ad Apostolos: vel fuerunt indicium insignis alicuius virtutis, aut gloriæ; sicut in missione eiusdem Spiritus Sancti ad Christum; ad hæc autem munia obeunda non erat opus, res in quibus apparuit, hypostaticè assumi.

Quæritur *præterea*. Ad quosnam effectus Persona mitti dicatur? *Respondetur*, primariò, & principaliter mitti ad cōferendam gratiam sanctificantem; & ideò quoties Scriptura Sacra loquitur de missione alicuius Personæ Diuinæ, hunc effectum communiter, adiungit, vt Ioan. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Secundariò verò ad omnes alios effectus, quos Persona Diuina missa potest variè, & multipliciter in creatura operari; & ideò hæc missio Diuina requirit mutationem in creatura, cùm ipsa Persona Diuina mutari non possit, ac proinde requirit aliquem effectum in ea. Vnde si nullus effectus temporalis ponatur, non mittitur Diuina Persona. Et hæc de inscrutabili Sanctissimæ Trinitatis mysterio, Deo concedente dicta sufficiant.

QVÆSTIO

De Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

VPersonis Diuinissimæ Triniatatis lumen naturale excedentis, in esse Personali per proprietates relatiuas cōstitutis; quarum Primæ nomen Principij, Patris, ingeniti; secundæ Filij, imaginis, & Verbi includentis respectum ad creaturas, ex cognitione omnis intelligibilis procedentis; Tertiæ nomen Spiritus Sancti attribuitur: qui à Patre, & Filio tanquàm vno principio procedit; & ideò ab ijsdem distinguitur: æqualitate, & similitudine, non vt relatione reali, sed rationis, ac ordine originis gaudentibus, vera & propriè dicta missio conueniat, nec ne?

CONCLVSIO I.

Persona verè, & propriè in Deo reperitur.

COROLLARIA.

I. *Formale significatum huius nominis Persona Diuina, non est secunda intentio, nec sola negatio communicabilitatis.*

II. *Ratio Personæ in Diuinis neq; spirationi actiuæ, neq; spiratori conuenit.*

III. *Neq; natura Diuina, neq; hic Deus, potest dici Persona.*

IV. *Etiam humanitati Christi, licet sit substantia indiuidua, & completa, non conuenit ratio Personæ.*

V. *In Diuinis non datur aliqua ratio Personæ, communis tribus Personis Diuinis secundùm rem; datur tamen ex nostro modo concipiendi.*

CONCLVSIO II.

Personæ Diuinæ in esse personali, constituuntur per proprietates relatiuas, tanquàm per principium intrinsecum, & formale.

COROLLARIA.

I. *Diuinæ Personæ constituuntur per proprietates relatiuas, non conceptu absoluto, sed relatiuo apprehensas.*

II. *In Diuinis proprietas, seu relatio Personalis, secundùm quod dicit esse in, constituit Personam vt est in se subsistens; prout verò dicit esse ad, constituit eandem, vt est Persona incommunicabilis.*

III. *Diuinæ Personæ, licet vt significantur per istam vocem Persona, concipiantur à nobis conceptu absoluto, & tanquàm hypostases absolutæ; tamen vt significantur per nomina propria, v. g. Pater, Filius, Spiritus Sanctus, concipiuntur conceptu relatiuo.*

IV. *In Diuinis Personis datur aliqua constitutio.*

V. *Hæc constitutio à parte rei in Diuinis, non est realis, sed virtualis.*

CONCLVSIO III

Personæ in Diuinis nec sunt plures, nec pauciores, sed tantùm tres.

COROLLARIA.

I. *Tres Personæ Diuinæ sunt realiter inter se distinctæ.*

II. *Tres Personæ Diuinæ sunt Deus.*

III. *Tres Personæ Diuinæ sunt vnus Deus.*

IV. *Tres Personæ Diuinæ possunt dici & vna res, & tres res diuerso respectu.*

V. *Tres Personæ Dininæ nullo modo dici possunt, tria indiuidua naturæ Diuinæ.*

CONCLVSIO IV.

Datur verè in Diuinis Sanctissima Trinitas.

COROLLARIA.

I. *Verè in abstracto dici potest, non solùm in Deo esse gloriosissimam Trinitatem Personarum, sed etiam Deum esse Trinitatem adorandam.*

II. *Non potest dici Trinitas est trina.*

III. *Licet in Deo non possit dici aliud, & aliud absolutè, v. g. Patrem esse aliud à Filio; tamen cum apto addito potest dici, dari in Deo aliud, & aliud; diuersum, & diuersum, v. g. quòd Pater sit aliud, & diuersum suppositum à Filio.*

IV. *Dictio exclusiua in Diuinis, scilicet terminus iste solus, quatenùs significat idem quod solitarius, non potest iungi termino essentiali, ita vt dicatur, Deus est solus.*

V. *In Diuinis dictio exclusiua, non excludit concomitantia subiectum.*

CONCLVSIO V.

Lumine naturali impossibile est, deuenire in notitiam mysterij Sanctissimæ Trinitatis, illudq; demonstrare seclusâ omni reuelatione.

COROLLARIA.

I. *Mysterium Sanctissimæ Trinitatis est supra rationem naturalem.*

II. *Non est contra aliquam veritatem*

naturalem, tres personas esse vnius essentiæ.

III. Solo lumine naturali non possumus demonstrare, mysterium Trinitatis esse rem possibilem.

IV. Fidem Catholicam quoad mysterium Trinitatis, nec possumus, nec debemus rationibus naturalibus persuadere.

V. Suppositâ tamen reuelatione de mysterio Trinitatis, possumus illud illustrare varijs exemplis, & similitudinibus, quæ ad infirmitatem ingenij humani sint accommodata.

CONCLVSIO VI.

Nomen principij sumptum notionaliter, est proprium primæ Personæ respectu duarum Personarum ad intra; respectu verò Spiritus Sancti, est commune.

COROLLARIA.

I. Licet Pater ad intra sit principium Filij, & Spiritus Sancti; non debet tamen concedi, quòd sit causa illorum.

II. Pater verè dicitur esse Author Filij, & Spiritus Sancti.

III. Licet Pater sit principium cæterarum Personarum; aliæ tamen Personæ non possunt dici principiatæ, si per hoc designetur, quòd sint factæ.

IV. Ex eo, quòd Pater sit principium Diuinarum Personarum, propriè dici non potest, quòd sit principium totius Deitatis.

V. Ratio principij principaliùs dicitur de Patre respectu Diuinarum Personarum; quàm respectu creaturarum.

CONCLVSIO VII.

Nomen istud Pater personaliter sumptum, est proprium primæ Personæ in Diuinis.

COROLLARIA.

I. Hoc nomen Pater priùs dicitur in Diuinis; quatenùs sumitur notionaliter; quàm quatenùs sumitur essentialiter.

II. Nomen istud Pater comparatione rerum creatarum, non dicitur propriè, de Deo, sed metaphoricè, & in translatitia significatione.

III. Deus perfectiùs dicitur Pater creaturarum rationalium; quam irrationalium.

IV. Illi qui habent gratiam sanctificantem, perfectiùs dicuntur Filij Dei, & Deus perfectiùs dicitur illorum Pater.

V. Nomen istud Pater notionaliter sumptum perfectiùs conuenit primæ personæ; quàm sumptum essentialiter.

CONCLVSIO VIII.

Verbum in Diuinis propriè, & strictè loquendo, est nomen personale proprium Filij.

COROLLARIA.

I. Verbum in Diuinis dicitur interdùm essentialiter, sed impropriè, & metaphoricè.

II. Esse Verbum, conuenit secundæ personæ ab æterno.

III. De ratione Verbi est, esse verè productum intelligendo.

IV. Verum est dicere, Pater dicit Verbum: similiter Pater Verbo dicit se, & creaturas.

V. Quandò Sanctus Basilius Spiritum Sanctum vocat Verbum Filij, sumit Verbum impropriè, pro eo, quod procedit, licet non per generationem.

CONCLOSIO IX.

Verbum Diuinum includit respectum ad creaturas.

COROLLARIA.

I. Iste respectus non est realis, sed rationis.

II. Verbum Diuinum differt à Verbo mentis nostræ in repræsentatione.

III. Verbum Diuinum eius quod in Patre est, solum est expressiuum; creaturarum verò & expressiuum, & operatiuum.

IV. Id per quod Verbum repræsentat creaturas, non est personalis proprietas,

sed Diuina essentia, & consequenter est ratio respectûs ad creaturas Verbo.

V. Licet omnes, & singulæ personæ, ratione Diuinæ essentiæ sibi communis, possint dici repræsentare creaturas; Verbum tamen peculiari quadam ratione eas respicit, & repræsentat.

CONCLVSIO X.

Verbum Diuinum procedit ex cognitione omnis intelligibilis, id est, Diuinæ Essentiæ, attributorum eius, trium Personarum Diuinarum, ac creaturarum possibilium.

COROLLARIA.

I. Ad productionem Verbi Diuini requiritur, vt Pater etiam seipsum cognoscat, id est, vt non solùm cognoscat Diuinam naturam, sed etiam suam personalitatem.

II. Ad productionem Verbi requiritur etiam notitia aliarum personarum, nimirùm ipsiusmet Verbi, & Spiritus Sancti.

III. Si cognitio ex qua procedit Verbum, non esset cognitio creaturarum possibilium, tunc illa cognitio non esset infinitè perfecta.

IV. Cognitio ex qua procedit Verbum Diuinum, respectu Diuinarum personarum est intuitiua.

V. Verbum Diuinum non procedit ex cognitione intuitiua creaturarum, neque ex notitia intuitiua Decretorum Diuinorum de earum productione.

CONCLVSIO XI.

Imago in Diuinis est nomen Personale soli Filio proprium.

COROLLARIA.

I. Filius in Diuinis est naturalis imago Patris.

II. Ratio imaginis in Diuinis, non petitur à sola Diuina natura, neque à sola relatione Filiationis, sed ab vtroque simul sumpto.

III. In secunda Trinitatis Persona, ex eodem capite petitur, quòd sit Filius, quòd sit Verbum, & quòd sit imago.

IV. Hæc tria nomina, Filius, Verbum, & imago, secundæ Personæ non sunt synonyma.

V. Spiritui Sancto non conuenit ratio imaginis.

CONCLVSIO XII.

Nomen Spiritus Sancti incomplexè sumptum, ex accommodatione Scripturæ, & Ecclesiæ Sanctæ, vsurpatur ad significandam solam tertiam Sanctissimæ Trinitatis Personam, transitque in nomen illi proprium.

COROLLARIA.

I. Tertia Trinitatis Persona, ex eo dicitur Spiritus, quia procedit per modum impulsus; & spirationis.

II. Tertia Sanctissimæ Trinitatis Persona, ex eò dicitur Spiritus Sanctus, quia procedit vt amor purissimus, & mundissimus, per operationem voluntatis.

III. Tertia in Trinitate Persona non habet nomen proprium in rigore loquendo.

IV. Spiritus Sanctus est verus Deus Patri, ac Filio consubstantialis.

V. Tertia Sanctissimæ Trinitatis Persona, rectè etiam appellatur donum, quod ei Personali proprietate competit.

CONCLVSIO XIII.

Spiritus Sanctus non tantùm à Patre, sed etiam à Filio procedit.

COROLLARIA.

I. Filius non producit Spiritum Sanctum vna cum Patre, ex aliqua indigentia, & imperfectione.

II. Græci qui à Latina Ecclesia dissentire videntur, circa processionem Spiritus Sancti, solis verbis differunt.

III. Spiritus Sanctus immediatè, & æque principaliter procedit tàm à Patre, quàm à Filio.

IV. Quando Christus in Euangelio loquens

quens de principio Spiritus Sancti, solum Patrem nominat dicens: Spiritus qui à Patre procedit, per hoc non excludit seipsum quasi non sit idem principium cum Patre, productiuum ipsius, vt falsò aliqui Græcorum opinantur.

V. Per hoc, quod in symbolo Concilij Nicæni Spiritus Sanctus solùm à Patre procedere dicatur, non excluditur Filius à ratione principij productiui Spiritus Sancti.

CONCLUSIO XIV.

Si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non distingueretur ab illo.

COROLLARIA.

I. Dato quod Pater non produceret immediatè Spiritum Sanctum, tunc neq; Pater futurus esset eadem numero Persona, quæ nunc est, neq; Spiritus Sanctus futurus esset idem, qui nunc est.

II. Spiritus Sanctus necessariò postulat procedere etiam à Filio.

III. In Diuinis non est possibilis vlla distinctio realis, nisi inter ea, quæ relatiuè opponuntur.

IV. Relatio spirationis actiuæ, pertinet ad rationem Personalem Patris, & Filij; non tamen illis aduenit perfectè constitutis, sed solùm quatenùs à nobis concipiuntur incompletè.

V. Licet ratio spiratoris, sit de ratione Patris, & Filij; non est tamen ratio vltimò constitutiua illorum, quamuis verè spectet ad eorum constitutionem.

CONCLVSIO XV.

Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium.

COROLLARIA.

I. Hæc propositio, Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium, est conformis Sanctis Patribus, & Concilijs.

II. Si in Patre, & Filio spectemus vim spiratiuam, quâ producunt Spiritum Sanctum, tunc Spiritus Sanctus procedit ab vtroq; immediatè, & non à Patre per Filium.

III. Si consideremus Patrem, tanquàm primam Deitatis Personam, à qua ordine quodam originis procedunt aliæ duæ Personæ, nimirùm Filius & Spiritus Sanctus, tunc dici potest Spiritum Sanctum procedere à Patre mediante Filio.

IV. Licet istam propositionem, Spiritus Sanctus est à Filio per Patrem, Durandus, & Torres admittant, in hoc sensu, videlicet per virtutem acceptam à Patre; veriùs tamen eam negat Sanctus Thomas.

V. Licet istam propositionem, Spiritus Sanctus est principaliter à Patre, concedat D. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 17. & 26. in hoc sensu, quod Pater à se habeat, vt producat Spiritum Sanctum; Filius verò non à se, sed à Patre id acceperit per generationem. Similiter S. Thomas 1. p. qu. 36. art. 3. ad 2. nunquàm tamen concedendum est, Spiritum Sanctum minùs principaliter procedere à Filio, aut minùs propriè.

CONCLVSIO XVI.

Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti.

COROLLARIA.

I. Ad hoc, vt producatur Spiritus Sanctus, realiter, & Personaliter distinctus à Patre, & Filio, per se requiritur pluralitas suppositorum, id est Patris, & Filij, in principio productiuo, tanquàm conditio, sine qua non produceretur talis.

II. Si tamen consideremus processionem Spiritus Sancti in genere, quòd videlicet procedat in genere tanquàm terminus voluntatis, & per modum amoris, tunc non postulat ab intrinseco, & ratione termini duo supposita concurrentia ad eius productionem.

III. Pater & Filius possunt dici, & defacto sunt duo spirantes, adiectiuè sumendo; non tamen dici potest, esse

esse duos spiratores, sed vnus spirator.

IV. Pater, & Filius, non spirant vt duæ Personæ, particulam vt reduplicatiuè sumendo.

V. Virtus spiratiua, & actus spirandi, est priùs origine in Patre, quàm in Filio.

CONCLVSIO XVII.

Æqualitas, & similitudo, dantur in Diuinis: seu quod idem est, Diuinæ Personæ sunt sibi inuicem æquales.

COROLLARIA.

I. Personæ Diuinæ sunt æquales in duratione, seu quod idem est, Persona procedens est coæterna suo principio, v.g. Filius Patri.

II. Personæ Diuinæ sunt æquales secundùm magnitudinem, id est, quoad perfectionem naturæ.

III. Personæ Diuinæ sunt æquales in virtute, & potentiâ agendi.

IV. Ex eo, quòd Filius non generet, non sequitur Filium non habere potentiam generatiuam, quam habet Pater, eumq; non esse Patri æqualem secundùm potentiam, loquendo de potentia productiua Personarum.

V. Personæ Diuinæ sunt in se inuicem.

CONCLVSIO XVIII.

Relatio æqualitatis, & similitudinis in Diuinis, non est relatio realis, sed rationis.

COROLLARIA.

I. In Diuinis Personis non datur relatio realis æqualitatis, aut similitudinis, fundata in proprietatibus Personalibus, & virtualiter distincta à relationibus originis.

II. Etiam admissâ sententiâ, quæ docet, Relationes perfectionem relatiuam Essentiæ superaddere, non potest admitti inter Personas Diuinas relatio æqualitatis, aut similitudinis, fundata in proprietatibus personalibus.

III. Ex eo, quòd Personæ Diuinæ dicantur realiter æqualis perfectionis, non sequitur relationem æqualitatis inter Personas Diuinas esse realem.

IV. Licet Personæ Diuinæ ab æterno sint, & dicantur æquales, nulla ratione existente; non est tamen superflua relatio æqualitatis.

V. Quando æqualitas Diuinarum Personarum adoratur ab Ecclesia Sancta adoratione latriæ, id non est intelligendum de æqualitate formaliter sumptâ, & prout relationem importat, sed de æqualitate fundamentaliter acceptâ, & prout dicit vnitatem magnitudinis cum negatione excessus.

CONCLVSIO XIX.

In Diuinis Personis est ordo originis, qui in hoc consistit, quòd vna Persona sit ab alia.

COROLLARIA.

I. Ordo iste originis, qui est inter Personas Diuinas, rectè appellatur ordo naturæ, cùm non sit liber, sed naturalis.

II. Licet inter Patrem, & Filium, sit ordo originis eius à quo alius, & qui ab alio; non est tamen prioritas aliqua ex natura rei.

III. Sicut in Diuinis Pater v.g. ex natura rei non est prior Filio; ita neq; nostro modo intelligendi est prior.

IV. Licet in Diuinis neq; Pater sit prior Filio, neq; spirator Spiritu Sancto, tàm ex natura rei, quàm nostro modo intelligendi; tamen Pater vt Pater, & Filius vt Filius, sunt priores spiratore, & consequenter Spiritu Sancto nostro modo intelligendi cum fundamento in re.

V. Quando enumeramus Diuinas Personas, quòd Pater sit prima Persona, Filius secunda, Spiritus Sanctus tertia, tunc in ista enumeratione solùm est ordo originis; non autem prioritatis.

CON-

CONCLVSIO XX.

Missio Diuinis Personis conuenit.

COROLLARIA.

I. Missio Diuinarum Personarum sic describi potest: Missio est processio originis à mittente, cum nouo modo existendi in alio.

II. Vna Persona Diuina non potest seipsam mittere, licet possit seipsam dare.

III. In Diuinis ex missione non potest colligi inæqualitas Personæ, quæ mittitur, respectu eius, quæ mittit.

IV. Licet missio Diuina includat æternam originem; absolutè tamen dici debet temporalis.

V. Ad hanc Diuinam missionem requiritur mutatio in creatura, ac proinde requiritur aliquis effectus in ea.

CONCLVSIO XXI.

In Diuinis non quælibet Persona mittitur, sed solum illa quæ procedit ab alia.

COROLLARIA.

I. Licet Pater in Diuinis nunquàm dicatur mitti, potest tamen verè dici venire.

II. Vna Persona Diuina missione visibili potest mitti sine alia, v. g. Filius sine Spiritu Sancto, & hic sine illo.

III. Missio inuisibilis Diuinæ Personæ, solum fit per gratiam sanctificantem.

IV. In missione inuisibili vna Persona Diuina non potest mitti sine alia.

V. Licet interdum fiat, vt dum Persona aliqua Diuina mittitur visibiliter, mittatur etiam simul inuisibiliter per collationem gratiæ; id tamen non semper fit.

TRACTATVS VII.

De Angelis.

POst explicationem mysterij Sanctissimæ Trinitatis, missis illis, quæ circa productionem creaturarum, earumque emanationem à Deo, tractari ab aliquibus Theologis solent, agit Sanctus Thomas de Angelis 1. p. à q. 50. ad 65. & à 106. vsq; ad 114. Quem tractatum nos ad 10. disputationes reuocabimus. *Prima* erit de existentia, & substantiâ Angelorum secundùm se. *Altera*, de comparatione Angelorum ad corpora, & loca. *Tertia* de motu locali Angelorum. *Quarta* de quidditate, & medio cognitionis Angelicæ. *Quinta* de obiecto, & modo cognitionis Angelicæ. *Sexta* de Dilectione, & perfectione Angelorum. *Septima*, de malitia Angelorum quoad culpam. *Octaua*, de pœna Dæmonum. *Nona*, de illuminatione, & locutione Angelorum. *Decima*, de Hierarchijs, ordinibus, & ministerio Angelorum.

DISPVTATIO I.

De existentia, & substantia Angelorum secundùm se.

EXistentiam, & substantiam Angelorum inuestigant Magister sententiarum in 2. dist. 2. & D. Augustinus lib. 11. de ciuitate Dei, à cap. 14. vsque ad 25. & lib. 12. per multa capita.

QVÆSTIO I.

An in rei veritate dentur Angeli in rerum natura.

Nomen Angelus quid significet.

SUppono vocem hanc *Angelus*, si nominis etymologiam spectem, non esse nomen naturæ, sed officij, vt docet Sanctus Ambrosius in cap. 1. ad Hebr. vbi exponens illud; *qui facit Angelos suos spiritus*, sic dicit: *Si naturæ nomen quæris, spiritus est, si nomen quæris officij, Angelus est.* Communiter tamen istud nomen vsurpatur à Theologis, & Sanctis Patribus, ad designandas spirituales substantias, iuxta illud ad Hebr. 1. *Omnes sunt ministratorij Spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Quibus verbis ostenditur, Angelos

Angelos esse ministros Dei, nuntios designatos à Deo, ad nostræ salutis officia gerenda. Hinc vox ista *Angelus* etiam hominibus interdùm attribui solet. Sic Christus Matthæi 11. Ioanuem Baptistã Angelum appellauit, eò quòd fuerit designatus præcursor ipsius. Et ipsemet Christus Isaiæ 9. dicitur, *magni consilij Angelus*, id est, nuntius. Porrò antiqui Philosophi, creaturas spirituales, de quibus in præsenti, non vocabant Angelos, sed intelligentias, & substantias separatas, vt constat ex 8. Physic. & 12 Metaphysic. Platonici verò Angelos inferiores appellabant *Dæmones* id est, *scientes*; superiores verò Deos nuncupabant, conformiter ad illud Psal. 49. *Deus Deorum Dominus*, id est, Angelorum.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Dantur in rei veritate Angeli.

COnclusio. Dantur in rei veritate Angeli. *Probatur* I. ex Scriptura Sacra, Genes. 3. *Collocauit Dominus ante paradisum voluptatis Cherubim ad custodiendam viam ligni vitæ.* Et cap. 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere.* Et cap. 22. *Angelus Domini de cælo clamauit dicens: Abraham, Abraham.* Et cap. 25. *Vidit Iacob scalam, & Angelos Dei descendentes, & ascendentes per eam.* Et Exodi 23. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via.* Et Psal. 8. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis.* Ergo iuxta Scripturam Sacram, dantur Angeli in rerum natura, quod expressè docet Sanctus Gregorius homil. 34. in Euangelia, his verbis: Angelos, & Archangelos penè omnes sacri eloquij paginæ testantur.

Probatur II. *ratione.* Ordo vniuersi postulat, vt in eo sint substantiæ quædam purè intellectuales, quas vocamus Angelos: ergo de facto dantur Angeli in rerum natura. *Consequentia manifesta. Antecedens probatur.* Perfectio effectus consistit in assimilatione ad causam in ea ratione, & perfectione, secundùm quam causa est: quoniam omne agens intendit sibi simile. Sed Deus cùm sit naturæ purè intellectualis, solùm agit per intellectum, & voluntatem: ergo ordo vniuersi postulat, vt in aliqua sui parte Deo secundùm hanc rationem assimiletur, & consequenter vt in eo sint substantiæ aliquæ purè intellectuales, siue intellectu, & voluntate præditæ, id est Angeli. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Angeli definitio.

Corollarium I. Angelus potest sic definiri: *Est spiritus substantialis completus, creatus, non vnibilis corpori per modum formæ suæ materiæ.* *Ratio*: quia per priora tria verba, conuenit cum Deo, per quartum cum homine, per reliqua differt ab vtroque, & præsertim ab anima humanâ.

Angelus est spiritus purè substantialis.

Corollarium II. Angelus est Spiritus purè substantialis. Est contra Platonicos docentes, Angelũ habere corpus modo aëreum, & ideò vocari potestates aëreas; modò igneum, & ideò dici spiritus igneos, infernalesq; colonos. Et *ratio corollarij est*: quia Angelus est immaterialis, id est, non compositus ex materia, & formâ, quod facilè ex eo colligitur, quia nullas habet operationes corporeas, sibi intrinsecè debitas.

Angeli creati sunt à Deo simul cum mundo corporeo.

Corollarium III. Angeli creati sunt à Deo, idque simul cum hoc mundo corporeo, & sensibili. Ita Scriptura Sacra Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram, &c. dixitq; Deus, fiat lux.* vbi nomine *cæli*, ac *lucis*, Sanctus Augustinus lib. 11. de ciuitate Dei, cap. 9. Et Sanctus Gregorius lib. 27. moral: cap: 25. intelligunt Angelos. Et Exodi 20. v. 11. dicitur: *Sex diebus fecit Deus cælum & terram, &* mare

mare, & omnia quæ in eis sunt. Sed Angeli sunt in mundo, & in cælo: ergo intra spatium illorum sex dierum à Deo conditi sunt. Idem docet Concilium Lateran. cap. 1 his verbis: *Deus simul ab initio temporis, vtramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corpoream, Angelicam scilicet, & mundanam.* Ex quò loco probabiliter potest concludi, Angelos statim in ipso mundi corporei initio, id est, prima die creationis conditos esse, quod clarè indicat Concilium Lateran: citatum: & Scriptura Sacra Iob. 38. vbi dicitur, quòd cùm Deus appenderet fundamenta terræ, laudabant eum astra matutina, & iubilabant omnes filij Dei in Hebræo legitur; *Omnes Angeli Dei.* Chaldæi vertunt: *Omnes cætus Angelici.* Per quod Sacra Scriptura indicat, Angelos initio statim creationis mundi conditos fuisse.

Angeli creati sunt in cælo Empyreo.

Corollarium IV. Angeli creati sunt in cælo empyreo. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 61. ar. 4. quod ex eo deducit, quia Angeli in principio creationis, id est, prima statim die creati sunt; iam autē prima die solùm fuit creatum cælum empyreum: nam vt habetur Genes: 1. secunda die factum est firmamentum, & quarto die stellæ ac luminaria in eo collocata: ergo Angeli non in cælo sydereo, seu Firmamento, sed in empyreo creati sunt. Vnde Strabo super illa verba Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram*, ita scribit: *Cælum non visibile firmamentum hic appellat, sed empyreum, id est, igneum, vel intellectuale, quod non ab ardore, sed à splendore dicitur, quod statim factum Angelis est repletum.* Et *ratio corollarij est*: quia Angeli sunt pars nobilissima vniuersi, creatiq; sunt, vt toti naturæ corporeæ præsiderent, proinde congruum erat, vt in loco omnium nobilissimo, ac supremo crearentur: cùm locus semper dignitati locati respondeat, hinc & ipsa corpora, quantò nobiliora sunt, tantò superiorem locum obtinent. Sed non est locus in toto vniuerso nobilior, ac superior cælo empyreo: ergo cōueniens fuit, vt in illo Angeli crearentur.

Angeli propter quatuor fines creati sunt.

Corollarium V. Angeli propter quatuor potissimùm fines creati sunt. *Primo*, ad laudandum Deum, propter quod à Platone *Syrenes* appellantur, à Sancto Bernardo *Cæli Cantores*; à Sancto Gregorio, *Diuinarum laudum præcones*; à Zoara *volucres cæli, quæ perpetuo cantu Diuinas laudes celebrant.* Hinc S. Athanasius Angelū ita describit: *Est hymnus indesinens, & laus irrequiescens magnificentiæ Dei.* Secundò, ad regendum mundum hunc corporeum, & præsidendum creaturæ corporali: quia vt docet Sanctus Thomas 1. p. q 113. ar. 1. prouidentia Diuina solet regere inferiora per superiora, & corporea, per spiritualia. Hinc Angeli vocantur, mundi rectores, ac Diuinæ prouidentiæ administri, dicunturq; portare orbem, Iob 9. *Deus cuius iræ nemo resistit, sub quo curuantur, qui portant orbem.* Tertiò, ad opitulandum hominibus, eosque regendos, & custodiendos, iuxta illud ad Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Quartò idq; specialiter ad consequendam æternam beatitudinem. Vnde à Sancto Augustino lib. 11. de ciuit. cap. 9. Angeli dicuntur cælestis Hierusalem magna pars, & eò beatior, quod nunquàm peregrinata.

ARTICVLVS II

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem*, Moyses exactissimè describens rerum omnium creationem, nullam fecit mentionem productionis Angelorum: ergo existentia Angelorum ex Scriptura Sacra deduci non

Solutio eiusdem.

potest. *Respondetur concesso antecedente negatur consequentia.* Moyses enim describendo creationem rerum, ideò nullam fecit mentionem productionis Angelorū, quia id sui instituti ratio non postulabat, propterea, quia vt docet S. Hieronymus epist: 139. Moyses non nisi voluit ordinem creationis rerum corporalium describere, eò quòd illa series, & varietas dierum, quam præcisè Moyses intendebat explicare in Genesi, solùm in rebus corporeis creandis fuerit.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. Gradus intellectiuus reperitur in homine secundum animam: ergo ordo vniuersi non postulat, vt in eo, præter hominem, sint aliquæ substantiæ purè intellectuales, vti sunt Angeli. *Respondetur, transeat antecedens, negatur consequentia*: gradus enim intellectiu' ab anima rationali valdè imperfectè participatur: eò quòd licet illa spiritualis sit quoad substantiā; est tamen corporea quoad modum, vt potè forma corporis, & in operatione intellectiui à sensibus, & phantasmatibus dependens. Iam verò non conuenit perfectioni, & pulchritudini vniuersi, quòd alij gradus inferiores perfecti, & completi sint; omnium autem supremus ac nobilissimus, imperfectus, & incompletus relinquatur. Vnde sicut in rerum natura datur vnum extremum, omninò materiale, sicut lapis; & datur aliquid medio modo se habens, vt homo, qui partim est corporeus, partim spiritualis; ita necesse est, dari aliud extremum, videlicet substantiam purè intellectualem, quæ Angelus, aut intelligentia dici solet.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* II. Angeli mali, seu Diaboli delectantur nidoribus, locis humidis, timent gladios, galli cantum, suffocantur herbarum suffimentis, aut piscium iecore, vt ille apud Tobiam. Non possunt claudi nisi concauis annulis, tanquàm corporei: ergo non sunt spiritus purè spirituales.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam: non enim delectantur nidoribus, aut humiditatibus secundùm se, sed vt signis magicis, cultum sibi Diuinitatis exhibentibus, aut signis moralibus carnalitatum, aliarumque vitiositatum. Similiter gladios, & gallos, fictè timent diaboli, vt nimirùm hoc stratagemate imponant credulis, persuadeantq; facilem vsum variarum superstitionum, contra se cum offensa Dei vsurpandarum. Similiter piscis Tobiæ aut moraliter fugauit diabolum, sicut modò cera benedicta, vel alia pia amuleta fugant: aut certè physicè profuit complexioni hominis obsessi, benè illam afficiendo, vt eâ diabolus vti non potuerit, atq; sic indirectè pulsus fuerit. Insuper quando Paredri, seu inclusi diaboli clauduntur concauis annulis, id simulatè faciunt, vt sic persuadeant se esse corporeos, facileq; illudant credulis.

Obiectio quinta.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium* IV. Angeli creati sunt in cælo sydereo: ergo non in Empyreo. *Antecedens probatur tripliciter. Primò*, quia sicut homo non fuit creatus in Paradiso terrestri, sed extra illum, & postea in ipsum translatus est; ita Angeli non debuerunt creari in loco proprio suæ beatitudinis, qui est veluti supernaturalis paradisus, sed extra illū, vt postea iuxta sua merita in ipsum transferrentur. *Secundò*, quia ad dignitatem cæli empyrei pertinet, vt semper fuerit ab omni labe peccati purissimum: si autem Angeli in illo fuissent creati, etiam in illo peccasent. *Tertiò*, quia Isaiæ 14. de Lucifero dicitur: *Ascendam in cælum, & similis ero Altissimo*; si autem in cælo empyreo creatus fuisset, non desiderasset illuc ascendere.

Respon-

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando antecedens. Ad primam eius probationem, negatur paritas: nam Paradiſus terreſtris fuit locus congruus habitationi humanæ, quantum ad incorruptionem primi ſtatus, quæ incorruptio non erat hominis ſecundum naturam, ſed ex ſupernaturali Dei dono; proinde vt hoc gratiæ Dei imputaretur, non humanæ naturæ, Deus hominem extra paradiſum fecit, & poſtea ipſum in paradiſo poſuit. At verò cælum empyreum eſt locus congruus Angelis quantum ad illorum naturam, ideoq; ibi creati ſunt. *Ad II. probationem dicitur*, talem locum corpereum, cuiuſmodi eſt cælum empyreum, peccato ſpirituali, quale fuit peccatum delinquentium Angelorum, non coinquinari: & ſic nullum eſt inconueniens, quòd Angeli in empyreo cælo peccauerint, ex illoq; ad infernum detruſi ſint. *Ad III. probationem dicitur*, illa verba Luciferi: *Aſcendam in cælum*, non debere intelligi de cælo aliquo corporeo, ſed de cælo Sanctiſſimæ Trinitatis, in quod Angelus peccans aſcendere voluit, exoptans aliquo modo ipſi Deo æquiparari, vt indicant illa verba: *& ero ſimilis Altiſſimo.* Ita locum citatum exponit S. Thomas 1. p. q. 61. ar. 4. ad 3.

QVÆSTIO II.

An Angeli ſint omninò incorporei.

SUppono *incorporeũ* in titulo quæſtionis ſumi, quatenus diſtinguitur contra extenſum tam per ſe, quàm per accidens, cuiuſmodi eſt omne id, quod habet partem extra partem. Vnde quia formæ brutorum perfectorum, licet ſint indiuiſibiles, neq; partem habeant extra partem, nihilominùs ſunt formæ corporis, & quoad omnes ſuas potentias, atq; operationes ſunt corporeæ, eò quod omnes in organo corporeo reſideant, ſintq; in eo extenſæ. Similiter quia etiam animus humanus, licet ſit indiuiſibilis, & quoad aliquas ſuas potentias, ac operationes à corpore, tãquàm à ſubiecto non pendeat; eſt tamen forma corporis, & quoad multas alias functiones reſidet in organo corporeo, in quo illas habet extenſas; ideoq; aliqua ex parte, & aliqua ratione corporeus dicitur. Proinde ad excludendum etiam hunc modum corporei, in titulo quæſtionis additur illa particula *omninò*, vt ſenſus quæſtionis ſit, An Angeli ita ſint ſubſtantiæ purè, ac ſimpliciter ſpirituales, vt nihil penitùs in ſua entitate corporeum, & materiale includant.

Opiniones duæ.

Angelos itaq; eſſe corporeos, ſenſerunt olim Platonici, teſte D. Auguſtino lib. 8. de Ciuit cap. 14. exiſtimantes Angelos conſtare tenui aliquo corpore, & mente, aut certe habere tenuiſſima corpora, naturaliter ſibi vnita, ſine quibus eſſe non poſſent. Imò etiam ex Sanctis Patribus huic errori non pauci adhæſerant, vt Tertullianus lib. de carne Chriſti, Origenes lib. 2. Periarchon, Irenæus, Hilarius, Ambroſius, & Gregorius. Cæterùm vera, & communis Theologorum ſententia docet, Angelos eſſe ſubſtantias ſpirituales completas, omni corpore carentes, etiam tanquam parte.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur quæſtio.

Angeli ſunt omninò incorporei & immateriales.

COncluſio, Angeli ſunt omninò incorporei, & immateriales. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, quæ Angelos paſſim vocat Spiritus, vt Matth. 8. *Eijciebat Spiritus verbo.* Et cap. 12. *Cum autem immundus Spiritus exierit ab homine.* Et ad Hebr. 11. *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus.* Et Apocal. 1. fit mẽtio ſeptem Spirtuum, qui in conſpectu throni Dei ſunt. Et in Euangelijs Dæmones communiter vocantur Spiritus immundi. Sed nomen *Spiritus* in Scri-

in Scriptura Sacra, cùm ſubſtantiæ intelligenti tribuatur, non niſi rem incorpoream ſignificare ſolet, quo ſenſu apud Sanctũ Ioannẽ dicitur: *Spiritus eſt Deus.* Ergo Angeli ex mente Scripturæ Sacræ, ſunt omninò incorporei, & immateriales.

Probatur II. ex Concilio Lateran. cap. Firmiter de ſumma Trinitate, vbi hæc verba ponuntur: *Vnum eſt vniuerſorum principium, creator omnium inuiſibilium, & viſibilium, ſpiritualium, & comparalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis, vtramq; de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam.* Vbi Concilium I. aſſerit, Angelos eſſe ſpiritus; ſicut anima hominis eſt ſpiritus. Sed anima hominis eſt omninò incorporea, & immaterialis, ac ſpiritualis, vt definitum eſt in alio Concilio Lateran. ſub LEONE X. Ergo Angeli ſunt omninò incorporei, & ſpirituales. Deinde dicit Concilium, hominem eſſe ſubſtantiam mediam, & communem, inter Angelicam, & corporalem creaturam, eò quòd homo conſtet ſpiritu, & corpore: ergo Angeli, qui non ſunt medij inter ſpiritualem, & corporalem ſubſtantiam, non conſtant corpore, & animâ.

Probatur III. ex Sanctis Patribus. *In primis* S. Ignatius Martyr in epiſt. ad Tral. Angelos vocat *incorporeas naturas.* Sanctus Gregorius Nyſſenus lib. 12. contra Eunomium, vocat *incorporeas creaturas.* Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 24. vocat *intelligibiles, & incorporeas ſubſtantias.* Sanctus Dionyſius de Diuinis nomin. cap. 4. vocat *incorporales, intelligibiles, ſpiritaleſq; ſubſtantias, omni materia carentes.* Et cap. 1. de Cæleſti Hierarchia, vocat *ſpiritus ſimplices, nullis figuris præditos.* Sanctus Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 3: vocat *ſubſtantias intelligentes, materiæ atq; corporis expertes.* Ergo Angeli iuxtà Sanctos Patres ſunt omninò incorporei. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Aſſerere Angelos eſſe corporeos, non eſt error in fide.

Corollarium I. Non eſt Hæreſis, aut error in fide, aſſerere Angelos eſſe corporeos; id tamen poſt Concilium Lateran. ſine temeritate doceri non poteſt. *Primam partem Corollarij*, docet Magiſter ſentent. in 2. diſt. 8 vbi non audet aliquam partem definire, videns hac de re varias Patrum ſententias. Et Sanctus Auguſtinus lib. 21. de Ciuit. cap. 10 vbi dicit: *Sunt Dæmonibus ſua quædam corpora, vt magnis Authoribus viſum eſt. Si quis autem nulla habere corpora Dæmones aſſerat, non eſt de hac re, aut operoſa inquiſitione laborandum, aut contentioſa diſputatione certandum.* Præterea, quia non eſt credibile, quòd tot ex Sanctis Patribus, qui Angelos corporeos eſſe aſſerebant, ita grauiter circa rem ad fidem pertinentem erraſſent. *Inſuper*, quia non habetur expreſſa determinatĩo Eccleſiæ, neq; vllus locus ſcripturæ ita apertus, quo poſſit conuinci, Angelos incorporeos eſſe. *Altera etiã pars corollarij patet*: quia Concilium Lateran. opponit, & diſtinguit Angelos ab omni ſubſtantia corporea; inter corporales autem ſubſtantias, ſunt aliqua corpora tenuia, & ſubtilia, aèrea, aut cæleſtia: ergo per hoc concilium oſtendit, Angelos omninò immateriales, & incorporeos eſſe, & ſic iam his temporibus oppoſitũ ſine temeritate doceri non poteſt.

Corollarium II. Quando Sanctus Damaſcenus lib. 2. Fidei cap. 3. dicit: Angelum eſſe incorporeum ratione noſtri, eſſe tamen corporeum, & materialem reſpectu Dei, per hoc non intendit Angelos eſſe corporeos *Ratio*: quia per hoc ſolùm oſtendere voluit, imma-

materialitatẽ & spiritualitatẽ Angeli, ita esse inferiorem spiritualitate Dei, vt cõparatione ipsius, ne Spiritus quidẽ videatur, vt expocit: nit S. Thomas I. p. q. 50. ar. I. vbi di- *Substantiæ incorporeæ medium sunt inter Deum, & creaturas corporeas; medium autem comparatum ad vnum extremum, videtur alterum extremum: & hac ratione dicitur, quòd Angeli Deo comparati; sunt materiales, & corporei.* Vnde etiam quando aliqui Sancti Patres, dicunt Angelos esse corporeos, corporeum accipiunt pro eo, quod certo loco definitur, & non est vbique, sed potest moueri: in quo sensu verum est Angxlos esse corporeas, id est, certo loco definitos. Alij per *corporeum*, intelligunt quamcunque substantiam compositam, & qualitatibus ornatam; in quo etiam sensu substantia Angelorũ corporea dici potest, cùm sit imbuta qualitatibus adiunctis, scilicet gratiâ infusâ, speciebus impressis, actibus suis, atq; sic ex substantia Angeli, & ornamentis, seu qualitatibus ei adiunctis, compositum aliquod accidentale resultet.

Ex apparitionib. Angelorum in figura humana non sequitur eos esse corporeos.

Corollarium III. Ex eo, quòd olim Angeli Patribus apparuerint in figura humana, vt Abrahamo, Tobiæ, non sequitur eos esse corporeos. *Ratio corollarij est:* quia ista apparitio facta fuit in assumptis corporibus, vt docet Sanctus Augustinus lib. 15. de Ciuit. cap. 23. Asserens, *Angelos apparuisse hominibus, in talibus corporibus, quæ non solum videri, verùm etiam tangi possent.* Nam licet Angeli sint omninò spirituales, neq; vlla habeant corpora sibi naturaliter vnita; possunt tamen assumere corpora, & illa mouere localiter, in eisq; se præbere visibiles, & cum hominibus loqui, ac conuersari: quamuis in corporibus illis assumptis opera vitæ corporeæ exercere nequeant. Quanam autem ratione Angeli corpora illa assumant, in quibus se præbeant visibiles, Tertullianus lib. de carne Christi, sentire videtur, ita corpus ab Angelo assumi, sicut assumptum fuit corpus humanum à Verbo Diuino, quod est absurdum: Aureolus verò asserit, Angelum vniri corpori, sicut formam materiæ, quod etiam est impossibile, cùm id, quod est ex se substantia completa, nequeat alterius substantiæ compositionem ingredi per modum formæ. Vera ergo & cõmunis sententia Theologorum est, Angelum corpus assumere, ipsiq; vniri, tanquàm motorem mobili, quod quidem corpus non ex nihilo, vt falso putabat Tertullianus, sed ex aëre, circumstante format, illum ita condensando, & temperando, quantum necesse est, ad suscipiendos varios colores, & figuras, vt patet in nubibus, ita vt aptus sit ad formationem assumendi corporis.

Angeli natura suâ incorruptibiles & immortales.

Corollarium IV. Angeli sunt naturâ suâ incorruptibiles, & immortales, ita vt licet possint a Deo annihilari, cùm illorum existentia à Deo eam liberè conseruante pendeat; nullâ tamen vi vllius agentis creati possint destrui, & annihilari, eò quòd nullâ materiâ constent, quæ est principium corruptionis, nihilq; in se habeant, aut extra se recipere possint, quod illorum substantiam purè spiritualem corrumpere, aut destruere possit. Et *ratio corollarij est:* quia in Concilio Lateran: sub LEONE X. sess: 8. definitum est, animam rationalem naturâ suâ immortalẽ esse & incorruptibilem. Sed Angeli sunt longè excellentioris naturæ: ergo id à fortiori de illis sentiendum est. Et hanc sententiam D. Augustin⁹ lib. de Ecclesiasticis dogmatib⁹, cap. 12. cum Sancto Dionysio, docent esse tanquàm veritatem catholicam.

Angeli nõ componuntur ex materia etiam spirituali.

Corollarium V. Angeli non componũtur ex materia etiam spirituali, quæ non sit subiecta quantitati. Est contra Alensem, Sanctum Bonauenturam, & Richardum. *Ratio corollarij:* quia materia quæcunque illa sit, recipiendo formam, contrahit eam, & limitat ad esse indiuiduale. At verò substantia purè intellectualis, nata est, recipere formas intelligibiles cum quadam amplitudine, & vniuersalitate, & vt abstractas à conditionibus indiuiduantibus; & sic materiam cuiusq; rationis, etiam spiritualem excludit.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Concilium Nicænum 2. Act. 5. approbauit sententiã Ioannis Episcopi Thessalonicensis, asserentis Angelos posse depingi: ergo per hoc declarauit Angelos esse corporeos.

Solutio eiusdem.

Respondetur concesso antecedente, negatur cõsequentia: Conciliũ enim citatum approbauit quidem, Angelos posse depingi, sed non ideò, quasi tenuerit corporeos esse; verùm ideò, quia frequenter apparuerunt hominibus in forma corporeâ. Et hoc clarè constat ex eo, quia Concilium illud congregatum fuit contra Iconoclastas, in eoq; quæsitum non de natura Angelorum, corporeine essent, an purè spirituales; sed an imagines Sanctorum, & Angelorum, rectè in Ecclesia pingi possent, & hoc solùm Tarasius Patriarcha, intendit qui Concilio præerat, scilicet Angelos specie corporali pingi posse, quod à Patribus illius Concilij approbatum est.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. Angeli mali aliquibus rebus corporeis fugantur: ergo sunt corporei. *Consequentia patet:* quia res corporeæ non possint agere in spiritus. *Antecedens probatur* I. ex illo Tobiæ 6. vbi Raphaël Angelus ad Tobiam dixit: *Si particulam cordis eius* (id est piscis, quem Tobias ceperat) *imponas super carbones, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere.* Deinde, ex illo I. Reg. 16. vbi ad melodiam Citharæ Dauid, spiritus malus dicitur recessisse à Saul.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concedendo Dæmones fugari aliquibus rebus corporeis, aut physicè tanquàm ab instrumentis Diuinæ virtutis: aut moraliter, quatenùs, illæ institutæ sunt à Deo ad aliquid sacrum significandum. Incensio igitur illa iecoris piscis apud Tobiam, non fugauit Dæmonem vi sua propriâ corporeâ, sed virtute Diuina, & propter misterium quod significabat: nam per eam figurabatur feruor orationis Tobiæ, & Saræ coniugis eius, aut mors Christi Domini in cruce charitate consumpti: cuius virtute omnia fugantur, aut ligantur dæmonia. Hinc in citato capite apud Tobiam dicitur: quando Tobias protulit partem iecoris, posuitque eam super carbones viuos, tunc *Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti.* Quantum ad musicam Dauidis, *dicitur*, Spiritum illum malum, canente Dauid, & pulsante citharam, recessisse virtute Diuina, aut propter hymnos illos, & Psalmos, quos canebat Dauid, qui erant verba sacra, ad quorum deprecationem virtus diuina fugabat dæmones: aut certè musica illa concurrebat indirectè ad hunc effectũ, mitigando tristitiã Regis, & tẽperando humorem melancholicum, quo mediante dæmon illum vexabat.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* I. Concilium Lateran. sub INNOCENTIO III. definiuit hanc veritatem, quòd Angeli sint incorporei, his verbis: *Deus omnium creator visibiliùm, & inuisibilium, spiritualium, & corporalium, qui simul ab initio temporis, vtramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam scilicet, & mundanam, ac deinde humanam quasi communem*

munem, ex ſpiritu, & corpore conſtitutam. Ergo aſſerere Angelos eſſe corporeos, eſt hæreſis, aut error in Fide. *Reſpondetur negando conſequentiam.* Poteſt enim dici, quòd Concilium intendebat definire, Deum eſſe authorem omniū, tàm eorum, quæ dicuntur corporalia: & viſibilia, cuiuſmodi ſunt, quæ corporeis oculis cernuntur; quàm etiam eorum, quæ vulgò dicuntur inuiſibilia, & ſpiritualia, quæ oculis corporeis non videntur; non tamen intendebat definire, quòd ratio ſpiritualitatis in creaturis conſiſtat in omnimoda carentiâ cuiuſlibet corporis, ſicut Deus dicitur Spiritus. Nam poſſunt dici inuiſibilia, quia carent colore, aut luce corporali; & ſpiritualia, quia non habent craſſitudinem, ſed ſubtilitatem inſenſibilem, ac corpoream: vnde dicit Sanctus Paulus, quia corpora noſtra reſurgent ſpiritualia.

Solutio eiuſdem.

Obiectio quarta.

Objicitur IV. *Contra Corollarium V.* Angeli non ſunt expertes omnis cōpoſitionis ſubſtantialis: ergo in illis admitti debet compoſitio ex materia ſpirituali. *Antecedens patet:* quia ſi ſubſtantia Angeli eſſet omnis compoſitionis expers, Angelus eſſet omninò ſimplex; quòd tamen dici omninò non poteſt, cùm ſimplicitas ſit attributum ſoli Deo conueniens. *Reſpondetur negando antecedens. Cuius etiam probatio negatur:* nam ſummæ ſimplicitati non ſolùm repugnat componi, ſed etiam componere: iam verò licet in eſſentia Angeli, nulla ſit realis compoſitio; ipſa tamen cum exiſtentia componit Angelum, cùm exiſtentia in omnibus rebus creatis, tàm ſpiritualibus, quàm corporeis, realiter diſtinguatur ab eſſentia, & conſequenter realem cum ea compoſitionem faciat. At verò materiam purè ſpiritualem dari implicat, eò quòd repugnet dari materiam, quæ ex ſe non ſit pura potentia in ratione ſubſtantiæ, vt docet Sanctus Thomas opuſculo 15. cap. 7. ſed materia purè ſpiritualis, non poteſt eſſe pura potentia in ratione ſubſtantiæ: ergo eam dari repugnat. *Maior manifeſta:* quia ſi daretur materia ſpiritualis, ex vi ſuæ ſpiritualitatis, eleuaretur non tantùm ſupra materiam corporalem, verùm etiam ſupra formas corporeas: quoniam eſſet ordinis ſuperioris ad eas: ergo cùm forma corporea ſit actus, & non pura potentia, materia ſpiritualis eam excedens, eſſet quoq; actus, imò plus haberet de actu, quàm quælibet forma corporea; entitas autem actualior, qualibet formâ corporeâ, non poteſt habere rationem puræ potentiæ.

Solutio eiuſdem.

Inſtabis. Subſtantia Angeli componitur ex genere, & differentiâ, cùm ſit finita, & terminis eſſentiæ terminata: ergo Angeli componuntur ex materia ſpirituali: *Conſequentia patet:* quia genus ſumitur à materia, ſicut differentia à forma. *Reſpondetur, conceſſo antecedente, negatur conſequentia: Ad eius probationem dicitur,* in ſubſtantijs materialibus genus ſumi à materia, tanquàm à prima radice, & differentiam à forma. At verò in ſubſtantijs ſpiritualibus, principium generis, & differentiæ, eſt ipſa eſſentia, vt habet rationem determinabilis, & determinati, ſeu prout magis diſtat ab exiſtentia, aut ad eam appropinquat.

Inſtantia & eius ſolutio.

QVÆSTIO III.

An Angeli ſpecie inter ſe differant.

Duplex eſt ſenſus propoſitæ quæſtionis. *Primus*, an de facto, & ſecundùm ordinem naturæ, plures Angeli in vna, & eadem ſpecie reperiantur. *Secundus*, an ſaltem de abſoluta potentia Dei, poſſint eſſe plures Angeli in eadem ſpecie ſpecialiſſima, aut ſubalterna.

Quæſtionis propoſitæ duplex ſenſus.

Circa quod duplex eſt Authorum ſententia.

Sententia triplex.

Prima affirmat, omnes Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero differre. Hanc tenet Sanctus Bonauentura in 2. ſent. diſt. 9. ar. vnico q. 1.

Altera cenſet, poſſe plures Angelos ſub eadem ſpecie ſolo numero multiplicari, & de facto nunc aliquos ita diſtingui. Hanc ſequitur Marſilius 2. ſent. q. 3. ar. 1. Gabriel ibid diſt. 3. q. 1. art. 2. concl. 2. & 3. Ferrarienſis 2. contra Gentes cap. 93. §. *ad hoc dicendum.* Scotus ibidem, q. 7.

Tertia ſententia docet, omnes & ſingulos Angelos ſpecie inter ſe differre, ſingulis Angelis exhaurientibus, & adæquantibus totam latitudinem ſuæ ſpeciei; ita vt etiam de potentia abſolutâ repugnet illos ſolo numero intra eandem ſpeciem multiplicari. Hanc defendit Sanctus Thomas, & communis Theologorum ſententia.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Omnes & ſinguli Angeli ſpecie inter ſe diſtinguuntur.

Concluſio. Omnes, & ſinguli Angeli de facto, ſpecie inter ſe diſtinguuntur. *Probatur I.* authoritate Sancti Dionyſij, qui de cæleſti Hierarch. capite 5. ita ſcribit: *Enuntiant Sanctorum voluminū traditiones, ſuperiores ſubſtantias eſſe graduum inter ſe celſitudine differentes.* Sed differentia gradualis ad minimum ſignificat differentiam ſpecificam, ſiquidem plura indiuidua ſolo numero differentia, non differunt inter ſe diuerſis gradibus, ſeu graduū celſitudine: ergo iuxta Sanctum Dionyſium, omnes, & ſinguli Angeli, ſpecie inter ſe diſtinguuntur.

Probatur II. *ratione.* In his, quæ ſunt vnius ſpeciei, non inuenitur prius, & poſterius, vt docet Ariſtoteles 3. Metaph. tex. 3. ſed in Angelis etiam vnius ordinis, ſunt primi, medij, & vltimi, teſte Sancto Dionyſio cæleſtis Hierarchiæ, cap. 4. Ergo omnes, & ſinguli Angeli ſpecie diſtinguuntur.

Probatur III. A natura ipſa ita comparatum eſt, vt rerum à corruptibilitate recedentium, ſpecies quoad fieri poteſt, in vno ſolùm indiuiduo conſeruentur, quod patet in ſole, Luna, Planetis, & alijs. Sed Angeli ſunt ab intrinſeco maximè recedentes à corruptibilitate: ergo appetunt conſeruari in vnico indiuiduo; & cōſequenter omnes, & ſinguli ſpecie inter ſe diſtinguuntur. Maior eſt Sancti Thomæ 2. contra Gent. cap. 97. vbi dicit: *Ad hoc ſunt plura indiuidua in vna ſpecie in rebus corruptibilibus, vt natura ſpeciei, quæ non poteſt conſeruari in vnico indiuiduo, conſeruetur in pluribus; vnde etiam in corporibus incorruptibilibus, non eſt niſi vnum indiuiduum in vna ſpecie: ſubſtantiæ autem ſeparatæ natura poteſt conſeruari in vno indiuiduo, eò quòd ſint incorruptibiles; non igitur oportet in illis ſubſtantijs eſſe plura indiuidua eiuſdem ſpeciei.* Minor etiam communiter ab omnibus ferè admittitur. Ergo omnes Angeli inter ſe ſpecie differunt. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Angeli non ſolo numero diſtinguuntur.

Corollarium I. Datur de facto in natura Angelica, ſpecifica diuerſitas, & conſequenter omnes Angeli non ſolo numero diſtinguuntur. *Ratio primi:* quia Deus eſt infinitus in ratione ſubſtantiæ ſpiritualis, ſicut & in omni alia perfectione: ergo in tali ratione eſt infinita varietate participabilis, ac imitabilis, & ſic ab vna ſpecie creata intellectualis ſubſtantiæ exhauriri, ſeu adæquatè participari non poteſt. *Præterea,* quia incredibile eſt in gradu vegetatiuo, tot ſpecies arborum, & Plantarum reperiri: ſimiliter tot genera animalium in gradu ſentiendi; in gradu

verò intellectuali, omnium ſupremo, ac nobiliſſimo, nullam dari diuerſitatē ſpecificam. Hinc ſtatim *ratio ſecundi patet:* nam cùm poſſibilis ſit diuerſitas ſpecifica Angelorum, vt potè ad pulchritudinem vniuerſi multum conducens, non eſt credibile Deum, qui tanta varietate ſpecierum materialiū mundum corporeum exornauit, vnicam ſolùm Angelorum ſpeciem in mundo ſpirituali, & intellactuali producere voluiſſe. *Deinde*, quia iuxta doctrinam Theologorum, Angeli receperunt gratiam ſecundùm capacitatem naturalium: ergo cùm tanta ſit in illis diuerſitas in gratia, ac in officijs, non poteſt negari, aliquos ſaltem eſſe ſpecie, ſeu naturâ diuerſos.

Angeli etiam de abſoluta potentia Dei intra eandem ſpeciē multiplicari nō poſſunt.

Corollarium II. Angeli omnes ita inter ſe ſpecie diſtinguuntur, vt etiam de potentia Dei abſolutâ, non poſſint intra eandem ſpeciem multiplicari. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 50. ar. 4. vbi dicit: *Si ergo Angeli non ſint compoſiti ex materia, & formâ, ſequitur eſſe impoſſibile duos Angelos eſſe vnius ſpeciei.* Et in quæſt. de ſpiritualibus creaturis, ar. 8 ſic ait: *Angelus eſt forma ſimplex abſtracta à materia, impoſſibile eſt, etiam fingere, quòd ſint plures Angeli vnius ſpeciei.* Ex quo loco eruitur argumentum tale. Implicat formam ſimplicem, & à materia tàm actu, quàm aptitudine ſeparatam, ſeu quæ nullum dicit ordinem ad materiam, ſolo numero multiplicari. *Minor patet:* tum ex Ariſtotele 12 Metaph. cap 8. tex. 49. vbi dicit: *Quæcunq; numero ſunt multa, ea materiam habent.* Tum ex hac ratione: quia illi formæ repugnat diuidi in plura indiuidua, cui repugnat diuerſimodè participari. Sed formæ irreceptibili in materia, & ſubiecto, repugnat diuerſimodè participari: ergo & in plura indiuidua diuidi. *Maior eſt manifeſta:* quia cùm omnia indiuidua vnius ſpeciei atomæ, conueniant in perfectione intrinſeca, & eſſentiali ſuæ ſpeciei, ſolumq; differant in diuerſis modis ſubſtantialibus habendi eam, illi formæ repugnat habere plura indiuidua, cui repugnat diuerſimodè haberi. ſiuè participari à pluribus indiuiduis. *Minor probatur.* Illi formæ repugnat diuerſimodè participari, cui repugnat inadæquato modo communicari. Sed formæ irreceptibili in materia, & ſubiecto, repugnat in adæquato, ſeu limitato modo cōmunicari: ergo & diuerſimodè participari. *Maior ex eo conſtat:* quia vt aliqua forma diuerſimodè participetur, oportet, quòd modi, quibus participabilis eſt, ſint finiti ac limitati: alias non eſſent diſtincti, & inæquales, & ſic falſum eſſet, quòd forma diuerſimodè, & inæqualiter participaretur. *Minor etiam patet:* quia illi formæ repugnat inadæquato, & limitato modo participari, cui repugnat omne illud, à quo poteſt prouenire, quòd limitato modo participetur. Sed formæ irreceptibili in materia, & ſubiecto, repugnat omne illud- à quo poteſt prouenire, quòd modo inadæquato, & limitato participetur, ſcilicet materia aliqua, vel ſubiectum: ergo illi repugnat inadæquato, & limitato modo communicari. Vnde patet, Deum etiam de potentia abſolutâ, non poſſe plures Angelos eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtinctos producere. *Ratio:* quia deficiente principio interno diſtinctionis, & multiplicationis numericæ, repugnat fieri diſtinctionem, & multiplicationem numericam; natura autem Angelica, cum careat omni materia, & ordine ad eam, caret omni principio numericæ diſtinctionis: quoniam remoto omni ordine ad materiam, reſtat tantùm in Angelis forma in ratione, & officio formæ, id eſt in ratione formaliſandi, & ſpecificandi: nam hoc mun' eſt formæ, videlicet dare ſpeciem rei,

Corol-

Angelorū numerus ſoli Deo notus eſt.

Corollarium III. Numerus Angelorum ſpecie inter ſe diſtinctorum, eſt ſtupendus, & ingens, ſolique Deo notus. Ita Scriptura Sacra Iob 25. *Nunquid eſt numerus militum eius?* vbi nomine militum intelliguntur cæleſtium virtutum exercitus, vt exponit Sanctus Gregorius 17. Moral. cap. 9. *In cognitione* inquit, *humanæ rationis ſupernorū ſpirituum numerus non eſt: quia quanta ſit illa frequētia inuiſibilis exercitus, neſcit, ſupernorum ciuium numerus infinitus, & definitus exprimitur; vt qui Deo eſt numerabilis, eſſe hominibus innumerabilis demonſtretur.* Idem docet Sanctus Ambroſius lib. 7. in cap. 15. Lucæ, vbi dicit: *Innumerabiles eſſe greges Angelorum, Archangelorum, Dominationum, &c.* Deniq; Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus cathech. 15. ita ſcribit; *Ex loci magnitudine incolarum multitudo æſtimari ſolet. Eſt autem vniuerſa terra puncti inſtar in medio cæli: Angeli verò ſunt incolæ cæli empyrei.* Palam oſtendens, quòd ſicut vaſtitas cæli empyrei comparata ad terram, ſit prorsùs incomprehenſibilis; ita & multitudo Angelorum per comparationem ad res corporeas, & materiales, eſt innumerabilis; non videtur tamen credibile, quòd ingens illa Angelorum multitudo ſit tanta, vt numerum omnium indiuiduorum huius vniuerſi excedat: quoniam Lyranus cum alijs oppoſitum ſentit. Cùm vix in mentem alicui venire poſſit, eos eſſe plures omnibus arenis maris, atomis aëris, arborum folijs, & alijs in vniuerſum animalibus, volatilibus, vermibus, piſcibus, &c.

Multitudo Angelorū excedit numerū omnium ſpecierum materialium.

Corollarium IV. Multitudo Angelorum ſpecie inter ſe diſtinctorum, excedit numerum omnium ſpecierum materialium. Ita Sanctus Dionyſius de cæleſti Hierach. cap. 14. vbi dicit: *Multi ſunt beati exercitus ſupernarum mentium, infirmam & conſtrictam excedentes noſtrorum materialiū numerorū commenſurationem.* Quibus verbis intendit Sanctus Dionyſius oſtendere, exceſſum multitudinis Angelorum, eſſe ſupra numerum ſpecierum materialium. Et *ratio Corollarij eſt:* quia ordo vniuerſi poſtulat, vt id, quod eſt in rebus nobilius, excedat quantitate, aut numero ignobiliora. Sic corpora cæleſtia in immenſum excedunt hæc ſublunaria, vt elementa, eò quòd ſint illis digniora propter incorruptibilitatem: ergo & de ſubſtantijs immaterialibus, ſeu Angelis, reſpectu materialium rerum idem cenſendum eſt. Maximè ex eo: quia genus intelligibile ſuaptè naturâ videtur magis multiplicabile, quàm corporeum: quoniam numeri, dimenſiones, figuræ, proportiones corporum, raritas, motuum velocitas; ac in ipſis corporibus ſemper terminata ſunt; in mente autem nullos certos fines habent, ſed in immenſum protenduntur.

Corollarium V. Probabile videtur, Angelos eſſe multò plures; quàm homines. *Ratio:* quia iuxta communem Theologorū ſententiam, ex vna ſolùm Hierarchia deſignati ſunt cuſtodes hominum; vnuſquiſq; autem homo proprium ſuum cuſtodem habet, qui alterius hominis cuſtos non fuit, nec erit; ergo ad ſummum iſta tantum Hierarchia eſſet æqualis numero hominum; qui tamen ab alijs Hierarchijs, earumq; Angelis excederentur, idq; exceptis adhuc dæmonibus, qui in numero Angelorum computantur.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem*. Omnes animæ rationales ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo & omnes

Ange-

Angeli. *Consequentia patet*: quia sicut animæ rationales conueniunt in gradu rationalitatis: ita omnes Angeli conueniunt in gradu puræ intellectualitatis. *Respondetur cõcesso Antecedente, negatur consequentia.* Disparitas est, *tum*: quia intra latitudinem animæ rationalis, non potest esse magis, & minus, eò quòd omnes intelligãt per easdem species, videlicet per species à sensibus acceptas, à phantasmatibusq́; abstractas. At verò intra gradum naturæ purè intellectualis, diuersi sunt modi intelligendo per species magis, aut min' vniuersales. *Tum* quia anima rationalis indiuiduatur per ordinem ad materiam, quod Angelo non cõuenit, cùm sit substantia intellectualis cõpleta, nullum dicens ordinem ad materiam.

Solutio eiusdem.

Obijcitur II. Ad perfectam amicitiam requiritur similitudo in natura. Sed inter Angelos est perfecta amicitia - ergo inter Angelos reperitur similitudo in natura, seu in specie, & consequenter Angeli non distinguuntur specie. *Respondetur negando maiorem.* Ad perfectam enim amicitiam, non requiritur similitudo in specie atoma, sed sufficit conuenientia in specie subalterna, seu in gradu intellectualitatis, & in modo operandi. Sic charitas quâ Deum diligimus, est vera amicitia cum Deo, perfectaq́; cum illo societas, iuxta illud I. Ioan. I. *Societas nostra sit cum Patre, & Filio eius IESV Christo;* & tamen Deus, & creaturæ intellectuales distinguuntur plus quàm specie. Vnde licet omnes, & singuli Angeli sint inter se specie diuersi; quia tamen in gradu intellectualitatis, & in eodem modo operandi, in ordine ad conuictum politicum conueniunt, & omnes ad eundem finem beatitudinis ordinãtur; ideò [illegible]rfecta amicitia, & societas inter [illegible] illos [illegible]eperitur: similiterque inter animas [illegible]tas, & Angelos, licet hi ab illis specie [illegible]fferãt. Hinc quando Sancti Patres docent, Angelos esse eiusdem naturæ, & speciei, vt Sanctus Anselmus lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 21. & Sanctus Athanasius q. 8. ad Anthiochum, nomine *essentia naturæ*, aut *speciei*, intelligunt speciem subalternam, essentiamq́; genericè communem, videlicet gradum intellectualitatis completæ, in quo omnes Angeli vniuocè conueniunt.

Obiectio secunda.

Solutio eiusdem.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* II. Potest Deus annihilato vno Angelo, speciem eius reproducere in aliquo indiuiduo. Sed non in eodem, quod antea erat: ergo in diuerso indiuiduo, & sic possibilia erunt plura indiuidua sub eadem specie vltima naturæ Angelicæ, saltem de potentia Dei absolutâ. *Minor patet*: quia idem numero Angelus annihilatus nõ potest reproduci; quemadmodùm etiam si anima rationalis alicuius hominis annihilaretur, non posset idem numero homo resurgere, vt docet Sanctus Thomas in 4. dist. 44. q. 2. ar. 2. quæstiunc 2. ad 3. *Respondetur concessa maiore, negatur minor. Ad eius probationem dicitur*, quòd licet non possit idem numero homo resurgere, annihilatâ animâ ipsius rationali; potest tamen iterùm creari, seu reproduci: licet enim resurrectio requirat existentiam partis ipsius, videlicet animæ rationalis; non tamen reproductio, seu iterata creatio hominis. Et sic si annihilato vno Angelo, species ei' reproduceretur in aliquo indiuiduo, illud indiuiduum esset idem, quod fuit annihilatum.

Obiectio tertia.

Solutio eiusdem.

Obijcitur IV. Si natura Angelica etiam de potentia Dei absolutâ, non posset multiplicari in plura indiuidua intra eandem speciem, esset essentialiter indiuidua, & singularis. Sed hoc admitti non potest: ergo natura Angelica saltem de potentia Dei absolutâ, potest multiplicari intra eandem speciem. *Minor patet*; tum, quia si natura

Obiectio quarta.

tura Angelica esset essentialiter singularis, esset actus purus, sicut Deus: quia sibi identificaret singularitatem. *Tum*, quia si natura Angelica esset essentialiter singularis, nullo modo posset fieri vniuersalis, siquidem conceptus vniuersalis speciei, debet esse præcisus â differentia indiuiduali, quod in supposito casu fieri non posset: quia sicut conceptus specificus in Angelo includit necessario differentiam specificã; ita includeret differentiam indiuidualem. *Respondetur concessa maiore, negatur minor. Ad primam eius probationem, negatur sequela*: nam Deus ideò est actus purus, quia non tantùm singularitatem, sed etiam existentiam sibi formaliter, & essentialiter identificat, & sic omnis potentialitatis expers est. At verò natura Angelica, ita sibi identificat singularitatem, vt ab existentia realiter distinguatur, ad eamq́; sit in potentia, & sic natura Angelica est quasi media inter naturam diuinã, & humanam: quia natura Diuina ratione summæ puritatis, & actualitatis, vtrumq́; sibi formaliter, & essentialiter identificat, id est singularitatem, & existentiam: natura humana neutrum, eò quòd non solùm potentialis, sed etiam materialis & corporea sit; natura verò Angelica cùm sit irreceptibilis in materia, est essentialiter singularis; quia tamen potentialis est, ideò non identificat sibi existentiam, sed comparatur ad suum esse, sicut potentia ad suum: vnde solus Deus est actus purus. *Ad II. probationem negatur itidem sequela*: licet enim natura Angelica, ex sua ratione formali sit indiuidua, & singularis; illa tamen ratio formalis duo habet munera inadæquata, distincta per nostrum modum intelligendi imperfectum, videlicet essentialiter constituere, & reddere indiuiduum, ac incõmunicabile inferioribus. Vnde prouenit, quòd natura Angeli possit subire secundam intentionem vniuersalis: quia cùm à nobis intelligitur, non apprehenditur vt est in se: si enim ita apprehenderetur, intelligeretur simul vt species, & vt indiuidua, ac proinde vt pluribus incommunicabilis; sed apprehenditur secundùm quod exercet præcisè munus cõstituendi essentialiter. Quamuis ergo natura Angelica, secũdùm quod in se est, repugnet vniuersalitati; ei tamen secundùm quod subest apprehensioni nostræ, & secundùm conceptum inadæquatum, quem in ea dicit, non repugnat vniuersalitas: quia præcisè secundùm quod exprimit tale munus, non repugnat illi dici de pluribus, si essent, licet illi repugnet secundùm quod est in seipsa, & secundum aliud munus, quod dicit implicitè. Propter quod dicitur vniuersalis, non secundùm rem, & rationem, cùm non habeat fundamentum in re; sed solùm secundùm rationem, quia fundamentum denominandi eam vniuersalem, desumitur ex solo modo nostro apprehendendi.

Solutio eiusdem.

DISPVTATIO II.

De comparatione Angelorum ad corpora, & loca.

Cognitâ existentiâ, & substantiâ Angolorũ, eam in ordine ad corpora, & loca contemplari oportet, de quo Sanctus Thomas I. p. q. 51. & 52.

QVÆSTIO I.

An Angeli habeant corpora naturaliter sibi vnita.

SUppono, quòd aliud sit, Angelum esse in se incorporeum, & non compositum ex materia, & formâ; aliud verò ipsum alicui corpori vniri, vt patet in anima rationali, quæ licet in se spiritualis sit, & nullo

Aliud est Angelũ in se esse incorporeum & aliud ipsũ vniri corpori.

& nullo modo composita ex materia, & formâ; naturaliter tamen vnitur corpori, tanquàm ipsius compars. Hinc non defuerunt, qui censerent, Angelum etiam vniri corpori, sicut formam materiæ, vt refert Capreolus in 2. dist. 3. q. 1. §. *contra tertium, & quartum.* Et aliqui ex antiquis Philosophis asserebant, corpora cælestia esse animata, eò quòd putarent Angelum esse animam cæli.

Suppono *præterea*, ex S. Thoma 1. p. q. 70. ar. 3. & q. 76. ar. 5. in corpore, quòd cùm forma non sit propter materiam, sed potiùs materia propter formam, in de fieri, quòd quando forma ad propriam operationem suæ speciei indiget corpore, tunc naturaliter habet tale corpus vnitum, quale necessarium est ad propriam operationem exercendam.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Angeli nõ habẽt corpora sibi naturaliter vnita.

CONclusio. Angeli non habent corpora naturaliter sibi vnita. *Probatur.* Natura Angelica pro nulla sua operatione indiget corpore: ergo illi corpus naturaliter non vnitur. *Antecedens.* In natura Angelicâ solùm inuenitur intellectio, volitio, motus localis. Sed pro huiusmodi operationibus, non est opus corpore, cui vniãtur principia talium operationum: ergo natura Angelica pro nulla sua operatione indiget corpore. *Consequentia etiam patet*: quia forma non requirit vniri corpori, nisi vel quia ipsa est quid naturaliter dependens à materia, tanquàm à subiecto, ex cuius potentia educitur, quod non potest dici de Angelo: vel quia in aliqua sua operatione dependet à corpore, vt patet inductione in omnibus alijs formis. Cùm ergo Angelus independenter ab vnione sui cum corpore, possit suas functiones obire, ideò non vnitur illi naturaliter. *Præterea*, quia si Angelus naturaliter vniretur corpori, non posset illud pro arbitrio suo deserere, sed quocũq; moueretur, cum corpore, cuius contrarium patet in Dæmone obsidente corpus hominis. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Angeli aliquando corpora assumunt.

Corollarium I. Licet Angeli non habeant corpora naturaliter sibi vnita; aliquando tamen illa assumunt, vt facilè constat ex varijs apparitionibus, quas Scriptura Sacra frequenter recenset. Porro illas apparitiones Angelorum non fuisse secundùm solam imaginationem, sed veras, & reales, docet Sanctus Augustinus lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 23. his verbis: *Apparuisse hominibus Angelos, & in talibus corporibus, quæ non solùm videri, verùm etiam tangi possent, verissima scriptura testatur, vt hoc negare, impudentiæ videatur.* Et *ratio Corollarij est.* quia quæ fiunt solùm secundùm interiorem imaginationem, non apparent omnibus; constat autem ex Scriptura Sacra, Angelos in corporibus assumptis potuisse ab omnibus conspici, vt patet in Angelo, qui apparuit Abrahamo Genes. 18 qui à familia Abrahæ visus est. Similiter in eo, qui apparuit Loth. Genes. 19. Et in Raphäele qui in assumpto corpore à plurimis visus est, cum varijsq; & diu colllocutus. Quòd autem Angeli corpora assumpserint in veteri testamento, fuit figura quædam, quòd Verbum Diuinum assumpturum esset corpus humanum.

Tria requiruntur vt Angelus corpus assumat.

Corollarium II. Vt Angelus dicatur corpus assumere, tria requiritur. I. vt corpus assumptum vniatur Angelo. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 51. art. 2. ad 2. cuius rationem hanc reddit q. 6. de potentia ar. 7. ad 1. quia *assumere* dicitur, quasi ad se sumere. II. vt Angelus corpori assumpto vniatur, tanquàm motor mobili, cùm ei non possit

possit vniri, tanquàm forma materiæ, eò quòd sit natura totalis, & completa; neq; vnione hypostaticâ, eò quòd nulla personalitas præter infinitam, possit terminare alienam materiam. Et hoc palam docet Sanctus Thomas citatus in responsione ad 4. vbi dicit: *Non est in potestate Angeli, quòd se vniat corpori secundùm esse, vt forma.* Et in responsione ad 1. dicit: *Assumit Angelus corpus, non vt suæ naturæ vniat, sicut homo assumit cibum; neq; vt vniat suæ Personæ, sicut Filius Dei assumpsit humanam naturam.* III. requiritur, vt Angelus corpus assumptum ita formet, & moueat, vt per ipsum nobis repræsentet proprietates intelligibiles, aut suas, aut superiorum Angelorum, aut ipsius Dei, quando eius personam gerit, tanquàm legatus ipsius. Vt docet S. Thomas citatus his verbis: *Tunc Angelus corpus assumere dicitur, quando corpus aliquod hoc modo format, quòd ad repræsentationem suam est aptum.* Et in 2. sent. dist. 8. q. 1. ar. 2. dicit: *Quando Angelus hoc corpus motum format, vt appareant in eo aliquæ proprietates visibiles, inuisibilibus eius proprietatibus congruentes, tunc dicitur corpus illud assumere.*

Angeli propria virtute possunt efformare corpora, quæ assumunt.

Corollarium III. Angeli propria, & cõnaturali virtute possunt efformare corpora, quæ assumunt. *Ratio*: quia cùm Angeli maximam habeant cognitionẽ vniuscuiusq; conditionis rerum naturalium, & quomodò vnaquæque cum alia coniungi debeat, vt consurgat tale, aut tale compositum, huius, vel illius figuræ, non videtur naturalem illorum virtutem superare huiusmodi corporum efformatio, non quidem formam aliquam substantialem producendo, seu ex potentia materiæ educendo, sed ita aptè applicando actiua passiuis, & aliquas partes condensando, alias rariores relinquendo, vt resurgat aliquod corpus. Hinc virgæ Magorum Ægyptiorum, omninò videntur virtute naturali Dæmonis, debito modo applicantis actiua passiuis, mutatæ fuisse in serpentes: neq; enim Deus virtute supernaturali dicendus est concurrisse cum Magis ad magica opera exercenda. Similiter quando diabolus accessit ad Christũ tentandum, aut quando dæmones in prauos vsus, v. g. obscænos. efformant corpora, nullo modo huiusmodi efformatio potest referri in Deum supernaturaliter illa efformantem.

Angeli in assumptis corporibus nõ possunt exercere operationes vitales.

Corollarium IV. Angeli in corporibus assumptis, non possunt exercere operationes vitales. *Ratio*: quia in huiusmodi assumptis corporibus non viuunt vitâ sensitiuâ, neq; potentias sensitiuas habent; possunt nihilominus aliquas actiones similes vitalibus quoad motum localem; aut terminum eius, non quoad vitalitatem exercere. v. g. locutionem quoad sonum, qui ex collissione aëris causatur; & motum progressiuũ quantum ad terminũ, qui est vbi. Hinc Sanctus Thomas 1. p. q. 51 ar. 3. docet, comestionem Christi post resurrectionem, fuisse veram comestionem: licet enim cibus non conuerteretur in substantiam eius, sed resolueretur in præiacentem materiam; Christus tamen habebat talis naturæ corpus, in quod posset cibus conuerti, Vnde dicit Sanctus Gregorius, quòd Christus comedit, *vt per effectum comestionis veritas patesceret carnis.* Cæterum comestio Angelorum, quando in assumptis corporibus apparuerunt Abrahamo, & Tobiæ, non fuit vera comestio, sed figuratiua spiritualis comestionis, eò quòd cibus ab illis sumptus, neq; conuerteretur in corpus assumptum, neq; corpus illud talis fuerit naturæ, in quod posset alimentum conuerti.

Corollarium V. Corpus ab Angelo assumptum, facilè potest dispare,

Anima separata propria virtute non potest assumere corpus.

disparere, & oculis videntium subtrahi. *Ratio:* quia ex naturali facultate, potest Angelus celerrimè aëris condensationem dissipare, & corpora etiam solidiora, aliò transferre. Si quis autem quærat, an etiam anima separata, possit assumere corpus, & in eo hominibus apparere. Tunc certum est, naturaliter, & propria virtute non posse: quia anima non mouet localiter, nisi corpus viuificatum; anima autem separata, non potest aliquod corpus naturaliter viuificare, proinde neq; potest naturaliter illud assumere, & localiter mouere. Virtute tamen diuinitus, & supernaturaliter ei cõmunicatâ potest, & hanc virtutem supernaturalem ex vi status beatifici, animæ Sanctorũ permanenter habent, ideoq; possunt apparere hominib⁹, quando volunt; secus animæ damnatæ: istæ enim nõ possunt apparere hominibus, nisi ex speciali dispensatione Diuinæ prouidentiæ, quæ virtutem supernaturalem, ad assumenda, & mouenda corpora, per modum transeuntis tunc illis communicat.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio I. & solutio eiusdem.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Sanctus Dionysius cap. 4. de Diuinis nomin. dicit: *In dæmonibus esse malum, furorem irrationabilem, dementem concupiscentiam, phantasiam proteruam.* Sed ista cùm pertineant ad partem sensitiuam, quæ non est sine corpore, denotant malos Angelos corpore præditos esse: ergo Angeli habent corpora naturaliter sibi vnita. *Respondetur,* Sanctum Dionysium non ex propria sententia, sed ex aliena locutum esse, vt explicat Sanctus Thomas eiusdem cap. lect. 1. his verbis: *Si verò Dionysius loquitur hîc secundùm propriam opinionem, dicendum est, quòd loquitur Metaphoricè.* Similiter, quando Sanctus Augustinus lib. 3. de Genesi ad literam, cap. 10. dicit: *Quapropter & si dæmones corporea sint animalia, quoniam corporum aëreorum naturâ vigent,* loquitur id non asserendo, sed opinione Platonicorum vtens, qui ponebant quædam animalia aërea, quæ dæmones nominabant.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.* Apparitiones Angelorũ secundùm solam imaginationem fiunt: ergo non in assumptis corporibus. *Antecedens probatur* ex Concilio Anciranо can. *Episcopi* 26. q. 5. vbi docetur, quòd phantasmata, quibus miseræ mulierculæ à dæmonibus seducuntur, fiant in Spiritu, non in corpore.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando antecedens: licet enim aliquæ apparitiones possint fieri secundùm solam imaginationem; non tamen omnes, vt docet Sanctus Thomas 1. p. q. 50. his verbis: *Illud enim quod imaginaria visione videtur, est in sola imaginatione videntis: vnde non videtur indifferenter ab omnibus. Scriptura autem diuina sic introducit interdùm Angelos apparentes, vt communiter ab omnibus viderentur. Sicut Angeli apparentes Abrahæ, visi sunt ab eo, & tota familia eius, & à Loth, & à ciuibus Sodomorum. Similiter Angelus qui apparuit Tobiæ, ab omnibus videbatur.* Ex quo manifestum fit, apparitionem huiusmodi contigisse secundùm corpoream visionem; tali autem visione non videtur, nisi corpus. Cùm igitur Angeli neque corpora sint, neq; habeant corpora sibi naturaliter vnita, vt ex dictis constat, relinquitur quòd interdùm corpora assumant.

Instantia & solutio eiusdem.

Instabis. Non esse necessarium, vt quod ab omnibus indifferenter videtur, secundùm visionem corpoream videatur: quid enim impedit Angelum immutare simul omnium, qui accurrunt, imaginationes? in quo casu videretur ab omnibus indifferenter, & tamen per

per visionem imaginariam. *Respondetur,* non videri verisimile, quòd Angelus virtute propria possit immutare indifferenter omnes accurrentium imaginationes, aut totius alicuius multitudinis: quoniam ista immutatio requirit actionem continuatam, quâ producantur, & diu conseruentur species in omnibus huiusmodi imaginationibus. Iam verò actio Angeli vt potè finita, & limitata, non videtur ita posse simul ad diuersa ferri. *Præterea,* quando Christo Domino apparuit dæmon visibiliter, non potest dici quòd habuerit potestatem immutandi illius phantasiam. Similiter ante peccatũ in statu innocentiæ, diabolus non habebat potestatem immutandi hominũ phantasiam; & tamen visibiliter Euæ apparuit, sub figura serpentis, proinde secundùm visionem corpoream, non imaginariam.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium III.* Sanctus Thomas 1. p. q. 51. art. 2. ad 3. dicit: *Angeli assumunt corpora ex aëre, condensando ipsum virtute Diuina, quantum necesse est ad corporis assumendi formationem:* ergo Angeli propria virtute nõ possunt efformare corpora, quæ assumunt.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concesso antecedente, negatur consequentia. In primis enim, per *virtutem Diuinam,* multi intelligunt eam, quam Angeli a Deo acceperunt simul cum natura, proinde ipsis connaturalem. Vel certè loquitur Sanctus Thomas de apparitionibus supernaturalibus Angelorum, quales factæ fuerunt Abrahamo, Tobiæ, Danieli, Beatæ Virgini &c. Nam in his virtute supernaturali formata fuisse corpora assumpta ab Angelis Beatis, probabile est. At verò quando dæmones assumunt corpora ad peccandum, & tentandum homines, non est credibile, virtutem supernaturalem, & Diuinam illis adesse, vt talia corpora forment. Vel deniq; Sanctus Thomas ostendere vult, quòd Angeli siue boni, siue mali, non possint assumere corpora, eaq; formare propria virtute, nisi Deo peculiariter permittente. Atque sic per *virtutem Diuinam,* non intelligit virtutem immediatè formantẽ huiusmodi corpora, sed quòd Angeli non habeant potestatem, pro sua voluntate immutandi res corporales.

QVÆSTIO II.

An Angelus sit in loco.

Dupliciter aliquid potest esse in loco.

SUppono, quòd dupliciter aliquid possit esse in loco. *Primò,* per commensurationem ad ipsum locum, seu circumscriptiuè; quemadmodûm corpora dicuntur esse in loco, quorum partes partibus loci correspondent. Et in hoc sensu certum est, nullam rem spiritualem posse esse in loco: quia cum locus sit superficies corporis ambientis, & consequenter aliquid extensum; inde sequitur, illud tantûm posse esse in loco per cõmensurationem ad ipsum, quod habet in se extensionem quantitatiuam. *Secundò,* potest aliquid esse in loco, quatenus est indistans, & præsens corpori, quod dicitur locus: seu vt loquuntur Theologi, esse in loco definitiuè, id est ita esse in certo spatio loci alicuius, vt simul extra illud naturaliter esse nõ possit. Et hic modus essendi in loco, est proprius substantiarum spiritualium, vt docet Sanctus Damascenus lib. 3. de Fide orthodoxa cap. 3. his verbis: *Cùm autem intelligentiæ sint, etiam intelligibilibus in locis sunt, non corporum more circumscripti. Non enim vt corpora secundùm naturam figurantur; neq; triplici dimensione constant: sed eo ipso sunt in loco, quòd intelligibiliter præsentes sint, & agant, vbicunq; esse iussi sunt, nec possint in eodem momento, simul hîc esse, & illic, & agere.* Et de hoc secundo modo contro-

controuertitur, an sit Angelus in loco.

Prima igitur opinio negat, Angelos verè, & propriè esse in loco, vt refert Sanctus Thomas citatus in argumentis. & Durandus in 1. dist. 37. q. 1. Secundæ partis distinctionis, num. 22. vbi refert opinionem quorundam asserentium, Angelos tantùm eo modo esse in loco, quo causa dicitur esse in effectu.

Opinio secunda.

Altera opinio est citati Durandi, asserentis Angelum non esse propriè in loco, sed metaphoricè, & abusiuè, & quidem quòd etiam hoc modo, non sit determinatè in aliquo loco, quin potiùs sit vbiq; non eo tamen modo, quo Deus: quia Deus est vbiq; per essentiam, præsentiam, & potentiam, operaturq; intimè in omnib⁹ rebus, quod Angelo non conuenit.

Quia verò locus corporeus, in quo dicitur existere Angelus, duplex considerari potest, vnus connaturalis ipsi, ad quem liberè se applicat per suam volūtatem, eumq; sibi subjicit. Alter illi violentus, seu præternaturalis, in quo non se liberè collocat, sed contra suam voluntatem in eo collocatur, illiq; subjicitur, qualis est v. g. ignis inferni respectu dæmonum. Ideò inquirere oportet, quæ sit ratio proxima, ex qua Angelus causaliter, & fundamentaliter habet esse in loco, tam connaturali, quàm violento. Circa quod tres sententiæ reperiuntur.

Prima censet, rationem formalem causaliter, & proximè constituentem Angelum in loco, esse ipsam substantiam Angeli, secundùm se consideratam. Hanc tenet Scotus in 2. dist. 2. q. 6. Gabriel ibidem, q. 1. omnesq; Nominales.

Altera sententia vult, Angelum esse in loco, per aliquem modum vnionis, per liberam voluntatem Angeli productum, quo ante omnem operationem transeuntem, corpori, seu loco corporeo vnitur. Hanc tenet Alarcon 1. p. q. 52. disp. 5. cap. 5. & 6. & quidam Neoterici.

Tertia sententia est S. Thomæ, qui docet, rationem formalem immediatè fundantem vbicationem Angeli in loco connaturali, esse operationem virtualiter transeuntem; rationem autem fundantem eius vbicationem in loco violento, aut præternaturali, esse passionem, per quam contra suam voluntatem alicui loco corporeo alligatur. Et hanc sequitur communis Theologorum sententia.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Conclusio. Angelus est verè in loco; non tamen propriè, sed tantùm metaphoricè. *Probatur I. pars conclusionis*, ex Scriptura Sacra, in qua passim dicuntur Angeli esse, aut non esse alicubi, vt Matth. 18. *Angeli eorum in cælis sem per vident faciem Patris mei.* Lucæ 22. *Apparuit illi Angelus de cælo.* Quibus verbis euidenter designatur, Angelos verè esse in cælo, tanquàm in loco. Et Apocal. 12. de malis Angelis dicitur: *Locus eorum non est amplius inuentus in cælo.* Idem docet Sanctus Thomas in 1. dist: 37. q. 3. ar. 1. vbi docet, de fide esse, quòd Angeli sint in loco: *quia* inquit, *secundùm fidem nostrā, ponimus Angelos immediatè circa nos operari.* Agens autem, & passum, debent esse simul iuxta Philosophum, 7. Physic. Et Sanctus Damascenus lib. 2. fidei, cap. 3. docet, Angelum esse vbi operatur: ergo iuxta Scripturam Sacram, & Sāctos Patres, Angelus est verè in loco.

Probatur *deinde II. pars conclusionis.* Quia vt aliquid sit in loco propriè, non sufficit, quòd habeat realem præsentiam suæ substantiæ ad locum: nam etiam Deus habet hanc in omnibus locis, & anima rationa-

rationalis in corpore, & corpus Christi in Eucharistia, & tamen non sunt in illis, vt in loco propriè dicto; sed insuper requiritur, quòd à loco circumscribatur, & mensuretur. Vnde dicit Sanctus Thomas in 4. dist. 10. q. 1. ar. 3. quæstiunc. 1. *Nihil per se, & propriè loquendo est in loco, nisi quod circumscribitur.* Et in 1. dist. 37. q. 3. art. 1. ad 1. dicit: *Locus est nomen mensuræ? vnde esse in loco propriè significatur, vt esse in mensura.* Sed Angelus in loco corporeo ratione operationis existens, non circumscribitur ab eo, neq; mensuratur; imò potiùs illum effectiuè continet, ac mensurat: ergo licet ratione operationis, sit intimè, & substantialiter præsens loco corporeo; non est tamen in eo propriè tanquàm in loco, sed impropriè solùm, & metaphoricè. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Angelus potest se collocare etiam in minima parte sui loci adæquati.

Corollarium I. Angelus non necessitatur, neque coarctatur ad existendum in toto loco, seu spatio suæ virtuti operatiuæ adæquato, sed potest se collocare in minori. *Ratio:* quia Angelus est in loco per operationem suæ virtutis; hanc autem pro suo placito potest applicare aut toti loco adæquato, aut solùm medietati, aut tertiæ parti illius, aut etiam minori: atq; sic potest vel in toto loco adæquato, vel solùm in media, aut tertia parte illius, vel etiam in minori, prout voluerit se collocare. Vnde Angelus potest in minori, & in minori loco in infinitum, imò & in solo puncto se collocare: quia potest suam virtutem, & operationem, ad minorem, & minorem partem sui loci adæquati vsq; in infinitū; imò & ad solum indiuisibile illius applicare. Nam quælibet pars corporis etiam minima, est composita ex materia, & formâ, & consequenter habet accidentia, proinde est capax transmutationis. *Præterea*, licet Angelus non possit solum punctum mouere; potest tamen soli puncto impetum, & impulsum imprimere, quo corpus in quo est moueatur, sicq; soli puncto suam virtutem applicare. Quia licet punctum non possit esse subiectum adæquatum motus localis; benè tamen subiectum impetûs, & impulsûs. Sic si planū perfectum opponeretur perfecto sphærico deorsùm cadenti, & illud iterùm sursùm repelleretur, tunc sicut planum non tangeret sphæricum nisi in puncto, ita non inciperet illi imprimere vim impulsiuam, nisi per punctum. Cùm ergo actio corporis in corpus possit immediatè à puncto incipere, non est cur etiam non possit operatio Angeli à puncto incipere: & si vnum corpus contactu dimensiuo potest in solo puncto tangere aliud, non est cur etiam Angelus contactu suæ virtutis non possit solum punctum contingere, illique impetum, & impulsum imprimere. Et hoc expressè docet Sanctus Thomas 1. p. q. 52. ar. 2. his verbis: *Angelus est indiuisibile extra genus quantitatis, & sitûs existens: vnde non est necesse, quòd determinetur ei vnus locus indiuisibilis secundùm situm, sed vel diuisibilis, vel indiuisibilis.*

Angel⁹ nō potest esse in essentia alterius Angeli, vel animæ rationalis.

Corollarium II. Angelus non potest esse in essentia alterius Angeli, aut in essentia animæ rationalis tanquàm in loco. *Ratio:* quia vt docent Trydinus lib. 3. de Spiritu Sancto tom. 9. apud Sanctum Hieronymum. Et D. Thomas in 1. sent. dist. 37. q. 3. ar. 3. ad 4. nullus Spiritus creatus potest illabi, & applicari menti alterius, aut intra terminos substantiæ, vel essentiæ eius operari. Nam vt dicit Sanctus Bernardus serm. 5. in Cantica: *hæc prærogatiua summo & incircumscripto spiritui reseruatur.* Et S. Thomas in 2. dist. 8. q. 1. art. 5. ad 3. vbi dicit: *in essentiam non intrat*

ſtrat niſi ille, qui dat eſſe, ſcilicet Deus creator, iuxta illud Ezech. 44. *Per portam clauſam ingreditur, & vir non ingredietur per eam: quia Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam.* Præterea, quia ſi Angelus intra terminos ſubſtantiæ, aut eſſentiæ alterius Angeli, vel animæ rationalis operaretur, deberet ibi eperari aliquid, quod eſſet intra terminos prædictæ eſſentiæ; hoc autem eſt vel ipſa eſſentia, vel exiſtentia, vel ſubſiſtentia. Sed nihil ex illis poteſt producere: ergo non poteſt intra terminos ſubſtantiæ, vel eſſentiæ alterius Angeli, aut animæ rationalis, operari nec conſequenter illabi in eſſentiam Angeli, vel animæ, proinde nec ibi eſſe tanquàm in loco, cùm non ſit in loco, niſi per operationem.

Angel⁹ nō eſt in loco immediatè per ſuā ſubſtantiam.

Corollarium III. Angelus non eſt in loco immediatè per ſuam ſubſtantiam. *Ratio*: quia id, per quod Angelus, vel quodcunque aliud eſt in loco, importat determinationem, aut limitationem in ordine ad locum, cùm per illud ita ſit hîc, vt non alibi. Sed ſubſtantia Angeli ſecundùm ſe non importat talem determinationem, aut limitationem in ordine ad locum: ergo per illam Angelus immediatè in loco non eſt. Minor eſt S. Thomæ in 1. diſt. 39. q 3. ar. 1. ad 4. & q. 3. de Potentia, ar. 19. ad 2. vbi dicit: *Subſtantiam Angeli ſecundùm ſe, quia eſt finita in eſſentia, ſolùm limitationem in genere entis importare*: dicitq; Angelum ab omni loco poſſe abſolui, ſeu in nullo loco exiſtere, quando nullam operationem circa locum habet. Ergo ſubſtantia Angeli ſecundùm ſe, & remotâ operatione, non eſt proxima ratio fundandi vbicationem Angelicam, ſeu immediatè tribuens Angelo, quòd ſit in loco. *Ratio II.* quia ſubſtantia corporea ex vi ſuæ lineæ præcisè non eſt ratio formalis proximè fundans vbicationem in corporibus, ſeu immediatè illis tribuens eſſe in loco: ergo neq; ſubſtantia ſpiritualis, in rebus incorporeis & immaterialibus. *Conſequentia manifeſta*: quoniam ſubſtantia corporea eſt propriè & in rigore in loco; ſubſtantiæ verò ſpirituales ſolùm ſunt in loco æquiuocè aut metaphoricè; ideò ſi ſubſtantia corporea nō habet ex vi ſuæ lineæ, præſcindendo à quantitate, quòd ſit ratio formalis proximè fundans ipſius vbicationem in corporibus, tribuenſq; illis immediatè eſſe in loco, verum id habent ſolùm ratione quantitatis; neque ſubſtantia Angeli poteſt id habere. *Antecedens etiam facilè deducitur*: quia in corpore illud tantùm eſt ratio formalis proximè fundans ipſius vbicationem, ſeu immediatè illi tribuens eſſe in loco, quòd eſt ipſi ratio formalis proxima, & immediata tangendi locum; hoc autem ſubſtantia ratione ſui præſtare non poteſt, cùm ſubſtantia corporea non tangat locum immediatè ratione ſui, ſed ratione quantitatis, inter ipſam, & locum mediantis.

Angel⁹ nō eſt in loco per modū aliquē vnionis ad corpus.

Corollarium IV. Angelus non eſt in loco per modum aliquem vnionis ad corpus, per liberā Angeli voluntatem productum, ex illaq; omninò pendentem, quà ante omnem operationem tranſeuntem coniungatur corpori. *Ratio*: quia vnio illa Angeli ad corpus, ſeu locum corporeum, eſt ficititia, cùm neq; ſit vnio materiæ cum forma, neq: accidentis cum ſubiecto, neque naturæ cum ſuppoſito, aut partis cum parte; neq; agentis cum paſſo, aut mouentis cum mobili, vltra quas nulla alia vnio excogitari poteſt. *Præterea*, quia modus ille vnionis non explicat, quomodò Angelus poſſit eſſe in loco præternaturali, & violento: nam cùm in illo ſit contra ſuam voluntatem, ratio formalis, per quam in eo cōſtituitur, non poteſt eſſe aliquis modus vnionis, per liberam Angeli

geli voluntatem productus, & ex illa omninò pendens: neq; etiam poteſt in illo eſſe per vnionem, ab alio Angelo ſuperiori productam, eò quòd vnus Angel⁹ alterius ſubſtantiam intrinſecè immutare non poſſit, vt docet Sanctus Thomas q. 3. de potentia, ar. 7. ad 11.

Angel⁹ eſt in loco per operationem virtualiter tranſeuntem.

Corollarium V. Angelus eſt in loco per operationem virtualiter tranſeuntem. Ita Sanctus Thomas quodlib. 1. ar. 4. vbi dicit: *Sicut corpus eſt in loco per contactum dimenſiuæ quantitatis, ita Angelus eſt in loco per contactum virtutis. Si quis autem velit virtutis contactum operationem vocare, propter hoc, quòd operari eſt proprius virtutis effectus, dicatur, quòd Angelus eſt in loco per operationem; ita tamen quòd per operationem non intelligatur ſola motio, ſed quæcunq; vnitio, quâ ſua virtute ſe corpori vnit præſidendo, vel continendo, vel quocunq; alio modo.* Vbi nomine vnitionis intelligitur quæcunque alia operatio à motione locali diſtincta: nam operatio agentis tranſiens in paſſum, eſt eius cum paſſo vnitio, & rei in paſſo productæ effectio. Et *ratio corollarij eſt*: quia id debet eſſe in Angelo ratio formalis proxima, & immediata eſſendi in loco connaturali, ſeu ratio fundandi proximè vbicationem in illo, per quod actu illum tangit. Sed illum non tangit, niſi per operationem virtualiter tranſeuntem: ergo ratio formalis proximè tribuens Angelo eſſe in loco, eſt operatio virtualiter tranſiens. *Maior patet*; quia in rebus corporeis, ideò quātitas dicitur ratio formalis proxima, & immediata eſſendi in loco, quòd ſubſtantiæ corporeæ non contingant locū niſi ratione quantitatis. *Minor etiam ex eo conſtat*: quia iuxta Ariſtotelem 8. Phyſic. cap. 5. contactus ſolùm eſt duplex, *vnus* propriè dictus, qui eſt quantitatis dimenſiuæ: *alter* impropriùs, & metaphoric⁹, qui eſt à quantitate virtutis, videlicet operatio virtualiter tranſiens. Sed Angeli vt potè immateriales, & incorporei, non poſſunt contingere locum contactu quantitatis, & propriè dicto: ergo illum non niſi contactu virtutis, qui fit per operationem virtualiter tranſeuntem, contingunt. Iam verò mali Angeli ſunt in loco violento, id eſt in inferno per paſſionem, quà Angelus ab igne infernali patitur, & ita alligatur, vt non permittatur alibi operari. *Ratio*: quia ſicut vbicatio Angeli in loco connaturali fundatur in contactu actiuo, quo Angelus per actionem tranſeuntē aliquod corpus effectiuè contingit, illudq; actiuè continet, & ſibi ſubijcit, ac ſubordinat; ita vbicatio in loco præternaturali, & violento fundari debet in contactu paſſiuo, quo Angelus ab aliquo agente corporeo patitur, aut ita ab illo ligatur, & detinetur, vt impediatur, ne poſſit operari vbi vult, & ſecundùm quod vult. Vnde ſola paſſio Angeli à loco corporeo, non ſufficit ad hunc effectum, ſed illa tantùm cuius ratione ita Angelus ligatur, vt non permittatur alibi operari. Hinc dæmones in aëre exiſtentes, licet aliquid patiantur ab igne infernali; non tamen dicuntur exiſtere in inferno, tanquàm in loco: quia talis ignis permittit eos operari in aëre, & extra infernum. Similiter licet paruulorum animæ non baptizatorum, per paſſionem, ſeu paſſiuam alligationem in lymbo exiſtant; ita tamen paſſio, ſeu paſſiua alligatio non habet in illis rationem pœnæ ſensûs: cùm enim locum illum non apprehendant, neq; illam damnationem, vt ſibi diſconuenientem, ideò ex ea non triſtantur, neq; ipſi reluctantur. Et ſic licet ibi dicantur exiſtere, vt in loco præternaturali; non tamen tanquàm in loco violento.

Angel⁹ malus in loco violento eſt per paſſionem.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Fundamentum antiquorũ Philosophorum. Angeli nõ operantur immediatè circa aliquod corpus: ergo non sunt in loco. *Respondetur negando antecedens* cum S. Thoma in 1. dist. 57. qu. 3. art. 1. vbi dicit: *Hæc opinio Hæretica est, qui secundùm fidem nostram ponimus Angelos immediatè circa nos operari.* vt Actor. 12. *Et ecce Angelus Domini astitit, percussóq; latere Petri excitauit eum.* Et Matth. 28. *Angelus Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem.* Et Daniel: 3. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem.* 2. Paralip. 32. *Et misit Dominus Angelum. Qui percussit omnem virum robustum, & bellatorem, & Principem exercitus Regis Assyriorum.* Quatenùs itaq; prædicta opinio negat Angelos immediatè operari circa corpus, habetur pro hæretica; quatenùs autem absolutè negat realem præsentiam substantiæ Angeli ad locum, est parum tuta in fide, & proxima errori. Cæterùm vt Angelus sit in loco, nõ est necesse, quòd operetur circa ipsum per operationem propriam: nam Angeli qui custodiunt ciuitatem, non semper actu operantur circa rem custoditam, cùm vix intelligi possit, quid locus ille custoditus ab Angelo recipiat. Similiter animæ damnatorum, & dæmones sunt in loco infernali; & tamen circa ipsum nihil operantur, imò potiùs patiuntur ab illo, & detinentur ab igne infernali.

Solutio eiusdem.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium* I. Vnus Angelus maiorem occupat locum, quàm alius, quia est nobilioris naturæ, eumque in perfectione substantiali excedit. Sed natura Angeli non mutatur substantialiter, cum semper eandem perfectionem substantialem retineat: ergo Angelus semper est in loco suæ virtuti, & perfectioni naturali adæquato, ita vt non possit in maiori, aut minori existere. *Respondetur*, hoc argumentum nihil valere: licet enim à quantitate perfectionis substantialis Angeli oriatur, tanquàm à prima radice, quòd possit esse in tanto loco; ratio tamen proxima, per quam in loco constituitur formaliter, est virtus operatiua, vt liberè applicata, & virtualiter extensa in ordine ad locum per operationem. Vnde sicut sine mutatione perfectionis substantialis, aut virtutis etiam operatiuæ, potest Angelus operari circa magnam, aut paruam quantitatem intra sphæram suæ actiuitatis; ita potest nunc in loco sibi adæquato, nunc in minori se constituere. *Cuius ratio est:* quia libera operatio Angeli proportionaliter se habet ad virtutem operatiuam; sicut extensio in ordine ad locum, ad quantitatem dimensiuam; si autem aliquod corpus haberet in sua dispositione extensionem quantitatis in ordine ad locum, posset eam nunc ad maiorem, nunc ad minorem locum applicare; intra tamen latitudinem sui loci adæquati.

Solutio eiusdem.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* II. Angelus potest se in solo puncto collocare: ergo etiam potest existere in alio Angelo tanquàm in loco. *Consequentia patet:* quia vtrique competit indiuisibilitas. *Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est:* quia punctum cùm sit indiuisibile habens situm, & intra genus quantitatis existens, potest ab Angelo contactu virtutis tangi, eiusq; impetum, ac impulsum immediatè recipere. At verò Angelus cum sit omninò spiritualis, & incorporeus, cumq; sit indiuisibile extra genus quantitatis existens, non potest contactu virtutis ab alio Angelo tangi, eiusq; impetum, & impulsum immediatè recipere. Cùm ergo Angelus sit in loco per applicationem, & contactum suæ virtutis, ideò potest quidem in puncto, non autem in alio Angelo tanquàm in loco existere.

Solutio eiusdem.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium* III. Substantia corporea est in corpore per se ratio formalis, & immediata contingendi locum; impeditur tamen à quantitate, quâ afficitur, ne illum actu immediatè contingat: ergo & substantia spiritualis, est ratio formalis tribuens immediatè Angelo esse in loco, eò quòd talis substantia sit à quantitate separata. *Respondetur negando antecedens:* nam quod conuenit alicui substantiæ per se, seu ratione sui, non potest impediri ab eius proprietate, naturaliter saltem inseparabili ab ea, cuiusmodi est quantitas respectu substantiæ materialis. Vnde si quantitas impedit immediatum contactum substantiæ corporeæ ad locum, signum est, substantiam illam non esse per se proximã rationem immediatè contingendi locum. *Præterea*, quia quando aliquid conuenit alteri per se, non potest ab illo per se oriri impedimentum ad habendũ illud, quod per se illi cõpetit. Sed quantitas oritur per se ex substantia materiali: ergo repugnat, quòd substantia materialis habeat per se esse rationem proximam contingendi locum; & tamen quòd id impediatur per quantitatem.

Solutio eiusdem.

Obiectio quinta.

Obijcitur V. *Contra Corollarium* V. Prius est Angelum esse in loco corporeo, quàm in illo operari: ergo operatio virtualiter transiens non potest esse ratio formalis, proximè & immediatè fundans vbicationem, seu præsentiam Angeli in loco corporeo. *Consequentia clara. Antecedens probatur I.* quia priùs est Angelum esse, quàm operari: ergo quoq; priùs est illum esse in loco; quàm operari in eo. *Secundò* quia approximatio, seu applicatio agentis ad passum, est conditio necessariò prærequisita ad operãdum circa illud, iuxta Philosophum 7. Physic. *Respondetur negando antecedens. Ad primam eius probationem, concesso antecedente, negatur cõsequentia. Disparitas est:* quia Angelum esse simpliciter, & absolutè, non est effectus formalis operationis; secùs verò Angelum esse in loco. vnde cum omnis causa sit prior saltem naturâ suo effectu; ideò priùs naturâ est Angelum operari circa aliquod corpus; quàm fieri illi præsentem localiter: quãuis hæc duo simul existant simultate temporis, & durationis. *Ad II. probationem, conceditur*, in agentibus corporeis approximationem agentis ad passum, esse conditionem necessariò prærequisitam ad agendũ, eò quòd agant per virtutem subiectatam in quantitate, ab eaq; dependentem, & à loco cui omninò commensuratur. Negando autem in agentibus spiritualibus, id est, Deo, & Angelis, quorum virtus operatiua non subiectatur in quantitate, neque commensuratur loco, approximationem esse conditionem antecedentem operationem, sed solùm in eodem instanti concomitantem eam. Vnde eiusmodi approximatio, vnio, & præsentia spiritûs ad locum, est ipsamet operatio Angelica in loco, ita vt Angelus operando in corpora, ipsi approximetur, vnitatur, applicetur: quemadmodùm etiam anima nostra informando corpus.

Solutio eiusdem.

Instantia & solutio eiusdem.

Instabis. Agens spirituale finitæ virtutis, operatur per actionem eductiuam formæ de subiecto. Sed Angelus est finitæ virtutis: ergo priùs debet esse coniunctus subiecto, quàm circa illud operetur. *Respondetur*, concedendo agens spirituale finitæ virtutis operari semper per actionem eductiuam, eò quòd

quòd virtus finita non poſſit attingere totam rei entitatem: cæterùm non eſt neceſſe, vt priùs ſimpliciter, quàm operetur, ſit coniunctum ſubiecto, verùm ſufficit, quòd ipſi cõiungatur per ipſammet operationem, cui duplex munus inadæquatum conuenit, videlicet coniungere agens ſubiecto, & in eo cauſare effectum, quorũ vnum eſt priùs alio, in diuerſo genere cauſæ. Nam in genere cauſæ materialis, priùs eſt agens coniungi ſubiecto per operationem, quàm in eo producere effectum; in genere autem cauſæ efficientis, priùs eſt, operationem cauſare effectum; quàm coniungere agens paſſo. Sicuti priùs eſt, in genere cauſæ efficientis, formam introduci in materiam à generãte; quàm accidentia ab illa connaturaliter emanare: at verò in genere cauſæ materialis, priùs eſt accidentia recipi in materia, eamq; diſponere ad introductionem formæ, à quâ dimanant; quàm formam introduci.

Obiectio ſexta.

Obijcitur *vltmò*. Si operatio tranſiens virtualiter in locum, eſſet ratio formalis Angelo eſſendi in loco, ſequeretur Angelum, qui mouet primam ſphæram, eſſe in tota illa ſphæra tanquàm in loco: quoniam in totam illam agit. *Reſpondetur negando ſequelam*: nam nõ quælibet operatio Angeli in locum corporeum, eſt illi ratio formalis eſſendi in loco, ſed tantùm illa, quæ eſt ab ipſo immediatè immediatione ſuppoſiti, vnde cùm Angelus non agat immediatè immediatione ſuppoſiti in totam primam ſphæram, ſed mouendo vnam partem immediatione ſuppoſiti, moueat alias tantùm mediante iſtâ, & conſequenter ſolùm immediatè immediatione virtutis, non eſt formaliter tanquàm in loco, niſi in vna parte illius primi orbis, puta in illa, quæ eſt in oriente, vel in alia, quæ per motum circularem illi ſuccedit, vt docet Sanctus Thomas 1. p. q. 52. ar. 2.

Solutio eiuſdem.

QVÆSTIO III.

An poſſit Angelus in pluribus locis ſimul exiſtere.

SUppono. Duplicem locum reſpectu Angelorum conſiderari poſſe, *vnum adæquatum*, qui Angelo ita proportionatur, vt poſſit quidem in illo toto exiſtere; non tamen ad maiorem ſe extendere. *Alterum inadæquatum*, in quo Angelus ita exiſtit, vt poſſit ſe ad maiorem extendere, vti eſt quælibet pars illius magnitudinis, quæ eſt locus illius adæquatus. Vnde ſenſus præſentis quæſtionis eſt, an poſſit Angelus virtute naturali, aut ſupernaturali, in plurib' locis adæquatis ſimul exiſtere, aut ſaltem in pluribus locis inadæquatis.

Suppono *præterea*, quòd licet in Deo non ſit niſi vnica, & ſimpliciſſima virtus operatiua ad extra; nihilominùs propter ſuam infinitatem, plurimùm diſtat à virtute creaturæ. *In primis*, quia virtus Diuina eſt actiua omnium rerum: *deinde*, quia ſemper attingit omnia, quæ ſunt actualiter, intuendo, & conſeruando omnem rationem eſſendi in ipſo vniuerſo. *Præterea*, eſt cauſa totius vnitatis, & diſtinctionis rerum omnium. Iam autem virtus creaturæ, etiam ſupremi Angeli, ſicut eſt virtus ſubſtantiæ, cuius eſſe eſt limitatum; ita ipſa multipliciter limitatur. Non enim poteſt eſſe cauſa omnium rerum, neq; vnius effectus ſecundùm omnem rationem eſſendi; neque opus eſt, quòd ſemper adſit, vt conſeruet effectũ iam productum; neq; inſuper eſt cauſa diſtinctionis omnium rerum, nec virtus eius abſque termino poteſt extendi ad operandum in quantocunq; corpore.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Angelus naturaliter nõ poteſt ſimul eſſe in pluribus locis adæquatis.

COnclusio. Angelus naturaliter non poteſt ſimul eſſe in pluribus locis adæquatis. Ita Sanctus Thomas in 1. ſent. diſt. 37. q. 3. ar. 2. *Probatur I.* Si Angelus naturaliter poſſet ſimul, & ſemel eſſe in pluribus locis adæquatis, & totalibus, eo ipſo poſſet eſſe vbique. Sed hoc falſum eſt: Ergo Angelus naturaliter non poteſt ſimul, & ſemel eſſe in pluribus locis adæquatis totalibus. *Sequela patet*: quia non eſſet ratio, cur poſſet eſſe in duobus, tribus, aut decem, & non in omnibus in infinitum. *Minor etiam manifeſta*: quia cùm Angeli virtus ſit finita, & limitata; quemadmodùm & natura ipſius, certam & limitatam habet ſuæ actiuitatis ſphæram; ideò Angelus non poteſt eodem momento potentiam operatiuam omnibus locis applicare. Vnde S. Damaſcenus lib. 2. fidei cap. 2. de Angelis dicit: *Dum ſunt in cælo, in terra non ſunt; & in terram à Deo miſſi, non remanent in cælo.* Ergo vbiquitas Angelo naturaliter attribui non poteſt.

Probatur II. Adæquatum dicitur illud, quod neq; excedit, neq; exceditur: ergo implicat Angelum naturaliter ſimul, & ſemel eſſe in pluribus locis adæquatis. *Conſequentia patet*: quia alias neuter ille locus eſſet adæquatus: *Non enim primus*, quia excederetur ab Angelo exiſtente in alijs locis. *Non etiam ſecundus, & alia loca*: quia ſimiliter excederetur ab Angelo ratione prioris loci.

Probatur III. Angelus eſt in loco per applicationem ſuæ virtutis ad locum. Sed non poteſt ſuam virtutem ad plura loca adæquata ſimul applicare: ergo neq; in illis ſimul eſſe poteſt. *Minor deducitur ex differentia*, quæ reperitur inter potentiam Diuinã, & Angelicam: cùm enim virtus Diuina per ſe primò reſpiciat ens producibile vt ſic; ideò poteſt attingere non tantùm aliquod vnum ens, aut plura ſub vna ratione formali; verum etiam plura vt plura ſunt: eò quòd attingat per ſe primò rationem, quæ tranſcendit id, per quod ſunt plura vt plura, & conſequenter pluribus locis, etiam vt plura ſunt, imò & infinitis ſi darentur, applicari poteſt. At verò virtus Angelica cùm non ſit creatiua, vt Diuina, ſed tantùm eductiua, & reſpiciat aliquod determinatum ens, non poteſt attingere plura vt plura, neq; pluribus locis, vt plura ſunt, applicari: quoniam ratio illa determinata, ſecundùm quam Angelus effectum attingit, non tranſcendit rationes differentiales plurium. Ergo Angelus non poteſt ſuam virtutem ad plura loca adæquata, vt plura ſunt, ſimul applicare. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Angelus poteſt eſſe naturaliter in duobus locis inadæquatis non exiſtendo in medio.

Corollarium I. Angelus poteſt eſſe naturaliter in duobus locis inadæquatis, ſeu partialibus, non exiſtendo in medio, dũmodò duo illa loca nõ excedant quantitatem loci adæquati, & dummodò non diſtent ab inuicem maiori diſtãtiâ, quàm poſſit cõprehendi ſub quantitate loci adæquati. *Ratio*: quia Angelus eſt in loco per liberam applicationem ſuæ virtutis ad illum, ita vt pro ſuo placito poſſit virtutem ſuam applicare toti ſphæræ ſuæ actiuitatis, aut etiam aliquibus eius partibus, in eiſq; ſolum localiter exiſtere: ergo nihil obſtat, quominùs eam poſſit applicare duabus extremitatibus, in illiſque relicto medio intacto, collocari; quemadmodùm etiam homo poteſt ſimul mouere duos lapides inter ſe diſtantes, licet in medio nihil moueat, & operetur; *Præterea*, quia Angelus poteſt ſe ſubtrahere à toto loco adæquato, & nullibi exiſtere, eò quòd ſit in toto

loco adæquato per liberam applicationem: ergo cùm etiam in ſingulis eius partibus liberè ſit, poteſt ſe à qualibet parte ſubtrahere, & conſequenter ab ipſo medio, remanendo in extremis. Nihilominùs tunc ſimpliciter loquendo Angelus eſſet in vno loco, quia illæ partes, ſeu extrema reſpectu Angelicæ virtutis habent ſe per modum vnius loci, eò quòd ab eadem virtute hîc & nunc contineantur. Quemadmodùm baculus, qui ſecundùm vnam medietatem eſt in aqua, & ſecundùm alteram in âere, ſimpliciter loquendo eſt in vno loco, etiamſi ipſæ ſuperficies âeris, & aquæ, ſint duæ realiter diſtinctæ, quia iſta diſtinctio eſt multùm materialis reſpectu vnitatis loci, cùm ambæ ſimul habeant rationē menſuræ continentis, & menſurantis locatum. Et ſimiliter etiam in locò Angeli conſiderari debet vnitas vice verſa, propterea, quia Angelus vnica virtute, & operatione continet illas duas partes ſpatij, quæ ſunt intra circulum ſuæ actiuitatis.

Corollarium II. Angelus non poteſt naturaliter in duobus locis etiam partialibus, licet minimis exiſtere, ſi ab inuicem diſtant extra ſphæram ſuæ actiuitatis. *Ratio*: quia alias Angelus poſſet eſſe ſimul in cælo, & in terra, dummodò in cælo, & in terra non occuparet maius ſpatium, quàm quod reſpondet quantitati ſuæ actiuitatis. *Deinde*, Angelus non haberet opus moueri localiter ad operandū in terra: quoniam non opus haberet relinquere terminum à *quo*. Inſuper, quia illa duo loca partialia, non poſſent habere rationem vnius loci, ſiquidem non poſſent contineri intra locum adæquatum, ſi Angelus tunc vellet extendere virtutem ſuam ad locum ſibi adæquatum.

Corollarium III. Angelus poteſt exiſtere in pluribus locis adæquatis naturali ſuæ virtuti, de potentia Dei abſolutâ. *Ratiò*: quia Angelus eſt in loco per operationem, quæ pendet ab eius virtute in genere cauſæ efficientis; poteſt autem Deus virtutem cauſæ efficientis augere, atq; ſic efficere, quòd ille Angelus, qui v. g. non poterat operari niſi circa ſpatium vnius leucæ, in multò maiori operetur.

Angel⁹ poteſt exiſtere in pluribus locis adæquatis ſupernaturaliter.

Corollarium IV. Plures tamen Angeli poſſunt ſimul in eodem loco materiali exiſtere. *Ratio*: quia locus materialis dicitur corpus illud, ſeu ſpatium, in quo Angelus operatur. Sed plures Angeli poſſunt eidem corpori, aut ſpatio ſimul ſe applicare, diuerſos ſpecie effectus in eo producendo, v. g. ſi vnus Angelus producat lucem in hac parte âeris; alter verò motum: ſi enim non repugnat idem ſubiectum recipere diuerſos effectus, neq; etiam repugnat plures Angelos, quemlibet in ratione diuerſi agentis, illi vniri: ergo plures Angeli poſſunt ſimul in eodem loco materiali exiſtere.

Corollarium V. Plures Angeli non poſſunt ſimul eſſe in eodem loco formali adæquato, & connaturali, per modum cauſarum principalium; partialiter tamen & inadæquatè id non repugnat. *Ratio primi*: quia vnitas formalis loci in Angelis, non ſumitur ex eo, quòd eundem habeant ſitum, eandemq; diſtantiam ad polos, & centrum mundi, ſed ex vnitate virtutis operatiuæ, & operationis ab ea procedentis; ita vt totum illud ſpatium ſit formaliter vnus locus, ad quod per ſuam virtutem operatiuam, & vnicam operationem illi adæquatam, Angelus poteſt ſe extendere. Nam ſicut prima ratio, quâ corpus dicitur eſſe actu in loco, eſt ſuperficies à qua continetur; ita prima ratio, per quam immediatè Angelus eſt præſens loco, eſt eius virtus operatiua, & operatio: vnde ſicut ab vnitate ſuperficiei cor-

poris ambientis, deſumitur vnitas loci rei corporeæ; ita ab vnitate virtutis operatiuæ, & operationis, adæquatæ cuiuſlibet Angeli, deſumitur vnitas formalis loci ipſius, ſiquidem primum in vnoquoq; genere, eſt menſura cæterorū. Cùm ergo plures Angeli nō poſſint eandem numero operationem, tanquàm cauſæ totales, & principales elicere, eò quòd idem numero effectus non poſſit exire à duabus cauſis totalibus, & adæquatis, ſaltem principalibus, nec inter ſe ſubordinatis; ideò plures Angeli non poſsūt in eodem loco formali adæquato, per modum cauſarum principalium exiſtere. *Ratio verò ſecundi eſt*: quia cùm Angeli ſint libera agentia, poſſunt moderatione vti in exercitio ſuæ virtutis, & ita eam coaptare cum virtute alteri⁹ in ordine ad eundem effectum, vt partialiter cum illa coniungatur; hoc autem eſt, eſſe in eodem loco formali partialiter, & inadæquatè. Regulariter tamen id bonis Angelis non conuenit: quia hi cùm ſint ſuprema entia vniuerſi, perfectiſſimaq; agentia, non operantur regulariter vt cauſæ partiales, ſed immediatè contingunt locum, per modum agentis, & continentis perfecti, & quilibet eorum eſt ſufficiens, aut ſuâ, aut Diuinâ virtute ad producendos effectus, ad quos deſtinatur.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem.* Poteſt Deus creare de nouo vnum Angelum, cuius virtus operatiua poſſit ſe extendere ad totam machinā mundi: ergo ex eo, quòd virtus Angeli ſit finita, non ſequitur eum in pluribus locis adæquatis ſimul non poſſe exiſtere. *Antecedens probatur*. Nunc de facto ſupremus Angelus poteſt applicare ſuam virtutem operatiuam, ad 10. aut 20. milliaria: ergo poteſt Deus creare vnum Angelum, cuius virtus in eadem proportione, aut maiore, habeat ſe ad ſupremum Angelum, qui iam creatus eſt, & ſic ille Angelus de nouo creatus poſſet eſſe in toto vniuerſo. *Reſpondetur concedendo*, quòd poſſit Deus creare vnum Angelum de nouo tàm excellētis virtutis, vt naturaliter poſſet operari in toto vniuerſo, licet non ſecundùm omnem rationem operandi, ſecundùm quam Deus operatur. Cæterùm tunc deficeret iſte ordo, per quem nunc de facto ſoli Deo reſeruatur, quòd vbiq; ſit, & vbiq; ſimul operetur. Vnde licet de potentia Dei abſolutâ, finita virtus Angeli poſſit hoc totum vniuerſum corporeum continere, in eoque exiſtere; de facto tamen non decet, vt Angelus in toto mundo exiſtat: quia mundus factus eſt ad repræſentandam vniuerſalem Dei virtutem.

Solutio eiuſdem.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.* Si Angelus poſſet eſſe naturaliter in duobus locis inadæquatis, non exiſtendo in medio, ſequeretur illum eſſe in pluribus locis, vt plura ſunt. Sed hoc nō eſt concedendum: ergo Angelus non poteſt eſſe naturaliter in pluribus locis etiam inadæquatis. *Minor eſt S. Thomæ* 1. p. q. 52. ar. 2. & in 1. diſt. 37. q. 2. ar. 2. vbi docet: *Angelum non poſſe eſſe in pluribus locis, vt plura ſunt*. Sequela etiam patet; quia illa loca inadæquata, & partialia, neq; eſſent vnum entitatiuè; neq; continuatiue, ſiquidem eſſent diuiſa, & diſcontinuata; neq; ordine, quoniam operatio non deriuaretur ex vno ad aliud, ſed æq; primò inciperet ab vtroque. *Reſpondetur diſtinguendo ſequelam maioris*. Sequeretur Angelum eſſe in pluribus locis, vt plura ſunt, ſi poneretur in pluribus locis inadæquatis, quorum vnus eſſet extra ſphæram propriæ

Obiectio ſecunda.

Solutio eiuſdem.

propriæ actiuitatis, conceditur: si poneretur in pluribus locis inadæquatis, intra sphæram propriæ actiuitatis cõtentis, *negatur sequela maioris*. Nam eo ipso, quòd loca illa partialia, & inadæquata, contineantur intra spatium illud, ad quod Angelus potest extendere suam virtutem, simul vnica operatione in illud operando, habent rationem vnius loci simpliciter: quia conueniunt in eo, quod in loco Angeli habet se vt formale, videlicet in hoc, quod est, ab eadem virtute, & operatione Angeli simul tangi, & possideri. Vnde licet illa duo, aut plura loca inadæquata Angeli inter se distãtia, intra sphæram ipsius actiuitatis cõtenta, neq; entitatiuè, neq; continuitate, neq; ordine essent vnum; nihilominùs essent vnus locus formaliter.

Instantia I. & eius solutio

Instabis. Licet anima humana sit perfectissima quoad modum informandi; non potest tamen informare partes extremas corporis, videlicet caput, & pedes quin simul informet intermedias, v. g. collum, & pectus: ergo pariter Angelus non potest esse in duobus locis inadæquatis, inter se distantibus, non existendo in medio. *Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia*. Disparitas est: *tum* quia anima nostra sumit suam vnitatem ab vnitate corporis, quod informat; partes autem dissitæ, & diuisæ, non sunt vnum corpus, sed plura: *tum* quia anima rationalis informat corpus suppositis dispositionibus; quarum prima est quantitas continua. At verò Angelus neq; sumit suam vnitatem à corpore, seu loco, neq; ipsum informat.

Instantia secunda & solutio eiusdem.

Instabis vlteriùs. Sequeretur hinc, Angelum posse simul esse in pluribus locis inadæquatis, quacunq; distantiâ à se remotis, v. g. in cælo, simul & in terra. *Sequela patet*: quia potest designari in cælo breue aliquod spatium, & aliud in terra, quæ simùl iuncta, locum Angeli adæquatum, v. g. vnius leucæ non excedant. *Respondetur negando sequelam*: nam tota ratio, cur Angelus possit esse naturaliter simul in duobus locis inadæquatis, etiam inter se discontinuis, non solum est: quia non excedunt locum adæquatum illius Angeli; sed etiam, & quidem maximè, quia continentur intra sphæram actiuitatis ipsius, seu spatij eius adæquati; iam verò duo spatia in cælo, & in terra designata, quamuis exigua; ratione tamen distantiæ, quæ intercedit inter vtrumque, sunt extra sphæram actiuitatis cuiuscunq; Angeli: cùm nullus sit Angelus, cuius actiuitatis sphæra tanta sit, vt à cælo ad terram vsq; possit se extendere.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. Si Angelus esset simul in duobus locis inadæquatis discontinuis, ac inter se distantibus, haberet simul duplicem præsentiam. Sed hoc admitti non debet: ergo Angelus non potest simul esse in duobus locis inadæquatis. *Minor patet*: quia non potest assignari actio, per quam acquireret duplicem illam præsentiam: neq; enim per motum continuum, neq; per discretum, quod sic ostenditur. Sit v. g. Angelus per vnam horam in vno Angulo lectorij, & post horam nõ relicto illo angulo fiat præsens alteri angulo opposito, nõ existendo in medio: in isto casu non esset motus continuus, quia spatiũ non esset continuum. Non esset etiam discretus, quia ad motum discretum requiritur derelictio termini *à quo*. *Respondetur distinguendo maiorem*. haberet duplicem præsentiam inadæquatam, *cõceditur maior*: adæquatam, *negatur*: nam in isto casu solùm esset vnica præsentia adæquata, per quam Angelus vtrumq; locum, tanquàm vnum adæquatè respiceret. *Ad probationem minoris dicitur*, quòd Angelus illam secundam præsentiam in altero angulo non acquireret per motum continuum,

Sententia triplex.

neq; per discretum, sed per mutationem quandam ad motum discretum reductam. Quemadmodùm enim dum Angelus occupat minorem locum, quàm possit, & deinde paulatim occupat locum adæquatum, acquirit similiter præsentiam per mutationem, quæ reducitur ad motum continuum; ita in supposito casu, acquireret secundam illam præsentiam per mutationem, quæ ad motum discretum reduceretur.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium* III. Vnum corpus etiam de absoluta Dei potentia non potest simul esse in pluribus locis adæquatis: ergo & Angelus. *Respondetur negando cõsequentiam*: *Disparitas est*: quia corpus est in loco circumscriptiuè per quantitatem, tanquam per causam formalem, quæ ipsi corpori dat & vnitatem numericam, & simul occupationẽ loci; & ideò vnum corpus plura loca occupare non potest, sine pluribus quantitatibus, cùm effectus formalis non possit multiplicari, non multiplicatâ ipsâ formâ: implicat autem plures quantitates dari in vno, & eodem corpore, quoniam à quantitate, vel saltem à materia signata quantitate, corpus habet suam vnitatem numericam. Vnde corpus habens plures quantitates, & esset vnum ex suppositione, & non esset vnum ob multiplicationem quantitatum. At verò Angelus est in loco per operationẽ, & ideò non habet istam repugnantiam.

Solutio eiusdem.

DISPVTATIO III.

De motu locali Angelorum.

QVoniam per motum localem acquiritur locus, ideò postquàm explicatum est, quomodò Angelis conueniat esse in loco. Tractant Theologi de motu locali Angelorum 1. p. q. 51. inuestigando eius naturam, existentiam, speciem, & durationem.

QVÆSTIO I.

An possit Angelus moueri localiter.

QVæstio proposita de duplici motu intelligi potest, videlicet de continuo, quo locus aliquis deseritur, & alius acquiritur successiuè ac per partes, & tali motu mouebant se Angeli illi, qui in assumptis corporibus simul cum hominibus, quibus apparebant, ferũtur ambulasse in Scriptura Sacra. *Deinde*, de motu discreto, in quo è contra mobile deserit totum simul terminum *à quo*, & acquirit totum simul terminum *ad quem*. An nimirum duplici isto motu Angelus localiter moueri possit. Circa quod.

Sententia negans.

Durandus in 1. sent. dist. 37. q. 2. negat Angelos moueri localiter, eò quòd censeat Angelos esse vbique, & cõsequenter quòd aliquem locum de nouo acquirere non possint. Vnde quando Angeli in Scriptura Sacra dicuntur mitti, vel ire in aliquem locum, respõdet, quòd non ideò dicantur mitti, aut ire in aliquem locum, quasi incipiant de nouo esse in illo, sed quia aliquem effectum de nouo efficiunt in illo loco. Quemadmodùm inquit Filius Dei dicitur missus in mundum, descendisse de cælis. Similiter Spiritus Sanctus dicitur missus ad Apostolos, propter nouos effectus, aut nouum modũ apparendi in mundo. Sed hæc sententia Durandi passim reijcitur, tanquàm periculosa in Fide. Cùm ex mente omnium Sanctorum Patrum, & Theologorum longè aliter intelligi debeat, Filium Dei descendisse de cælo, missum esse in mundum; aliter autem v. g. Gabrielem missum esse à Deo ad Virginem. Nam Dei Filius non venit, vbi antea non erat, sed apparuit in humana naturâ, & secundùm illam erat, vbi antea non

non erat ſecundùm eam; at verò Gabriel Angelus miſſus ad Virginem, reuera deſijt eſſe in cælo, & cœpit eſſe, vbi antea non erat. Quemadmodùm etiã anima Chriſti realiter deſcendit ad inferos, vbi antea non erat.

Sententia affirmans.

Altera ſententia docet, Angelos poſſe moueri localiter. Et hanc ſequitur communis Theologorum doctrina.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Angelus poteſt moueri localiter.

CONcluſio. Angelus poteſt moueri localiter motu per ſe, & motu per accidens; idq; tam motu continuo; quàm diſcreto. *Probatur I. pars concluſionis*, in primis ex Scriptura Sacra, Tobiæ 5. vbi Raphaël Angelus dicit: *Omnia itinera eius frequenter ambulaui.* Et Iob. 1. v. 17. Satan ait: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Et Matth: 28. *Angelus autem Domini deſcendit de cælo.* Et Lucæ 2. *Diſceſſerunt Angeli à paſtoribus in cælum.* Id ipſum ſuadet ratio, quia cùm Angeli ſint præditi intellectu, & voluntate, poſſunt cognoſcere, & appetere præſentiam in aliquo loco, aut abſentiam ab illo; fruſtra autem natura talem appetitum tribueret illis, ſi ipſis denegaret potentiam loco motiuam, quâ ad illa loca poſſent accedere, vel ab eis recedere. Ergo Angeli poſſunt moueri localiter.

Probatur *deinde altera pars concluſionis, de motu per ſe:* quia Angelus poteſt operari ſucceſſiuè in diuerſis corporibus immotis, vel in diuerſis eiuſdem corporis immoti partibus. Sed tunc Angelus moueretur localiter, ſiquidem fieret præſens ſucceſſiuè diuerſis locis; & non moueretur per accidens, quia ſupponitur nihil aliud moueri, ſed corpus in quo Angelus ſucceſſiue operatur, manere immotum: ergo moueretur per ſe.

Probatur III. *pars concluſionis de motu per accidens.* Moueri aliquid per accidens, eſt illud moueri ad motum alterius, cui coniungitur; ſiue iſta coniunctio ſit per modum, quo forma accidentalis, aut ſubſtantialis vnitur ſubiecto; ſiue quo agens vnitur paſſo; ſiue vt Sacramentaliter continenti, qui modus eſt proprius corporis Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus. Sed Angelus poteſt vniri corpori, ſaltem vt agens paſſo, & motor mobili, ad motumque illius moueri: ergo Angelus poteſt motu per accidens moueri. Quemadmodùm anima per accidens mouetur ad motum corporis. Ita S. Thomas 1. p. q. 51. art. 3. vbi de aſſumptis corporibus ſic loquitur: *Angeli mouentur per accidens, motis huiuſmodi corporibus, cùm ſint in eis, ſicut motores in mobilibus, & ita ſint hîc, quòd non alibi: quod de Deo dici non poteſt. Vnde licet Deus non moueatur, motis his, in quibus eſt, quia vbiq; eſt: Angeli tamen mouentur per accidens, ad motum corporum aſſumptorum.*

Probatur IV. *pars concluſionis de motu continuo.* Illud mobile mouetur motu continuo, quod aliquem locum diuiſibilem ſucceſſiuè, & diuiſibiliter acquirit. Sed Angelus quãdo mouetur, aliquem locum diuiſibilem ſucceſſiuè, & diuiſibiliter acquirere poteſt: ergo poteſt moueri motu continuo. *Maior eſt manifeſta. Minor probatur.* Succeſſiuè & diuiſibiliter acquirere locum, quantum ſufficit ad continuitatem motus, nihil aliud eſt; quàm mobile, ſine interruptione ſui motus, priùs ad propinquiores partes ſpatij, quàm ad remotiores peruenire. Sed Angelus poteſt id præſtare; quia cùm locus eius adæquatus ſit diuiſibilis, quando vnam partem illius occupat, poteſt paulatim operationem ſuam extendere ad reliquas partes illius, ſine intermedia quiete: ergo quãdo Angelus mouetur, poteſt aliquem locum

cum diuiſibilem, ſucceſſiuè, & diuiſibiliter acquirere.

Probatur *deniq; V. pars concluſionis de motu diſcreto.* Deſerere per vltimum eſſe totũ aliquem locum, & immediatè poſt per primum eſſe, acquirere alium totum ſimul; non verò per partes, eſt moueri motu diſcreto. Sed Angelus poteſt id præſtare: ergo poteſt moueri motu diſcreto. *Minor probatur.* Angelus eſt indiuiſibilis, proinde non commenſuratur loco, in quo exiſtit: ergo poteſt per vltimũ eſſe ſuæ operationis, deſerere totum aliquem locum, & immediatè poſt per primum eſſe alterius operationis in totum alium locum, illum totum ſimul acquirere. *Conſequentia patet I.* quia Angelus hoc ipſo, quod non commenſuretur loco, non debet eſſe in illo ſecundùm exigentiam eius, proinde neq; moueri continuè, & per partes in illo loco, etiamſi continuus ſit. II. quia ex ſola mobilis extenſione prouenit, quòd non poſſit totum ſimul acquirere terminum *ad quem;* Angelus autem eo ipſo. quòd ſit indiuiſibilis, caret extenſione. III. quia anima rationalis hoc ipſo, quòd ſit indiuiſibilis, in momento actuat totum corpus diuiſibile, & in inſtanti totum ſimul deſerit. Cur ergo pariter Angelus nõ poterit aliquem locum totum ſimul & ſemel deſerere; alium verò immediatè poſt ſimiliter totum ſimul acquirere. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Motus Angeli per cõparationem ad corporalia, eſt æquiuocè motus localis.

Corollarium I. Motus Angeli per comparationem ad corporalia non eſt propriè motus localis, ſed æquiuocè. Ita Sanctus Thomas 1. p. qu. 53. art. 1. his verbis: *Sicut eſſe in loco, æquiuocè conuenit corpori, & Angelo; ita etiam & moueri ſecundùm locum.* Et in 1. diſt. 37. q. 4. ar. 1. dicit: *Quia moueri loco, ſequitur ad eſſe in loco; ideò eodem modo conuenit Angelo moueri loco, ſicut eſſe in loco; & vtrumq; eſt æquiuocè reſpectu corporalium.* Ergo ſicut eſſe in loco non cõuenit Angelo propriè, ſed æquiuocè iuxta D. Thomam; ita & moueri localiter. Et *ratio corollarij eſt:* quia motus localis propriè dictus, qualis eſt in corporibus iuxta Ariſtotelem 3. Phyſic: tex. 6. *eſt actus exiſtentis in potentia,* proinde actus imperfecti; motus autem Angeli non eſt eiuſmodi, vt docet Sanctus Thomas citatus in reſponſione ad 2. vbi dicit: *Motus qui eſt ſecũdùm applicationem virtutis, eſt exiſtentis in actu, quia virtus rei eſt, ſecundùm quod actu eſt.* Præterea, quia motus localis in corporibus, pro termino habet modum aliquẽ vbicationis, pertinentem ad prædicamentum vbi: ſecus in Angelis, cùm vbi Angelicum non ſit realiter diſtinctum ab operatione Angeli, per quam exiſtit in loco, verùm eſt eiuſmodi operatio, ſecundùm quod ab ipſo Angelo immediatè tàm immediatione ſuppoſiti, quàm virtutis procedit, dicitq; ordinem, aut quaſi ordinem tranſcendentalem ad locum.

Motus localis Angeli quo per ſe mouetur conſiſtit in diuerſi contactus quantitatis virtutis.

Corollarium II. Motus localis Angeli, quo per ſe mouetur, cõſiſtit in diuerſis contactibꝰ quantitatis virtutis, quibus ſine intermedia quiete tangit ſucceſſiuè diuerſa corpora, ſiue in diuerſis operationibus circa diuerſa loca, ſine prædicta quiete. Ita Sanctus Thomas citatus his verbis: *Quia Angelus non eſt in loco, niſi ſecundùm contactum virtutis, vt dictum eſt, neceſſe eſt, quòd motus Angeli in loco nihil aliud ſit, quàm diuerſi contactus diuerſorum locorum ſucceſſiuè, & non ſimul: quia Angelus non poteſt eſſe ſimul in pluribus locis.* Huiuſmodi autem contactus fieri per operationem, declarat Sanctus Thomas in 1. diſt: 37. q. 4. ar. 1. *Dicitur* inquit, *Angelus eſſe in loco, in quantum applicatur loco per operationem: & quia non ſimul*

simul est in diuersis locis; ideò successio talium operationum, per quas in diuersis locis esse dicitur, motus eius vocatur. Et *ratio corollarij est*, quia moueri localiter nihil aliud est, quàm successiuè, & sine media quiete, esse in diuersis locis. Sed Angelus successiuè, & sine media quiete, contingendo diuersa loca per operationem trãseuntem est in diuersis locis: ergo motus Angeli consistit in diuersis contactibus diuersorum locorum successiuè factis, per operationem transeuntem.

Corollarium III. Motus localis Angeli, quo mouetur per accidens ad motum corporis, in quo localiter existit, nihil aliud est, quàm motus inhærens ipsi corpori, quod per se mouetur; & in quo Angelus operatur; à quo etiam secundariò, & per accidens, denominationem moti recipit. *Ratio corollarij est:* quia sicut nobis motis, mouentur omnia, quæ sunt in nobis; ita moto aliquo corpore, in quo localiter existit Angelus, per accidens ipse Angelus mouetur: ergo sicut motus localis, quo v. g. anima nostra per accidens mouetur ad motum corporis, quod informat, in nullo alio cõsistit, nisi in motu locali inhærente ipsi corpori, à quo extrinsecè, & per accidens mota denominatur; ita quoq; motus localis, quo Angelus per accidens moueri dicitur, in nullo alio consistit, nisi in motu locali, inhærente illi corpori, ad cuius motum mouetur.

Angelus nõ mouetur motu per accidens ad motum corporis, in quo localiter existit.

Corollarium IV. Angelus non mouetur motu per accidens, ad motum corporis, in quo localiter existit, eo modo quo homo qui vehitur naui, mouetur per accidens ad motum ipsius nauis. *Ratio:* quia aliter mouentur per accidens, ad motum alterius illa, quæ per se possunt esse in loco, vt corpora, & aliter ea, quæ per se non possunt esse in loco, sicut formæ, & substantiæ spirituales, cuiusmodi sunt Angeli. Nam corpora per accidens, & ad motum alterius mouentur efficienter, vt homo in naui, qui per accidens ad motum nauis efficienter mouetur, quatenus nauis suo motu eum quasi impellit, & sic est causa motus in ipso. At verò Angeli mouentur formaliter ipso motu corporis in quo sunt, sicut & formæ spirituales: quando enim homo mouetur, non causat in anima aliquem motum localem in ipsa receptum, sed ipso motu recepto in homine, formaliter anima moueri dicitur. Quemadmodùm & Christus in Sacramento Eucharistiæ ad motum specierum ipsis inhærente, mouetur.

Corollarium V. Motus localis, quo Angelus per se mouetur, si consideretur secundum id, quod dicit in recto, est inhæsiuè in ipso Angelo; si autem consideretur secundum id, quod connotat in obliquo, recipitur in loco corporeo, cui applicatur. *Ratio:* quia motus localis Angeli, quo per se mouetur, consistit in diuersis eius operationibus circa diuersa loca. Sed illæ operationes cùm sint formaliter immanentes, intrinsecè in ipso Angelo recipiũtur; cùm verò sint virtualiter transeuntes, inferunt passionem, & effectu corporeum, in loco cui Angelus applicatur, productum, & sic recipitur in illo loco corporeo, secũdum id, quod in obliquo importat.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem, & eius I. Corollarium.* Sanctus Thomas in 1. sent: dist: 37. q. 4. art. 1. ad 5. dicit: *Sed æquiuocè loquendo de motu, conuenit ei propriè*, id est Angelo: ergo motus Angeli, est propriè motus localis.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando cõsequentiam. Sanctus enim Thomas ibi *propriè* ibi accipit, prout distinguitur à metaphoricè: quia Angelus reuera mutat locum, hoc autem est moueri propriè, id est, non metaphoricè: cæterùm non intendit S. Thomas ostendere, quòd motus Angeli sit propriè motus localis. Nam non omne, quod nõ est tale metaphoricè, dicitur tale propriè, absolutè, & simpliciter: sic anima rationalis non metaphoricè est creatura; & tamen eam non esse creaturam propriè loquendo, sed creaturæ partem essentialem, docet Caietanus. Similiter accidens non metaphoricè est ens, & tamen non dicitur propriè & simpliciter ens; sed entis ens, eò quòd iuxta Aristotelem 7. met: tex: 2. & lib: 12. tex. 3. *Solæ substantiæ propriè, & verè dicantur entia; accidens verò non habet esse, sed eo aliquid est, & hac ratione ens dicitur.* Moueri ergo conuenit Angelo propriè, id est, non metaphoricè; non tamen propriè simpliciter, cùm æquiuocè tantùm moueri dicatur.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *contra tertiam partem conclusionis.* Angelus existens in corpore, quod mouetur, non mutat locum: ergo non mouetur per accidens. *Consequentia manifesta:* quia impossibile est moueri aliquid localiter, nisi mutet locum. *Antecedens etiam patet:* quia Angelus est in loco per operationem. Sed tunc non operatur in alio loco, nisi in corpore moto: ergo nõ mutat locum.

Solutio eiusdem.

Respondetur distinguendo antecedens. Angelus existens in corpore, quod mouetur, non mutat locum per se, *conceditur antecedens:* per accidens, *negatur. Ad eius probationem dicitur*, quòd licet operatio sit Angelo ratio existendi per se in loco; ratio tamen alicubi existendi solùm per accidens, non est operatio ipsius, sed motus localis corporis, in quo existit, & operatur; vnde ratione talis motus, non autem alicuius operationis de nouo productæ dicitur Angelus moueri per accidens. Quemadmodùm licet informatio sit ratio formalis, per quam anima existit in corpore, nihilominùs vt illa dicatur moueri per accidens, non est necesse, quòd aliud corpus de nouo informet, sed satis est, quòd corpus in quo existit, & cui per modum formæ coniungitur, moueatur localiter.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *contra secundum Corollarium.* Angelus mouens primum Mobile, immotus manet localiter, & tamen agit successiuè in diuersas partes illius: ergo motus localis Angeli non cõsistit formaliter in successione, aut continuatione operationis ipsius in diuersas partes loci corporei.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam: nam ad motum localem Angeli non sufficit, quòd operetur successiuè in diuersas partes alicuius corporis, sed necesse est quòd agat in diuersa loca. Vnde quia illæ partes primi mobilis, quas Angelus motor ipsius successiuè tangit, non sunt diuersa loca, sed vnus solùm formaliter locus, propter eandem distantiam ad polos, & centrum mundi, in qua tanguntur; ideò Angelus tangit eas sine motu locali.

Instantia & eius solutio.

Instabis. Priùs saltem ordine naturæ requiritur, quòd Angelus sit præsens tali loco secundùm suam substantiam, quàm in eo operetur: ergo motus localis Angeli, quo fit præsens diuersis locis, non consistit, in diuersis eius operationibus circa diuersa loca. *Antecedens patet 1.* tum quia præsentia agentis ad passum, ponitur inter conditiones necessariò requisitas ad agendum. *Tum*, quia si Angelus non deberet esse priùs præsens loco, quàm in eo operetur, sphæra illius actiuitatis ex parte loci, esset illimitata. *Respondetur negando antecedens. Prima eius probatio* solùm valet in agentib⁹ corporeis: in istis enim præsentia agentis ad passum,

paſſum, eſt prior ſaltem prioritate naturæ; ſecùs in agentibus ſpiritualibus, in quibus operatio eſt prior præſentia priorirate naturæ. *Ratio:* autem iſtius diſcriminis hæc eſt: quia agentia corporea agunt per virtutem in quantitate ſubiectatam, ab eaq; dependentem; & ideò in illis, ſicut operatio præſupponit virtutem operatiuam; ita & quantitatem, ſubindeq; cõtactum quantitatiuum, qui eſt ipſi ratio formalis eſſendi in loco; operatio autem agentium ſpiritualium non ſupponit in ipſis aliquem contactum, qui ſit proxima ratio eſſendi in loco, ſed ipſa operatio virtualiter tranſiens habet rationem contactus applicatiui ad locũ; & ideò debet præſentiam Angeli in loco antecedere prioritate naturæ, quoniam Angel⁹ per operationem ſit præſens loco. *Ad ſecundam probationem dicitur, negando ſequelam:* licet enim Angelus non debeat eſſe priùs in loco, quàm operetur; eſt tamen in illo per operationem, quæ cùm procedat à virtute Angeli finita, non poteſt ſe ad omnia loca extendere; & ſic ſphæra actiuitatis Angeli, ex parte loci, limitata eſt.

QVÆSTIO II.

An poſſit Angelus tranſire de vno loco in alium, non tranſeundo per medium.

SVppono totam hìc eſſe controuerſiam de motu diſcreto: nam de continuo nullum eſt dubium: ſi enim motus Angeli ſit cõtinuus, certum eſt, non poſſe Angelum moueri de vno extremo in aliud, quin tranſeat per medium. Quia vt docet Philoſophus 6. Phyſic. *Medium eſt, in quod prius venit, quod continuè mutatur, quàm in quod mutatur vltimum. Ordo enim prioris, & poſterioris in motu continuo, eſt ſecundùm ordinem prioris, & poſterioris, in magnitudine*, vt docet idem Philoſophus 4. Phyſicorum.

Mediũ duplex eſt.

Sнppono *prætereа*, quòd ſicut iuxta Philoſophum, in quantitate cõtinua duplices ſunt partes. *Aliæ communicantes*, ſeu proportionales: *aliæ non communicantes*, ſeu aliquotæ; ita duplex eſt medium, quod Angelus poteſt omittere tranſeundo ab vno extremo ad aliud. *vnum communicans*, ſeu participans: *alterum non communicans*, ſeu non participans. v. g. ſit corpus tripalmare, & Angelus exiſtens in primo illius palmo, velit tranſire ad tertium palmum, tunc medium non communicans, erit ſecundus palmus, qui vt diſtinctus ab alijs duobus, habet ſuam magnitudinem, neque de extremis aliquid participat; medium autem cõmunicans erit, ſi ſumatur aliquid de primo palmo, & aliquid de ſecundo; vel aliquid de ſecundo, & aliquid de tertio. Vnde iſta media communicantia, ſeu participantia de extremis, ſunt infinita in potentia; quia poſt aliquam partem indeterminatam primi palmi, poteſt à quolibet puncto menſurari aliquis palmus, qui aliquid participet de primo, & aliquid de ſecundo; cùm verò puncta, & partes proportionales ſint infinitæ in potentia; ideò quoq; media communicantia, ſunt infinita in potentia.

Opinio triplex.

Prima igitur ſententia docet, Angelum poſſe moueri de vno extremo ad alterum, non pertranſito medio tàm cõmunicante, quàm non communicante. Hanc tenet Vaſquez, diſp. 196. cap. 2.

Altera ſententia cenſet, Angelum non poſſe tranſire de vno loco, ſeu extremo, ad alium, non tranſeundo per medium. Ita nonnulli ex recentioribus.

Tertia ſententia affirmat, Angelum motu diſcreto ita poſſe moueri, vt deſerat totum priorem locum, & acquirat totum alium, non pertranſito medio tàm participante; quàm non participante. Et hæc eſt communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Angel⁹ motu diſcreto poteſt tranſire de vno loco in aliũ, non tranſeundo per medium.

COncluſio. Angelus motu diſcreto poteſt tranſire de vno loco in alium, non pertranſeundo medium. *Probatur I.* authoritate Sancti Thomæ in I. diſt. 37. q. 4. art. 2. vbi dicit: *Angelus poteſt tranſire de loco ad locum, ita quòd tranſeat omnia media; & poteſt eſſe, quòd tranſeat de loco ad locum, ſine hoc, quòd ſit in aliquo mediorum; & poteſt eſſe, quòd ſit in aliquibus, & in aliquibus non.* Ergo Angelus iuxta S. Thomam, motu diſcreto poteſt tranſire de vno extremo in aliud, quin tranſeat per medium.

Probatur II. *ratione.* Angelus eſt in loco per liberam applicationem ſuæ virtutis ad illum: ergo poteſt motu diſcreto de vno loco tranſire ad alium, non tranſeundo per medium interceptum. *Conſequentia patet:* quia ſicut ex eo, quòd Angelus ſit in loco per liberam applicationem ſuæ virtutis ad illum, liberè poteſt applicare ſuam virtutem tali loco ſibi adæquato, aut ſolùm parti inadæquatæ; ita ob eandem rationem, poteſt liberè applicare eandem virtutem partibus extremis alicuius ſpatij, non applicando eam intermedijs, ſeu non operando in illis. Sed dato hoc caſu, Angelus moueretur de extremo ad extremum, ſine tranſitu per medium. Ergo Angel⁹ poteſt motu diſcreto tranſire de vno loco ad alium, non tranſeundo per medium. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Quando medium inter extrema alicuius ſpatij interceptum, non eſt communicans cum partibus intermedijs, poteſt Angelus tranſire de vno extremo ad alterum, non tranſeundo per tale medium. *Ratio:* tum quia cur Angelus in ſuo motu diſcreto, de extremo ad extremum, non poſſit aliquod medium non communicans impertranſitum relinquere, nulla alia ratio aſſignatur ab Authoribus contrariæ ſententiæ, niſi quòd ordo naturæ exigat, vt mobile priùs per partes viciniores trãſeat, quàm attingat remotiores. Verùm iſta ratio nullum habet robur in motu Angelico, propter indepẽdentiam Angeli à loco. *Tum,* quia Angel⁹ exiſtens in cælo, dum in terram deſcendit motu diſcreto, non poteſt omnia media non communicantia pertranſire, quia iuxta Authores aduerſæ ſententiæ, motum ſuum diſcretum vnico inſtanti perficit; non poteſt autem percipi, Angelum vno inſtanti è cælo in terram deſcendere, & omnia media pertrãſire: alias eodem inſtanti eſſet in pluribus locis ſibi adæquatis, aut ſaltem in loco maiori, quàm ſit ille maximus, quem poteſt habere: ergo neceſſe eſt, vt Angelus motu diſcreto plura media etiam non communicantia omittat.

Corollarium II. Etiam quando medium inter extrema interceptum, eſt communicans cum partibus intermedijs, poteſt Angelus tranſire de vno extremo ad alterũ, non pertranſeundo tale medium. Ita Sanctus Thomas I. p. q. 53. ar. 2. vbi dicit: *Inter qualibet enim duo extrema loca, ſunt infinita loca media, ſiue accipiantur loca diuiſibilia, ſiue indiuiſibilia.* Ex quo loco deſumitur ratio talis, Angelus nõ poteſt tranſirè per omnia illa infinita loca: ergo omninò neceſſariũ eſt, quòd in ſuo motu locali diſcreto, relinquat aliqua ex prædictis locis intermedijs impertranſita: & ſic poterit Angelus tranſire de extremo ad extremum, non pertranſito medio communicante. *Antecedens patet:* quia infinitum non poteſt pertranſiri dinumerando, alias etiam dinumerãdo ad vltimam eius vnitatem deueniretur, & ſic non eſſet

quid infinitũ, verùm finitum. Vnde si Angelus discretè per omnia illa media pertransiret, tunc illa omnia, & consequenter ipsum infinitum dinumeraret, quod est impossibile.

Angelus nõ est subditus legibus loci.

Corollarium III. Licet Angelus sit subditus legibus temporis, quantum ad hoc, quòd non possit transire de præterito ad futurum, sine eo quin transeat per præsens; non est tamen subditus legibus loci quoad hoc, quòd non possit transire de vno extremo alicuius spatij ad aliud, nisi per medium. *Ratio:* quia Angelus non potest ratione suæ durationis, tangere partes futuras temporis, antequàm existant, cùm hoc sit proprium æternitatis. At verò potest extremas spatij partes tangere, non tangendo intermedias, quia de facto existunt, cùm sint permanentes. Quod facilè potest illustrari exemplo animæ rationalis: hæc enim si posset de suo corpore migrare in aliud, immediatè informaret illud, quamuis esset distans, nòn informando priùs corpora intermedia. Cur ergo similiter Angelus non poterit vniri corpori distanti, non informatiuè, sed actiuè sine eo, quòd vniat *se* corpori intermedio; cùm eodem modo Angelus habeat se in agendo, & mouendo; sicut anima se habet in informando.

Corollarium IV. Potest Angelus transire de extremo ad quodcunq; extremum, quantumcunq; distet, non transeundo per medium. Ita S. Thomas in 1. sent. dist. 37. q. 4. ar. 2. vbi dicit: *Essentia Angeli secundùm se absoluta est ab omni loco, & non definitur ad locum, nisi per operationem, non autem per operationem secundùm quod exit ab essentia, sed secundùm quod terminatur ad operatũ in hoc loco: vnde quando operatur circa hunc locum, ab essentia sua (cùm non sit ex seipsa determinata, vel obligata ad locum illum, sed indifferenter se habens ad omnia, quantum in se est) potest egredi operatio statim ad locum proximum; vel remotum, nec operatio ad distans dependet ab operatione ad proximum.* Ergo cùm indifferenter se habeat ad omnia loca, poterit operari in loco quantumcunq; distanti, quin operetur in proximo: & sic poterit transire ad extremum quantumcunque distans, quin transeat per medium. *Tum*, quia Angelus habens pro loco adæquato spatium v. g. vnius leucæ, solùm dum est in aliquo loco, determinatur, & obligatur ad non existendum vltra distantiam vnius leucæ à tali loco: ergo si illum deserat in instanti, poterit in instanti immediatè sequenti temporis discreti recipere se, quò voluerit, quantumcunq; locus sit distans. *Consequentia manifesta:* quia nihil est, quod eum obliget ad non existendum vltra illam distantiam. *Antecedens etiam patet:* quia si iste Angelus esset in primo, & vltimo puncto dictæ leucæ, tanquàm in locis inadæquatis, solùm dum esset in primo puncto, esset determinatus, & obligatus ad nõ existendum vltra vltimum punctũ talis leucæ: si enim primum dimitteret, posset etiam esse in alio puncto vltimo leucæ sequentis: ergo si vtrumq; punctum, & totum locum, in quo erat, deserat, poterit quocunque voluerit se recipere, neq; erit obligatus ad manendum intra talem distantiam.

Motus Angeli, quo de vno loco transit in alium, non potest fieri in vnico instanti.

Corollarium V. Motus Angeli, quo de vno loco trãsit in alium, siue sit continuus, siue discretus, non potest fieri in vnico instanti. Ita S. Thomas 1. p q 53. ar. 3 in corpore, vbi dicit: *Vnde relinquitur, quòd motus Angeli sit in tempore; in continuo quidem tempore, si sit motus eius continuus; in non continuo autem, si motus sit non continuus. Ratio corollarij quoad motum continuum:* quia nullum successiuum potest fieri in instanti. Sed motus continuus Angeli est successiuus: ergo non

non potest fieri in instanti. *Maior ad oculum patet:* quia fieri successiuè, est fieri paulatim, & partem post partem; fieri autem in instanti, est fieri totum simul. *Minor etiam constat tum ex eo:* quia continuum ab Aristotele diuiditur in permanens & successiuum; motus autem continuus Angeli, non est quid permanens: ergo est quid successiuum. *Tum*, quia vbi est intrinsecè priùs, & posterius, ibi est intrinseca successio. Sed in motu Angeli continuo est intrinsecè prius, & posterius, cùm in spatio vt pertransibili motu continuo, sit ordo prioris & posterioris: ergo in motu Angeli continuo est intrinseca successio. *Præterea*, quia Angelus motu continuo transiens ex vno loco in alium, tangit omnia loca intermedia. Sed Angelus v. g. descendens à cælo in terram, non potest omnia loca intermedia vnico instanti contingere, alias simul contingeret plura loca naturali suæ virtuti adæquata, simulq; esset in cælo, & in àëre intermedio, quod est impossibile, vt docet Sanctus Damascenus lib. 2. Fidei, cap. 3. asserens, Angelum non posse simul esse in cælo, & in terra: ergo motus Angeli continuus non potest fieri in vnico instanti.

Ratio verò *quoad motum discretum est:* quia successio vnius operationis post aliam, non potest fieri in instanti, cùm implicet in instanti esse successionem: alioqui instãs esset diuisibile in partem priorem, & posteriorem. Sed motus discretus Angeli, est successio vnius operationis post aliam: ergo in instanti fieri non potest. *Minor probatur.* Motus discretus Angeli importat vnam operationem, per quam Angelus sit in termino *à quo*, & aliã per quam sit in termino *ad quem*. Sed non potest vtrãq; illam operationem importare, vt simul existentem, alias illi duo termini non essent terminus *à quo*, & *ad quem*. Sed haberent rationem vnius loci adæquati, resultantis ex duobus partialibus: ergo motus discretus Angeli, est successio vnius operationis post aliam. *Maior constat;* quia omnis motus propriè sumptus, debet esse inter duos terminos positiuè sumptos; proinde motus discretus Angeli, debet esse inter duo loca, in quibus Angelus existat. Sed Angelus existit in loco per operationem: ergo motus discretus Angeli, debet importare vnam operationem, per quam sit in termino *à quo*, & aliam per quam sit in termino *ad quem*.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Angelus non potest immediatè immediatione suppositi producere effectum in loco distanti, nisi priùs collocet suam substantiã saltem in loco proximo: ergo à fortiori non potest suam substantiam ponere in loco distanti, nisi priùs eam ponat in loco immediato illi. *Confirmatur.* Angelus non potest transmittere suam operationem in locum distantem, nisi per medium, ita vt prius debeat operari in loco immediato, quàm in remoto: ergo non potest transmittere suam substantiam in locum distantem, nisi per medium.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando antecedens: non enim in loco proximo, sed in loco, in quo producit effectum, debet Angelus suam substantiam collocare; non tamen priusquàm operetur, sed per ipsam operationem, quà producit talem effectum. Similiter ad confirmationem, *negatur Antecedens.*

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.* Angelus non potest prætermittere, aut inuertere ordinem partibus huius vniuersi præfixum. Sed ordo partibus huius vniuersi præfixus,

præfixus, est ordo situalis consistens in eo, quòd nulla creatura possit rem vlteriorem sine priori attingere: ergo Angelus non potest extrema alicuius spatij, non tactis locis intermedijs, contingere.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concessa maiore, negatur minor: ordo enim situalis præfixus à Deo partibus vniuersi materialibus, consistit in eo, quòd ignis sit sursùm, terra deorsùm, aër & aqua inter vtrumque medient: & hunc ordinem non potest Angelus inuertere, faciendo quod vnum elementum locum alterius occupet; vel quòd grauia sursùm, & leuia deorsùm tendant, vel inducendo vacuum in rerum natura, destruendoq; mirabilem illam vnionem, & colligationem partium vniuersi, in qua eius perfectio, & pulchritudo cōsistit. Cæterùm quoad coëxistentiam, & præsentiam Angeli ad partes vniuersi, non est positus hic ordo à Deo, vt priùs tangat partes intermedias, quam extrema; imò potiùs ratione suæ immaterialitatis, & spiritualitatis à tali obligatione, quam habent corpora, liber est. *Respondetur II. distinguendo minorem.* Ordo partib⁹ huius vniuersi præfixus consistit in eo, quòd nulla creatura possit rem vlteriorem sine priori contingere, nulla creatura corporalis, & contenta à loco, legibusq; loci subiecta, *conceditur minor*; nulla creatura spiritualis, & continens locum, atq; independens ab illo, *negatur minor, & similiter negatur consequentia*.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* II. Angelus motu cōtinuo pertransit omnia media communicantia, tàm diuisibilia quàm indiuisibilia; & tamen per hoc non dicitur infinitum dinumerare; ergo neq; pertransëundo motu discreto.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam. Disparitas est: quia in motu continuo, licet mobile infinita loca pertranseat, illa non numerat, vt potè cùm numerus in discretione consistat; nihil autem possit numerari, nisi discretè.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium* V. Motus localis Angeli nihil aliud est, quàm acquisitio loci. Sed Angelus acquirit locum in instanti: ergo mouetur localiter in instanti.

Solutio eiusdem.

Respondetur, negando motum localem Angeli consistere in simplici acquisitione loci: si enim nullibi antea existens applicaretur loco, non diceretur moueri localiter. Verùm consistit in acquisitione vnius loci, & derelictione alterius: vnde licet Angelus acquirat locum in instanti; quia tamen non relinquit alium locum in eodem instanti, sed in instanti præcedenti, inde fit, quòd non possit moueri etiam motu discreto in vnico instanti, sed ad minùs duo instantia requiruntur.

Instabis. Angelus in codem instanti acquirit vnum locum, & deserit alium: ergo mouetur localiter in instanti. *Antecedens probatur.* Quando aliquid in instanti acquiritur, tunc aliud ei oppositum, & incōpossibile derelinquitur in eodem instanti. v. g. in eodem instanti quo forma est in materia, tollitur eius priuatio; in eodem momento, quo aër illuminatur, expelluntur tenebræ. Ergo si terminus *ad quem*, motus discreti Angeli, acquiratur in instanti, in eodem instanti deseritur terminus *à quo*. *Respondetur negando antecedens. Ad eius probationem distinguitur antecedens.* Quando aliquid acquiritur per motum proprium, qui est ab vno termino positiuo, ad alium positiuum, &c. *negatur antecedens*: Quando aliquid acquiritur in instanti &c. per simplicem mutationem, quæ est à termino *à quo* priuatiuo, aut negatiuo, *conceditur antecedens*. Nam ad tollendam negationem, aut priuationem, sufficit positio formæ; at verò ad tollendum contrarium, aut vincendam latitudinem, & distantiam, quæ

quæ est inter duos terminos positiuos, requiritur tempus. Hinc quia generatio, & illuminatio, sunt simplices mutationes, ideò eodem momento, quo forma est in materia, tollitur eius priuatio, eodemq; instanti, quo aër illuminatur, tenebræ expelluntur. At verò cùm motus localis Angeli, siue continuus, siue discretus, sit motus proprius, procedens à termino, & loco positiuo, ad alium terminum, & locum positiuum; non autem simplex mutatio, ideò repugnat in eodem instanti acquiri terminum ad quem, & deseri terminum à quo, vel è contra; verùm ad hoc requiruntur saltem duo instantia, non quidem temporis nostri, quæ non possunt sibi immediatè, succedere, sed temporis Angelici, & discreti, quorum priori mensuranti existentiam Angeli, in termino *à quo* correspondet pars nostri temporis; posteriori verò quod mensurat acquisitionem termini *ad quem*, correspondet instans.

QVÆSTIO III.

An æuum sit mensura esse, & operationum Angeli.

Æuum dupliciter sumi potest.

SUppono *æuum* dupliciter sumi posse. I. largè, & impropriè, pro qualibet duratione incorruptibilis, & sic non potest vnum poni pro omnibus Angelis, & alijs rebus incorruptibilibus, cùm illorū durationes sint multæ, & tot, quot sunt eorum existentiæ. Quemadmodùm etiam si tempus accipiatur solùm pro duratione cuiuscunque motus, non potest esse vnum tantùm, sed tot dantur tempora, quot sunt motus durantes, vt docet S. Augustinus lib. II. confess. cap. 23. his verbis: *An si cessarent cæli lumina, & moueretur rota figuli, non esset tempus, quo metiremur eos gyros?* Moxque subiungit: *Cuiusdam voto cùm sol stetisset, vt victor Iosue prælium peragerer, sol stabat, sed tempus ibat.* II. *æuum* potest sumi strictè, pro duratione maximè regulari, & vniformi, duratione cuiuscūq; substantiæ incorruptibilis durationem mensurante, & sic æuum vnicum esse docet S. Thomas I. p. q. 10 ar. 6 vbi dicit: *Quia cùm vnumquodq; mensuretur simplicissimo sui generis, oportet, quòd esse omnium æuiternorum mensuretur esse primi æuiterni, quod tantò simplicius est, quātò prius.* Prout etiam videmus in tempore, quod in ratione mensuræ vnicum est, videlicet duratio motus diurni primi mobilis, qui cùm sit omnium simplicissimus, & vniformissimus, ad ipsius durationis vniformitatem, reliquas durationes motuum reducimus.

Opiniones duæ.

Prima igitur opinio censet, omnes operationes immanentes Angeli, mensurari æuo, cùm quælibet illarum sit tota simul; iam verò operationes transeuntes, mensurari tempore nostro, aut instanti nostro, iuxta conditionem operationum. Hanc tenet Scotus in 2. sent. dist. 2. q. 4.

Altera opinio docet, esse Angeli mensurari æuo; iam verò operationes, quæ sunt in Angelis diuersæ, aliquas mensurari æternitate participatâ; aliquas verò tempore disceto, & aliquas tempore continuo. Et hæc est communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Resoluitur quæstio.

Esse Angeli mensuratur æuo.

COnclusio. Esse Angeli mensuratur æuo. Ita Sanctus Thomas quodlib. 5. ar. 7 *probatur.* Esse Angeli non potest mensurari æternitate, neq; tempore: ergo necesse est, vt mensuretur æuo, tanquam propriâ mensurâ. *Consequentia patet*: quia solùm istæ tres mensuræ durationis rerum sunt, *æternitas, æuum, & tem-*

& tempus. Antecedens etiam quoad I. partem, constat ex eo: quia tempus solùm est mensura rerum successiuarum, & corruptibilium; esse autem Angeli est totum simul, & incorruptibile, supposito influxu diuino, quem connaturaliter postulat. *Quoad secundam verò partem facilè deducitur*, ex ipsa natura æternitatis: hæc enim est duratio rei omninò immutabilis, quod non conuenit substantiæ Angeli, quæ varijs mutationibus obnoxia est. Cùm ergo æternitas mensuret durationem rei omninò immutabilis, & secundùm substantiam, & secundùm operationem, tempus verò mensuret durationem rei variabilis in esse, & in operatione siquidem mensurat res corruptibiles, quæ sunt in perpetuo fluxu, & corruptione; ideò esse Angeli non potest mensurari æternitate, neq; tempore, sed æuo. Propterea, quia Angelus, licet sit immutabilis secundùm esse substantiale; est tamen mutabilis & secũdùm locum, & secũdùm diuersas cognitiones, atq; affectiones, quas potest exercere, vel non exercere, quando voluerit. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Æuum in ratione mensuræ residet in supremo Angelo, qui remansit in gratia: hic enim Lucifero peccante, accepit rationem mensuræ respectu durationum aliorum Angelorum. Est contra Bannes, & Zumel, qui censent, supremum æuiternorum, in quo tanquam in proprio subiecto, æuum in ratione resideat, esse Luciferum, eò quod ille sit supremus omnium Angelorum, neque naturalem vniformitatem in durando, & operando, ex peccato suo amisit, cùm omnia naturalia manserint integra in dæmonibus. Est item contra Nazarium existimantem, æuum simpliciter, & omnibus cõsideratis, esse in anima Christi, eò quòd hæc ex vnione ad Verbum, maiorem participet immutabilitatem, & manendi vniformitatem; quàm Angeli: & licet sit illis inferior in natura; est tamen superior in gratia, quæ reddit naturam magis eleuatam, & vniformem, ac propinquiorem æternitati. *Et ratio corollarij est:* quia duratio supremi Angeli, retinuit maiorem vniformitatem naturalem in suis operationibus, quæ ex adhæsione ad Deum, & vnione ad summum bonum, per gratiam, & gloriam, perfecta, & consummata fuit. Quemadmodùm etiam dato, quòd motus primi mobilis deficeret ab illa vniformitate, & regularitate, quam habet, statim eius duratio rationem mensuræ, respectu motuum inferiorum amitteret, illaq; ratio mensuræ remaneret, aut resultaret in corpore cælesti, quod magis vniformiter, & regulariter moueretur. Ita pariter, postquàm Lucifer peccando, ab vno summo bono recedens, defecit à regularitate, & vniformitate, quam habebat in operando, amisit statim rationem mensuræ respectu aliorum Angelorum, & supremus inter bonos Angelos, qui immobilis permansit in regularitate, & vniformitate, quam habebat in operando, rationem mensuræ acquisiuit. Et licet certè in Angelis æuum mutauerit subiectum materialiter loquendo; non tamen formaliter: cùm subiectum æui formaliter sit illa substantia immutabilis, quæ minori mutabilitati in operando coniuncta est, seu quæ est radix operationum magis regularium, & vniformium. Sicut etiam locus formaliter sumptus, est superficies ambientis, vt tot gradibus distans à polis, & centro mundi, quæcunq; illa sit materialiter, & in indiuiduo.

Æuum in ratione mẽsuræ residet in supremo Angelo, qui mansit in gratia.

Corollarium II. Cognitio naturalis, quâ se Angeli cognoscunt, & amor, quo naturaliter se amant, mensurantur æuo. *Ratio*; quia licet

Cognitio naturalis, & amor Angel. mensurantur æuo.

cet eiusmodi operatio in se sit indefectibilis, & incorruptibilis; compatitur tamen aliquam mutabilitatem ex parte subiecti in quo est, aliarumq; operationum, quæ illi adiunctæ sunt. At verò visio beatifica, quæ est prima, & omnium nobilissima operatio in Angelis, mensuratur æternitate participata, vt constat ex tractatu de visione Dei.

Corollarium III. Operationes Angelorum, quibus cognoscunt, & amant alias res extra se, mensurantur tempore continuo, si sint continuæ; discreto autem, si sint discretæ. Porrò tempus discretum dicitur ex eo, quia sicut ex multis vnitatibus conflatur numerus, qui est quantitas discreta; ita ex multis actionibus Angelorum sibi succedentibus, aut potiùs ex durationibus earum, consurgit mensura quædam durationis illarum actionum, quæ vocari solet tempus discretum, tempus in quam, quia est duratio habens prius, & posterius, quod proprium est temporis; discretum verò, quia illæ actiones, ex quibus consurgit, succedunt sibi non continuè, sed discretè, velut in numero vnitates. Cur autem pro eiusmodi actionib⁹, talis mensura assignetur. *Ratio est:* quia istæ actiones cùm sint defectibiles, & mutabiles, neq; æternitate, neq; æuo possunt mensurari, nec tempore continuo nostro, vel Angelico, cùm sint discretæ, sibiq; continuò non succedant. Proinde debent mensurari tempore Angelico discreto, si sint inter se incompossibiles: nam vt ex eiusmodi operationibus diuersa instantia fluant, debent esse tales, vt simul esse non possint: quia si possent esse simul, possent quoq; eodem instãti mensurari, & sic non haberent vim sufficientem ad constituendam successionem, quæ in tempore requiritur. Quòd verò sint incompossibiles, ex eo patet: quia Angeli non possunt simul, & vnico intuitu omnia intelligere; ideoq; debent aliqua obiecta post alia cognoscere, prout ordo obiectorum postulat.

Corollarium IV. Operationes Angelorum virtualiter transeuntes, si considerentur actiuè, & ex parte Angelorum, seu vt sunt in Angelis, mensurantur tempore discreto, si sint discretæ; aut continuo, si sint continuæ: quia sub hac ratione sunt spirituales, & à nostro tẽpore independentes. Quod si considerentur passiuè, & quantum ad earum effectus, tunc mensurantur nostro tempore, eò quòd secundùm effectus, quos ad extra ponunt, corporeæ sint, & tempori nostro subdantur. Et hoc expressè docet Sanctus Thomas in 2. sent. dist. 37. q. 4. ar. 3. vbi dicit: *Nullus motus mensuratur per motum cæli, nisi qui est ordinatus ad ipsum. Vnde cùm motus Angeli nullum ordinem habeat ad motum cæli, & præcipuè si motus eius dicatur, processio operationum, oportet, quòd non mensuretur tempore, quod est mensura primi mobilis, sed alio tempore, cuius temporis naturam, ex natura motus accipere oportet.*

Corollarium V. Actiones liberæ Angelorũ, mensurantur vno numero tempore, in supremo Angelo, magis ordinatè, & regulatè operante. *Ratio;* quia illa, quæ sunt multiplicata, & dispersa debent mensurari, & regulari per illud, in quo sunt magis vnita: nam per ea, quæ ad maiorem vnitatem accedunt, cætera mensuramus, & regulamus, vt docet Philosophus 4. Physic. cap. 14. Sed multæ operationes Angelorum inferiorũ reperiuntur in vnica supremi Angeli operatione vnitæ; cùm hic intelligat per species vniuersaliores, pluraq; obiecta representantes, quàm Angelus inferior; ita vt si quatuor, aut quinq; operationes reperiantur in An-

Actiones liberæ Angelorum mensurãtur vno tempore in supremo Angelo.

in Angelo inferiori ad aliqua obiecta cognoſcenda, duæ aliquando, imò etiam vna, in Angelo ſuperiori ad eorundem cognitionem ſufficiunt, eò quòd interdùm vna ſpecies repræſentet intellectui Angeli ſuperioris illa omnia, quæ per quatuor, aut quinq; ſpecies, intellectui Angeli inferioris repræſentantur. Ergo Angelus ſupremus eſt in operando menſura, & regvla inferiorum, & conſequenter duratio etiam operationum ipſius, eſt menſura, & regula durationis operationum Angeli inferioris.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem.* Duratio Angeli cõtinet omnes temporis differentias, & cöexiſtit præſenti, præterito, & futuro: ergo eſſe Angeli menſuratur æternitate, non æuo. *Conſequentia manifeſta*: quia cöexiſtere omnibus temporis differentijs, eſt proprium æternitatis. *Antecedens etiam patet*: quia duratio Angeli eſt indiuiſibilis, & tota ſimul.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando antecedens. Ad eius probationem dicitur, quòd licet in Angeli duratione non ſit aliqua ſucceſſio, ſed ſuam durationem totam ſimul habeat; nihilominus in ea non cõtinentur actu omnes differentiæ temporis; nam vt aliqua duratio poſſit ſimul continere præſens, præteritum, & futurum, non ſufficit, quod ſit indiuiſibilis, & tota ſimul. Sed vltra hoc requiritur, quòd intra lineam durationis ſit infinita, quo duratio Angeli caret. Solum quippè eſſe diuinum eſt ſimpliciſſimũ, ſolumq́; menſuratur æternitate, quæ in vnico *nunc* indiuiſibili, omnes temporis differentias continet. At verò æuum, licet ſit indiuiſibile, & totum ſimul; quia tamen eſt finitum, vt potè menſura eſſe Angelici, quod finitum & limitatum eſt, non cöexiſtit rebus temporalibus, niſi quando actu ſunt, earumq́; tranſitum, & aduentum expectare debet, vt ea continere, & menſurare poſſit.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.* Si æuum poſt peccatum Luciferi reſideret in ſupremo Angelo, qui remanſit in gratia, ſequeretur illud mutaſſe ſubiectum. Sed hoc admitti nõ poteſt; ergo æuum potiùs reſidet in ipſo Lucifero, qui ante peccatum fuit ſuprem⁹ omnium Angelorum.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur diſtinguendo ſequelam. Sequeretur æuum mutaſſe ſubiectum, materialiter loquẽdo, *conceditur ſequela*: hoc enim nullum eſt inconueniens. Sequeretur mutaſſe ſubiectum formaliter, *negatur*: nam ſubiectum æui formaliter, eſt illa ſubſtantia immutabilis, quæ minori mutabilitati in operando coniuncta eſt, ſeu quæ eſt radix operationum magis regularium, & vniformium, vbicunq́; alias hoc inueniatur. Quemadmodùm locus formaliter ſumptus, eſt ſuperficies ambiens, vt tot gradibus diſtans a polis, & centro mundi, quæcunq́; alias illa ſit materialiter, & in indiuiduo. Vnde ſi ſupremus Angelus, minoriq; mutabilitati obnoxius, redderetur mutabilior inferiore ſe, eius duratio amitteret rationem æui, ſeu menſuræ, quæ poſtulat maiorem vniformitate: proinde duratio inferioris Angeli, qui maneret vniformior, diceretur æuũ, ſeu menſura durationis aliorum Angelorum.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium IV.* Actiones intellectus noſtri, licet ſint ſpirituales, menſurantur tempore primi mobilis: ergo etiam operationes Angelorum virtualiter tranſeuntes, licet actiuè conſideratæ menſurantur eodem tempore, & conſequenter à noſtro tempore non ſunt independentes.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur cõceſſo antecedente, negatur conſequentia. Diſparitas eſt: quia anima exiſtens in corpore, pendet ab illo

ab illo tàm in modo eſſendi, quàm in modo operandi; & ideò, quamdiu eſt in corpore, quod amiſſibiliter informat, tempore primi mobilis menſuratur. At verò Angelus eſt omninò à rebus corporeis independens, & cõſequenter tempore noſtro menſurari non poteſt, ſed aliud omninò exigit ſuperioris ordinis, & rationis: atq; ſic ſecundùm continuas operationes, tempus continuum ſpirituale, & ſecundùm diſcretas, ſpirituale diſcretum expoſcit.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium V.* Poteſt cõtingere, quòd dum Angelus inferior liberè operatur, ſuperior nullum actum liberũ eliciat: ergo in tali caſu actio libera inferioris Angeli, non poterit regulari, & menſurari per tempus, ac durationem operationis liberæ ſupremi Angeli: & conſequenter non dabitur vnum tempus in ſupremo Angelo, quo actiones liberæ inferiorum Angelorum menſurentur.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur conceſſo antecedente, negatur conſequentia ſecunda: ſuppoſito enim, quòd contingat Angelum ſupremum, nullum elicere actum liberum, dum inferior liberè operatur, tunc operatio libera Angeli inferioris, menſuraretur aut tempore particulari, & intrinſeco; nõ autem tempore cõmuni, & extrinſeco, in ſolo ſupremo Angelo exiſtente. Quemadmodùm etiam quando tempore Ioſue ſol, & conſequenter primum mobile in quo eſt tempus, ſteterat, motus corporum inferiorũ ſolùm tempore particulari, & intrinſeco; non autem communi, & extrinſeco menſurabantur.

DISPVTATIO IV.

De quidditate & medio cognitionis Angelicæ.

POſt explicata ea, quæ pertinent ad ſubſtantiam Angeli, conſideratam tàm in ordine ad ſe; quàm in ordine ad alia, tractant Theologi de quidditate, & medio cognitionis Angelicæ cum S. Thoma 1. p. q. 54. & 55.

QVÆSTIO I.

Per quidnam Angelus ſeipſum cognoſcat.

Angeli intellectuali cognitione præditi ſunt.

CErtum eſt, dari in Angelo intellectum, eò quòd ſit ſubſtantia omninò immaterialis; immaterialitas autem eſt radix intellectualitatis; & ideò Angeli, quia ſunt creaturæ purè ſpirituales, & intellectuales, ſunt etiam maximè capaces intellectionis, & cognitionis. Propter quod Angeli in Scriptura Sacra deſcribuntur loquentes inter ſe, & cum hominibus; iam autem omnis locutio, præſupponit in loquente cognitionem: quoniam loqui nihil aliud eſt, niſi exprimere animi ſui conceptus. Indubitatum eſt igitur apud omnes, Angelos intellectuali cognitionie præditos eſſe, ſolumq́; controuertitur, qualis ſit illa cognitio Angelorum, an videlicet per ipſam ſuam ſubſtantiam, & eſſentiã; an verò per aliquam actualitatem ab ea realiter diſtinctam, ſint intelligentes.

Opinio triplex.

Auerròes igitur 12 Metaphyſicæ, tex 52 affirmare videtur, Angelos per ipſammet ſuam ſubſtantiam, & eſſentiam, eſſe intelligentes, quando aſſerit, quòd in ſubſtantijs ſeparatis, eſſentia, & operatio, non diſtinguantur. Durandus verò diſtinguit in 2. ſent. diſt. 3. qu 5. ad 1. docens intellectionem, quâ Angelus ſeipſum cognoſcit, non diſtingui ab eius ſubſtantia realiter; ſecus intellectionem, quâ Angelus intelligit alia à ſe. Communis tamen ſententia oppoſitum tenet.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

 Conclu-

Angelus cognoscit seipsum per suam substantiam.

Conclusio. Angelus cognoscit seipsum, per suammet ipsi⁹ substantiam, habentem rationem speciei intelligibilis. Est contra Marsilium sententia S. Thomæ 1. p. q. 56. ar. 1. *Probatur I. authoritate S. Thomæ*, loco citato, vbi concludit: *quòd Angelus per suam formam, quæ est eius substantia, seipsum intelligat.* Et D. Augusti lib. 9. de Trinit: cap. 9. vbi dicit: *Mentem dum seipsam intelligit, ipsam solam esse parentem notitiæ suæ.* Ergo ex mente D. Thomæ, & S. Augustini, Angelus cognoscit seipsum per suam substantiam, habentem rationem speciei intelligibilis.

Probatur II. *ratione.* Quando obiectum est actu intelligibile, & per seipsum est præsens intellectui, tunc sine vllo medio per seipsum potest cognosci ab intellectu. Sed substantia Angeli est obiectū actu intelligibile, estq; intimè præsens intellectui Angelico: ergo potest per seipsum cognosci: & sic Angelus cognoscit seipsum per suā substantiam, seu essentiam, tanquam per formam, seu speciem intelligibilem.

Probatur III. Ideò in visione Beatificâ, Deus per suam essentiā, tanquam per speciem intelligibilem videtur à Beatis: quia Diuina essentia respectu intellectus beati habet istas tres conditiones. *In primis*, quia est maximè intelligibilis, imò ipsa intelligibilitas in actu: *deinde*, quia licet inter diuinam essentiam, & intellectum creatum, secundùm se consideratum, non sit debita proportio; est tamen inter ipsum vt eleuatum lumine gloriæ, quo mediante fit Deiformis, & particeps Diuinæ intellectualitatis. *insuper*, quia Diuina essentia intimè vnitur cum eodem intellectu sic eleuato, & deificato. Sed essentia Angeli habet easdem tres conditiones in ordine ad cognitionem sui: ergo Angelus cognoscit seipsum per suam essentiam, tanquam per formam intelligibilem. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Angelus ad sui cognitionem non indiget specie accidentali.

Corollarium I. Angelus ad sui cognitionem, nō indiget aliquâ specie accidentali. *Ratio*: quia species intelligibilis prouisa à natura est, tanquam vicaria ipsius obiecti, vt scilicet rem intelligendam faciat intelligibilem in actu, seu vt obiectum vniat cum potentia intellectiuâ in esse intelligibili, quando ipsum per se vniri non potest; quando autem ipsum obiectum seipso potest vniri in esse intelligibili, tunc non est opus specie. Sed substantia Angeli potest seipsâ vniri in esse intelligibili cum intellectu ipsius: ergo Angelus ad sui cognitionem non indiget specie accidentali. *Minor patet*: quia vt obiectum per seipsum vniatur cum intellectu in esse intelligibili, & munus formæ, seu speciei intelligibilis præstet, tres conditiones concurrere debent. *Prima est*, vt seipso sit intelligibile in actu. *Secunda*, vt sit proportionatum in immaterialitate cum potētia cognoscitiuâ. *Tertia*, vt sit intimè vnitum cum ipsa potentia. Sed substantia, seu essentia Angeli, habet istas tres conditiones: est enim expers omnis materialitatis, est intelligibilis in actu: est proportionata, vt potè eiusdem immaterialitatis cum proprio intellectu, qui ab ea dimanat, tanquam proprietas; & ideò est illi intimè coniuncta, siquidem proprietas, & essentia maximè sibi vniuntur.

Cognitio Angeli quâ seipsum cognoscit nō est eius essentia.

Corollarium II. Licet Angelus cognoscat seipsum per suam essentiam; eius tamen cognitio non est sua essentia. *Ratio*: tum quia si cognitio Angeli esset sua essentia, tunc essentia Angeli esset actus purus; identificaret enim sibi vltimam actualitatem ordinis intellectualis, & sic nihil haberet potentialitatis admixtum, quod creaturæ repugnat. *Tum*, quia si intelligere,

seu cognitio Angeli esset ipsi⁹ substantia, esset quoq; subsistens; quemadmodùm & ipsa substantia Angeli. Sed non potest esse subsistens: ergo neq; potest identificari cum substantia Angeli. *Minor patet*: nam si intelligere Angeli esset subsistens, non posset esse nisi vnum, eò quod omnis forma multiplicetur vel à suo contractiuo, vel à suo susceptiuo; intelligere autem subsistens, esset abstractum ab omni contractiuo, & susceptiuo, siquidem esset actus purus in linea intellectualitatis: proinde nō posset multiplicari, sed esset vnū tantùm. Hinc rectè docet Sanctus Thomas, etiam potentiam intellectiuam Angeli, realiter distingui ab eius essentia: quia potentiæ, quæ dicunt ordinem ad diuersos actus adæquatos, realiter distinguuntur; iam verò substantia, seu essentia comparatur ad esse, sicut potentia ad actum suum adæquatum; quemadmodùm & intellectus ad intelligere. Cùm ergo esse, & intelligere distinguantur realiter in Angelo, etiam potentia intellectiua, & substantia eius realiter distinguuntur.

Substantia Angeli non gerit vices speciei expressæ in cognitione sui.

Corollarium III. Substantia Angeli non gerit vices speciei expressæ, in cognitione sui, verùm Angelus intelligendo se, format aliquod verbum, ab ipsa intellectione, & substantia Angeli, realiter distinctum. Ita Sanctus Thomas 4. contra Gent. cap. 11. vbi dicit: *Perfectior igitur est intellectualis vita in Angelis, in quibus intellectus ad sui cognitionem non procedit ex aliquo exteriori, sed per se cognoscit seipsum. Nondùm tamen ad vltimam perfectionem vita illorum pertingit: quia licet intentio intellecta sit in eis omninò intrinseca; non tamen ipsa intentio intellecta est eorum substantia: quia non est in eis idem intelligere, & esse.* In quo loco Sanctus Doctor per *intentionem intellectam*, intelligit speciem expressam, seu verbum: & sic ipsa substantia Angeli, non gerit vices speciei expressæ in cognitione sui. Et *ratio corollarij est*: quia inter speciem impressam, & expressam, hoc est discrimen, quod species impressa sit forma intelligibilis; species autem expressa, sit in actu secundo intellecta; ita vt esse intrinsecum istius, sit esse intellectum; illius verò sit esse intelligibile nondùm pertingens ad vltimam actualitatem ordinis intelligibilis. Et licet essentia Angeli sit ex se forma intelligibilis; non est tamen tantæ perfectionis, vt sit ex se forma intellecta in actu secundo; ideòq; non potest immediatè per seipsam terminare propriam cognitionem; sed requiritur species expressa, in qua habeat illam actualitatem, quam ex se non habet, vt scilicet sit propriæ cognitionis terminus.

Angel⁹ etiam omnes suas proprietates per suam essentiam cognoscit.

Corollarium IV. Angelus non solùm cognoscit seipsum per suam substantiam, sed etiam omnes suas proprietates per eandem. *Ratio*: quia sicut ipsa substantia est forma intelligibis seipsam repræsentās intellectui; ita est forma intelligibilis illi repræsentans ea, quæ continet, & quorum est radix, & origo. Sed substantia Angeli proprietates suas continet, estq; earum radix, ac origo: ergo eas repræsentat intellectui illius. *Præterea*, quia quidquid repræsentat quidditatiuè, & comprehensiuè, repræsentat quoq; omnia, quæ cum eo connectuntur. Sed essentia Angeli repræsentat seipsam proprio intellectui quidditatiuè, & comprehensiuè, cum suisq; proprietatib⁹ connectitur: ergo etiam omnes suas proprietates repræsentat.

Vnus Angelus alterum cognoscit per speciem in suo intellectu existentem.

Corollarium V. Vnus Angelus non potest cognoscere alium per suam substantiam, tanquam per speciem: imò neq; per substantiam ipsius Angeli cogniti. *Ratio primi*: quia

quia species est perfecta, & formalis similitudo obiecti; substantia autem vnius Angeli, non perfectè assimilatur substantiæ alterius, imò est diuersæ naturæ, & speciei ab illa: ergo non potest esse species repræsentatiua illius. *Præterea*, quia vt aliquid habeat rationem medij, ducentis in perfectam cognitionem alterius, debet illud continere aut formaliter, aut eminenter. Sed substantia vnius Angeli, neutro modo alterius substantiam continet: non enim formaliter, cùm eam superet, aut superetur ab ea, in perfectione essentiali: non etiam eminenter, quia continentia eminentialis rerum secundùm proprias differentias soli Deo competit, qui est causa totius entis in tota sua latitudine. Ergo substantia vnius Angeli, non potest habere rationem speciei, aut medij ducentis in perfectam cognitionem alterius. *Ratio verò secundi est*: quia de ratione speciei impressæ est, vt vniatur cum potentia cognoscitiua. Sed substantia vnius Angeli non potest vniri cum intellectu alterius: ergo neq; potest esse species repræsentatiua illius. *Minor ex eo constat*: quia vel vnio illa esset per identitatem, vel per naturalem colligationem, ad eum modũ, quo proprietates vniuntur essentiæ: aut per veram inhærentiã, aut deniq; per illapsum. Sed nullo ex his modo substantia vnius Angeli, potest vniri intellectui alterius: non enim per *identitatem*, siquidem vnus Angelus est distinctus ab alio: non per *naturalem colligationem*, quonia vnus Angelus non est proprietas alterius, possitque vnus existere, altero non existente: non per *inhærentiam*, cùm hæc substantiæ repugnet: non deniq; per *illapsum*, quod ipsi Deo reseruatum est. Ergo substantia vnius Angeli, non potest vniri cum intellectu alterius. Angelus itaq; cognoscit alterum Angelum, non per illius substantiam, sed per speciem eius in suo intellectu existentem.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem*. Si Angel⁹ cognosceret seipsum per suam substantiam: ergo etiam anima nostra cognosceret se per suam essentiam, cùm sit immaterialis, & suo intellectui intimè præsens. *Respondetur distinguendo consequens.* Ergo etiam anima nostra cognosceret se per suam essentiam, in statu separationis, *conceditur consequentia*: in statu informationis, *negatur consequentia*. Quia enim anima nostra est forma corporis, non est actu, sed solùm potentiâ intelligibilis in statu informationis; & ideò pro hoc statu non potest seipsam per seipsam intelligere, sed indiget aliqua specie accidentali, in sui cognitione. At verò separata a corpore, intelligit seipsam per suam substantiã, tanquam per speciem, quia tunc intelligit modo Angelico, proinde non indiget speciebus acceptis à rebus sensibilibus, aut à conuersione ad phantasmata.

Solutio eiusdem.

Instantia & eius solutio.

Instabis. Substantia Angeli non vnitur proprio intellectui, per modum formæ cõplentis, & actuantis ipsum: ergo Angelus non cognoscit seipsum per suam substantiam tanquam per speciem intelligibilem. *Consequentia patet*: quia de ratione speciei intelligibilis, est vt vniatur intellectui per modum formæ ipsum complentis, & determinantis ad speciem cognitionis. *Antecedens etiam manifestum*: quia essentia Angeli vnitur proprio intellectui, vt subiectum cum accidente, & radix cum proprietate; quod autem habet se per modum subiecti, & radicis, nõ actuat, nec complet, sed potiùs actuatur, & completur. *Respondetur negando antecedens*. *Eius probatio distinguitur*. Essentia Angeli in quantum est forma naturalis, vnitur proprio intellectui vt subiectũ, & radix suarum proprietatum, ipsiusque intellectus, & voluntatis, *conceditur*: in quantum est forma actu ex se intelligibilis, *negatur*: sic enim vnitur cum proprio intellectu per modum speciei intelligibilis, vltimò ipsum complentis, & determinantis ad sui cognitionem. Vnde intellectus est forma essentiæ Angelicæ in esse entis; essentia verò Angeli est forma sui intellectus in esse intelligibili, ita vt sicut essentia habet in esse entis ab intellectu, quod sit principium specialium operationum, puta intellectionum; ita quoq; intellectus in ordine intelligibili, habeat ab essentia vltimum complementum, vltimamq; determinationem ad hanc operationem in specie.

Obiectio II. & eius solutio.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.* Potest Angelus seipsum cognoscere cognitione abstractiuã, vt docet Scotus in 2. sent. dist. 3. q. 10. scilicet intelligendo suam substantiam, solùm quoad prædicata essentialia, & non quoad subsistentiam, ac existentiam. Sed in tali casu indigeret aliqua specie accidentali ad talem sui cognitionem: ergo corollarium falsum est. *Respondetur negando minorem*: etiam enim in hoc casu, substantia Angeli haberet rationem speciei intelligibilis respectu eiusmodi cognitionis. Nam etiam in hac suppositione, substantia Angeli esset actu intelligibilis, proportionata proprio intellectui, eiq; intimè vnita: proinde haberet rationem speciei intelligibilis. Vnde tunc Angelus propriâ substantiâ tanquam specie inadæquatè vteretur, ad cognoscenda nimirum sua tantùm prædicata essentialia, nõ attingendo suam subsistentiam, & existentiam.

Obiectio III. & so.

Obijcitur III. *Contra Corollarium III.* Substantia Angeli non tantùm est intelligibilis in actu, verùm etiam actu est intellecta ab intellectu Angelico, cùm ille sit semper in actu secundo respectu cognitionis sui: ergo non solùm gerit vices speciei impressæ, sed etiam expressæ in cognitione sui. *Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia*: quamuis enim substantia Angeli, semper sit actu intellecta ab Angelo; id tamen conuenit ei per accidens, & non essentialiter; alias esset suum intelligere, & actus purus in ordine intellectuali. At verò si haberet rationem speciei expressæ, deberet esse essentialiter intellecta, cùm de essentia verbi sit, actu intelligi, seu actualem intellectionem terminare.

lutio eiusdem.

QVÆSTIO II.

An Angelus ad cognoscenda alia à se indigeat speciebus.

CVm iam certò constet ex superiori quæstione, quod Angelus seipsum per suam substantiam cognoscat, tanquam per speciem intelligibilem: eodemq; modo cognoscat Deum, vt docet S. Thomas 1. p. qu. 54. ar. 3. his verbis. *Cognitio autem quâ Angelus per sua naturalia cognoscit Deum, media est inter has duas, & similatur illi cognitioni, quâ videtur res per speciem ab ea acceptam. Quia enim imago Dei est in ipsa natura Angeli impressa, per suam essentiam Angelus Deum cognoscat, in quantum est similitudo Dei.* Nam quemadmodùm essẽtia Angeli habet rationem speciei, & principij *quo*, respectu cognitionis sui; ita debet esse species, & forma respectu cognitionis eorum, quorum est similitudo; quoniam eadem specie, quâ videtur imago, videtur etiam res per eam repræsentata. Sed substantia Angeli est imago, & similitudo Dei iuxta illud Ezecchielis 28. *Tu signaculum similitudinis*, ergo

go hoc ipſo, quòd ſubſtantia Angeli habeat ratonem ſpeciei reſpectu cognitionis ſui, debet quoque habere rationem ſpeciei reſpectu cognitionis naturalis Dei. Vnde eſſentia Angeli ſeipſam primò repræſentat, tanquàm obiectum primarium; ſecundariò verò Deum. Proinde eodem modo cum proportione philoſophandum eſt de eſſentia Angeli reſpectu cognitionis naturalis Dei, quo de eſſentia Diuina reſpectu cognitionis creaturarum: quemadmodùm enim eſſentia Diuina eſt medium, *quo*, & *in quo* Deus cognoſcit creaturas, cùm non repræſentet eas niſi ſecundariò, ac mediantè ſui repræſentatione; ita quoq; eſſentia Angeli, habet rationem medij *quo* & *in quo*, in ordine ad cognionem naturalem. Solùm itaque controuerſia eſt in præſenti, an Angelus ad cognoſcendas alias creaturas à ſe, indigeat ſpeciebus.

Opinio duplex.

Prima itaque ſententia negat, Angelum indigere ſpeciebus intelligibilibus, quæ cum intellectu Angelico efficienter ad intellectionē concurrant. Hanc tenēt Occham, Gabriel, Durandus in 2. diſt. 3. q. 6. & in 4. diſt. 49. q. 2 Henricus quodlib. 5. q. 14. & alij.

Altera ſententia docet, Angelum omninò indigere ſpeciebus intelligibilibus ad cognoſcenda alia à ſe. Et hæc eſt communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Angelus ad res alias à ſe cognoſcendas naturaliter, indiget ſpeciebus impreſſis.

CONcluſio. Angelus ad res alias à ſe, naturaliter cognoſcendas, indiget ſpeciebus impreſſis. *Probatur I.* Authoritate Sanctorū Patrum. Sancti Dionyſij cap. 4. & 7. de Diuinis nom. vbi dicit, *Angelos plenos eſſe formis, & rationibus omnium rerum*. Deinde S. Auguſtini lib. 2. de Geneſi ad literam, cap. 8. vbi dicit: *res omnes corporeas priùs creatas fuiſſe in cognitione Angelorum, quàm in ſeipſis.* Sed iſta productio in mente Angelica aliter non poteſt intelligi, niſi ſecundùm eſſe obiectiuum per quaſdam ſimilitudines, & ſpecies ipſis Angelis ab initio inditas; vnde ipſemet dicit, *res illas productas fuiſſe in intellectu Angelico ſecundùm creatam in illis ſapientiam.* Ergo ex mente Sanctorum Patrum Angeli ad cognoſcendas res alias à ſe, indigent ſpeciebus impreſſis.

Probatur II. *ratione.* Neceſſe eſt obiectum cognoſcibile ita eſſe vnitum, & coniunctum potentiæ cognoſcitiuæ, vt eam determinet ad ſui cognitionem. Sed res omnes, quas Angelus extra ſe cognoſcit, non ſunt ita vnitæ, & coniunctæ cum eius intellectu: ergo neceſſe eſt, vt per aliquam ſui ſimilitudinem intellectui Angelico veniantur. Hæc autem ſimilitudo cum ſit ipſa Angeli ſubſtantia, nec etiam ita perfecta, vt poſſit rerum omnium rationes exprimere, quod ſoli eſſentiæ Diuinæ competit, ſequitur eam in intellectu Angelico ſpeciem aliquam intelligibilem eſſe. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Angeli ſpecies omnium rerū à Deo ſibi infuſas habent.

Corollarium I. Species illæ, per quas Angeli cognoſcunt alia à ſe, non ſunt ab obiectis acceptæ, ſed ipſis à primo inſtanti ſuæ creationis à Deo infuſæ, & inditæ. Ita Scriptura Sacra Ezechiel. 28 vbi primus Angelus dicitur fuiſſe plenus Sapietiā, & perfectus ab illo die, in quo conditus eſt. Sed ille Angelus non fuiſſet plenus ſapientiā, & perfectus primo die, quo creatus eſt, ſi ſpecies intelligibiles rerum omnium, quarum cognitio illi competebat, à Deo non recepiſſet, verùm paulatim, ac diuerſo tempore eas acquirere, & à rebus ipſis haurire opus habuiſſet: ergo ſpecies illæ, per quas Angeli cognoſcunt, ſunt ipſis à primo inſtanti creationis à Deo infuſæ. Et

ratio corollarij eſt: quia ſi Angeli paulatim, & ſucceſſiuè ſpecies acquirerent, eaſq; peterent ab obiectis, tunc deberet id fieri alterutro ex his duobus modis, videlicet, aut quòd ipſi Angeli eas producerent ad præſentiam obiectorum; aut quòd obiecta ipſa eas producerent, & tranſmitterent ad potentiam Angelorum intellectiuam. Sed neutrum dici poteſt: *non enim primum*: quia antequàm Angeli ſpecies illas in intellectu habeant, nullo modo res externas cognoſcunt; & ſic non poſſunt earum ſimilitudines in ſe producere. Neque ſufficit externa illarum rerum præſentia: quia hæc etiam ab ipſis cognoſci non poteſt, niſi ſuppoſitis ſpeciebus; quæ determinent eorum intellectū ad cognoſcendum. *Non etiam ſecundùm dici poteſt*: quia obiecta illa externa, ſunt vt plurimum materialia, & corporea, quæ nonniſi ſpecies, materiales, & ſenſibiles producere poſſunt; ideoq; ad vſum intellectus Angelici ineptæ ſunt, & illi inhærere nullatenus poſſunt. Cùm ergo Angeli ſpecies illas neq; producere, neq; ab obiectis accipere valeant; ſequitur, quòd ipſis à primo inſtanti creationis à Deo infuſæ fuerint

Angeli per ſpecies à rebus naturalibus acceptas etiā ſupernaturaliter intelligere nō poſſunt.

Corollarium II Angeli non poſſunt etiam ſupernaturaliter intelligere per ſpecies à rebus naturalibus acceptas. *Ratio*: quia cùm ſpecies, quam accipit intellectus, Perficiat ipſum in genere cauſæ formalis; & cauſa formalis nihil poſſit ſupernaturaliter, niſi quod poteſt naturaliter; ideò vt intellectus Angeli poſſet ſupernaturaliter intelligere per ſpecies à rebus naturalibus acceptas, deberet id poſſe naturaliter, quod falſum eſt. *Præterea*, quia implicat Angelum ſpeciem accipere ab obiecto corporeo: cùm enim ſpecies perficiat, ſubindeque actuet intellectum, ſitq; materialis, vt potè deſumpta à rebus corporeis; ideò non minùs implicat, vt talis ſpecies actuet formam omninò ſpiritualem, vti eſt Angelus; quàm implicet materiam actuare formam.

Intellectus Angelicus non poteſt nouo formare ſpecies ex obiectis quæ cognoſcit.

Corollarium III. Angelus non poteſt recipere ſpecies etiam à rebus ſpiritualibus, v. g. ab alijs Angelis. *Ratio*: quia vt vnus Angelus producat ſpecies intelligibiles in intellectu alterius, deberet menti illius illabi. Sed hoc repugnat: ergo etiam repugnat, vt vnus Angelus ab alio recipiat ſpecies: Minor eſt S. Thomæ in 1. diſt. 37. q. 3. ar. 3. ad 4. vbi docet, quòd nullus ſpiritus creatus poſſit illabi, & applicari menti alterius, aut intra terminum ſubſtantiæ vel eſſentiæ eius operari. Rationem reddit S. Bernardus ſerm 5. in Cant. *Quia hæc prærogatiua ſummo, & incircumſcripto ſpiritui reſeruatur.* Maior etiam facilè innoteſcit: quia deberet Angelus immediatè immediatione ſuppoſiti eiuſmodi ſpecies intra intellectum alterius producere: nam cùm ſint ſpirituales, non poſſent diffundi per medium: ergo per earum productionem Angelus cōſtitueretur ſecundùm eſſe naturale intra intellectum alterius in ratione cauſæ huiuſmodi ſpecierum; hoc autem eſt illabi intra terminos illius, atq; ſic ſi vnus Angelus produceret ſpecies intelligibiles in intellectu alterius, deberet illabi menti illius.

Corollarium IV. Intellectus Angelicus non poteſt de nouo formare ſpecies ex obiectis, quæ cognoſcit. quemadmodùm phantaſia in homine format eaſdem, & intellectus humanus, ex quibuslibet ſpeciebus præconceptis efformat alias. Hinc D. Paulus poſt raptum recordabatur eorum, quæ in ipſo viderat, quia nimirùm ex illis formauerat ſpecies eorum repræſentatiuas. *Ratio*: quia phantaſia, & intellectus humanus habent,

quod

quòd vel à se, vel ab alio nouis speciebus perfici possint, cùm non sint potentiæ perfectè completæ ab initio suæ productionis. Iam verò intellectus Angelicus postulat ab initio suæ creationis habere species omnium, quæ debet intelligere naturaliter: atque sic nullam habet vim formandi aliquas species de nouo. Quocirca, si Angelus per absolutam Dei potentiam priuaretur visione beatifica; non recordaretur eorum, quæ nunc videt in essentia Diuina, nisi aliquæ species de nouo ipsi infunderentur. Similiter, si per absolutam Dei potentiam produceretur sine intellectu, non posset intelligere: cùm non magis possit esse causa specierum; quam proprij intellectus, imò minùs, siquidem intellectus resultaret ab eius essentia Deo non impediente; species autem minimè.

Species intelligibiles in Angelo non fluunt ab eius essentia instar proprietatum ipsius.

Corollarium V. Species intelligibiles, per quas Angelus intelligit, non fluunt ab eius essentia instar proprietatum ipsius. Ita sanctus Thomas 1. p. q. 89. ar. 1. ad 3 vbi dicit: *Anima separata non intelligit per species innatas, sed per species ex influentia Diuini luminis participatas, quarum anima fit particeps, sicut & aliæ substantiæ separatæ.* Et ibidem ar. 3. in corpore dicit; *Anima separata intelligit per species quas recipit ex influentia Diuini luminis, sicut & Angeli.* Ergo sicut species intelligibiles nō fluunt ab essētia animæ separatæ, tanquam proprietates eius; ita neque ab essentia Angeli fluunt. Et *ratio corollarij est:* quia quælibet natura ex se, & ab intrinseco determinata est ad habendas istas potiùs proprietates, quàm alias, v. g. natura humana ab intrinseco determinata est ad risiblitatem: natura equi ad hinnibilitatem &c. Sed natura Angelica, ex se, & ab intrinseco, non est determinata ad habendas istas potiùs, quàm illas species; verùm hoc nonnisi ab extrinseca, & libera Dei voluntate pendet: ergo species intelligibiles nō fluunt ab essentia Angeli instar proprietatum eius. *Minor patet.* quia certum est, quòd Angelus nō habeat omnes species rerū naturalium possibilium ab initio suæ creationis; sed tantum omnium generum, & specierum rerum existentium: alias cum sint possibilia infinita entia naturalia, intellectus Angeli esset simpliciter, & actu infinitus in esse intelligibili.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio I. & solutio eiusdem.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Angelus potest per suam substantiam cognoscere omnia alia à se: ergo ad illa cognoscenda non indiget speciebus impressis. *Antecedens probatur.* quia essentia Angeli est radicaliter intellectiua totius entis: ergo dum Angelus comprehendit suam substantiam, necesse est illā comprehensa, omnia quæ sub ente continentur, comprehendi. *Respondetur negando antecedens. Ad eius probationem, concesso antecedente, negatur consequentia:* ad hoc enim, vt essentia Angeli comprehendatur, & cognoscatur, quantum cognoscibilis est, requiritur quidem vt attingatur prout est intellectiua radicaliter omnis intelligibilis etiam secundùm proprias rationes: cæterum ad hoc non requiritur, nisi confusa cognitio omnium intelligibilium. Propterea, quia in eo; quod est radicaliter intellectiuum omnium intelligibium, etiam secundum rationes distinctas, non inuoluitur actualis eorum continentia, aut habitudo ad alia secundùm speciales rationes, sed tantum indifferens capacitas ad proprias eorum species recipiendas, quibus actualiter ea contineat, & determinatè respiciat. Hinc ad comprehensionem illius, quod est solum radicaliter intellectiuum omnium intelligibilium, nihil aliud requiritur, nisi vt cognoscatur eius capacitas, tanquam

tanquàm indifferens ad quaslibet intellibilium formas recipiendas, in quo non importatur, nisi confusa eorum notitia.

Obiectio II. & solutio eiusdem.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.* Cum Scoto Angelus à principio suæ creationis, solùm habuit inditas species repræsentantes res quoad rationes vniuersales; non autem species repræsentantes singularia, præsertim illa, quæ decursu temporis fiunt: ergo species per quas Angelus dicta singularia cognoscit, non sunt à Deo infusæ, sed ab obiectis acceptæ. *Respondetur negando antecedens;* si enim istæ species infusæ Angelo, & quas naturaliter exigit, ita repræsentarent res in vniuersali, quòd non possent deseruire ad cognoscenda singularia, quando illa producuntur. Verùm Angelus indigeret nouâ specie singularis rei ab illa accepta, vt vult Scotus, sequeretur Angelum ex natura sua requirere species valdè imperfectas, & confusas. *Ratio:* quia repræsentatio solùm in vniuersali, & quæ non potest extendi ad singularia, est repræsentatio imperfecta: & sic Angelus nō esset à die creationis suæ, plenus sapientiâ, quoniam careret aliquâ sapientiæ parte, nimirùm eâ, quæ versatur circa singularia.

Obiectio III. & solutio eiusdem.

Obijcitur III. *Contra Corollarium II.* Licet Angelus non accipiat species à rebus corporalibus, ministerio sensuum, eò quod sit substantia spiritualis, ac immaterialis, omninò absoluta à corpore; potest tamen eas accipere ab iisdem vt ab obiectis: ergo potest saltem supernaturaliter intelligere per species à rebus naturalibus acceptas. *Respondetur negando antecedens:* si enim Angelus acciperet species à rebus naturalibus, etiam præcisè vt ab obiectis, tunc ab illis suam perfectionem acquireret, & consequenter ab iisdem dependeret, quod modus essendi Angelorum non patitur, eò quòd Angeli sint superioris ordinis ad res corporeas ex suo speciali modo essendi.

Instabis *contra solutionem.* Anima rationalis est immaterialis, & consequenter superioris ordinis ad corporalia; & sensibilia; & tamen ab illis suam perfectionem intellectualem accipit: ergo pariter licet Angelus sit superioris ordinis ad res naturales, non repugnat illum ab iisdem perfici, recipiendo species tanquàm ab obiectis. *Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est:* quia licet anima rationalis sit substantialiter ordinis superioris, vt potè intellectualis; tamen quatenùs forma corporis, pertinet quodamodò ad ordinem sensibilium; imò & ipsa sensibilia, dum animam perficiunt, intrant quodammodò ordinē ipsius. Cùm non perficiant eam, nisi vt subsunt lumini intellectus agentis, & prout relucent in phantasmate quod est supremum infimi, hoc est ordinis sensibilis, attingens infimū supremi naturæ intellectualis, videlicet animam rationalem.

Obiectio IV. & solutio eiusdē.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium V.* Natura Angeli est determinata ad habendas species rerum naturalium, supposito quòd illæ existant: ergo eiusmodi species dimanant à natura Angeli per modum passionum. *Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia:* nam etiam materia sublunaris, hoc ipso, quòd sit à Deo creata habet naturalem determinationem, ad habendam aliquam formam; & tamen talis forma verè ab ea non dimanat per modum proprietatis. Ita quoq; licet natura Angelica habeat prædictam determinationem ad species; illa tamen non sufficit, vt sint eius proprietates: præsertim quia intellectus Angeli est determinatus ad habendas species rerum naturalium, supposito quòd existant, ex eo

eo, quod sit ex se pura potentia, quæ naturaliter exigit actuari ab intelligibili in actu; adeóq; comparatur ad species solum per modum principij passiui, & potentialis; non autem vllo modo per modum principij actiui, quod ad passionum resultantiam requiritur. Species itaq; intelligibiles non dimanāt ab essētia Angeli, neq; productæ sunt per creationem, sicut substantia Angeli, sed per actionem eductiuam, ad quam non requiritur necessariò, quòd subiectum supponatur priùs tempore productum, & formâ educendâ priuatum, sed sufficit, quòd præcedat formam prioritate naturæ, producaturq; per actionem distinctam ab ea, quâ forma producitur. Porrò illæ species dicuntur formæ cōnaturales Angelis ex triplici ratione. *Primò*, quia sunt debitæ Angelo: cùm enim ille sit perfectissimus inter creaturas intellectuales, exigit cōnaturaliter esse in actu primo completo ad intelligendum, & ad cognoscendas cunctas rerū naturas, ad ordinem huius vniuersi pertinentes. *Secundò*, quia Angeli species illas simul cum sua natura in instāti creationis receperūt, iuxta quem modum etiam iustitia origlnalis, si Adam non peccasset, diceretur connaturalis posteris, omnesq; cum iustitia originali nascerentur. *Tertiò*, propter potentiam, & aptitudinem passiuam naturalem, quam ad illas habet intellectus Angelicus; secundùm quam rationem, etiam receptio lucis dicitur connaturalis diaphano.

QVÆSTIO III.

An superiores Angeli intelligant per species magis vniuersales.

SUppono, quæstionem hanc non procedere de vniuersalitate specierū intelligibilium in causando; quemadmodùm Deus, & corpora cœlestia, dicuntur vniuersalia, quia plures, & diuersos causant effectus: neque de vniuersalitate in prædicando, quomodò naturæ cōmunes, & per operationem nostri intellectus à suis inferioribus abstractæ, per comparationem ad illa appellantur vniuersales. Sed procedit de vniuersalitate specierum in repræsentando, quo pacto species illa dicitur vniuersalis, quæ multa repræsentat, eaq; vniuersalior, quò plura repræsentauerit. Dupliciter autem contingit repræsentare plura obiecta: *Primò* in potentia, & imperfectè. id est, secundùm rationes communes tantùm, in quibus illa obiecta conueniunt. *Secundò*, actu, & perfectè, id est, etiam quoad rationes, & differentias proprias, quibus constituuntur, & distinguuntur: vnde etiam species intelligibilis dupliciter dicitur vniuersalis in repræsentando, nimirum aut in potentia, aut in actu. Sensus igitur quæstionis est, an v. g. Angeli intelligant per species, plura obiecta clarè, & distinctè repræsentantes.

Opiniones duæ

Sententiam negatiuam tenet Scotus in 2. dist. 3. q. 10. asserens impossibile esse, quòd detur species intelligibilis vniuersalis, distinctè repræsentās plures quidditates rerum; vnde existimat, quòd Angelus quantumlibet perfectus, non cognoscat per vnam speciem vniuersalem plures naturas rerum, distinctè, sed per singulas species adæquatas singulis quidditatibus rerum, cæterùm sententia affirmatiua est communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Angelus quò superior, eò species magis vniuersales intelligit.

COnclusio. Angelus quò superior in essentia, eò per species magis vniuersales, seu plura distinctè repræsentantes intelligit. Ita Sanctus Dionysius lib. de cælesti Hierarchia, cap. 12. vbi docet, *Superiores Angelos habere scientiam magis vniuersalem*.

vniuersalem. Et lib. de de Diuinis nomin. cap. 13. vbi dicit: *Omnia magis vnita, & collecta esse in superioribus Angelis, prout magis ad Deum accedunt*. Probatur I. Angelus quò est similior Deo in ordine intellectuali, eò per species vniuersaliores alia à se debet cognoscere. Sed Angelus quò est superior in essentia, eò similior Deo est: ergo Angelus quò superior est, eò per species vniuersaliores intelligit. *Maior patet*: quia Angelus quò est similior Deo in ordine intellectuali, eò magis Diuinas perfectiones ad talem ordinem pertinentes participare debet. Sed perfectè intelligere plura per vnam speciem vniuersalem, est perfectio Diuina spectans ad ordinem intellectualem: ergo Angelus quò est similior Deo in gradu intellectuali, eò magis debet eiusmodi perfectionem participare, & consequēter per speciem plura distinctè repræsentantem, proinde vniuersaliorem intelligere. *Minor per se patet: Maior etiam ex eo constat*: quia quantò magis creatura in suo ordine accedit ad Deum, tantò magis perfectiones diuinas ad talem ordinem pertinentes debet participare.

Probatur II. Intellectus Angelicus est medius inter intellectum Diuinum, & humanum: ergo habet aliquid de puritate, & actualitate intellectus Diuini; & aliquid de potentialitate, & compositione intellectus humani. *Consequentia patet*: quia medium debet aliquid participare de vtroq; extremo. Et sic intellectus Angelicus non intelligit omnia per vnicam speciem, sicut Deus; neque per species ita particulares, sicut homo, sed per species magis, aut minùs vniuersales, iuxta maiorem, aut minorem eius accessum ad Deum, maioremq: aut minorem eius recessum ab anima nostra. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Species à rebus abstracta non potest repræsentate plures quidditates rerum; secus creata,

Corollarium I. Licet nulla species à rebus abstracta possit esse ita vniuersalis, vt simul repræsentet plures quidditates rerum; possibilis est tamen species vniuersalis à Deo immediatè creata, quæ plures quidditates, seu naturas specificas repræsentet, Ita S. Thomas qu. 8. de verit. ar. 10. ad 3. *Ratio primi*: quia effectus non potest excedere virtutem causæ, Sed species intelligibilis accepta, siue abstracta à rebus, est effectus particularis quidditatis: ergo illam excedere non potest. *Præterea*, quia species ita se habet in esse intelligibili, sicut semen in esse naturali. Sed semen ab animali decisum, solùm est productiuum similis animalis ei, à quo decisum est: ergo etiam species accepta à particulari quidditate, solùm repræsentare potest illam quidditatem. *Ratio secundi*: quia produci speciem intelligibilem, distinctè repræsentantem plures quidditates, seu naturas specificas, ex nullo capite repugnat: ergo talis species potest à Deo produci. *Antecedens patet*: in primis enim id non repugnat *ex parte causæ efficientis*, scilicet ex parte Dei, cum is habeat infinitam virtutem. *Non etiam ex parte ipsius speciei*, cùm in hac ad repræsentandum distinctè plures naturas, non requiratur infinita perfectio *Præterea*, quia Diuina essentia repræsentat distinctè omnes naturas factas, & factibiles: ergo etiam potest dari talis species creata, quæ saltem plures distinctè repræsentet.

Corollarium II. In Angelis dantur de facto species vniuersales. *Ratio*: quia perfectissimis creaturis vniuersi, concedi debet perfectissimus modus cognoscendi, dummodò sit possibilis creaturæ, & nullam inuoluat inplicantiam. Sed Angeli sunt creaturæ perfectissimæ vniuersi, in ordine intellectuali, & modus intelligendi per species vniuersa-

niuerſales in repræſentando eſt multò perfectior, & nobilior modo cognoſcendi per ſpecies particulares, ſeu vnam tantum naturam repræſentantes, taliſque modus cognoſcendi nullam inuoluit repugnantiam: ergo Angelis concedendus eſt.

Licet Angeli per ſpecies vniuerſaliores cognoſcãt rẽ, non tamen minus perfectè.

Corollarium III. Ex eo, quòd Angeli ſuperiores cognoſcant per ſpecies vniuerſaliores, non ſequitur eos rem minùs perfectè cognoſcere. *Ratio*: quia non ideò ſiſtunt in notitia gradus vniuerſalioris ipſius rei, ſed procedunt vſque ad vltimam eius differentiam v. g. ſupremus Angelus cognoſcens per ſpeciem valdè vniuerſalem, ſua cognitione non ſiſtit in notitia gradus vniuerſalis, ſcilicet entis, aut ſubſtantiæ, ſed peruadit vſq; ad vltimam differentiam, perfectè hominis naturam penetrando. Atq; ſic non minùs perfectè hominem cognoſcit; quàm ſi cognoſceret per ſpeciem, quæ in illius ſolius notitiam induceret. Vnde licet rem ſolùm in vniuerſali cognoſcere, ſit eam imperfectè cognoſcere, ſcilicet ex parte rei cognitæ; attamen eandem cognoſcere in vniuerſali ex parte medij cognoſcendi, non arguit imperfectionem cognitionis.

Corollarium IV. Quando Sanctus Thomas 1. p. q. 55. ar. 3. dicit: *Quantò Angelus fuerit ſuperior, tantò per pauciores ſpecies vniuerſitatem intelligibilium apprehendere poterit: & ideò oportet, quòd eius formæ ſint vniuerſaliores*, hoc intelligit non de ſuperioritate in hierarchia, aut ordine; ſed de ſuperioritate in gradu ſpecifico, & in natura. *Ratio*: tum quia nomen illud ſuperior, ſine vllo addito, ſignificat ſuperioritatem in natura. *Tum*, quia Angelus ſuperior, maiorem habet aſſimilationem ad Deum; non ſolùm autem Angeli, qui ſunt ſuperiores in Hierarchia, & ordine; verùm etiam illi, qui ſunt ſuperiores in natura, & gradu ſpecifico, licet ſint eiuſdem ordinis, aut Hierarchiæ, magis aſſimilantur Deo; alij ipſis inferiores in perfectione naturæ. *Tum* denique, quia S. Thomas qu. 8. de verit. ar. 10. docet, Angelum tantò per vniuerſaliores ſpecies intelligere, quantò plus in illo fuerit de actu, & minùs de potentia; conſtat autem inueniri hoc in quolibet Angelo ſuperiori quoad gradum ſpecificum, licet non ſit ſuperior quoad Hierarchiam, aut ordinem.

Vniuerſalitas ſpecierum Angelicarũ conſiſtit in repræſẽtatione plurium naturarum ſpecificarum.

Corollariũ V. Vniuerſalitas ſpecierum Angelicarũ cõſiſtit, in hoc, quòd plures naturas, ſeu quidditates ſpecificas repræſentent. *Ratio*: quia iſta vniuerſalitas ſpecierum Angelicarum, non poteſt conſiſtere in hoc, quòd repræſentent plura indiuidua actualia eiuſdem ſpeciei: nam etiam infimus Angelus in ſpecie repræſentante naturam ſpecificam, cognoſcit omnia eius actualia indiuidua. Siquidem cognitio infimi Angeli, habet infimum gradum vniuerſalitatis, qui poteſt cõpetere Angelis, proinde fit per ſpecies, quæ ſunt in infimo gradu vniuerſalitatis. Huiuſmodi autem ſpecies ſunt illæ, quæ adæquatè repræſentant naturam ſpecificam, & omnia eius indiuidua. Vnde Species infimi Angeli, non repræſentat duas, aut plures naturas, ſed ſingulæ ſpecies eius, repræſentant ſingulas naturas, & quidditates, cum omnibus ſuis indiuiduis. Non poteſt etiam iſta vniuerſalitas ſpecierum Angelicarum conſiſtere in hoc, quòd repræſentent plura poſſibilia, cùm Angelus non habeat naturalem inclinatiõnẽ ad cognoſcendas res merè poſſibiles, eò quòd illæ non ſint partes huius vniuerſi. Neq; etiam iſta vniuerſalitas poteſt conſiſtere in repræſentatione plurium proprietatum eiuſdem naturæ: cùm eadem ſpecies intelligibilis repræſentet quidditatem ſpecificam, & ſimul eius proprietates.

prietates. Non poteſt deniq; conſiſtere in repræſentatione plurium modorum accidentalium, cùm illi ſi pertinent ad ordinem prouidentiæ naturalis, repræſententur per ſpecies, quæ repræſentant quidditates, aut ſingularia, quibus accidunt; ſi verò ſpectant ad ordinem gratiæ, & prouidentiæ ſupernaturalis, tunc non cadunt ſub cognitionem naturalem Angelorũ, ſed cognoſcuntur per ſcientiã infuſam, & reuelationes extra Verbum. Ergo vniuerſalitas ſpecierum Angelicarum conſiſtit in repræſentatione plurium quidditatum pertinentium ad hoc vniuerſum.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio I.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem*. Si Angelus quò eſt ſuperior, eò per ſpecies vniuerſaliores intelligeret, ſequeretur poſſe dari talem Angelum, qui omnia intelligeret per ſuam ſubſtantiam. Sed conſequens eſt falſum: ergo & antecedens. *Sequela oſtenditur ſic*. Supponamus v. g. ſupremum Angelum nunc de facto intelligere omnia per duas ſpecies, videlicet ſeipſum per propriam ſubſtantiam, vices ſpeciei gerentem, & alia à ſe per vnicam ſpeciem eius ſubſtantiæ ſuperadditam. Hoc ſuppoſito poteſt Deus creare alium Angelũ iſto perfectiorem, & conſequenter talem, qui intelligat omnia per pauciores ſpecies, atque adeo per ſolam ſuam ſubſtantiam.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad eius probationem dicitur, ſuppoſito, quòd Deus crearet alium Angelũ ſupremo perfectiorẽ, tunc omnibus Angelis præexiſtentibus ſuperadderet nouam ſpeciem, quâ repræſentaretur de nouo productus: & ſic Angelus, qui antea erat ſupremus, inciperet intelligere omnia per tres ſpecies, puta ſeipſum per propriam ſubſtantiam, alia à ſe inferiora per ſpeciem accidentalem illi ab initio creationis inditam; Angelum verò de nouo creatum per aliam ſpeciem accidentalem ei de nouo ſuperadditam. Et ſic in infinitũ procedendo in creatione Angelorum.

Obiectio II.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.* Quælibet vna ratio cognoſcendi habet vnum obiectũ adæquatum ſibi, in quo includuntur omnia cognoſcibila per eam. Sed non poteſt dari aliquod vnum obiectum creatum, in quo includantur plures quidditates, ſeu naturæ ſpecificæ: ergo non poteſt dari ſpecies vniuerſalis, quæ tales quidditates diſtinctè repræſentet.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur concedendo maiorem. Si intelligatur de obiecto vno non in genere entis, ſed in genere obiecti, & *negando minorem*: ſicut enim licet nihil poſſit eſſe commune vniuocum Deo, & creaturis, in eſſe entis, ſecus tamen in eſſe obiecti, à quo vt ſic ſumitur vnitas ſpecifica potentiæ intellectiuæ; ita quidditates, & naturæ ſpecificæ, repræſentatæ per ſpeciem vniuerſalem, ſunt quidem plures in genere entis; vnum verò in genere obiecti, à quo vt ſic ſumitur vnitas ſpecifica ſpeciei intelligibilis. Porrò hanc vnitatem habent non ab vna ratione *quæ*, cùm hæc obiectum conſtituat in genere entis, ſitque multiplex; ſed ab vna ratione *ſub qua*, quæ obiectum conſtituit in genere obiecti, eſtq; vna ſpecie atomâ. Et hæc ratio *ſub qua* nihil aliud eſt, niſi accommodatio, & aptitudo quædam ipſarum quidditatum, vt ſimul repræſententur per eandem ſpeciem, vocaturque iſta ratio *ſub qua* repræſentabilitas; ſicut etiam ratio *ſub qua* in ſcientijs, ſcibilitas appellari ſolet.

Obiectio III. & ſolutio eiuſdem.

Obijcitur III. *Contra Corollarium V.* Species intelligibilis deſumit ſuam vnitatem ſpecificam ab obiecto,

obiecto, quod repræſentat, & cuius eſt formalis ſimilitudo: ergo vniuerſalitas ſpecierum Angelicarum non cōſiſtit in hoc, quòd plures naturas ſpecificas repræſentent ſecundùm proprias earum differentias. *Conſequentia manifeſta*: quia repugnat quòd vnica ſpecies, habeat plura, & diuerſa ſpecificatiua. *Reſpondetur diſtinguendo antecedens*. Species intelligibilis deſumit ſuam vnitatem ab obiecto, quod repræſentat, formaliter & in eſſe obiecti ſpectato, *conceditur antecedens*: materialiter, & in eſſe entis conſiderato, *negatur*: & ſic negatur conſequentia.

DISPVTATIO V.

De obiecto cognitionis Angelicæ.

EXplicatis illis, quæ ſpectant ad cognitionem Angelicam, de obiecto illius tam materiali; quàm ſpirituali tractant Theologi cum S. Thoma 1. p. q. 56. & 57.

QVÆSTIO I.

An quilibet Angelus quemlibet alium comprehenſiuè cognoſcat.

COnſtat iam ex ſupradictis, Angelum naturaliter cognoſcere ſeipſum, idq; per ſuam ſubſtantiam inſtellectui ſuo ad inſtar ſpeciei impreſſæ vnitam. *Certum item eſt*, Angelum beatum clarè, & intuitiuè cognoſcere Deum per lumen gloriæ; ſecluſo autem ſtatu beatitudinis, eundem naturaliter cognoſcere poſſe, non quidem clarè, & intuitiuè, ſed eo modo, quo naturaliter cauſa in effectu, & prototypon in imagine cognoſcitur: nam Angelus eo ipſo, quo perfectè ſuam ſubſtantiam cognoſcit, eam vt effectum, & imaginem Dei cognoſcit, & conſequenter per illam ſic cognitam, Deum ipſum cognoſcere poteſt. *Certum inſuper eſt*, Angelos ſe inuicem naturaliter cognoſcere per ſpecies proprias ſibi à Deo inditas: vt conſtat ex plurimis Scripturæ Sacræ locis, in quibus, multa paſſim de Angelis tam bonis; quàm malis dicuntur, ex quibus mutua illorum cognitio facilè colligitur, vt Iſaiæ 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum*. Et Daniel. 10. Angelus cuſtos Iudæorum dicit: Angelum cuſtodem Perſarū viginti & vno diebus ſibi reſtitiſſe, Michaëlemq; Archangelum ſibi in adiutorium veniſſe. Et certè niſi Angeli mutuò ſe cognoſcerent, nulla inter eos ſocietas, nulluſque ordo ſtare poſſet. Vnde tota difficultas eſt, an ſe cognoſcant etiam, comprehenſiuè.

Opin. triplex.

Prima itaque ſententia tenet, nullum Angelum alterum comprehendere. Altera è contra aſſerit, vnumquemq; Angelum, quemlibet alium comprehendere. Tertia ſententia docet, Angelum ſuperiorem comprehendere inferiorem; non tamen comprehendi ab inferiore ex vi ſolius propriæ virtutis intellectiuæ, niſi ſuperueniente illuminatione Angeli inferioris facta à ſuperiori. Et hæc eſt communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Angelus ſuperior comprehenſiuè cognoſcit inferiorem.

COncluſio. Angelus ſuperior cōprehenſiuè cognoſcit inferiorē. *Probatur tum*, quia Angelus ſuperior cognoſcit inferiorem, quantum eſt ex ſua natura cognoſcibilis, & cognoſcibilitas inferioris nō excedit virtutem cognoſcitiuam ſuperioris: ergo comprehendit illum. *Tum* quia quilibet Angelus ſeipſum comprehendit, vt potè cùm habeat vim intelligendi ſuæ naturæ proportionatam, eiuſq; intellectualitas illius intelligibilitatem adæquet: ergo cùm Angelus alteri ſuperior, vim intelligendi perfectiorem habeat; quàm inferior, ſicut & nobiliorem naturam, Angelus inferior poteſt comprehendi à ſuperiori. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Ad hoc, vt Angelus ſuperior comprehendat inferiorem, non requiritur cognitio actuum eius liberorum. *Ratio*: quia Angelus inferior vt præſupponitur ſuis actibus liberis, habet certum gradum intelligibilitatis, cui debet adæquari virtus intellectiua, vt ſit illius comprehenſiua, quoniam intelligibilitas conuenit Angelo neceſſariò ſecundùm ſuam naturam, & quaſi in modum proprietatis: ergo ad illius comprehenſionem non requiritur cognitio actuum liberorum; ſicut nec futurorum contingentium, quæ ei poſſunt accidere, alias Angelus quantumuis ſuperior, neq; ſeipſum, neq; hominem, neque vllam rem comprehenderet. *Propterea*, quia cuilibet creaturæ naturali conuenit certus gradus intelligibilitatis, & ſic comprehenſibilitas independenter ab actuali cauſalitate, cùm hæc omninò accidentaliter, & cōtingenter ei cōueniat: ergo idem cenſendum de Angelo, comparato ad ſuos actus liberos; & ſic his non cognitis poterit comprehendi.

Angelus inferior ſuo intellectu non comprehendit ſuperiorē.

Corollarium II. Angelus inferior ex vi ſolius virtutis naturalis ſui intellectus, non comprehendit ſuperiorem. *Ratio*: quia ad comprehenſionem requiritur, vt obiectum ita perfectè cognoſcatur, ſicut ex propria natura cognoſcibile eſt. Sed Angelus inferior non cognoſcit ſuperiorem taliter: ergo illum non comprehendit. *Maior eſt* S. Thomæ in 4. diſt. 49. q. 2. ar. 3. *Tunc* inquit, *dicitur aliquid per cognitionem comprehendi, quando cognitum ſtat ſub actu virtutis cognoſcitiuæ, & non excedit ipſam. Minor verò patet*: quia Angelus ſuperior ex natura ſua eſt cognoſcibilis ſuâ propriâ cognitione; inferior autem Angelus non poteſt illum tàm perfecta cognitione cognoſcere, cùm non adæquet illum in vi intellectiua, ſicut neq; in immaterialitate, & perfectione naturæ. *Ratio II.* quia non poteſt Angelus inferior comprehendere ſuperiorem, niſi comprehendat etiam ſpecies eius intelligibiles; has autem Angelus inferior non comprehendit, vt docet S. Thomas qu. 16. de malo, ar 8 his verbis: *Vnuſquiſq; intellectus aliter ſe habet ad ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus, & aliter ad ſpecies inferioris intellectus; nam ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus ſunt vniuerſaliores; & ideo non poſſunt comprehendi per ſpecies intelligibiles inferioris intellectus.*

Corollarium III. Superueniente tamen illuminatione Angeli inferioris factâ à ſuperiori, poteſt Angelus inferior ſuperiorē cōprehendere, licet imperfectè. *Ratio*: quia Angelus ſuperior per illuminationem, manifeſtat ſe inferiori quoad omnes perfectiones, & modos ſibi conuenientes, & quod ipſe maiori cum claritate, magiſq; vnitè cognoſcit, diuidit, ac multiplicat, ſicque accommodat ad captum inferioris; vt hic ſecundùm modum ſuum illud percipiat. Sed hoc ſufficit, vt ſuperior Angelus poſſit imperfectè comprehendi ab inferiori: ergo Angelus inferior ex fortificatione, & illuminatione ſuperioris, poteſt aliquomodo comprehendere ſuperiorem. *Minor patet*: quia ad imperfectam comprehenſionem ſufficit, quòd nihil ſit in re cognita, quod non manifeſtetur, & quod cognoſcēs attingat omnes modos eius, & perfectiones, licet ex parte modi cognoſcendi, ſit diuerſitas.

Corollarium IV. Quando S. Thomas 2 contra Gent. cap. 98. dicit: *Ex hoc, quòd ſubſtantia aliqua eſt intellectualis, comprehenſiua eſt totius entis.* Et cap. 99. ar. 1. de ſub-

ſtantijs

ſtantijs ſeparatis ait; *Cùm intellectus eorum ſit perfectus naturali perfectione, vt potè totius in actu exiſtens, oportet quòd ſuum obiectum, ſcilicet eſſe intelligibile vniuerſaliter comprehendat.* Per hoc non intendit vnumquemq; Angelum, quemlibet alium comprehendere, vt volebat ſecunda ſententia. *Ratio:* quia ibi S. Thomas non accipit comprehenſionem ſtrictè, ſed latè pro cognitione, ſeu apprehenſione. Quod vel ex eo colligitur: quia in primo loco dicit, aliquam ſubſtantiam eſſe comprehenſiuam totius entis, non ideò, quòd ſit intellectualis completa, & à materia omninò, ſcilicet tam actu, quam aptitudine ſeparata, ſed ideò, quòd ſit intellectualis: proinde loquitur de comprehenſione totius entis, quæ etiam animæ rationali conuenire poteſt; hæc autem non poteſt dici comprehenſio ſtrictè ſumpta, cùm totum ens complectatur etiam Deum, qui non eſt ab vlla creatura comprehenſibilis.

Corollarium V. Ad hoc vt Angelus inferior habeat cognitionem comprehenſiuam ſuperioris, non ſufficit quòd per eam attingantur omnia, quæ in Angelo ſuperiori formaliter, & eminenter continentur. *Ratio*: quia ad cognitionem comprehenſiuam obiecti, requiritur inſuper, quòd omnia, quæ ſunt formaliter, & eminenter in ipſo, cognoſcantur tanta cognitione, quantâ cognoſcibilia ſunt, ita vt cognitio non tantùm adæquet obiectum in eſſe entis conſideratum; verùm etiam conſideratum in eſſe obiecti, ſeu cognoſcibili. Nam cognitio comprehenſiua, non addit ſupra cognitionem quidditatiuam, ſaltem neceſſariò, plurium rerum notitiam, ſed adæquationem modi cognitionis actiuæ, cum modo, & perfectione cognoſcibilitatis obiecti; iam verò ea, quæ ſunt in Angelo ſuperiori, excedunt in cognoſcibilitate, ſicut in entitate, virtutem cognitionis, quam habet Angelus inferior de ipſis, propter quem exceſſum, licet dicantur tali virtuti proportionata, proportione ſpecificationis; non tamen proportione adæquationis, & comprehenſionis.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio 1a.

OBijcitur I. *Contra Corollariū II.* Intellectus per ſe, & connaturaliter exigens habere ſpeciem quidditatiuè repræſentatiuam obiecti, & connaturaliter recipiens cognitionem eiuſdem obiecti, debet poſſe comprehendere tale obiectum. Sed intellectus Angeli inferioris connaturaliter exigit ſpeciem, quidditatiuè repræſentantem Angelum ſuperiorem, & connaturaliter recipit eius cognitionem: ergo ipſum poteſt comprehendere ex vi ſolius virtutis naturalis intellectûs. *Maior patet*: quia ſpecies quidditatiuè repræſentans obiectū, eſt obiectum ipſum in eſſe intelligibili, eiuſdemq; omninò immaterialitatis in eſſe repræſentatiuo cum ipſo; vnde cognitio comprehenſiua talis ſpeciei in eſſe intelligibili, non poteſt non eſſe comprehenſiua obiecti repræſentati. Sed ſi intellectus Angeli inferioris connaturaliter exigit habere ſpeciem Angeli ſuperioris, poteſt illam ſpeciem ſecundùm eſſe intelligibile ſpectatam comprehendere, cùm poſſit comprehendere, quidquid eſt ſibi connaturale; & eo modo, quo eſt connaturale: iam verò illa ſpecies eſt ſecundùm eſſe repræſentatiuum connaturalis Angelo inferiori, propterea quia quilibet Angelus connaturaliter exigit habere ſpecies omnium entium naturalium pertinentium ad hoc vniuerſum. Ergo intellectus per ſe, & connaturaliter exigens habere ſpeciem quidditatiuè repræſentatiuam obiecti, & connaturaliter recipiens

cognitionem eiuſdem obiecti, debet poſſe comprehendere obiectum. *Reſpondetur negando maiorem:* nam ad comprehenſionem Angeli ſuperioris nō ſufficit, quòd Angelus inferior cōnaturaliter exigat habere ſpeciem, quidditatiuè repræſentantem Angelum ſuperiorem, connaturaliterq; recipiat eius cognitionem; verùm etiam neceſſarium foret, quòd Angelo inferiori eſſet cōnaturaliter debita ſpecies repræſentans ſuperiorem iuxta modum ipſius ſuperioris, & non ſolùm iuxta modū inferioris. Nam ſi modus eſſendi obiecti cogniti, ſit ſupra modum eſſendi cognoſcentis, ſpecies non recipitur omninò connaturaliter in cognoſcente, ſed ſupra eius naturam; vnde ſpecies repræſentans Angelum ſuperiorem in inferiore, recipitur ſecundùm modum ipſius inferioris Angeli, & non ſecundùm modum ſuperioris, iuxta illud axioma: *quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.* Deinde, *ad probationem maioris reſpondetur*, concedendo quòd ſpecies, quam habet Angelus inferior de ſuperiori, ſit ſecundùm eſſe intelligibile, ipſe Angelus ſuperior etiam ſecundùm exceſſum immaterialitatis, quem habet ſupra inferiorem. Hinc tamen ſolùm ſequitur, quòd Angelus inferior cognoſcat ſuperiorem, quantum ad illam maiorem immaterialitatem quoad rem, non autem quòd comprehendat ipſam, cùm ad hanc cōprehenſionem non ſufficiat, quòd ſpecies repræſentet illam maiorem immaterialitatem Angeli ſuperioris, ſed vltra hoc requiritur, quòd ſpecies ſit, ſecundùm eſſe diminutum, quo gaudet, eiuſdem immaterialitatis cum Angelo ſuperiori; & quòd intellectus cognoſcens habeat illum modum vniuerſalitatis in cognoſcendo, quem habet Angelus cognitus, vel alium perfectiorem, & magis vniuerſalem. Alioqui Angelus ſuperior non attingeretur, quantum eſt attingibilis ex natura ſua, & eo modo, quo de facto attingitur per proprium intellectum.

Solutio eiusdem.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium III.* Angelus inferior non habet virtutem intelligendi adæquantem intelligibilitatē ſuperioris, neque per illuminationem recipit lumen aliquod à ſuperiori: ergo Angelus inferior accedente etiam dicta illuminatione, non poteſt comprehendere ſuperiorem. *Reſpondetur negando conſequentiā:* licet enim aliquod obiectum ſit excedens reſpectu alicuius virtutis intellectiuæ; ſi tamen applicetur illi ſub proprio illius modo, induit quodammodò rationem obiecti proportionati. Sic ipſimet Angeli licet excedant vim noſtri intellectus pro hoc ſtatu; quia tamen illi applicantur ad modum quidditatis materialis, induunt rationem obiecti proportionati ipſius. Vnde quamuis Angeli ſuperiores excedāt vim intelligendi inferiorum; ſi tamen inferioribus applicentur iuxta modum, & captum ipſorum, induunt rationem obiecti proportionati, atque ſic poſſunt ab inferioribꝰ comprehendi, etiamſi illa comprehenſio ſit valde imperfecta, eò quòd ad veram, & rigoroſam comprehenſionem requiratur, vt vis intelligendi in cognoſcente adæquet intelligibilitatem obiecti, cognoſcatque ipſum, quantum cognoſcibile eſt, vt docet Sanctus Thomas 1. p. qu. 12. art. 7.

Solutio eiusdem.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium V.* S. Thomas proximè citatus, ar. 8. ideò à poſteriori colligit, intellectum creatum non poſſe cognoſcere omnes creaturas poſſibiles in Deo, quia alias comprehenderet Deum, videndo omnia, quæ ſunt in ipſo tàm formaliter, quàm eminenter: ergo iuxta S. Thomam ad cognitionem comprehenſiuam obiecti

obiecti sufficit, quòd omnia tàm formaliter, quàm eminenter contenta cognoscantur. *Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia:* nam cùm ex vna parte ad cognitionem omnium creaturarũ possibilium, quæ sunt infinitæ, requiratur lumen infinitum, & cognitio in actu similiter infinita; ex alia verò parte, cognitio similiter infinita & in actu, non possit esse minor cognoscibilitate Dei, etiam adæquatè sumptâ; ideò cognitio omnium possibilium, si daretur, adæquaret totam cognoscibilitatem Dei, & cõsequenter esset comprehensiua illius.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO II.

An Angeli cognoscant singularia.

Sententia Auerrois hæresim sapit.

CIrca propositam quæstionem, prima opinio absolutè negat, Angelos cognoscere aliqua singularia mundi istius corporei. Hæc tribuitur Auerroi, qui non solùm Angelo, sed etiam DEO negabat cognitionem horum singularium, vt refert S. Thomas in 2. sent. dist. 3. q. 2. ar. 3. Verùm hanc sententiam tanquàm hæresim manifestã reijcit S. Thomas 1. p. q. 14. ar. 11. Cæterùm cõmunis Theologorum sententia affirmat, quòd Angeli non tantùm spiritualia, sed etiam materialia singularia cognoscant. Difficultas tamen est, per quidnam dicta singularia cognoscantur ab Angelis. Scotus igitur in 2. dist. 3. q. vltima. & dist. 9. q. 2. censet, quòd Angeli ad cognoscenda singularia etiam materialia intuitiua cognitione, non egeant speciebus acquisitis, neq; infusis, sed ea cognoscant per illorum præsentialitatem. Iam verò ad cognoscenda singularia abstractiuè, dicit Angelos indigere speciebus, quas ipsi abstrahunt ab ijsdem singularibus. Nihilominùs cõmunis Theologorum sententia docet, Angelos cognoscere singularia per eandem speciem, per quam cognoscunt naturam specificam illis communem. Nam vna species Angelica, siue repræsentet per modum formalis similitudinis, siue per modum virtutis effectiuæ, siue vtroq; modo, eandem, est immediatè repræsentatiua naturæ communis; mediatè verò indiuiduorum, in quibus ipsa natura de facto habebit esse pro aliqua differentia temporis, cum omnibus singularibus accidentibus, quæ ipsis contingunt. Et hoc habet ex eo, quòd sit participatio Diuinæ ideæ, quæ non tantùm repræsentet naturam, quoad communia principia, sed etiam quantum ad omnia indiuiduantia, & quantum ad omnia accidentia, quæ sunt in rebus quomodolibet.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Angeli cognoscũt singularia etiam materialia.

COnclusio. Angeli cognoscunt singularia etiam materialia. *Probatur I. ex Scriptura Sacra*, in qua frequenter refertur, Angelos locutos fuisse cum hominibus singularibus, & de rebus singularibus, vt cum Abrahamo, Loth, Moyse, Tobia vtroque, B. Virgine. Deinde Scriptura Sacra docet, hæc inferiora administrari per Angelos, ad Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministeriũ missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Docet item Angelorum naturæ, & custodiæ, homines in particulari traditos esse, Matthæi 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Sed hæc Angeli præstare non possent, si non haberent notitiam rerum singularium, cùm actus non sint nisi singularium: ergo Angeli cognoscunt singularia.

Probatur II. *ratione.* Tum, quia iuxta Philosophum Angeli mouẽt orbes cœlestes, secundùm intellectum, & voluntatem. *Tum*, quia in Angelis est sufficiens vis intellectiua ad

ua ad notitiam singularium etiam materialium comparandam, & ex parte obiecti habeant earum rerum species: nam per species naturæ specificæ possunt moueri ad cognoscenda indiuidua dicta etiam intuitiuè, quando existunt: ergo Angeli de facto cognoscunt singularia etiam materialia. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Angeli cognoscũt singularia per species sibi à Deo inditas.

Corollarium I. Angeli cognoscunt singularia per species sibi à Deo inditas. Ita S. Thomas 1. p. q. 56. ar. 2. vbi dicit: *Angeli per species à Deo inditas ea cognoscunt, non solùm quantum ad naturam vniuersalem, sed etiam secundùm eorum singularitatem.* Et *ratio est:* quia sicut à Deo effluunt res, vt subsistant in proprijs naturis; ita etiam vt sint in cognitione Angelicâ. Sed vt subsistant in proprijs naturis, non solùm effluunt à Deo quantum ad naturam vniuersalẽ, verum etiam secundùm earum singularitatem: ergo & vt sint in cognitione Angelica. Cùm autem huiusmodi effluxus sit, quo Angeli à Deo species inditas rerum acceperunt, sequitur euidenter Angelos per species à Deo inditas res cognoscere, non tantùm quo ad naturam vniuersalem, verùm etiam secundùm earum singularitem; quemadmodùm & Deus per suam essentiam cognoscit omnia, non solùm quantum ad naturas vniuersales, sed etiam quantum ad singularitatem.

Corollarium II. Falsa est sententia Scoti, quòd Angeli ad cognoscenda singularia etiam materialia intuitiuâ cognitione, non egeant speciebus acquisitis, neq; infusis. *Ratio:* quia intellectus neque intuitiuè, neq; abstractiuè, potest aliquam rem cognoscere, quæ aut per suam essentiam, supplentem vices speciei, aut per similitudinem, non sit intra ipsam potentiam, suppositâ verâ doctrinâ Philosophi ex libris de anima, nimirùm cognitionem fieri per hoc, quòd cognitum sit in cogoscente; non autem per extramissionem, vt volebant Platonici. Cùm ergo singularia materialia, non possint esse secundùm seipsa intra intellectum Angelicum, necesse est, quòd sint secundùm similitudines suas naturaliter inditas Angelo.

Angeli cognoscũt directè singularia, & omnia illorũ accidentia per eãdẽ speciẽ, per quam naturã specificã illis cõmunem.

Corollarium III. Angeli cognoscũt directè singularia, omniaque illorum accidentia per eandem speciem, per quam naturam specificam illis communem intelligunt. De indiuiduis præcisè, docet id Sanctus Thomas citatus art. 2. in corpore, & in solutione ad 3. vbi ait: *Dicendum quòd Angeli cognoscunt singularia per formas vniuersales, quæ tamen sunt similitudines rerum, & quantum ad principia vniuersalia, & quantum ad indiuiduationis principia.* De accidentibus verò docet quodlib. 7. ar. 3 in solut. ad 2. his verbis: *Sicut autem per vnam speciem concreatam, potest Angelus cognoscere diuersa indiuidua, ita etiam multò amplius potest cognoscere per vnam, quidquid est in vno indiuiduo, vt non oporteat eum aliam speciem habere, quâ cognoscat colorem, & odorem vnius pomi, sed simul cognoscendo hoc pomum, cognoscit quidquid est in illo pomo, & essentialiter, & accidentaliter.* Et *ratio corollarij est:* quia species, quâ Angelus vtitur in cognitione singularis materialis, nõ repræsentat præcisè naturam specificam sine singularitate, sed simul vtrumque etiam directè, cùm omnibus accidẽtibus: ergo Angelus per eandem speciem cognoscit directè singularia, illorumq; accidentia, per quam naturam specificam illis communem intelligit. *Consequentia clarâ. Antecedens ostenditur.* Species quâ vtitur Angelus ad cognoscendam rem etiam materialem, est participatio immediata Diuinæ essentiæ, secundùm quod habet rationem speciei intel-

intelligibilis: ergo sicut essentia Diuina non repræsentat solam naturam specificam, sed etiam ad rationes indiuiduales, cum omnibus earum accidentibus directè extenditur; ita & species, quâ vtitur Angelus. *Consequentia patet*: quia effectus quantum fieri potest, debet assimilari suæ causæ; non est autem impossibile, seu non repugnat tàm ex parte essentiæ Diuinæ in ratione speciei consideratæ, quàm ex parte illius speciei Angelicæ ab ea per participationem deriuatæ, quòd hæc, sicut illa repræsentet simul naturam specificam, eius indiuiduationem, & omnia ipsius accidentia. Ergo de facto species Angelica hæc omnia repræsentat. *Minor deducitur quoad speciem Angelicam*: quia prædicta species cum hac vniuersalitate remanet adhuc etiam in repræsentando finita simpliciter, solumq; infinita secundùm quid; quatenus nimirùm repræsentando naturam specificam, simul omnia eius indiuidua etiam possibilia, contenta in virtute causarum naturalium pertinentium ad hoc vniuersum, ad quod non requiritur infinita perfectio in tali specie. Quemadmodùm etiam ad hoc, vt natura specifica per eam repræsentata, omnia sua indiuidua etiam possibilia contineat, non desideratur in ipsa infinita perfectio.

Species Angelicæ non sunt infinitæ simpliciter, sed tantùm secundum quid.

Corollarium IV. Ex eo, quòd species Angelicæ possint infinita indiuidua repræsentare, non sequitur eas esse infinitas simpliciter, sed solùm secundum quid: quemadmodùm etiam natura, sub qua continentur infinita illa indiuidua, solùm est infinitæ perfectionis secundùm quid, vt proximè ostensum est. *Ratio*: quia non obstante hoc, quòd sub se infinita contineat, est definita ad certum genus, certamque differentiam. Quemadmodum etiam scientia indita animæ Christi, extendit se ad infinitas cognitiones, & actus amoris, quos Angeli, & alij Sancti per totam æternitatem eliciturі sunt; & tamen est simpliciter finita, solumq; secundùm quid infinita, vt docet S. Thomas 3. p. q. 10. ar. 3. ad 1.

Corollarium V. Licet species Angelorum repræsentent semper rerum naturas, singularitatem, existentiam, durationem; non repræsentant tamen illa in actu exercito, sed in actu signato, & per modum quidditatis possibilis, abstrahendo ab actuali exercitio actu exercito. *Ratio corollarij*: quia species Angelicæ habent naturalem determinationem ad illa omnia actualiter repræsentãda, quæ actu pertinent ad hoc vniuersum eo modo, quo ad ipsum pertinent; omnia autem illa habent suo modo suas quidditates, secundùm quas per modum possibilium, nondum in actu exercito existentium, continentur in virtute causarum naturalium, atque sic in illis contenta pertinent ad hoc vniuersum; semperq; ita repræsentantur à speciebus Angelicis, & ab Angelis cognoscuntur. Quando autem singularia ponuntur in esse, tunc repræsentatur natura, vt in actu exercito coniuncta hic & nunc cum singularitate, existentiâ, duratione, & alijs accidentibus, quæ tunc illi conueniunt; & ideò tunc cognoscitur ab Angelo natura singularis, vt in actu exercito existens, & durans.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio I. & solutio eiusdem.

OBijcitur I. *Contra Corollarium I.* Singularia cognoscitur ab Angelo notitiâ intuitiuâ. Sed hæc sumitur à re cognita, cum ad eam necessariò concurrat res, vt præsens: ergo Angeli cognoscunt singularia per species à singularibus acceptas; non autem à Deo sibi inditas. *Respondetur negando minorem*: nam licet ad notitiam intuitiuam requiratur, vt res sit præsens; non tamen vt ab hac accipiatur, sed potest esse expressa species ab aliquo superiori: vnde species, quibus Angeli singularia existentia intuitiuè cognoscunt, sunt expressæ ab essentia Diuinâ, in qua huiusmodi singularia continentur, & repræsentantur, secundùm quod existunt in actu exercito in sua propria temporis differentiâ.

Obiectio II. & solutio eiusdem.

Obijcitur II. *Contra Corollarium II.* Si Angelus cognosceret singularia, & omnia eorum accidentia per eandem speciem, tunc vnica species repræsentaret simul rationes inter se oppositas, & repugnantes, v. g. albedinem, & nigredinem; sessionem, & stationem. *Præterea*, quia si eadem species repræsentaret naturam singularem, & omnia eius accidentia, esset simul substantia, & accidens, quod non videtur concedendum: ergo Angelus non cognoscit singularia, & omnia eorum accidentia per eandem speciem. *Respondetur concedendo antecedens quoad primum*, neq; enim est contra rationem speciei excedentis, & eminentis, vt simul, & vniformiter repræsentet rationes oppositas, tanquàm partialia, & inadæquata obiecta, eò quòd repræsentet obiectum principale, in quo ista continentur, præsertim cùm repræsentet illa, vt conuenientia eidem obiecto pro diuersis temporibus; sub qua ratione inter se non habent oppositionem, & repugnantiam. *Ad secundum respondetur similiter*, non esse inconueniens, quòd eadem species in esse intelligibili, simul sit substantia, & accidens: quoniam res, quæ in esse entitatiuo, & naturali opponuntur, in esse repræsentatiuo, & intelligibili conueniunt, & adunantur.

Obiectio III. & solutio eiusdem.

Obijcitur III. *Contra Corollarium III.* Vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem simpliciter. Sed posse repræsentare plura indiuidua dicit maiorem perfectionem: quàm posse repræsentare vnum tantùm: ergo posse repræsentare infinita, arguit in specie Angelica infinitam virtutem simpliciter. *Respondetur distinguendo maiorem.* Vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem, secundùm intensionem determinatam, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem simpliciter, *conceditur maior*: vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem secundùm gradum specificum ordinis superioris, ibi requirit infinitam perfectionẽ simpliciter, *negatur maior*. Benè enim stat, quòd vna perfectio altioris ordinis, esto simpliciter finita sit, nihilominùs sit tantæ perfectionis; vt excedat infinitas perfectiones, ordinis inferioris, eisq; eminenter æquiualeat. Sic actus charitatis æquiualet quantum ad bonitatem & perfectionem, imò superat infinitos actus amoris naturalis. Vt ergo vna species Angelica æquiualeat infinitis speciebus nostris, quarum quælibet vnam solùm quidditatem, vel vnum solùm indiuiduum repræsentat, non requiritur, quòd sit infinitè perfecta, sed satis est, quòd sit ordinis superioris.

Obiectio IV. & solutio eiusdem.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium V.* Si species Angelorum non semper repræsentarent rerum naturas, singularitatem, existentiam, durationem, in actu exercito, sed in actu signato: ergo dum postea in actu exercito ista repræsentarent, deberent intrinsecè mutari, seu perfectionem aliquam intrinsecam de nouo recipere. *Respondetur negando consequentiam*: nam quòd species Angelicæ illa in actu exercito anteà nõ repræsentarent, id non proueniebat ex defectu perfectionis, aut actualitatis in illis, sed

ſed tantùm ex defectu exercitij, & actualitatis in obiecto, quod antea non erat in actu exercito exiſtens, & durans, vt docet Sanctus Thomas quodlib. 7. ar. 3. ad 2. his verbis: *Quando aliquid de nouo incipit eſſe præſens, Angelus de nouo cognoſcit illud, non facta aliqua mutatione, ſeu innouatione in ipſo Angelo, ſed in re cognoſcibili, in qua eſt aliquid, quod antea non erat.* Sic relatio paternitatis actu terminata ad vnicum filiũ, ſine vlla ſui mutatione, aut additione alicuius intrinſeci, terminatur & extenditur ad alios de nouo genitos. Item ſimilitudo parietis, & alia.

Inſtabis. Species Angelica eſt res abſoluta: ergo non poteſt de nouo habere determinationem intrinſecam, quam antea nõ habebat ſine intrinſeca ſui mutatione. Sed repræſentare indiuidua vt exiſtentia, & durantia in actu exercito, eſt determinatio intrinſeca, quæ non conuenit ſpeciei Angelicæ ante productionem eiuſmodi indiuiduorum: ergo non habet illam ſine intrinſeca ſui mutatione. *Reſpondetur negando conſequentiam*, quæ ſolùm verificatur in rebus abſolutis inferioribus; non autem in rebus abſolutis eminentibus, vti eſt ſpecies Angelica, quæ habet excellentem repræſentãdi modum, in quantum eſt participatio modi repræſentandi diuinæ eſſentiæ. Vnde ſicut eſſentia Diuina, vt habet rationem ſpeciei intelligibilis, antecedenter ad determinationem Diuinæ voluntatis circa rerum productionem, non repræſentat eas vt exiſtentes, nec vt futuras; poſt dictam verò determinationem, ſine vlla ſui mutatione, repræſentat eaſdem res vt futuras, imò & vt exiſtentes in æternitate; ita ſpecies Angelica repræſentatiua alicuius quidditatis ſpecificæ, antecedenter ad productionem indiuiduorum, non repræſentat illa vt exiſtentia in actu exercito, ſed tunc ſtatim quando exiſtunt: ſine eo, quòd ex tali exiſtentia, aliquid ei perfectionis de nouo adueniat.

QVÆSTIO III.

An Angeli cognoſcant futura.

Futura duplicia [marginal note, partly obscured by a blot]

SUppono, duplicia eſſe futura quædam neceſſaria, quæ ex cauſis naturalibus, & neceſſariò operantibus proueniunt, v. g. quòd eclipſis ſolis tali die, & horâ, futura ſit. Et de his non procedit quæſtio, cùm certum ſit eiuſmodi futura, ſcilicet eclipſes, curſus Planetarum, tempeſtates inde ſecuturas naturaliter ab Angelis cognoſci, idq; multò melius; quàm ab hominib[9] etiam in Aſtrologia verſatiſſimis, eò quòd habeant vniuerſalem, & mirabilem cauſarum naturalium ſcientiam, & conſequenter effectuum ex illis naturaliter, & neceſſariò cõſequentium. Quædam verò ſunt contingentia, & hæc ſunt duplicis generis, quædam quæ dependent à libero Dei, & hominis arbitrio, v. g. quòd Petrus pœnitentiam acturus ſit; quædam quæ nullam dependentiam habent à libera hominis voluntate, ſed procedunt ex cauſis alijs impedibilibus ex natura ſua, v. g. quod ruens domus opprimat aliquod animal.

Quidam ergo Theologi affirmant, illa futura contingentia excipi à naturali cognitione Angelorum, quæ pendent à libero arbitrio; alia verò futura contingentia ab iiſdem infallibiliter cognoſci. Quidam autẽ docent, nulla prorſus futura certò ab Angelis cognoſci. Et hanc ſequitur communis Theologorum ſententia.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur quæſtio.

Futura contingẽtia libera Angeli naturaliter [marginal note, partly cut off]

COncluſio. Futura contingentia, quæ pendent à libero arbitrio, Angeli naturaliter cognoſcere nõ

Futura contingentia libera per nõ poſſunt certò cognoſcere.

poſſunt certò. *Probatur* I. ex Scriptura Sacra Iſaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura ſunt, & dicemus quia dij eſtis vos.* Et 2 Petri 1. *Non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia; ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines.* Ergo Angeli futura contingentia libera, naturaliter non poſſunt certò cognoſcere.

Probatur II. *ratione*. Si Angelus naturaliter poſſet cognoſcere futura contingentia, vel illa cognoſceret in cauſis, vel in ſeipſis. Sed non in cauſis: quia liberum arbitrium ex ſe eſt indifferens ad vtramq; partem, & æque reſpicit vnam, atq; alteram: & ſic ex illo non magis intelligitur euentus futurus quàm non futurus. Non etiam in ſeipſis, quia futura non exiſtunt in tempore, quod eſt propria illorum menſura, cùm nõ ſint producta, & extra cauſas poſita; ſed tantùm in menſura ſuperiori æternitatis, quæ cùm ſit infinita, & indiuiſibilis, ambit omne tempus, & coëxiſtit non tantùm rebus præſentibus, ſed etiam præteritis, & futuris; cognitio autem Angelica non menſuratur æternitate, ſed æuo, aut tempore diſcreto. Ergo Angelus futura contingentia, neque in cauſis, neq; in ſeipſis cognoſcere poteſt. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Cognitio futurorum liberorum contingentium, ſoli Deo competit.

Corollarium I. Cognitio futurorum liberorũ contingentium, ſoli Deo competit. Ita Scriptura Sacra, Iſaiæ 45. *Interrogate me, quæ ventura ſunt ſuper filios meos.* Et cap. 46. *Ego ſum Deus, & non eſt vltra ſimilis mei, annuntians ab exordio nouiſſima, & ab initio, quæ nondum facta ſunt.* Et Danielis 2. vbi Nabuchodonoſor ex hoc cognouit Deum Danielis, verum Deum eſſe, quia potuit reuelare ſomnium ſuum de futuris contingentibus. Idem docent Sancti Patres, Sanctus Chryſoſthomus homil. 18. in Ioan. vbi dicit: *Certa* inquit, *futurorum, prædictio immortalis Dei ſolius opus eſt.* Et Tertullianus in Apologet. cap. 20. *Idoneum* inquit, *opinor teſtimonium Diuinitatis, veritas diuinationis.* Hinc Sancti Patres & Theologi præſtantiores docent, potiſſimum teſtimonium fidei noſtræ illud eſſe, quòd multis antea temporibus prædicta ſint, quæ modò videmus impleri; indeq; colligunt, verum Deum eſſe, qui huiuſmodi veritates teſtificatur. Et hoc argumento vſus eſt D. Paulus ad Rom. 1. ita ſcribens: *Segregatus in Euangelium, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis Sanctis de Filio ſuo.* Ergo iuxta Scripturam Sacram cognitio futurorum contingentium, ſoli Deo propria eſt.

Non poteſt dari ſpecies intelligibilis, quæ repræſentet futurũ contingens, vt futurum, & vt contingens eſt.

Corollarium II. Etiam de abſoluta potentia Dei non poteſt dari ſpecies intelligibilis, quæ repræſentet futurum contingens, vt futurum eſt, & quatenùs contingens eſt. *Ratio I.* quia repræſentare futurum contingens, vt futurum, eſt proprium Diuinæ Eſſentiæ: ergo non poteſt competere ſpeciei intelligibili creatæ. Cæterùm iſta ratio parum roboris habet: nam ex eo, quòd aliqua ratio ſit propria, & naturalis Diuinæ Eſſentiæ, licitum ſolùm eſt inferre, quòd nulli ſubſtantiæ creatæ poſſit conuenire ex natura ſua; ſicut quia videre Deum, ſoli Deo proprium, & naturale eſt, ideò nulli ſubſtantiæ creatæ poteſt competere ex natura ſua: cùm omnis ſubſtantia creata ſit inferioris ordinis, & ex propria ſpecie limitetur ad proprium genus, & differentiam. Iam verò accidens creatum ſuperioris ordinis ſecundùm propriam ſpeciem dari poteſt: nam ſuperioritas ordinis accidentis conſideratur ex ſuperioritate ſubſtantiæ, à qua dimanat, v. g. lux dicitur eſſe ſuperioris ordinis, quàm elementa: quia licet re-

cipiatur in àere; non dimanat tamen nisi à substantia cælestis corporis. Ita quoq; potest Deus producere lumen superioris ordinis, quàm sit ordo naturæ, & omnis substantiæ creatæ, & quod solùm possit dimanare ab ipsa Diuina luce, à qua solùm dependet in fieri, & conseruari, cum ea perfectione specifica, vt possit manifestare intellectui tali lumine illustrato Diuinam Essentiam sicuti est. Non posse ergo dari speciem intelligibilem, quæ repræsentet futurũ contingens, vt futurum est, & quatenùs contingens est, non sufficienter probatur ex eo, quia taliter repræsentare futurum contingens, est propriũ Diuinæ Essentiæ: quia quod Deo competit per suam substantiam, potest competere creaturæ per accidens superioris ordinis.

Ratio igitur II. corollarij fundamentalis est: quia futura contingentia, quamdiu non existunt in se, neque in suis causis determinatis, nullam habent habitudinem ad propriam existentiam, alias non essent futura contingenter. Ergo nulla species creata potest repræsentare determinatã habitudinem futuri contingentis ad propriam existentiam; & consequenter non potest determinatè repræsentare futurum contingens, vt contingens est.

Possibilis est species intelligibilis quæ repræsentet solam quidditatem futuri contingentis speciem aut singularem.

Corollarium III. Potest nihilominùs de absoluta Dei potentiâ, dari species intelligibilis, quæ repræsentet actu solam quidditatem ipsius futuri contingentis specificam, aut singularem. *Ratio*: quia posset Deus alicui homini imprimere phantasma Antichristi futuri ita perfectè repræsentans, ac si oculis eum videret, & tunc per speciem hominis, quam homo ille haberet, posset cognoscere per quandam reflexionẽ ad illud phantasma, quidditatem Antichristi, vbi non repræsentaretur illi habitudo, quam illa quidditas singularis haberet, ad existentiam determinandam in tempore futuro. Ergo pariter per absolutam Dei potentiam, potest Angelo infundi aliqua species intelligibilis, quæ repræsentet quidditatem singularem alicuius futuri contingentis, non repræsentando habitudinem ad futuram existentiam. *Cuius ratio hæc potest reddi*, quia inter prædicata essentialia, & quidditatiua cuiuslibet rei singularis, est necessaria habitudo, quæ non pendet ex Diuina voluntate, aut prouidentiâ, v. g. quòd Petrus sit homo: ergo potest illa vera, & necessaria habitudo cognosci à creatura per speciem inditam.

Corollarium IV. Angeli etiam futura casualia naturaliter cognoscere non possunt. *Ratio*: quia futura casualia, & fortuita, nullam habent in aliqua causa determinationem, in qua certò, & infallibiliter cognosci possint, sed omninò per accidens eueniunt, vt docet S. Thomas 1. p. q. 115. art. 6. vbi dicit: *Quòd aliquod corpus terrestre ignitum in superiori parte aëris generetur, & deorsùm cadat, habet causam aliquam virtutem cælestem. Et similiter etiam, quòd in superficie terræ sit aliqua materia combustibilis, potest reduci in aliquod cæleste principium. Sed quòd ignis cadens huic materiæ occurrat, & comburat eam, non habet causam aliquod cæleste corpus, sed est per accidens.* Ergo futura casualia, & fortuita, non possunt naturaliter ab Angelis cognosci.

Differentia inter species animæ Christi infusas & Angelicas.

Corollarium V. Ex eo, quòd Christus per species infusas cognoscat futura contingentia, & libera, non sequitur, quòd etiam Angelus eadem cognoscat. *Ratio*: quia licet Angeli sint perfectiores speciebus infusis animæ Christi quantum ad vniuersalitatem; non tamen quantum ad alia, vt docet S. Thomas 3. p. q. 11. art. 4. his verbis: *Scientia indita animæ Christi fuit multò excellentior; quàm Angelorum scientia, & quantum ad multitudinem cognitorum, & quantum ad scientiæ certitudinẽ, quia lumen spirituale gratiæ, quod est inditum animæ Christi, est multò excellentius, quàm lumen, quod pertinet ad naturam Angelicam.* Et sic species animæ Christi infusæ, vt potè præternaturales, & deseruientes scientiæ eius supernaturali, repræsentant actu futura contingentia, & libera; secùs autem species Angelis cõnaturales, statimq; ab initio illorum creationis infusæ. Certum tamen est, quòd Angeli futura contingentia, & libera cognoscant aliquomodò cognitione quadam coniecturali, ex aliquibus indicijs solùm probabilibus deductâ, atq; adeò incertâ: ad eum modum, quo medicus ex tactu pulsùs, aut inspectione vrinæ, alijsq; indicijs præcognoscit sanitatem infirmi. Cùm enim Angeli diuturna obseruatione, pluriumq; annorum experientiâ, sciant, ad quid vt plurimum humanæ voluntates inclinari soleant, & quæ ex suasionibus, tentationibus, occasionibus, alijsq; huiusmodi sequantur, facilè prædicta futura coniectari possunt.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Angelus naturaliter cognoscit omnem veritatem naturalem. Sed quòd ista causa libera sit seipsâ determinata, vel non determinata ad hunc effectum, est veritas naturalis: ergo illam Angelus naturaliter cognoscit: & consequenter in vi illarum contradictoriarum, & in virtute obiectiuâ, quæ ex vi contradictionis in eis resultat, potest Angelus quidnam sit determinatè futurum, aut non futurum, naturaliter cognoscere.

Solutio eiusdem.

Respondetur concedendo maiorem, & minorem, & primam consequentiam, negatur secunda: licet enim Angelus naturaliter veritatem illius disiunctiuæ cognoscat; quemadmodùm & nos quoq; eam cognoscim[9]; hinc tamen non sequitur, quòd ex vi illius, seu ex vi contradictionis, quam continet, possit determinata futuritio alicuius contingentis cognosci. Nam ad veritatem disiunctiuæ non requiritur, quòd partes ex quibus componitur, sint determinatè veræ aut determinatè falsæ, sed quòd sint in veritate, aut falsitate incompossibiles: seu quòd ambæ nõ possint esse simul veræ, & simul falsæ, sed vna ex illis, quæcunq; illa sit, habeat veritatem, aut falsitatem. Alias cùm propositio illa disiunctiua non solùm vera sit, sed etiam necessaria, veritas determinata, quæ ex illa in propositionibus de futuro contingenti resultaret, non esset veritas libera, & contingens, sed naturalis, & necessaria: præsertim cùm vis, & natura contradictionis fundetur in illo primo principio: *Quodlibet est, aut non est*, quo nihil potest dari, aut concipi magis necessarium. Vnde veritas determinata, in propositionibus de futuro contingenti, non oritur ex vi, & natura oppositionis contradictoriæ, sed ex determinatione causarum, maximè causæ primæ, quæ cùm sit primum liberum, & primum determinans, est prima radix totius libertatis, & contingentiæ in rebus creatis, vt docet Sanctus Thomas 1. Periherm. lect. 14. Quocirca antecedenter ad Diuinũ decretum, quod est libera determinatio voluntatis Diuinæ, nullum contingens potest esse, aut concipi, vt determinatè futurum, neq; vlla dari veritas, aut falsitas determinata, in propositionibus de futuro contingenti.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium II.* Futura contingentia antequàm existant, cognoscuntur à

Deo certâ, & intuitiuâ cognitione, & per ordinem ad Diuinam cognitionem, habent determinatam habitudinem ad ſuam exiſtentiam: alias non cognoſcerentur determinatè à Deo, vt futura in noſtro tempore: ergo Deus poteſt hanc determinatã habitudinem repræſentare Angelo per aliquam ſpeciem creatam. *Reſpondetur conceſſo antecedente, negatur cõſequentia.* Ratio: quia non eſt communicabilis ſpeciei creatæ illa perfectio, vt ſit repræſentatiua determinatæ habitudinis, quam habet futurum contingens ſolùm reſpectu Diuinæ cognitionis. Nam Deus dupliciter poteſt conſiderari cognoſcere futura. *Primò*, quatenus coëxiſtunt Diuinæ cognitioni, quæ menſuratur æternitate ambiẽte omne tempus; & ſic Diuina cognitio eſt futurorum contingentium in ſeipſis. *Secundò*, in propria idea determinata per Diuinam voluntatem ad productionem futuri contingentis in ſuo tempore. Et hæc eſt cognitio Diuina futuri contingentis in ſuis cauſis determinatis per Diuinam ideam, & voluntatem Dei. Species ergo creata non poteſt repræſentare determinatam habitudinem futuri contingentis, quam habet reſpectu Diuinæ cognitionis primo modo cõſideratæ: quia ſpecies creata, vel eius repræſentatio, non poteſt menſurari æternitate, ſed tempore, aut æuo. Iam verò habitudo illa determinata futuri cõtingentis, ſolùm eſt per ordinem ad menſuram æternitatis, quatenus futurum contingens coëxiſtit æternitati. Similiter habitudinem, quam futura contingentia habent reſpectu Diuinæ cognitionis poſteriori modo conſideratæ, nulla ſpecies creata repræſentare poteſt, eò quòd illa determinatio ſolùm ſit in cauſa, puta in Diuina idea determinatâ per liberam Dei voluntatem ad productionem futuri contingentis. Cùm autem nulla ſpecies creata poſſit repræſentare hanc determinationem, ſequitur quòd neq; poſſit repræſentare habitudinem futuri contingentis ad ſuam exiſtentiam, prout eam habet in ſuprema cauſa.

Solutio eiuſdem.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* III. Res nunquàm eſt ſimilis ſpeciei intelligibili in actu, niſi actu exiſtat in ſe, vel in ſua cauſa: ergo etiam de abſoluta potentiâ, non poteſt repræſentari quidditas futuri contingentis per ſpeciem intelligibilem actu, antequam ſit. *Reſpondetur negando antecedens:* quidditas enim quæcunq; creata, aut creabilis, ſimilis eſt ſpeciei intelligibili ſimilitudine eſſentiali antequam exiſtat, quia quidditas rerum creabilium, ſecundùm ſe abſtrahit ab exiſtentia, & actuali duratione; ſecùs verò ſe habet, ſi res conſideretur, quantum ad cõiunctionem eſſentiæ cum exiſtẽtia: nam quantum ad hoc, non poteſt eſſe ſimilis ſpeciei intelligibili, niſi aliquomodò exiſtat in ſe, aut in ſua cauſa determinatâ.

Solutio eiuſdem.

QVÆSTIO IV.

An Angeli ſecreta cordis humani, & Angelici naturaliter cognoſcant.

SUppono, per *ſecretum cordis*, hoc loco intelligi omnem actum cognoſcitiuæ, aut appetitiuæ facultatis, prout à voluntate libera, & deliberatâ pendet, vt docet Sanctus Thomas I. p. q. 57. art. 4. his verbis: *Ea* inquit, *quæ ex voluntate ſola dependent, & quæ in voluntate ſola ſunt, ſoli Deo ſunt nota: manifeſtum autem quòd è ſola voluntate, dependet, quòd aliquis actu aliquo conſideret.* Vnde ſenſus quæſtionis eſt, vtrum Angeli ſuis viribus naturalibus, poſſint immediatè intueri cogitationes intellectus noſtri, & volitiones noſtras, aliorumq; Angelorum; ſicut immediatè poſſunt videre ſubſtantiam animæ noſtræ, aliorumque Angelorum. Circa

quod

quod plures ſunt Doctorum ſententiæ.

Opinio prima.

Prima ſententia cenſet, affectiones liberas, & cogitationes, eſſe naturaliter cognoſcibiles ab Angelis; eas tamen de facto non cognoſci ab illis, Deo non concurrente auxilio generali, cum intellectu Angelico ad talem cognitionem, ſed eam ſibi reſeruante. Hanc docet Scotus in 2. diſt. 9. q. I. & in 4. diſt. 8. q. 10 ad 3. Gabriel ibidem q. 2 & lect. 13. ſupra Canonem Miſſæ.

Opinio ſecunda.

Altera ſentẽtia exiſtimat, omnes Angelos tàm bonos; quàm malos de facto cognoſcere quaſlibet affectiones, & cogitationes cordium. Quam probabilem eſſe putat Durandus in 2. diſt. 8. q. 5.

Opinio tertia.

Tertia ſententia dicit, Angelos cognoſcere cogitationes, & affectiones cordium, quantum ad ſubſtantiam ipſarum; non tamen quantum ad reſpectum, quem habent ad propria obiecta. Ita Guilielmus in 2 diſt. 9. q. 4.

Opinio quarta.

Quarta ſententia tenet, Angelos cognoſcere cogitationes, & affectiones quoad ſubſtantiam, & quoad obiecta; non cognoſcere tamen, in quem finem dirigantur à voluntate: & quoniam bonitas, & malitia potiſſimùm ex fine pendet; ideò dicit Angelos non cognoſcere, vtrum illæ cogitationes moraliter ſint bonæ, aut malæ. Hanc ſequitur Henricus quodlib. 3. q. 13.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

Secreta cordis nõ poſſunt naturaliter ab Angelis cognoſci.

COncluſio. Secreta cordis Angelici, & humani, de facto non poſſunt ab Angelis naturaliter cognoſci, ſecluſâ Dei reuelatione. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra 2. Paralip. 6. vbi de Deo dicitur: *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.* Et I. Reg. 16. *Homo videt ea, quæ patent: Dominus autem intuetur cor.* Et Hierem 17. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? ego Dominus ſcrutans corda.* Super quæ verba S. Hieronymus ita ſcribit: *Hinc diſcimus, quòd nullus ſcit cogitationes hominum, niſi ſolus Deus.* Ergo Angeli cogitationes cordis naturaliter non cognoſcunt.

Probatur II. Authoritate Sanctorum Patrum, qui id vnanimiter docent, vt Sanctus Hilarius in Pſal. 139. vbi dicit: *Cogitationes cordis noſſe non noſtrum eſt, ſed eius de quo dictum eſt, ſcrutans corda, & renes Deus.* Sanctus Chryſoſthomus homil. 24. in Ioan. *Quæ in corde hominum inſunt, noſſe ſolius eſt Dei, qui ſigillatim corda finxit.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 2 in Ioan. vbi de Nathanaële, qui Chriſtum Dei Filium confeſſus eſt, ita ſcribit: *Nouerat ſolum Deum ſcrutatorem eſſe cordium, nec vlli alteri mentem hominis patere.* S. Auguſtin. ſerm. 234. de Iob Patriarcha dicit: *Colebat* inquit *Deum, faciebat eleemoſynas, & quo corde faciebat, nemo ſciebat, nec ipſe diabolus, ſed ſolus Deus.* Deniq; Sanctus Hieronymus in Pſal: 16. *Diabolus* inquit, *neſcit, quid intrinſecùs in anima cogitet homo, niſi per exteriores motus intelligat.* Ergo ex mente Sanctorum Patrum cogitationes cordis ab Angelis non cognoſcuntur.

Probatur III. *ratione.* Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere, niſi ea, quæ pertinent ad ordinem huius vniuerſi, cuius eſt pars. Sed actus liberi voluntatis creatæ intra eam ſiſtentes, nullumq; inferentes effectum ad extra, non pertinent ad ordinem vniuerſi, verùm ſunt extra, & quodammodò ſupra ipſum: ergo non poſſunt naturaliter ab Angelo cognoſci. *Maior eſt certa*, tum quia Angelus ſolùm habet ſpecies repræſentatiuas earum, rerum, quæ ad hoc vniuerſum pertinent, *Tum*, quia non poteſt alius termi-

terminus cognitioni Angelicæ assignari, nisi latitudo totius vniuersi. *Tum* etiam, quia si cognitio naturalis Angeli extenderet se ad ea, quæ non pertinent ad vniuersum, non esset maior ratio, cur potiùs se extenderet ad vnū; quàm ad aliud, & sic omnia possibilia, atq; futura contingentia attingeret. *Minor verò probatur.* Ordo vniuersi cōsistit in hoc, quòd causæ particulares habeant concatenationē cum vniuersalibus, seu in hoc, quòd inferiora regantur, & moueantur per superiora, vt docet Sanctus Thomas quodlib. 6. vnde vt aliqua causa inferior, & particularis, eiusque operatio ad ordinem vniuersi pertineat, debet habere necessariam cum alijs causis naturalibus, & vniuersalibus connexionem, esseq; apta moueri ab illis. Iam verò si aliqua causa particularis esset talis conditionis, & eminentiæ, quòd in suis operationibus nō dependeret à causis naturalibus, & vniuersalibus, sed à solo Deo, qui est extra, & supra totum ordinem vniuersi, deberent tales operationes esse extra, & quodammodò supra totum ordinem vniuersi; voluntas autem humana ratione libertatis, & perfecti dominij, quod habet in suos actus liberos, talis est naturæ, perfectionis, ac eminentiæ, vt in illis à solo Deo dependeat, eò quòd solus Deus possit ei illabi, ac intra ipsam operari. Ergo actus liberi voluntatis creatæ, ad ordinem vniuersi non pertinēt, sed extra ipsum, & quodammodò supra ipsum sunt. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Cogitationes cordis, solus homo cuius sunt, & Deus cognoscit.

Corollarium I. Cogitationes cordium, affectusq; voluntatum, à solo homine eiusmodi actus eliciente, & à Deo cognoscuntur. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 57. ar. 4. vbi id ex eo probat, quia voluntas rationalis creaturæ soli Deo subiacet. Palamq; id docet Scriptura Sacra 1. ad Corint. 2. his verbis: *Quæ sunt hominis nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* Quæ verba S. Augustinus tract. 32. in Ioan. ita exponit: *Nostra nemo scit, nisi spiritus noster: ita tamen vt Deus cum suo spiritu sciat etiam, quid agatur in nobis.* Vnde S. Thomas q. 16. de malo, ar. 8. dicit: *Vnde cùm voluntas interiùs non possit ab alio, nisi à Deo moueri, cuius ordini immediatè subest motus voluntatis, per consequens voluntariæ cogitationes nō possunt cognosci neq; à Dæmonibus, neq; à quocunq; alio, nisi ab ipso Deo, & ab homine volente, & cogitante.* Nihilominùs Angeli ex Diuina reuelatione possunt cognoscere cogitationes cordium, vt docet citatus Sanctus Thomas q. 8. de verit. art. 13. vbi dicit; *Vnde motus voluntatis, & cordis cogitatio, non potest cognosci in aliquibus similitudinibus rerum naturalium, sed solùm in Essentia Diuina, quæ in voluntatem imprimit, & sic Angeli cognoscere non possunt cogitationes cordium, nisi in Verbo eis reuelentur.*

Corollarium II. Quòd Angeli non cognoscant actus internos liberos, eo, quia illa, quæ sunt à voluntate creatā, soli Deo subiacent. Discursus iste non resoluitur in illud principium: *Quæ sunt à solo Deo, sunt soli Deo cognita*, vt perperam aliqui recentiores contendunt. *Ratio:* quia illud principium sic acceptum, euidenter falsum est, vt quilibet videre potest in materia prima, elementis, cælis, Angelis, &c. quæ omnia sunt à solo Deo; & tamen nota sunt etiam intellectui creato. Sed resoluitur in hoc principium: *Quæ sunt ab aliqua causa mota à solo Deo, sunt soli Deo cognita;* dummodò tamen non sint ab illa causa in ordine ad vniuersum, vel ad aliquid ad ipsum pertinens. Talia sunt, quæ sunt à sola voluntate creatā, puta, quæ ab eius dominio plenè dependent, & intra ipsam sistunt.

Corollarium III. Actus liberi nostræ voluntatis, & actus interni liberè

liberè ab intellectu nostro procedentes, sunt naturaliter cuilibet alteri intellectui creato occulti, non solùm quoad modum libertatis, verùm etiam quoad substantiam. *Ratio:* quia cùm sint independentes quoad substantiam à causis naturalibus, non pertinent ad hoc vniuersum, etiam quoad substantiam, & entitatem. Secùs censendum est de actibus potentiarum sensitiuarum externarum, & de actibus appetitus sensitiui: quia hi pendent à causis vniuersalibus, & sic ad ordinem vniuersi pertinent.

Angeli ex vera impotentia intrinseca, cordium secreta ignorant.

Corollarium IV. Angeli non ex sola subtractione concursus Diuini, vt vult Scotus, Gabriel, sed ex vera impotentia intrinsecâ, secreta cordium ignorant. Ita Scriptura Sacra, quæ Deo cognitionem secretorum cordis, tanquàm specialem eius excellentiam, & prærogatiuam tribuit. Et Sancti Patres, qui Christi Diuinitatem maximè ex cognitione, & manifestatione secretorum cordis, colligunt. Quod sanè nullum esset argumentum, si Angelus naturaliter, & cum concursu Dei, connaturaliter sibi debito, ea penetrare valeret: posset enim aliquis meritò dicere, non sequi Christum esse Deum ex eo, quòd secreta cordis penetret & manifestet; sed potiùs esse Angelum, cum quo Deus secundum naturalem eius exigentiam concurreret. Et *ratio corollarij est:* quia Angelus solùm potest naturaliter cognoscere ea, quæ pertinent ad ordinem vniuersi, cuius est pars. Sed actus liberi voluntatis creatæ ad ordinem vniuersi non pertinent, sed sunt extra, & quodammodò supra ipsum: ergo non potest illos naturaliter cognoscere; & consequenter ignorat illos ex defectu potentiæ, & non ex sola denegatione concursus Diuini.

Mysteria gratiæ ab Angelis naturaliter co gnosci non possunt.

Corollarium V. Angelus sicut non potest cognoscere naturaliter cogitationes cordium creatorum; ita multò minùs potest cognoscere ea, quæ ex sola Dei voluntate dependent, vti sunt mysteria gratiæ. Ita Scriptura Sacra 1. ad Cor. 2. vbi dicit: *Quæ sunt hominis nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: ita & quæ sunt Dei nemo nouit, nisi spiritus Dei.* Et *ratio corollarij est:* quia mysteria gratiæ sunt improportionata propter supernaturalitatē cuilibet intellectui creato: ergo non possunt ab ipso cognosci, nisi lumine supernaturali illustretur, & eleuetur.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

Objicitur I. *Contra Conclusionem.* Angelus potest cognoscere naturaliter, quidquid continetur intra obiectum proportionatum sui intellectus. Sed actus liberi continentur intra obiectum proportionatū intellectus Angelici: ergo ab Angelo naturaliter cognosci possunt. *Minor probatur:* quia omnis entitas naturalis continetur intra obiectum proportionatum intellectus Angelici. Sed actus liberi pertinent ad ordinem naturalem, cùm non sint supernaturales: ergo continentur intra obiectum proportionatum intellectus Angelici.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando minorem. Ad eius probationem, distinguitur maior. Omnis entitas naturalis continetur intra obiectum proportionatum intellectus Angelici, si illa entitas pertineat ad ordinem physicum, *conceditur maior:* si pertineat ad ordinem moralem, *negatur maior.* Similiter *distinguitur minor.* Sed actus liberi pertinent ad ordinem naturalem moralem, *conceditur minor:* physicum tantùm, *negatur minor:* & sic negatur consequentia.

Obiectio secunda.

Objicitur II. *Contra Corollarium. V.* Angelus naturaliter potest cogno-

cognoſcere, & de facto cognoſcit, viſum cæco reſtitutum, & vitam mortuo reſtitutam, licet ſint effectus miraculoſi, & ſupernaturales: ergo pari ratione poteſt cognoſcere myſteria gratiæ, quando iam facta ſunt. v. g. quod in Sacramento altaris ſint accidētia ſine ſubiecto, quòd ibi ſit contentū corpus Chriſti, quòd humanitas Chriſti Domini non habeat propriam perſonalitatem, & quòd ſit terminata perſonalitate Diuinâ: nam Angelus cognoſcit, quòd nulla perſonalitas creata terminet illā humanitatem. Ante reſolutionem obiectionis, *ſciendum eſt*, effectus ſupernaturales, & miraculoſos, eſſe in triplici differentia. *Alij* enim ſunt ſupernaturales quantum ad ſubſtantiam, & quantum ad modum, vti eſt viſio beatifica. *Alij* ſunt ſupernaturales ſolum quoad modum: idq; vel quantum ad modum ſolùm ex parte principij efficientis, ſicut vita reſtituta mortuo, & viſus cæco. Vel quantum ad modum non ſolùm ex parte principij, ſed etiam ex parte termini, vti eſt, tranſubſtantiatio in Sacramento Euchariſtiæ: res enim quæ manet factâ conſecratione, licet ſit aliquid naturale, quantum ad ſubſtantiam ſuam, videlicet corpus Chriſti Domini; manet tamen ſub modo quodam ſpirituali, nimirùm contentum inuiſibiliter, & incōmenſurabiliter ſub ſpeciebus panis. *Alij* deniq; ſunt ſupernaturales, qui ex parte termini, & quantum ad ſubſtantiam, partim ſunt ſupernaturales, partim naturales, vt incarnatio Filij Dei, in cuius termino manſit aliquid ſupernaturale, puta Verbum Diuinū, vt terminans & complens naturam humanam ſuâ perſonalitate; manſit quoq; natura humana, quæ aliquid naturale eſt cum modo ſupernaturali.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur *itaque ad obiectionem*, effectus ſupernaturales totaliter, quantum ad ſubſtantiam, & ex parte termini, ab Angelis naturaliter non cognoſci; effectus autem ſupernaturales, quantum ad modum ex parte principij efficientis, ſunt naturaliter cognoſcibiles ab illis, imò etiam ab hominibus. Et de his procedit obiectio: nam iſti effectus ſunt ſimpliciter naturales ſecundum propriam definitionem, & quidditatem; ideoq; quando ponuntur in eſſe, ſtatim fiunt cognoſcibiles. Vnde quando ſubſtantia horum effectuum non poteſt hîc, & nunc eſſe producta per aliquam naturalem cauſam, tunc intellectus qui cognoſcit totum ordinem naturæ, vti eſt Angelicus, & habitudinem, quam habet ſubſtantia illius effectus hîc, & nunc ad cauſas naturales, cognoſcit quoq; naturali lumine, quaſi argumentatiuè, & à poſteriori, effectu illum eſſe miraculosè productum. v. g. intellectus Angelicus naturali lumine cognoſcit, quòd homini mortuo non poſſit vita reſtitui virtute cauſarum naturalium; & ideò quādo videt illum, qui iam mortuus fuerat, iterùm viuere, euidenter iudicat naturali lumine, illum virtute aliqua ſupernaturali reuixiſſe. Cæterùm effectus qui ex parte termini, & quantum ad ſubſtantiam, partim ſunt naturales, partim ſupernaturales, poſſunt ab Angelo naturaliter cognoſci ex illa parte, quâ ſunt naturales; ſi verò pars illa naturalis propter hîc, & nunc, non poteſt eſſe, niſi præſuppoſito aliquo miraculo, tunc intellectus, qui cognoſcit totum ordinem naturæ, cognoſcet etiam à poſteriori, & argumentatiuè; euidenterq; iudicabit diſtinguere, in quo conſiſtat ratio miraculi, v. g in Chriſto Domino cognoſcebat etiam malus Angelus humanitatem, videbatq; etiam illam exiſtere, ſed non videbat, quâ exiſtentiâ exiſteret, aut qua perſonalitate ſubſiſteret, vnde euidenter iudicabat illic interuenire miraculum,

culum, ignorando, an natura humana in illo homine exiſteret per propriam exiſtentiam, quam tamen Deus poterat occultare miraculosè diabolo. Dubitare etiam poterat, num fortè exiſteret per exiſtentiam infinitam, ſeu perſonalitatem infinitam.

QVÆSTIO V.

An intellectus Angeli, quandoq; ſit in potentia, quandoq; in actu.

SUppono, iſtam particulam, *eſſe in potentia*, dupliciter ſumi. I. prout idem eſt, quod non habere principium in actu primo completum ad intelligendum. II. prout idem eſt, quod non intelligere actu, & de hoc vtroq; ſenſu procedit quæſtio.

Suppono *præterea*, quòd ſicut in humano intellectu reperitur duplex forma, per quam conſtituitur in actu primo, nimirùm ſpecies intelligibilis, quæ ſe tenet ex parte obiecti, per quam obiectum vnitur potentiæ, & habitus ſeu lumen ex parte potentiæ ad perficiendum eam in ratione principij effectiui, ad iudicandum de his, quæ obiecto conueniunt. Ita proportionaliter cenſendum eſt de intellectu Angelico, quòd conſtituatur in actu primo, & per ſpecies intelligibiles, & per habitum, ſeu lumen ipſi inditum. Porro ſpecies in intellectu Angelico intelligibilis, nō habet propriè loquendo rationem habitus ſcientifici, vt vult Caietanus. *Tum* quia ſpecies ponitur in intellectu ad faciendam vnionem obiecti cum potentia; habitus verò ponitur ad iudicandum de obiecto ſic vnito: proinde iſta duo, habitus, & ſpecies diſtinguuntur. *Tum* quia ſpecies tenet ſe ex parte obiecti, tanquàm principium effectiuum; habitus autem ponitur ad determinandam potentiam, tanquàm principium effectiuum iudicij.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

COncluſio. Intellectus Angeli reſpectu ſcibilium naturaliter, & connaturaliter viâ addiſcentiæ per propriam inquiſitionem, ac inuentionem, non eſt quandoque in potentia, quandoq; in actu Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 58. ar. 1. *Probatur*: quia intellectus Angeli totaliter eſt completus, & ſufficienter inſtructus ad omnia intelligibilia naturaliter, & connaturaliter: ergo reſpectu talium obiectorum, non eſt quandoque in potentia, quandoq; in actu. *Antecedens patet*: quia Angeli ab initio ſuæ creationis habent ſpecies connaturales omnium rerum. Neq; egent habitibus naturalibus, quia lumen naturale intellectus eorum cum ſpeciebus ſufficit ad omnia faciliter intelligenda. Ex hac concluſio deducuntur corollaria.

Intellectu, Angeli via addiſcentiæ non eſt quandoq; in potentia quandoq; in actu.

Corollarium I Intellectus Angeli nunquàm eſt in potentia reſpectu ipſiuſmet Angeli, ſed ſemper eſt in actuali cognitione ipſius, ſeu Angelus neceſſariò ſeipsū in actu ſecundo, ſemper cognoſcit. Ita Sanctus Thomas q. 8. de veritate, ar 6. ad 7. vbi dicit: *Intellectus Angeli non eſt in potentia, reſpectu eſſentiæ eius, ſed reſpectu eius ſemper eſt in actu*. Et ar. 14. ad 6. *Mens* inquit *Angeli, ſemper ſe actualiter intelligit; quod ideò contingit, quia mens Angeli intelligit ſe per eſſentiam ſuam, quâ ſemper informatur*. Et *ratio corollarij eſt*: quia eſſentia Angeli eſt obiectum maximè proportionatū eius intellectui, eiq; vnitum intimè in ratione intelligibilis: ergo ſemper eſt in actu ſecundo Angelus reſpectu cognitionis ſui. *Præterea*, quia ſi Angelus ceſſaret à cognitione ſui, maximè ideò, quia illa cognitio eſſet impeditiua aliarum cognitionum, vt plerumq; contingit in nobis.

nobis. Sed hoc falsum est, cùm potius illa cognitio sit principium, & fundamentum cognoscendi alia à se: ergo Angelus nunquàm potest cessare à cognitione sui. *Insuper*, quia Angeli sunt substantiæ viuentes, & non habent aliam operationem vitæ, nisi intelligere, & velle: ergo necesse est, vt semper sint actu intelligentes respectu alicuius obiecti, potissimùm respectu propriæ eorum substantiæ, quæ est obiectum maximè illis connaturale, & proportionatum. *Consequentia patet*: quia omnis substantia viuens, habet aliquam operationem vitæ in actu, quæ ei semper, & necessariò inest, vt animalibus nutritio.

Angelus nunquam est in potentia respectu actualis cognitionis Dei.

Corollarium II. Angelus nunquàm est in potentia respectu actualis cognitionis Dei, vt Auctoris ipsius Angelicæ naturæ. *Ratio*: quia cùm Angelus seipsum comprehendat, necessariò debet cognoscere habitudinem, & dependentiā, quam habet respectu Dei. Sed ista dependentia nō potest cognosci, nisi aliquomodò cognoscatur Deus: ergo Angelus semper, & necessariò Deum vt suæ naturæ auctorem cognoscit. *Præterea*, quia Deus in quantum est auctor naturæ Angelicæ, est obiectū proportionatum intellectui Angeli: ergo illi vnitur in ratione intelligibilis mediante aliqua specie repræsentante Deum secūdùm illam proportionem. Sed ista species nō est alia, nisi eadem quà Angelus seipsum cognoscit: ergo illā mediante & seipsum, & Deum tanquàm in effectu cognoscit.

Corollarium III. Angelus semper cognoscit ordinem vniuersi, in quo maximè relucet Diuina sapientia. *Ratio*: quia sicut ipsum vniuersum nunquam cessat in esse, quod recipit à Deo in esse naturæ; ita non docet, vt cesset in esse intelligibili, secundùm quod processit à Deo in mente Angelorum. Licet autem ista cognitio totius ordinis vniuersi, non sit ex necessitate naturæ, sed libera; est tamen secundùm rectitudinem prudentiæ, & sapientiæ naturalis Angeli, ordinatam ad perfectionem totius vniuersi in esse naturali, & in esse intelligibili. Sicut etiam Angeli liberè mouent cælos; mouere tamen non cessant.

Intellectus Angeli respectu visibilium in Verbo, est partim in potentia, partim in actu.

Corollarium IV. Intellectus Angeli respectu visibilium in Verbo, ab initio suæ beatitudinis, non est partim in potentia, partim in actu, (intelligendo id de bonis Angelis.) *Ratio*: quia Angeli semper actu intuentur Verbum, & ea, quæ in Verbo vident, vt docet S. Thomas supra citatus: ergo Angeli respectu visibilium in Verbo, nō sunt partim in potentia, partim in actu.

Corollarium V. Intellectus tamen Angeli respectu scibilium naturaliter, & connaturaliter, viā vsûs intellectûs, seu considerationis est quandoq; in potentia, quandoq; in actu. *Ratio*: quia sicut vniuersum in semetipso habet plurimam varietatem circa singularia, quæ non semper eodem modo se habent; ita in cognitione Angeli non semper actualiter cognoscuntur omnia singularia, quæ ipse potest cognoscere.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio I. & solutio eiusdem.

OBijcitur I. *Contra Corollarium* I. Nullum obiectum præter Deum clarè visum, potest necessitare intellectum, & voluntatem ad sui cognitionem, & amorem: ergo Angelus à propria substantiā, non potest ad sui cognitionem, & amorem necessitari: & consequenter in cognoscendo seipsum, quandoque est in potentia, quandoq; in actu. *Respondetur distinguendo consequens*. Ergo Angelus a propria substantia non potest necessitari ad sui cognitionem, & amorem, tanquàm ab obiecto, *conceditur*: nam substantia Angeli non habet omnimodam rationem boni. Non potest necessitari tanquàm à principio, in quantum scilicet cognitio propriæ substantiæ, est proprietas Angeli dimanans ab eius essentia; eo ferè modo, quo motus cordis fluit quasi proprietas à natura animalis, *negatur consequentia*. Vnde impossibile est, intellectum Angeli ita ab aliquo obiecto rapi, vt in sola illius obiecti contemplatione manens, sui aliquo tempore immemor esse possit, eò quòd cognitio sui fluat à substantia Angeli tanquàm proprietas, sitq; prima operatio vitalis ipsius. *Tum* etiam, quia substantia Angeli semper eius intellectum per modum speciei intelligibilis informat.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium* II. Si Angelus quilibet tàm bonus; quàm malus, semper, & necessariò cognosceret Deum, vt auctorem suæ naturæ, tunc dæmones haberent modo naturalem felicitatem: quia non cessarent ab actuali cognitione Dei, in qua felicitas naturalis consistit. Sed cōsequens falsum: igitur & antecedens. *Respondetur negando sequelam*, ex eo, quia dæmones simul cognoscunt se auersos esse ab Authore naturæ per peccatum, ab illoq; tanquàm à potentissimo iudice cruciari mediante ignis corporalis. Quòd autem dæmones non sint beati per cognitionem naturalem Dei in semetipsis. *Ratio est*: quia illorum peccatum in hoc positum fuit, eò quòd conuersi sint ad obiectum malum; siquidem conuersi sunt ad dilectionem sui, quæ proficiscebatur naturaliter ex cognitione sui, quæ erat cognitio Dei in seipsis, non apponendo illam circumstantiam, quæ pertinebat ad ordinem supernaturalem, videlicet vt seipsos cum omni sua naturali beatitudine, in qua fuerunt creati, referrent, & subijcerent ordini gratiæ ad finem, & beatitudinem supernaturalem. *Tum* quia conuersi sunt ad propriam excellentiam sine ordine gratiæ, qui erat in præcepto.

Solutio eiusdem.

DISPVTATIO VI.

De Voluntate, Dilectione, & Perfectione Angelorum.

COgnito obiecto, & modo cognitionis Angelicæ, quæ spectant ad intellectum Angeli, tractant Theologi cum Sancto Thoma de voluntate, dilectione, & perfectione Angelorum, tanquàm de præcipuis actibus voluntatis. 1. p q. 59. 60. & 61.

QVÆSTIO I.

An in Angelis sit voluntas.

COncedendam esse in Angelis voluntatem, facilè conueniunt Authores, sed num in illis sit vt facultas irascibilis, & concupiscibilis; quemadmodùm in nobis, controuertunt.

Suppono itaq; necessarium nō esse, vt quæ obiecta comparatione inferiorum potentiarum diuiduntur, diuidantur pariter comparatione potentiæ superioris: Sic obiecta, quæ quinq; sensibus exterioribus percipiuntur, & quæ eorum comparatione sunt distincta, vnico sensu communi percipiuntur, suntq; comparatione illius vnum obiectum. Vnde cùm in Angelis, quàm in nobis, sit superior potentia, quàm appetitus sensitiuus; nō secùs, atq; intellectus, est superior potentia, quàm sensus: inde fit, vt non sit necesse illa obiecta, quæ comparatione appetitus sensitiui distincta sunt, esse quoq; distincta comparatione voluntatis proinde, quòd non ita sicut appetitus sensitiuus diuiditur in duas potentias, non

non tantùm specie, verùm etiam organo distinctas, nimirùm in irascibilem, & concupiscibilem, necesse sit, appetitum intellectiuum, cuiusmodi est voluntas, in totidem potentias diuidi. Cur autem ad delectabile apprehensum per sensum, & ad eius contrarium, scilicet ad id, quod tristitiam parit, necessaria sit vna potentia sensitiua, quâ appetantur, id est concupiscibilis, quæ in corde residet, & ad ea ipsa quatenùs apprehenduntur vt ardua, v. g. vt coniuncta cum aliquo impediente, necessaria sit alia, nempe irascibilis, quæ in hepate iuxta fel sedem habet. Iam verò ad bonum apprehensum vtroque modo per intellectum, sufficit vnus appetitus intellectiuus, puta vna voluntas. *Ratio hæc est:* quia actus, qui feruntur in delectabile absolutè sumptum, & in idem bonum apprehensum in ratione ardui, quando per organum corporeum exercentur, requirunt diuersam cõplexionem ex parte organi, atq; adeò diuersas potentias organicas, quæ ex varijs complexionib' oriantur, illosq; actus exerceant. Hinc biliosi meliùs exercent actus irascibiles, quàm qui tales nõ sunt: & sanguinei meliùs actus concupiscibiles, quàm qui tales non sunt. At verò ad actus circa bonum siuè absolutè; siue ratione ardui apprehensum per intellectum, quando per potentiam superiorem, & merè spiritualem exercentur, non requiritur eiusmodi diuersa complexio, & consequenter neq; diuisio potentiarum.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

In Angelis datur de facto voluntas.

CONclusio. In Angelis datur de facto voluntas, seu facultas, quâ Angelus vult. Ita Sanctus Basilius lib. de Spiritu Sancto, cap. 16. *Impiorum* inquit, *& aduersariorum spirituum defectio, id quod dicimus, approbat, scilicet iuris sui, ac libertatis esse inuisibiles virtutes. Probatur.* Vbicunq; datur intellectus, ibi necesse est dari & voluntatem. Sed in Angelis datur intellectus: ergo etiam in illis datur voluntas. *Maior patet:* quia voluntas vt potè inclinatio rationalis, sequitur naturam intellectualem. *Minor etiam cum consequentia patent:* quia Angeli per intellectum cognoscunt ipsam rationem boni, proinde habent intellectum: & consequenter in illis est appetitus boni vniuersaliter apprehensi, qui nihil aliud est, nisi voluntas. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Voluntas Angeli est potentia distincta ab eius natura.

Corollarium I. Voluntas Angeli, est potentia distincta ab eius naturâ. *Ratio:* quia natura, aut essentia rei, intra ipsam rem comprehenditur. Sed voluntas Angeli est quædam inclinatio, quæ se extendit ad id, quod est extrinsecum Angelo: ergo non est eius natura, sed distinctum quid ab illa.

Corollarium II. Voluntas Angeli, non est eius intellectus. *Ratio:* quia voluntas, & intellectus, tendunt in aliquod extrinsecum diuersimodè ex natura suâ: ergo sunt diuersæ potentiæ. *Antecedens patet;* quia intellectus tendit in rem, trahendo rem ad se, cùm intellectio fiat per hoc, quòd cognitum est in cognoscente; at verò voluntas fertur in rem tracta ab ipsa re, & mota in illam per quandam inclinationem.

Voluntas in Angelo est prædita libero arbitrio.

Corollarium III. Voluntas in Angelo est prædita libero arbitrio, seu est libera. Est de fide, quâ certum est fuisse in Angelis malis peccatum, & demeritum vt constat ex ipsorum ruinâ, & casu; hoc autem non potest inueniri sine voluntate, & libero arbitrio. Et *ratio est:* quia vbicunq; datur iudicium indeterminatum, seu indifferens ad hoc, vel ad illud agendum, ibi necesse est dari voluntatem liberam, seu libero arbitrio præditam.

Sed in Angelis reperitur hoc iudicium indeterminatum, sicut & in omnibus habentib' intellectum, eò quòd per intellectum possint percipere rationem ipsam vniuersalem boni, sub qua possunt hoc, & illud, sub quadam indifferentia sibi ad agendum proponere; cùm hæc indifferentia iudicij, & rationis circa bonum, sit quasi radix libertatis: ergo voluntas in Angelis est libero arbitrio prædita.

Angeli sũt arbitrio inflexibili prædit.

Corollarium IV. Liberum arbitrium Angeli, est naturaliter inflexibile in electione semel factâ, seu Angeli ita sunt arbitrio inflexibili præditi, vt non possint id auersari, quod semel liberè elegerunt, neq; id eligere, quod semel repudiârunt. Est contra quosdam recentiores expressa sententia Sancti Thomæ 1. p. q. 64. art. 1. *Ratio:* quia apprehensio Angeli ab apprehensione hominis multum differt: eò quòd Angelus immobiliter apprehendat per intellectum, sicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus; at verò homo per rationem apprehendit mobiliter discurrendo de vno in alterum, potestq; ad alterutrum oppositorum probabiliter procedere. Vnde fit, quòd voluntas hominis adhæreat alicui mobiliter, ita vt possit ab ipso discedere, & contrario adhærere; voluntas autem Angeli fixè, & immobiliter adhæreat: ex quo sequitur, liberum arbitrium hominis flexibile esse ad opposita, tàm ante, quàm post electionem; liberum autem arbitrium Angeli ad vtrumlibet ante electionem quidem flecti posse, sed post electionem semel factam, inflexibile permanere.

Corollarium V. Voluntas in Angelis est vnica potentia, id est, in vnoquoq; Angelo non diuisa in duas. *Ratio:* quia sicut in Angelis non est alia potentia cognoscitiua, nisi intellectus; ita etiam nullam habent potentiam appetitiuam, nisi voluntatem.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Voluntas est in ratione, vt docet Philosophus 3. de anima. Sed in Angelis non est ratio, verùm aliquid superius ratione scilicet intellectus: ergo in Angelis non est voluntas, sed aliquid superius voluntate.

Solutio eiusdem.

Respondetur concessâ minore, ex authoritate Aristotelis subsumptâ, negatur consequentia: aliter enim ratio transcendit sensum, & aliter intellectus rationem. Nam ratio transcendit sensum secundùm diuersitatem cognitorum, cùm sensus sit particularium; ratio autem vniuersalium. Vnde necesse est, quòd sit alius appetitus tendens in bonum vniuersale, qui debetur rationi: & alius tendens in bonum particulare, qui debetur sensui. At verò intellectus, & ratio, solùm differunt quantum ad modum cognoscendi: eò quòd intellectus cognoscat simplici intuitu; ratio autem discurrendo de vno in aliud. Nihilominùs *ratio* per discursum deuenit ad cognoscendũ id, quod intellectus sine discursu cognoscit, puta vniuersale. Vnde idem est obiectum, quod appetitiuè proponitur, & ex parte rationis, & ex parte intellectus; & ideò in Angelis, qui sunt intellectuales tantùm, non est appetitus superior voluntate.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium III.* In Angelo non est libera electio: ergo in Angelo non est voluntas libero arbitrio prædita. *Antecedens patet:* quia ad liberam electionem requiritur, vt præcedat consilium, seu inquisitio quædam mediorum, quæ in Angelis locum non habet.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando antecedens. Eius probatio distinguitur.

Ad liberam electionem hominum requiritur, vt præcedat consilium, &c. *conceditur*: ad liberam electionem Angelorum, *negatur*: hi enim non cognoscunt inquirendo, cùm hoc pertineat ad discursum, qui in Angelis non reperitur. Vnde electio in Angelis fit, per subitam acceptionem cognitæ veritatis, sine vlla inquisitiua deliberatione.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* V. Scriptura Sacra tribuit Angelis bonis aliquas passiones, aut virtutes, quæ sedem habent in appetitu sensitiuo: ergo voluntas Angeli est diuisa in duas potentias, scilicet in appetitu intellectiuum, & sensitiuum. *Respondetur negando consequentiam*: Scriptura enim Sacra loquitur metaphoricè, ita vt loco illarum passionum, intelligamus aliquid pertinens ad voluntatem. Idem censendum, quando in Scriptura Sacra similia vitia dæmonibus tribuuntur.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO II.

Sitne in Angelis amor seu dilectio naturalis.

SVppono, amorem naturalem dupliciter sumi posse. I. pro inclinatione naturali, quæ nō est actus elicitus ab aliqua potentia, sed est pondus, & propensio insita naturæ, vti est in lapide ad centrum. II. pro actu elicito ab aliqua potentia, quo naturaliter consequitur suum bonum, & de hoc potissimum procedit quæstio præsens, eò quòd Sanctus Thomas tractans istam materiam, loquatur de amore, qui est in voluntate, sequiturq; cognitionem intellectus. Porrò hic amor, qui est actus voluntatis elicitus, dupliciter potest esse naturalis, ac necessarius. I. *quoad specificationem solùm*, ita vt licet voluntas possit cessare ab actuali amore alicuius obiecti; non possit tamen habere actum contrarium, videlicet odium talis obiecti. II. *quoad exercitium*, ita vt voluntas non possit cessare ab actuali amore. Controuersia solùm est in præsenti, an in Angelis sit amor naturalis respectu alicuius obiecti, non tantùm quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium, circa quod duæ sunt sententiæ.

Opinio duplex.

Prima affirmat, Amorem quo Angelus seipsum, & Deum amat, prout est bonum vniuersale naturæ, esse necessarium tàm quoad specificationem, quàm quoad exercitium. E contra altera negat, esse in Angelo amorem alicuius obiecti necessarium quoad exercitium. Hanc tenet Ferrariensis contra gentes cap. 109. §. *sed circa*.

ARTICVLVS I.

Resoluitur quæstio.

In Angelis & amor naturalis.

COnclusio. In Angelis est amor, seu dilectio naturalis. *Probatur*. Datur cognitio naturalis in Angelis; ergo & amor, seu dilectio naturalis dari debet in iisdem. *Consequentia manifesta*: quia amor seu dilectio sequitur cognitionem: nihil enim amatum, nisi cognitum: ergo data naturali cognitione in Angelis, necesse est dari in iisdem naturalem amorem. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Angelus amat seipsum necessariò necessitate specificationis. *Ratio*: quia ita adigitur ad amorem sui, vt actum contrarium, scilicet odium sui habere non possit.

Amor quo Angelus ipsum amat est necessarius etiam quoad exercitium.

Corollarium II. Amor quo Angelus seipsum amat, est necessarius etiam quoad exercitium. *Ratio*: quia Angel⁹ cognoscit seipsum necessariò etiam quoad exercitiũ, vt constat ex supra dictis: ergo quoq; amat seipsum necessariò etiam quoad exercitium. *Probatur consequentia*: tum quia operatio voluntatis proportionatur operationi intellectus, per quam dirigitur, & regulatur. *Tum*, quia si Angelus semper

semper seipsum necessariò intelligit, necessariò vult seipsum semper intelligere, quod est seipsum amare, cùm hoc sit velle sibi maximum bonum. *Tum*, quia ex naturali cognitione, quâ Angelus se, & omnes suas naturales perfectiones cōprehendit, resultat necessariò iudicium practicum omninò immutabile; quo se, & omnes illas perfectiones iudicat necessariò debere amari: ergo necessariò cognoscit seipsum cognitione practica causante amorem, & non solùm cognitione merè speculatiuâ, quæ amorem non parit. *Antecedens patet*: quia iudicium de aliquo obiecto diligendo, tunc est immutabile, quando nulla potest esse ratio formandi iudicium oppositum. Sed nulla est ratio cur Angelus formet iudicium oppositum iudicio de seipso diligendo: Ergo Angelus se, & omnes suas naturales perfectiones comprehendens, format iudicium practicum omninò immutabile de seipso diligendo. *Maior est manifesta*. *Minor probatur*. Amor proprius non generat Angelo fastidium, sed delectationem; neq; impedit, sed iuuat tanquàm medium ad alias operationes, potissimùm verò ad dilectionem Dei: ergo nulla est ratio propter quam Angelus formare possit iudicium contrarium iudicio de seipso diligendo.

Amor Angeli quo diligit Deum est vtraq; necessitate necessarius.

Corollarium III. Amor Angeli, quo diligit Deum, vt auctorem naturæ, est necessarius non solùm quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium. *Ratio*: quia in amore naturali, quo Angelus seipsum diligit, includitur amor Dei, tanquàm auctoris, & conseruatoris proprij esse, cui consequenter Angelus non potest non velle existentiam, aliasq; perfectiones lumine naturali cognitas: ergo si seipsum necessariò diligit etiam quoad exercitium, eadem necessitate Deum, vt auctorem, & finem naturalem diligit. Vnde sicut ex cognitione, qua se, & omnes suas naturales perfectiones cōprehendit, resultat necessariò iudicium practicũ omninò immutabile de sui dilectione; ita pariter ex cognitione, quâ Deum vt auctorem, & finem naturalem in se ipso, tanquàm in speculo contemplatur, oritur necessariò iudicium practicũ omninò immutabile, quo iudicat illum esse necessariò diligendum.

Angel⁹ naturali dilectione, magis diligit Deũ quàm seipsum.

Corollarium IV. Angelus naturali dilectione, magis diligit Deum, quàm seipsum. *Ratio*: tum quia præceptum de diligendo Deo supra omnia, est præceptum morale legis, ideoq; naturale, quod Angeli cum impleant, & implere obligati sint, sequitur eos saltem de iure habere naturalem Dilectionem Dei super omnia, & supra seipsos. Quod S. Thomas I. p. q. 60. ar. 5. illustrat his verbis: *Vnumquodq; in rebus naturalibus, quod secundùm naturam hoc ipsum, quod est, alterius est, principaliùs & magis inclinatur naturaliter in id cuius est, quàm in seipsum. Videmus enim inquit, quòd naturaliter pars exponit se periculo, propter conseruationem totius corporis*. Sic homo si esset pars naturalis ciuitatis, naturaliter inclinaretur ad subeundam mortem propter salutem totius Reipublicæ. Cùm ergo Deus sit bonum vniuersale, & omnis creatura hoc ipso, quod est, Dei sit, ideò sequitur, quòd etiam Angelus naturali dilectione inter omnes creaturas, magis & principaliùs diligat Deum, quàm seipsum. *Tum*, quia si Angelus naturaliter magis seipsum diligeret, quàm Deum, peruersè diligeret, & cōsequenter per charitatem, hanc dilectionem non perficeret, sed destrueret: & hoc de dilectione naturali verum est. Cæterùm dilectione liberâ & electiuâ, potest Angelus seipsum magis, quàm Deum diligere. *Ratio*: quia

quia Angelus ex libera voluntatis electione potest peccare, siquidem de facto peccauit; omnis autem peccãs mortaliter, auertitur à Deo, & conuertitur ad creaturam, præfertq; bonum aliquod creatum bono diuino: ergo Angelus amore libero, & electiuo, potest seipsum magis, quàm Deum diligere, bonumq; proprium bono diuino præferre.

Amor quo vnus Angelus diligit alterum, nõ est necessarius quoad exercitiũ.

Corollarium V. Amor, quo vnus Angelus diligit alterum, est necessarius, & naturalis quoad specificationem; non verò quoad exercitium. *Prima pars est* S. Thomæ loco citato, ar 4, & ab omnibus Theologis admittitur. *Ratio autem secundæ partis est*: quia cognitio, quâ vnus Angelus alium cognoscit, non est necessaria quoad exercitium: nam potest vnus Angelus cessare à cognitione actuali cuiuscunque alterius Angeli: ergo & amor quo vnus Angelus diligit alium, non est necessarius quoad exercitium *Consequentia patet*: quia actus voluntatis regulatur per actũ intellectus: ergo impossibile est, quòd actus voluntatis circa aliquod obiectum sit necessarius quoad exercitium. *Tum*, quia bonitas, quæ est in vno Angelo, nõ habet, quòd possit totaliter necessitare ad amorem sui voluntatem alterius Angeli: ergo amor, quo vnus Angelus diligit alterum, non est necessarius quoad exercitium. *Antecedens patet*: quia illa bonitas, nec est totalis bonitas, sicut bonitas Diuina: nec habet omnimodam coniunctionem cum voluntate alterius Angeli, sicut habet propria essentia vnius Angeli, cùm sua voluntate: ergo non habet vnde totaliter necessitetur.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem*. In Angelis solùm reperitur inclinatio, quæ est naturæ pondus: ergo in illis non est amor, seu dilectio naturalis, cùm hæc sit actus elicitus voluntatis. *Antecedens patet*: quia in Angelis solùm reperitur inclinatio illa, quæ consequitur naturam, vt natura est; hæc autem non est actus elicitus, sed naturæ pondus. *Respondetur negando antecedens. Ad eius probationem dicitur*, inclinationem naturalem nõ esse eandem, neq; eodem modo se habere in qualibet natura, sed esse diuersam iuxta diuersum modũ naturæ particularis: & sic inclinatio naturalis intellectualis naturæ, non est sola propensio, & pondus, sed est actus elicitus à voluntate.

Solutio eiusdem.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium II.* Angelus potest apprehendere aliquam rationem mali in sui dilectione: ergo amor quo Angelus seipsum amat, non est necessarius quoad exercitium. *Antecedens patet*: tum quia Angelus potest apprehendere dilectionem sui vt impeditiuam, ne toto conatu feratur in Deum tanquàm vltimum finem. *Tum*, quia potest apprehendere continuam Dei dilectionem, vt impeditiuam exercitij libertatis circa suspensionem talis actus. *Respondetur negando antecedens. Prima eius probatio negatur*: nam Angelus non amat se, nisi vt medium in ordine ad Deum tanquàm finem; amor autem mediorum non tollit, neq; minuit affectum in finem: imò potiùs ex affectu ad finem nascitur amor mediorum; & ideò repugnat Angelum sui dilectionem apprehendere vt impeditiua, ne toto conatu feratur in Deum tanquàm vltimum finem. Quemadmodùm etiam in supernaturalibus voluntas fertur simul per charitatem in Deum, & in proximum, sine eo, quòd dilectio proximi impediat, aut diminuat amorem Dei. *Secunda itidem probatio negatur*: quando enim aliquis actus versatur circa obiectum dignum amore necessariò, & cognitum vt tale, non potest exercitium libertatis circa illud apparere bonum, vt patet in amore beatifico. Nam ex eo quòd versetur circa Deum dignum amore infinito, & cognitum vt talem, non potest vlla ratio boni, honesti, vtilis. aut delectabilis in exercitio libertatis circa illum apparere. Cum itaque dilectio naturalis Dei in Angelis versetur circa Deum cognitum naturaliter vt dignum amore necessario, ideò non potest in suspensione illius amoris, & in exercitio libertatis circa huiusmodi obiectum, aliqua ratio boni apparere.

Solutio eiusdem.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium III.* Naturalis dilectio Dei est incõpossibilis cum eius odio. Sed mali Angeli cruciatibus inferni addicti, Deum odio habent, & execrantur,, iuxta illud Psal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*. ergo illum non diligunt amore naturali, vt auctorem naturæ. *Respondetur distinguendo minorem.* Mali Angeli Deum odio habent, vt iustum iudicem, pœnas & supplicia inferentem, *conceditur minor*: vt bonum vniuersale totius naturæ, & auctorem, ac conseruatorem proprij esse, perfectionumq; naturalium, *negatur minor*. Et hoc expressè docet S. Thomas 1. p q. 61. ar. 5. vbi dicit: *Illi, qui non vident essentiam eius* (id est Dei) *cognoscunt illum per aliquos particulares effectus, qui interdùm eorum voluntati contrariantur: & sic hoc modo dicuntur odio habere Deum, cùm tamen in quantum est bonum commune omnium; vnumquodque naturaliter diligat, plus Deum quàm seipsum.*

Solutio eiusdem.

Instantia & eiusdem solutio.

Instabis. Malus Angelus est per peccatum auersus à Deo, vt vltimo fine supernaturali: ergo non potest esse conuersus in illum, vt vltimum finem naturalem, & consequenter odio illum habet vt auctorem naturæ. *Consequẽtia patet*: quia alias malus Angelus simul esset cõuersus, & auersus à Deo. *Respondetur negando consequentiam. Ad eius probationem dicitur*, non implicare, quòd Angelus sit conuersus in Deum vt finem naturalem physicè, simulque ab illo auersus moraliter per peccatum. Quemadmodùm etiam homo mortalis peccati reus, respicit Deum vt suum vltimum finem naturæ; non tamen moraliter.

QVÆSTIO III.

An Angeli creati sint beati.

SUppono I. Omnes Angelos tàm bonos, quàm malos, in principio suæ creationis accepisse, quidquid pertinebat ad eorum naturalem perfectionem, & integritatem propriæ naturæ: si enim prouidentia creatoris consulit omnibus de rebus sibi necessarijs, multò magis credibile est, Angelicis spiritibus non defuisse quidquam. Cæterum non quælibet perfectio etiam vltima, potest appellari beatitudo, seu felicitas, sed tantùm illa, quæ possidetur ab ijs, qui habent vltimum vitæ gradum, scilicet intellectualem. Hinc etiamsi lapis, aut brutum habeant omnia, quæ requiruntur ad naturalem illorum perfectionem; non tamen dici possunt beata, & felicia. At verò Angeli, & homines, qui sunt præditi omnibus ad naturalem illorum perfectionem requisitis, felices, & beati censentur Porrò vltima naturæ rationalis, & intellectualis perfectio, quæ beatitudo dici solet, ex duobus constat, videlicet ex perfectione, seu actualitate intellectus, & ex rectitudine voluntatis, eò quòd istæ duæ potentiæ sint, in quarum operationibus explicatur tota virtus & perfectio intellectualis naturæ.

Suppono *præterea*, tàm in Angelis, quàm in nobis, duplicem distingui beatitudinem. *Vnam naturalem*.

ralem, quæ est vltima perfectio, ad quam natura Angelica viribus naturæ potest peruenire: seu perfectissima operatio, quæ naturaliter potest conuenire Angelo, nimirùm cognitio, & dilectio Dei vt authoris naturæ. *Alteram supernaturalem*, quæ est vltima perfectio naturæ Angelicæ, excedens naturalem eius facultatem: seu perfectissima operatio, ad quam supernaturaliter operari potest, consistitq; in clara Dei visione. Et de hac vtraq; beatitudine præsens quæstio procedit, an scilicet Angelis ab initio creationis illorum concessa fuerit.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Angeli in sua creatione fuerūt beati beatitudine solùm naturali.

Conclusio. Angeli in sua creatione fuerunt beati beatitudine solùm naturali. Ita S. Thomas 1. p. q. 62. ar. 1. vbi dicit: *Sic igitur dicendum est, quòd quantum ad primam beatitudinem, quam Angelus assequi virtute suæ naturæ potuit, fuit creatus beatus: quia perfectionem huiusmodi Angelus non acquirit per aliquem motum discursiuum, sicut homo, sed statim ei adest propter suæ naturæ dignitatem.* Et certè cùm Dei opera perfecta sint, rationabiliter creditur, Angelos fuisse creatos cum omnibus requisitis ad vltimam perfectionem naturæ Angelicæ: ergo Angeli in sua creatione fuerunt beati beatitudine naturali. Et *Probatur conclusio.* Angeli à principio suæ creationis habuerunt cognitionem, & dilectionem perfectam Dei, vt authoris naturæ. Sed in hac duplici operatione, naturalis eorum beatitudo consistit, cùm illa sit vltima perfectio, ad quam natura Angelica per vires naturæ peruenire potest: ergo Angeli in sua creatione fuerunt beati beatitudine naturali. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Angeli in sua creatione non fuerunt beati beatitudine supernaturali.

Corollarium I. Angeli in sua creatione non fuerunt beati beatitudine supernaturali. *Ratio:* quia beatitudo supernaturalis non est aliquid naturæ, sed est naturæ finis: ergo non debuit communicari Angelis per creationem. *Præterea*, quia quisquis fruitur visione diuinæ essentiæ, ita necessariò rapitur ad amandum Deum, vt nullo modo possit velle à Deo recedere, & peccare: ergo cùm aliqui ex Angelis peccauerint, euidenter sequitur illos caruisse visione beatificâ Diuinæ essentiæ, in qua supernaturalis beatitudo creaturæ intellectualis consistit. Nullus itaq; Angelus à principio suæ creationis etiam visione transeunti vidit Diuinam essentiam: quia communis est lex gratiæ, quòd nullus viator, quamdiu est in statu viæ, videat Diuinam Essentiam, quoniam ista visio est tota merces, & præmium essentiale beatorum.

Corollarium II. Angeli vt in Deum tanquam beatitudinis supernaturalis obiectum, se conuerterent, indigebant gratiâ. *Ratio:* quia voluntas nō potest ferri in id, quod est supra naturam, nisi ab aliquo principio supernaturali moueatur. Sed Deus vt obiectum beatitudinis supernaturalis, est supra omnem naturam creatam; ergo voluntas creata non potest in illum ferri, nisi ab aliquo principio supernaturali mota fuerit. *Minor est manifesta, Maior etiam patet:* tum ex exemplo caloris, qui non potest generare carnes, nisi quatenus est instrumentum animæ, eò quòd generare carnes, sit supra naturam caloris. *Tum ex hac ratione:* quia omnis voluntas est inclinatio naturalis in bonum conueniens secundum naturam: ergo quando aliquid est supra naturam, voluntas non potest in illud ferri, nisi moueatur ab aliquo principio supernaturali.

Omnes Angeli statim in primo instanti suæ creationis acceperūt gratiā sanctificantē.

Corollarium III. Omnes Angeli statim in primo instanti suæ creationis acceperunt gratiam sanctificantem. Ita colligitur ex Scriptura Sacra Ezechiel. 28. vbi de Lucifero scribitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum: perfectus in vijs tuis, à diebus conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.* Et Isaiæ 14. *Quomodò cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* id est, quomodò amisisti splendorem, quem habebas: splendorem inquam non naturæ, quia hanc integram retinet: non gloriæ, quia hanc nunquàm habuit, sed gratiæ, quâ in ipso suæ creationis exordio illustratus fuit. Idem docent Sancti Patres, S. Basilius in Psal. 32 *Verbum* inquit, *omnium opifex Angelos condidit, sanctificationem verò impendit ipsis Spiritus Sanctus? non enim in infantili ætate sunt creati, deinde paulatim excitati, atq; perfecti.* Et *ratio corollarij est:* quia non fuerunt creati in minori perfectione, quam primus homo, quem in iustitia originali conditum esse, docent Theologi: ergo etiam Angeli, in gratia sanctificante creati sunt.

Corollarium IV. Omnibus Angelis statim in principio creationis, gratia Sanctificans collata fuit, mediante propria illorum dispositione, quæ fuit actualis operatio supernaturalis liberi arbitrij, quæ in genere causæ efficientis posterior est gratiâ; in genere autem causæ materialis, & dispositiuæ fuit prior illâ prioritate naturæ, Ita S Thomas 1. p. q. 62. ar. 2. in solut. ad 3. vbi inter Angelorum conuersiones ad Deum, vt est auctor gratiæ, connumerat illam, quæ est præparatio, & dispositio ad ipsam gratiam. Et q. 63. art. 5. ad vltimum docet, omnes Angelos etiam malos in primo instanti meruisse: ergo tunc habuerunt conuersionem supernaturalem ad Deum, quæ potuit esse dispositio ad gratiam, & quæ se haberet in Angelis, sicut se habet in nobis contritio, quæ antecedit gratiam in genere causæ materialis; subsequitur verò eam in genere causæ efficientis: & sic eademmet operatio, & est dispositio ad gratiam, & meritoria primi gradus gloriæ. Et *ratio corollarij est:* tum quia in collatione gratiæ contrahitur quædam spiritualis amicitia, quæ est mutua animorum consensio: ergo in Angelis in primo instanti fuit consensus volūtatis. *Tum*, quia modus habendi gratiam per propriam dispositionem est nobilior; quàm habendi eandem sine dispositione: ergo Angeli acceperunt gratiam iuxta mensuram dispositionis. *Tum deniquè*, quia nullus homo adultus consequitur gratiam sine propria dispositione. Sed Angelus in primo instanti creationis fuit adultus, habuitq; vsum rationis: ergo consecutus est gratiam per propriam dispositionem.

Angeli in primo instanti creationis elicuerunt actū charitatis.

Corollarium V. Angeli in primo instanti creationis elicuerunt actum charitatis. *Ratio:* quia tunc receperunt gratiam per propriam dispositionem; proxima autem dispositio ad gratiam est actus charitatis, Hinc Angeli omnes in primo instanti suæ creationis habuerunt duos actus conuersionis vnum quidem naturalem in DEUM, vt authorem & finem ordinis naturæ, qui fuit necessarius quoad specificationem, & exercitium. *Alterum supernaturalem*, in Deum vt auctorem, & finem ordinis gratiæ, qui licet fuerit necessarius quoad specificationem; fuit tamen liber quoad exercitium, ideoq; meritorius gloriæ; non tamen gratiæ sanctificantis, cùm ab illa effectiuè procederet, principium autem meriti non cadit sub meritum.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiici-

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Ioan. 8. de Diabolo dicitur, *quòd ab initio homicida fuerit.* Et 1. Ioan. 3. de eodem dicitur: *Diabolus ab initio peccat.* Ergo Angeli in sua creatione non fuerunt beati etiam beatitudine naturali.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam: Particula enim illa *ab initio*: in vtroq; loco, non est accipienda mathematice, & de primo instanti creationis Angelorum; sed moraliter, id est, paulò post initium, & creationem Angeli, cum ibi fiat mentio peccati, quo diabolus fuit homicida, persuadendo peccatum hominibus, & sic introducendo mortem in orbem terrarum, quod factum fuit post creationem hominum. Ita exponit S. Thomas 1. p. q. 63. ar. 5. ad 1. & D. Augustinus lib. 11. de ciuitate, cap. 15. his verbis: *Cùm dicitur, quòd diabolus ab initio peccat, non ab initio ex quo creatus est, peccare putandus est, sed ab initio peccati, scilicet quia nunquàm à peccato recessit.*

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium III.* Iob. 4. dicitur: *In Angelis suis reperit prauitatem.* Textus Hebraicus vertit: *In Angelis suis non posuit laudem, vel lucem*; nomine autē *lucis*, intelligitur gratia sanctificās, propter quod iusti habentes gratiam, in Scriptura Sacra appellantur filij lucis. Ergo saltem non omnes Angeli statim in primo instanti suæ creationis, acceperunt gratiam Sanctificantem.

Solutio eiusdem.

Respondetur distinguendo consequens: ergo nō omnes Angeli in primo instanti suæ creationis acceperunt gratiam consummatam, ac perfectam, qualis est gratia Beatorum, *conceditur cōsequentia*: nō acceperunt gratiam sanctificantē, qualis est viatorū, quæ nō reddit stabiles, & firmos *negatur consequentia.* Non negat igitur Hebraicus textus, quòd Deus dederit gratiam Angelis; sed solùm negat, quòd dederit gratiam firmam, id est, gratiam, quà redderentur firmi, & stabiles, quæ est consummata, & perfecta gratia.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium V.* Si Angelus in primo instanti creationis elicuit actum charitatis, & conuersionis in Deum, vt Authorem supernaturalem, non potuisset in secundo instanti peccare. Sed de facto peccauit: ergo in primo instanti creationis non elicuit actum charitis. *Sequela patet in primis*: quia Angelus cui obiecto semel adhæserit, eidem semper adhæret. *Deinde*, si in primo instanti elicuit actum charitatis, meruit suam beatitudinem, & consequenter eam in secundo instanti accepit, atq; sic peccare nō potuit, eò quòd beatitudo sit incompossibilis cum peccato.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando sequelam maioris. Prima eius probatio distinguitur. Angelus cui obiecto semel adhæserit ex perfecta electione, ac deliberatione, eidem semper adhæret, *conceditur*: cui adhæserit sine perfecta electione, & deliberatione, Proinde, vt motus, & applicatùs specialiter à Deo, vt cōtingit in proposito, *negatur.* Quia itaq; actus ille charitatis, & conuersionis in Deum, vt authorem, & finem supernaturalem, quem Angelus in primo instanti habuit, erat ei necessarius solùm quoad specificationes, liber autem quoad exercitium, procedebatq; à Deo, vt speciali motore; ideò Angelus in secundo instanti potuit peccare, & à Deo se auertere.

Ad *Secundam verò probationem sequelæ dicitur*, omnes quidem Angelos in primo instanti, meruisse beatitudinem per actum charitatis, necessarium quoad specificationē, & liberum quoad exercitium; sed illi tantùm in secundo instanti eam receperunt post meritū, qui actum dilectionis elicuerunt ex propria electione, motione, & applicatione, qui actus fuit liber non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem. Talem autem actum, non nisi boni Angeli in secundo instanti elicuerunt, beatitudinemq; adepti sunt; mali verò qui tunc à Deo auersi fuêre, & ad proprium bonum conuersi, eam amiserunt.

QVÆSTIO IV.

De periodis, seu morulis, seu instantibus viæ Angelicæ.

QVæstio præsens procedit non solùm de instantibus intrinsecis, verùm etiam de instanti extrinsecè terminatiuo, cuiusmodi est instans damnationis in malis, & glorificationis, in bonis. Sensus igitur quæstionis est, quotnam instantibus via Angelica completa fuerit; seu quotnam instantia fluxerint à creatione Angelorum vsq; ad glorificationem bonorum, & damnationem malorū inclusiuè. Circa quod tres sententiæ reperiuntur.

Prima opinio.

Prima, duo solùm instantia pro complenda via Angelorum ponit, assignans *primum instans* creationi Angelorum omnium, illorumque merito, non plenè libero, scilicet actui charitatis libero quoad exercitium, & necessario quoad specificationem, quem actum omnes Angeli in primo instanti suæ creationis elicuerunt. *Alterum instans assignat* merito plenè libero bonorum Angelorum, & peccato malorum; docetq; in istius instantis termino, bonos Angelos assecutos esse præmium; malos verò supplicium. Vnde censet ista opinio, primum instans fuisse simpliciter viam, & nullo modo terminum; at verò secundum instans tàm respectu bonorum; quàm respectu malorum Angelorum, fuisse viam simul, & terminum. Hanc tenet Caietanus, & Nazarius.

Opinio secunda.

Altera sententia tria instantia ponit pro malis Angelis; solùm autē duo pro bonis, asserens quòd Angeli boni perseuerantes in actu dilectionis elicito in primo instanti creationis, vnicum solùm instans fecerint, statimq; post illud glorificatos fuisse: Angelos verò malos eliciendo actum distinctum ab eo, quem elicuerant in primo instanti creationis, fecisse sibi duo instantia, & post illa damnatos esse. Atq; sic pro bonis duo instantia; pro malis verò tria ponit. Hanc tenet Bannes, Ioànnes à S. Thoma, & alij.

Opinio tertia.

Tertia tandem sententia absolutè docet, viam omnium Angelorum tàm bonorum, quam malorùm, triplici instanti completam fuisse, incipiendo à creatione Angelorum, vsq; ad glorificationem bonorum, & damnationem malorum inclusiuè. Ita Capreolus, Salmanticenses, & communis Theologorum sententia.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Via omniū Angelorū completa fuit tribus instātibus.

COnclusio. Via omnium Angelorum tam bonorum, quam malorum completa fuit tribus instantibus. *Probatur.* Primum instans viæ Angelorum, fuit instans creationis, in quo inchoata viâ supernaturali, omnes Angeli operabantur sanctè, ideoque meritoriè augmenti tum gratiæ, tum gloriæ vt innuit Sacra Scriptura Ezechiel 28. exprobrans Lucifero voluntarium defectum à statu benè merendi de Deo: *Plenus* inquit *sapientiâ, in delicijs Dei paradisi fuisti* (id est, per experientiam bonorum operum mirè delectatiuorum operantis) *in medio ignitorum lapidum ambulasti* id est, charitate æq; sicut alij Angeli, in via excelluisti) *perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ* (per vias intelligendo varia genera meritoriorum operum.) Similiter Ioan. 3. de eodem Lucifero dicitur: *In veritate non stetit*: id est, non perseuerauit in bonis operibus. *Alterum instans fuit discretiuum bonorum Angelorum à malis*, in quo Lucifer

cifer ſolicite inductis quibuſdam Angelis ad defectionẽ a Deo, peccauit vnâ cum ijs, & à ſtatu gratiæ excidit; alij verò duce Michaéle clamantes, *quis vt Deus*, perſtiterunt in amore, & ſeruitio Diuino; ideoque plenè & perfectè meruerunt augmentum gratiæ, & gloriæ, donumq; finale perſeuerantiæ acceperunt ex peculiari gratia Dei. vt docet S. Thomas 1. p. q. 62. & 63. *Tertium inſtans fuit terminatiuum viæ, & vitæ*, in quo boni præmium vitæ æternæ, mali ſupplicium æternum iuſto Dei decreto acceperunt: ergo via omnium Angelorum tribus inſtantibus completa fuit. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Inſtãs quo Angeli boni plenè & perfectè meruerũt, diſtinguitur ab inſtanti creationis.

Corollarium I. Inſtans in quo Angeli boni plenè, & perfectè meruerunt, eliciendo actum charitatis liberum quoad ſpecificationẽ, & exercitium, diſtinguitur ab inſtanti creationis, in quo imperfectè ſimul cum Angelis malis meruerunt, eliciendo actum charitatis liberum ſolùm quoad exercitium. *Ratio*: quia in Angelis inſtantia multiplicantur ſecundùm intrinſecam operationum variationem. Sed Angeli boni non manſerunt in ijſdem operationibus inuariatis, quas ſimul cum alijs non perſeuerantibus habuerant in inſtanti creationis: ergo non manſerunt in eodem inſtanti, ſed fecerunt ſibi alterum inſtans. *Maior admittitur ab omnibus Theologis. Minor patet*: quia Angeli boni in primo inſtanti creationis habebant ex parte intellectus iudicium practicum, quo iudicabant amandam eſſe propriam excellentiam beatitudinis naturalis cum ſubiectione ad ſupernaturalem. Poſtquàm autem Lucifer, & eius ſequaces inordinatè, & contemptà Diuinâ regulà, ad ſuam excellentiam conuerſi eſſent, ſuoq; exemplo alios tentarent, Angeli boni habuerunt iudicium practicum, quo iudicabant amandam eſſe excellentiam beatitudinis naturalis cum ſubiectione ad ſupernaturalem, non obſtante contentione Luciferi, eiuſque ſequacium, ad oppoſitum inuitante. Sed hoc iudicium cõſtat eſſe intrinſecè diuerſum à primo, cùm ex parte voluntatis ſecutus ſit actus proportionatus huic ſecundo iudicio; diuerſitas autem in actibus intellectus practici, cauſat diuerſitatem in actibus voluntatis. Ergo Angeli boni à creatione vſq; ad glorificationem, non manſerunt in eadem operatione inuariata, & conſequenter inſtans, quo plenè, & perfectè meruerunt, fuit diſtinctũ ab inſtanti creationis.

Præterea, quia non ſolùm duæ operationes Angeli ſucceſſiuè ſe habentes, requirunt duo inſtantia, ſed etiam varietas intrinſeca eiuſdem operationis penes diuerſos modos ipſi cõuenientes. Sed operatio quâ Angelus meruit in primo inſtanti creationis, fuit in ſua continuatione variata ſaltem quoad aliquem modum intrinſecum: ergo dato etiam non conceſſo, quod actus, quem Angelus in primo inſtanti elicuit, idem manſerit quoad ſubſtantiam; non fuit tamen idem inſtans, ſed diuerſum. *Maior patet*: quia inſtans Angelicum nihil eſt aliud, niſi vnica operatio inuariabiliter ſe habens quoad intrinſeca, ſicut & ipſum inſtans inuariabile eſt quoad illa, quæ intrinſecè importat. *Minor probatur.* Actus meritorius elicitus in primo inſtanti creationis, fuit neceſſarius quoad ſpecificationem, & ſolùm liber quoad exercitium; actus autem charitatis, quo Angelus meruit plenè, & perſeueranter, fuit liber quoad vtrumque. Sed neceſſitas, & libertas ſunt modi quidam intrinſeci actuum: ergo operatio quâ Angelus in primo inſtanti meruit, fuit variata ſaltem quoad aliquem modum intrinſecum. *Minor patet*: quia quod habet potentia in actu primo,

id actio debet habere in actu ſecundo. Sed neceſſitas, & libertas in actu primo ſunt modi quidã intrinſeci voluntatis, & non puræ denominationes extrinſecæ: ergo pariter actualis libertas, quæ relucet in eius operationibus, eſt modus quidam illis intrinſecus, & non ſola denominatio extrinſeca.

Inſtans in quo Angeli plenè meruerunt eſt diſtinctum ab inſtanti glorificationis.

Corollarium II. Inſtans in quo Angeli plenè meruerunt, eſt diſtinctum ab inſtanti glorificationis illorum. Ira S. Thomas 1. p. q. 63 ar. 5. ad 2. vbi dicit: *Inſtantia diuerſa in his, quæ ad Angelos pertinent, non accipiuntur, niſi ſecundùm ſucceſſionem in ipſorum actibus. Non autem potuit ſimul in Angelis eſſe actus meritorius beatitudinis, & actus beatitudinis, qui eſt fruitio: cùm vnus ſit gratiæ imperfectæ, & alius gratiæ conſummatæ. Vnde relinquitur, quòd oportet diuerſa inſtantia accipi, in quorum vno meruit beatitudinem, & in alio fuerit beatus.* Quibus verbis clarè oſtendit S. Doctor, non fuiſſe idem inſtans meriti bonorum Angelorum, & præmij eſſentialis beatitudinis, quoniam inſtantia Angelica diuerſificantur ſecundùm ſucceſſionem in actibus ipſorum. Et *ratio corollarij eſt*. Gratia imperfecta, quæ eſt principium meriti, eſt gratia viæ, ſeu in ſtatu imperfecto, cuius actus regulantur per fidem. Sed in Angelis non potuit ſimul eſſe gratia viæ, cuius actus regulantur per fidem, & gratia conſummata, cuius actus regulantur per lumen gloriæ, & viſionem beatam: ergo in Angelis non potuit ſimul eſſe actus gratiæ imperfectæ, & gratiæ conſummatæ. ac per conſequens meritum ſimul cum beatitudine. *Maior patet*: quia primum principium, ex quo tam Angeli, quam homines ordinantur in beatitudinem ſupernaturalem, in eamq; tendunt, eſt gratia cum obſcuro fidei lumine, proinde eſt gratia viæ, & peregrinationis. *Minoris etiam ratio eſt*: quia ineuidentia fidei repugnat in eodem ſubiecto cum euidentia luminis gloriæ, ac viſionis beatificæ. *Conſequentia deniq; conſtat*: quia meritum procedit à gratia imperfecta, regulaturque per lumen fidei obſcurum; at verò beatitudo procedit à gratia conſummatâ Patriæ, & in clara Dei viſione conſiſtit.

Idem proportionatè cenſendum eſt de malis Angelis: nam & hi in alio inſtanti peccârunt, & in alio damnati ſunt. *Quod patet tum ex eo*: quia impoſſibile eſt, malos Angelos ſimul, & in eodem inſtanti fuiſſe in via, & extra viam. *Tum ex eo*: quia Angeli mali in via habuerunt fidem, ſpem, potentiam admerendum, pluraq; alia dona ſupernaturalia, quæ ceſſante viâ, & extra illam poſiti non conſeruârunt. Sed dicti Angeli quando primò peccârunt, erant in via; & dum primò damnati eſſent, erant extra viam, ſiquidem erant in damnatione, quæ eſt terminus viæ. *Tum denique*, quia mali Angeli, quando primò peccârunt, erant in cælo empyreo; puniti verò ſunt in inferno, & ignibus tartareis alligati. Sed non potuerunt eodem inſtanti eſſe in cælo, & in inferno, vt docet S. Damaſcenus: ergo Angeli mali in alio inſtanti peccârunt, & in alio damnati ſunt.

Nullus Angelus de facto in primo inſtanti ſuæ creationis peccauit.

Corollarium III. Nullus Angelus de facto peccauit in primo inſtanti ſuæ creatiationis. Eſt ſententia communis Theologorum. *Ratio*: quia vt præcedenti quæſtione oſtenſum eſt, omnes Angeli ſtatim in primo inſtanti ſuæ creationis habuerunt gratiam, vt conſtat ex Scriptura Sacra Ioan. 8. *In veritate non ſtetit*: ergo priùs fuit in veritate. Et in epiſtola Canonica Iudæ Apoſtoli dicitur: *Angelos verò qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* Et in Concil. Bracar.

Bracar. 1. Can. 7. damnantur anathematis aſſerentes, quòd Angeli non priùs facti ſint boni; quàm caderent. Et cap. Firmiter de ſumma Trinitate habetur, quòd Angeli à Deo conditi ſint boni. Ergo nullus Angelus de facto in primo inſtanti ſuæ creationis peccauit. Cæterùm Angeli de abſoluta Dei potentià, poterant in primo inſtanti creationis mereri perfectè, & immobiliter adhærere Deo, ſi creati fuiſſent confirmati in gratia, & cum plenitudine ſupernaturalis lucis. Cùm nihil obſtare videatur, quominùs Deus potuerit creare Angelum cum perfecto merito, & electione immobili ex gratiâ confirmationis, vt videre eſt in anima Chriſti.

Corollarium IV. Angeli in primò inſtanti ſuæ creationis, non ſolùm non peccârunt, ſed etiam non potuerunt peccare. Eſt contra Scotum in 2. diſt. 5. q. 2. *Ratio:* quia prima operatio, quæ incipit cum eſſe rei, neceſſariò, eſt ſecundùm inclinationem naturæ, ipſiuſq; eſſe, quod recipit creatura ab auctore naturæ, ſiue illud eſſe ſit naturale, ſiue eſſe gratiæ. Et quia creatura in primo inſtanti ſui eſſe, non poteſt habere aliam inclinationem, aut diſpoſitionem ad operandum, niſi eam, quam ab auctore recipit; ideò quidquid operatur, debet eſſe conforme inclinationi, & principijs, quæ ab authore naturæ ſibi collata ſunt. Ita quòd etiamſi operatio procedat à libero arbitrio; debet tamen eſſe ſecundùm naturalem inclinationem liberi arbitrij, cuius naturalis inclinatio non eſt ad malum, licet ſit cum indifferentia mali ad hoc, vel ad illud bonum. Vnde, ſi Angelus tunc, dum primò creatus eſt, peccaret, illud peccatum ipſius fuiſſet conforme naturalibus principijs ſibi datis à Deo, & ſic Deus fuiſſet cauſa peccati, ſiquidem peccatum illud dimanaſſet ſecundùm principium datum ab auctore naturæ. Prima igitur Angeli operatio non potuit non eſſe conformis inclinationi, & diſpoſitioni collatæ ab auctore naturæ: atq; ſic potuit quidem eſſe bona, quia ab auctore naturæ bonam inclinationem, bonamq; diſpoſitionem neceſſariò recepit. Cæterùm, non potuit eſſe mala cum deordinatione ab vltimo fine, quia vt ſic non poterat eſſe conformis inclinationi, & principijs collatis à Deo.

Instans I. Angeli in quo omnes imperfectè meruerunt, ſolùm durauit per vnicũ instans noſtri tẽporis.

Corollarium V. Primum inſtans Angeli, in quo omnes imperfectè meruerunt, ſolùm durauit per vnicum inſtans noſtri temporis. Ita S. Thomas 1. p. q. 63. ar. 6. vbi docet, probabilius eſſe, quòd diabolus ſtatim poſt primum inſtans ſuæ creationis peccauerit: ergo cùm creatio per correſpondentiam ad noſtrum tempus fiat in inſtanti, ſequitur meritũ Angeli imperfectum, ſolùm per vnicum inſtans noſtrum duraſſe. Et *ratio eſt:* quia actus quem Angelus elicuit in morula tẽporis ſubſequẽte inſtans creationis, fuit liber quoad ſpecificationẽ, & exercitium. Nam hunc actum præceſſit actus elicitus in inſtanti creationis, ratione cuius voluntas Angeli intelligitur completa, in actu primo, ad hoc, vt poſſet ſeipſam mouere in continuatione actus, aut in productione alterius: vnde ſi in morulâ illa temporis ſubſecuta inſtans indiuiſibile creationis non peccaſſet, ſed dilexiſſet Deum vt finem ſupernaturalem, ſicut dilexerat in primo inſtanti ſuæ creationis, fuiſſet redditus inflexibilis in tali amore, & conſequenter impeccabilis, eò quòd Angelus reddatur omninò inflexibilis per illum actum, quem omninò liberè elicit, & in quo ſeipſum mouet. Ergo quoniam Angelus malus nõ fuit inflexibilis in dilectione Dei, ſequitur actum meritorium, quem habuit communem cum Angelis bonis, duraſſe ſolum per vnicum inſtans noſtri temporis.

Jam verò ſecundùm inſtans, in quo mali Angeli peccauerunt, & boni in bono perſeuerârunt, coëxtitit parti noſtri temporis. *Ratio:* quia poſt inſtans noſtri temporis, in quo omnes meruerunt, non ſequitur aliud inſtans, ſed tempus. Non conſtat autem quantum fuerit illud tempus, cui ſecundùm inſtans Angelicũ coëxtitit, ſatis eſt, quod ſit finitum ante lapſum Adæ. *Tertium tandem inſtans viæ Angelicæ*, loquendo de illo, prout menſurauit primam receptionem præmij, aut pœnæ Angelorum, vt ſtantem ſub nouitate eſſendi, coëxtitit inſtanti noſtri temporis; loquendo autem de gloria, aut pœna Angelorum ſecundùm permanentiam, & durationem, quam important, tunc correſpondet æternitati participatæ, illaq; menſuratur.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBiicitur I. *Contra Concluſionem.* In iudicio practico bonorũ Angelorum, & in actu voluntatis per illud regulato, nulla fuit variatio ſed actus illi ab inſtanti creationis manſerunt intrinſecè inuariati, vſque ad ſequens inſtans glorificationis: nam idem omninò ab initio creationis proponebatur obiectũ quod poſtea: ergo ſaltem bonorum Angelorum viæ non fuerunt tria inſtantia, ſed duo, ſcilicet creationis; & glorificationis.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando antecedens. nam ab initio creationis prædictum iniudicium practicum, non proponebat voluntati conuerſionem in Deum vt finem ſupernaturalem, vt coniunctã cum tentatione à Lucifero proueniente, quæ tunc non erat; ſed immediatè poſt, quando Lucifer cæpit peccare, & ſuo exemplo, ſuiſq; ſuaſionibus alios Angelos inducere ad peccandum. Ac proinde neceſſariò facta fuit variatio intrinſeca in iudicio practico intellectus & conſequenter in actu voluntatis. Etenim quoties inſurgit aliqua difficultas de nouo circa aliquam actionem, toties requiritur ſpeciale iudicium practicum, quo illa actio imperetur, vincaturq; difficultas. Angelis autem beatis ex hoc ipſo, quòd alij peccauerint, inſurrexit noua difficultas in cõuerſione ad Deum vt finem ſupernaturalem, quam non habebant ante malorum lapſum: ergo etiam neceſſariò debuit eſſe nouum aliquod iudicium practicũ, quo hæc difficultas vinceretur, & conſequenter nouus voluntatis conatus, cùm iſta duo ſe conſequantur.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 3. de malo Angelo ita ſcribit: *Initium ſuæ damnationis in ipſa voluntatis auerſione inuenit, vt non eſſet aliud incipere iam puniri, quàm illius beatifici boni dilectione deſtitui.* Similiter S. Damaſcenus lib. 2. de Fide, cap. 4. dicit: *Hoc in Angelis fuiſſe lapſum, quod in hominibus eſt mors.* Sed homo in inſtanti mortis ſubit effectũ damnationis: ergo & Angeli mali in inſtanti lapſus: atq; ſic in Angelis malis idẽ fuit inſtans damnationis, & demeriti, & cõſequenter duo ſolùm inſtantia viæ illorum. vnum creationis, vt meriti, alterum damnationis, & meriti.

Solutio eiuſdem.

Reſpondetur negando conſequentiam. Fulgentius enim loquitur de initio damnationis ſolùm extrinſeco, ita vt in ſecundo inſtanti, in quo verum fuit Angelum peccaſſe, & eſſe auerſum à Deo, verum eſſet, non quòd tunc ſubijt damnationem, ſed quòd immediatè poſt. Similiter S. Damaſcenus dicit: idem eſſe in Angelis lapſum, quod in hominibus eſt mors, quantum ad inuariabilitatem, & inflexibilitatem; non tamen quoad alia.

Obiectio tertia.

Obijcitur III *Contra Corollarium I.* Angeli boni non fecerunt ſibi nouum inſtans per hoc, quòd perſeue-

perseuerantér meruerunt, sed tantùm primum continuârunt: ergo instans in quo beati Angeli plenè meruerunt, non fuit distinctum ab instanti creationis illorum. *Antecedens patet*: quia Angeli boni eundem, quem in primo instanti elicuerunt, charitatis actum cõtinuârunt, quousque mali peccassent.

Solutio eiusdem. *Respondetur negando antecedens. Ad eius probationem dicitur*, sit sanè, quòd Angeli boni eundem charitatis actum continuauerint; quia tamen ille actus habuit nouum modum repugnante modo, quem habuit in primo instanti, & regulatum distincta cognitione, ideò ille actus diuerso instanti in continuatione fuit mensuratus. Quemadmodùm etiam licet actus charitatis elicitus in via, possit idem numero continuari in Patria; tamen diuersitas iudicij, quo regulatur in via, & in patria, multiplicat instantia; neq; idem instans Angelicum etiam per correspondentiam ad diuersa instantia, aut partes nostri temporis, potest mensurare actum charitatis in duplici in illo statu viæ, & Patriæ.

Obiectio quarta. Obijcitur IV. *Contra Corollarium IV.* Angelus in secundo instanti potuit peccare: ergo & in primo: *consequentia patet*: quia Angelus in secundo instanti nõ acquisiuit nouam potentiam liberi arbitrij: ergo si potuit in secundo instanti, potuit & in primo.

Solutio eiusdem. *Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia. Ad eius probationem, concesso itidem antecedente, negatur etiam consequentia.* Ratio enim, cur Angelus in secundo instanti peccare potuerit, non est, quòd acquisiuerit nouam potentiam liberi arbitrij, sed quia mutari potuit in secundo instanti ab ea dispositione iudicij practici, in qua creatus est: nam peccatum dicit mutabilitatem intellectualis creaturæ à recta dispositione, quæ mutario in secundo instanti potuit esse; non autem in primo.

DISPVTATIO VII.

De malitia Angelorum quoad culpam.

POst explicatam voluntatem Angeli, eiusq; perfectionem, & statum viæ, ad eius defectus explicandos rectâ methodo procedendum est, de quibus S. Thomas tractat 1 p. qu. 63. inuestigando an omnia, num malum culpæ possit esse in Angelis.

QVÆSTIO I.

An malum culpæ possit esse in Angelis.

COgnitio huius quæstionis pendet ex notitia illius, an possit dari creatura intellectualis, conditione suâ naturali simpliciter, aut saltem secundùm quid impeccabilis. Circa quod, *Sciendum est*, quodlibet peccatum esse contra aliquam legem, seu præceptum superioris, iuxta illud ad Rom. 4. *Vbi non est lex, nec præuaricatio.* Palamque id docet S. Thomas proximè citatus ar. 1. in corpore, vbi dicit: *peccare nihil aliud esse, quàm declinare à rectitudine actus, quam debet habere; siue peccatum accipiatur in naturalibus, siue in artificialibus, siue in moralibus.* Vnde solum illum actum à rectitudine declinare non contingit, cuius regula est ipsa virtus agentis. sic v. g. si manus artificis esset ipsa regula operationis. v. c. incisionis, dubio procul nunquam artifex incideret lignum, nisi rectè, sed quia rectitudo incisionis est ab alia regula; ideò contingit incisionem esse rectam, & non rectam; Diuina autem voluntas sola est regula sui actus, quia non ordinatur ad superiorem finem; omnis verò voluntas creaturæ rectitudinem in suo actu non habet, nisi secundùm quod regulatur à voluntate Diuina, ad quam pertinet vltimus finis; sicut quælibet voluntas inferioris debet regulari secundùm voluntatem superioris, vt voluntas militis per voluntatem Ducis. Porrò leges

rò leges aliæ sunt, quibus ordinatur creatura ad finem naturalem acquirendum: aliæ supernaturales, quibus dirigimus ad finem supernaturalem, & sic dupliciter peccare possumus, scilicet in ordine naturæ, & supranaturæ. Vnde quæritur, an Angelus, & quælibet alia creatura rationalis his duobus modis peccare possit.

Opiniones Duæ. Affirmatiuam sententiam tenet Scotus in 2. sent. dist. 23. eò quòd existimet non esse possibilem creaturam ex se impeccabilem in vtroque genere legum, Durandus verò affirmat de legibus supernaturalibus, negat de naturalibus ex eo, quòd putet voluntatem peccare, non posse, nisi præuio errore in intellectu, iuxta illud: *Omnis peccans ignorans* & illud Prouerb. 14. *Errant qui operantur malum*; errorem autem in intellectum Angeli naturalem cadere non posse docet; secùs in supernaturalem.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Nulla est possibilis creatura ab intrinseco, & simpliciter impeccabilis. COnclusio. Neq; Angelus, neq; vlla alia creatura intellectualis, possibilis est naturali suâ conditione, & ab intrinseco, ac simpliciter impeccabilis. Ita communis Theologorũ sententia contra quosdam antiquiores Theologos, & modernos, & nonnullos. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, 1. ad Timot. 6. *Qui solus habet immortalitatem*, id est, non solùm naturæ. sed etiam oppositam morti peccati. Ergo non est possibilis vlla creatura ab intrinseco simpliciter impeccabilis.

Probatur II. Authoritate Sanctorum. *In primis*, S. Hieronymus epist. 146. dicit: *Solus Deus est, in quem peccatum non cadit.* D. Ambrosius lib. 3. de Fide, cap. 2. ait: *Ergo corruptelæ, & mortis, etiamsi non moriatur, aut peccet, capax est tamen omnis creatura.* S. Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 12. *Cuitunque*, ait, *creaturæ rationali præstatur, vt peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ.* Et lib. 12. de Ciuit. cap. 1. & 6. alibique passim probat, *Omnem creaturam posse peccare, quia ex nihilo est.* Quos secutus S. Thomas 1. p. q. 63. ar. 2. concludit: *Tam Angelus, quàm quæcunque creatura rationalis, si in sua natura consideretur, peccare potest.* Et in 2. q. 23 q. 1. ar. 1. *Nulli creaturæ communicatum est, nec communicabile fuit, quòd peccare non possit per conditionem suæ naturæ.* Ergo ex mente Sanctorum Patrum nulla creatura ab intrinseco simpliciter impeccabilis possibilis est.

Probatur III. Voluntas naturâ, & conditione suâ, tàm in naturalibus; quàm in supernaturalibus tendentijs in finem proportionatũ, ab alio regulabilis, & non per seipsam in operando, non est ab intrinseco indeclinatiua à rectitudine, seu declinatiua ab irrectitudine, proinde impeccatiua. Sed impossibilis est creatura eiusmodi voluntatis, eò quòd talis voluntas soli Deo competat, vt ostensum est ad initium quæstionis: ergo impossibilis est voluntas creata ab intrinseco simpliciter impeccabilis.

Probatur IV. Solum ens à se, est indefectibile in operando tàm naturaliter, quàm artificiosè, iuxta conditionem naturæ suæ intrinsecam. Sed implicat creaturam esse ens à se: ergo etiam implicat creaturarã esse taliter indefectibilem. *Maior probatur.* Illud solum agens est indefectibile in operando prædicto modo, seu est semper rectè operatium connaturaliter, quod in suo esse est omninò semper indefectibile. Sed solum ens à se est tale: ergo solum ens à se est indefectibile in operando. *Maior probatur.* Operari, & posse operari quocunq; modo sequitur ex proportionato esse, iuxta vulgatum axioma:

ma: ergo illud ſolum agens eſt rectè operatiuum, quod in ſuo eſſe eſt indefectibile ens ab intrinſeco. Vnde quia omnis creatura eſt defectibilis in eſſe, eò quòd ex nihilo ab intrinſeco producibilis ſit; ideò ab intrinſeco eſt defectibiliter operatiua in omni genere operationis. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Poſſiblis eſt creatura intellectualis impeccabilis ex natura ſua circa finem naturalem.

Corollarium I. Licet impoſſibilis ſit creatura intellectualis ab intrinſeco ſimpliciter impeccabilis; poſſibilis tamen eſt quæ ſit impeccabilis ſecundùm quid, ſeu impeccabilis ex natura ſua circa finem naturalem, ſeu quæ præcepta legis naturæ violare nequeat. Ita Capreolus in 2. diu. 22. q. 1. ar. 3. & Durandus ibidem, qui dicit: *Aliqua natura rationalis, vel intellectualis, potuit eſſe impeccabilis hoc modo, quòd non poteſt transgredi legem naturalem. cum quo ſtat, quòd nulla creatura rationalis poteſt eſſe impeccabilis per naturam habito reſpectu ad legem ſupernaturalem.* *Ratio*: quia impoſſibile eſt, peccatum eſſe in voluntate, niſi præcedat aliquis defectus in intellectu erroris, aut ignorantiæ, aut inconſiderationis circa agibilia. Sed poteſt a Deo produci creatura intellectualis, cui ex propria natura conueniat ſemper actu, & ſine errore conſiderare omnia agibilia ab ipſa, aut ſaltem dum occurrit aliquid eligendum actu, & ſine errore, aut alio defectu videre omnes circumſtantias, ſecundùm quas eſt eligibile, vel nõ eligibile in ordine ad finem naturalem: ergo poſſibilis eſt creatura, quæ ſit ex creatura ſua impeccabilis circa finem naturalem. Major eſt S. Thomæ 1, 2. q. 77. ar. 2. & in 2. diſt. 2. q. 1. ar. 1. vbi dicit: *Non poteſt eſſe peccatum in voluntate, niſi aliquomodò ſit deceptio in ratione: vnde omnis malus eſt quodammodò ignorans*, vt docet Philoſophus 3. Ethicorum. Particulam illam *aliquomodò*, poſuit S. Thomas, vt comprehenderet *inconſiderationem*, quâ intellectus etiam Angeli, conſiderando vnum retrahitur à conſideratione alterius. Vnde addit S. Thomas: *Contingit autem aliquid eſſe eligendum ſecundum vnam conſideratam rei conſiderationem, quod tamen eligendum non eſt, omnibus conditionibus concurrentibus conſideratis. Minor verò probatur* Plura ſunt ſpeculabilia naturalia, quàm agibilia in ordine ad finem naturalem. Sed Deus poteſt facere creaturam, quæ propria virtute cognoſcat omnia ſpeculabilia naturalia, omneſque eorum habitudines naturales; aut ſaltem dum cognoſcit actu aliquod ens naturale, videat in eo omnes circumſtantias, & habitudines, ac omnia, quæ ei attrbuuntur naturaliter, vel ab eo remouentur: ergo & quæ ſine errore, vel ſine alio defectu conſideret omnia agibilia ab ipſa, aut ſaltem quando occurrit aliquid aligendũ, videat omnes circumſtantias ſecundùm quas eſt eligibile, aut non eligibile ad finem naturalem. *Preterea*, quia poteſt dari aliqua creatura intellectualis, cui amor Authoris naturæ ſupra omnia ſit connaturaliter debitus. Sed amor Dei naturalis ſupra omnia, excludit omnia peccata, quæ ſunt contra legem naturæ; ergo poſſibilis eſt creatura intellectualis ex natura ſua impeccabilis ſecundùm quid, & per reſpectum ad legem, & præcepta ordinis naturalis, *Maior patet*: Si enim amor, ſeu dilectio Dei naturalis ſupra omnia, nulli naturæ creatæ, aut creabili poſſet eſſe connaturaliter debita, non eſſet naturalis, ſed ſupernaturalis: nam illud dicitur ſupernaturale, quod eſt ſupra exigentiam, ac debitum cuiuſque naturæ creatæ, aut creabilis. *Minor etiam manifeſta*: quia diligere Deum vt vltimum finem naturalem, eſt virtualiter velle obſeruare omnia præcepta naturalia, & ſine tali virtuali volitione, non poteſt ſtare dilectio Dei

ſuper

ſuper omnia, ſicut neq; intentio efficax finis, ſine efficaci volitione mediorum.

Corollarium II. Nec Angelus, nec vlla creatura intellectualis de facto datur, quæ ex ſe ſit impeccabilis. *Ratio*: quia omnis creatura intellectualis, aut eſt Angelica, aut humana; vtramq; autem de facto peccaſſe, conſtat ex Scriptura Sacra, Iob 4. *Ecce qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem: quantò magis hi qui habitant domos luteas.* Quæ verba S. Gregorius ita exponit: *Si illi ſpiritus eſſe incommutabiles nequeunt, qui nulla carnis infirmitate deprimuntur; quâ temeritate ſe homines in bono permanere conſtanter exiſtimat, quos in eo, quòd intellectus ad ſumma euehit carnis infirmitas aggrauans præpedit, vt per corruptionis vitium in ſemetipſis habeant, vnde ab intima nouitate veteraſcant.*

Angelus ex natura ſua eſt de facto impeccabilis cõtra finem naturalem directè.

Corollarium III. Angelus ex natura ſua eſt de facto impeccabilis contra finem naturalem directè, & immediatè. Ita S Thomas 1. p. qu. 61. ar. 1. ad 3. vbi dicit: *Naturale eſt Angelo, quòd conuertatur motu dilectionis in Deum, ſecundùm quod eſt principium naturalis eſſe: ſed quòd conuertatur in ipſum, ſecundùm quod eſt obiectum beatitudinis ſupernaturalis, hoc eſt ex amore gratuito, à quo auerti potuit peccando.* Quibus verbis concedit, non potuiſſe Angelum peccare contra Deum, authorem naturæ, finemque nataralem; potuiſſe autem peccare contra finem ſupernaturalem. Et *ratio eſt*: quia vt creatura intellectualis habeat ex ſua natura non poſſe peccare directè, & immediatè contra finem naturalem duo requiruntur; nimirùm ex parte intellectus, vera, & perfecta conſideratio eiuſdem finis, omniumque agibilium, & circumſtantiarum in ordine ad ipſum, quando occurrit aliquid eligendum, & offert ſe occaſio vitandi peccatum. *Deinde*, ex parte voluntatis, determinatio ad dilectionem eiuſdem finis ſupra omnia, aut quoad exercitium, aut quoad ſpecificationem. Sed Angelo iſta duo conueniunt: ergo Angelus ex natura ſua non poteſt peccare contra finem naturalem directè & immediatè. *Maior patet*: quia his duobus poſitis, quando vitandum eſt peccatum, neque deerit voluntati repræſentatio obiecti requiſita ad tale peccatum vitandum, neq; intellectui motio voluntatis ad exercititium conſiderationis omnium, quæ debent conſiderari. Nam ex determinatione voluntatis ad Deum finem vltimum naturalem ſupra omnia diligendum, ſequitur determinatio voluntatis ad omnia media proportionata in ordine ad eundem finem, conſeruandumque eius amorem, inter quæ connumerari debet applicatio intellectus ad actualem conſiderationem requiſitam ad peccandum, cum ſe offert occaſio. *Minor etiã manifeſta*: Nam quòd voluntas Angeli habeat determinationem ad Deum auctorem naturæ ſupra omnia diligendum, ſaltem quoad ſpecificationẽ, docet S. Thomas 1. p. q. 60. ar. 2. & 5. aſſerens; dilectionem Dei auctoris naturæ Angelo neceſſariam eſſe, etiam quoad exercitium. Similiter quòd intellectus Angeli habeat veram, & perfectam conſiderationem Dei finis naturalis, omniumq; agibilium, & circumſtantiarum in ordine ad ipſum, ſi non ſemper, ſaltem quando occurrit aliquid eligendum, docet idem S Doctor, q. 16. de malo, ar 3. & 4. aſſerens, ſecundùm naturalem cognitionem non potuiſſe Angelum peccare. Cuius rationem reddit 1. p. qu. 62. art. 4. ad 1. oſtendens, difficultatem benè operandi ſolùm eſſe in Angelis reſpectu boni ſupernaturalis: ergo ad bonum naturale ex natura ſua determinati ſunt.

Angelus potest peccare cotra legem naturalem indirecte.

Corollarium IV. Angelus potest peccare contra legem naturalem mediatè, indirectè, & concomitanter, & de facto peccauit. *Ratio*: quia Angelus est directè peccare contra legem supernaturalẽ, nisi indirectè, & cõsequenter peccet contra legem naturalem: ergo Angelus potest peccare contra legem naturalem indirectè. *Minor patet*: quia licet finis naturalis, & lex ipsius non præcipiant aliquid formaliter de supernaturalibus; eo ipso tamen, quòd creatura intellectualis sit ordinata ad finem supernaturalem, dictant omnia naturalia esse ad illum ordinanda, & his vtendum esse tanquàm medijs in ordine ad illum. Dictant pariter legem eius esse secundam; vnde transgressio directa præcepti supernaturalis, est violatio saltem indirecta legis naturæ, istiusq; naturalis dictaminis: *cuicumq; legitimè præcipienti, in quacunq; materia obediendum est*. Ergo Angelus contra finem & legem naturalem, potest peccare saltem indirectè, & mediatè, peccando nimirùm directè contra finem supernaturalem.

Corollarium V. Licet Angeli damnati sint mendaces, hominibusq; suadeant furta, adulteria, fornicationes, & alia peccata quæ sunt contra legem naturalem; per hoc tamen non peccant directè cõtra legem naturalem, sed contra supernaturalem. *Ratio*: quia omnia faciunt ex odio Dei auctoris supernaturalis; vnde ratio formalis in omnibus, in quibus dæmones peccant, est deordinatio à fide supernaturali: & sic per se primò ac directè, seu immediatè, & formaliter peccant semper contra finem supernaturalem; contra naturalem autem quasi materialiter, & mediatè, seu indirectè, ac per accidens. Sicut etiam damnati, & desperantes, indirectè, & per accidens appetunt non esse, quod directè, & per se appetere non possunt.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem*. Potest à Deo fieri creatura intellectualis, cuius voluntas sit determinata ex natura sua ad bonum morale, tàm respectu finis naturalis; quam supernaturalis: ergo possibilis est creatura, quæ ab intrinseco, & simpliciter sit impeccabilis. *Consequentia patet*: quia datâ eiusmodi creaturâ, non posset à fine vltimo deuiare. *Antecedens etiam constat tum ex eo*: quia talis determinatio non requirit infinitatem, cùm sit limitatum. *Tum ex eo*: quia non repugnat libertati voluntatis creatæ, cùm ad hanc sufficiat indifferentia ad diuersa bona moralia particularia. *Respondetur negando antecedens. Prima eius probatio negatur*: cùm enim dicta determinatio supponat intellectum connaturalem esse cognitionem finis vltimi, & regulæ supernaturalis, ideò supponit, & requirit infinitatem: eò quòd talis cognitio nulli creaturæ possit esse connaturalis. *Ad secundam probationem dicitur, negando eandem*: nam indifferentia ad bonum, & malum morale, ac proinde ad posse peccare, pertinet ad rationem voluntatis liberæ creatæ, vt docet S. Thomas q. 24. de verit. ar. 7. de his verbis: *Quamuis posse peccare non sit pars libertatis arbitrij, consequitur tamen libertatem in natura creata*: & sic sola indifferentia ad diuersa bona moralia particularia non sufficit.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium II.* Creatura intellectualis Angelica est naturaliter beata: ergo per naturam suam est de facto impeccabilis: & sic datur de facto creatura intellectualis ex se impeccabilis. *Antecedens patet*: quia Angelus naturaliter cognoscit Deum auctorem naturæ, & naturaliter diligit illum supra omnia, intelligendo se,

Solutio eiusdem.

do seipsum, ac diligendo seipsum. Ergo ex natura sua non potest deficere ab illo fine, sicut neq; à cognitione, & dilectione sui. *Respondetur concesso antecedente, negatur cõsequentia*, absolutè loquendo, vt constat ex probatione conclusionis. Quod si consequens intelligatur de impeccabilitate immediatè contra legem naturalem, tunc cõsequentia concedi potest, iuxta doctrinam corollarij tertij.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium III.* Si Angelus in puris naturalibus constitutus non posset immediatè peccare contra legem naturalem, tunc eius obseruatio non esset ipsi libera, & consequenter neq; meritoria. Sed consequens falsum est: ergo & antecedens. *Sequela patet*: quia Angelus in tali casu esset ad illam obseruantiam ex natura sua determinatus: ergo tunc obseruatio legis naturalis nõ esset ei libera. *Respondetur distinguendo sequelam maioris*. Tunc eius obseruatio non esset ipsi libera, quoad specificationem, & libertate contrarietatis, *conceditur*: quoad exercitium, & libertate contradictionis, *negatur*. Nam sic beati liberè amant nos, & ea, quæ non habent necessariam connexionem cum Deo; neque tamen peccare possunt circa talia obiecta, sed ad illa necessitantur quoad specificationem: & similiter Angelus in puris naturalibus constitutus, liberè quoad exercitium operaretur; solum autẽ necessariò quoad specificationem. Vnde licet in tali statu, non haberet potentiam ad bonum, & malum indifferentem; haberet tamen indifferentiam ad hoc, vel illud bonum, hîc, & nunc amandum: quia non necessitaretur ad hoc, vt semper esset in actuali amore omnis boni in particulari. Quod verò hæc indifferentia, & libertas sufficiat ad meritum, patet in Christo, & B. Virgine, atq; alijs Sanctis in gratia confirmatis, qui perfectissimè meruerunt, licet in illis non esset potentia ad peccandum, & indifferentia ad bonum, & malum, neq; subinde libertas specificationis, & contrarietatis.

Solutio eiusdem.

QVÆSTIO II.

An primum peccatum in Angelis fuerit sola superbia.

CVm certum sit, quosdam Angelos esse beatos, qui nimirùm in accepta gratia perseuerârunt, & per actus aliquos bonos ex gratia Dei simul cum liberi arbitrij cooperatione beatitudinem æternam promeriti sunt, iuxta illud Matth. 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei*. Quosdam verò damnatos esse, qui ab accepta gratiâ per suæ voluntatis prauitatem exciderunt, & sic damnationem æternam incurrerunt, vt habetur Matth. 15. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*. Et Iob. 4. *In Angelis suis reperit prauitatem*. Et 1. Petri 2. *Deus peccantibus Angelis non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit*. Idcirco meritò controuertitur, quodnam fuerit illud peccatum Angelorum, propter quod damnati sunt. Porrò dupliciter peccatum considerari potest, *primò* secundùm reatum, & sic omnia peccata in malis Angelis cõtingit esse: cùm enim homines ad omnia peccata inducant; ideò omnium peccatorum reatum incurrunt. Intelligendo id de reatu culpæ, nam reatum pœnæ cùm iam sint damnati, & in termino, incurrere non possunt, eò quòd status viæ sit conditio requisita tàm ad meritum, quàm ad demeritum. *Deinde*, potest considerari peccatum secundùm affectum, & sic illa tantùm peccata in malis Angelis possunt esse, ad quæ contin-

contingit affici spiritualem naturam.

Opiniones tres.

Prima itaq; opinio est Scoti in 2. dist. 6. q. 2. ar. 2. vbi docet, primum Angelorum peccatum fuisse peccatum luxuriæ, non quidem corporeæ, & propriè loquendo, sed luxuriæ spiritualis, & in sensu metaphorico acceptæ, quam vult consistere in nimia delectatione, seu complacentia, quam habuit Angelus de seipso, seu de propria excellentiâ.

Altera opinio asserit, primum peccatum Angelorum fuisse quidem superbiam; potuisse tamen alterius generis, aut speciei esse, v. g. inobedientiæ, aut inuidiæ. Ita Neotericus quidam.

Tertia tandem opinio docet, in Angelis nec fuisse, nec potuisse esse aliud primum peccatum, nisi superbiæ. Et hæc est communis Theologorum, quod vt meliùs intelligatur.

Superbia tribus modis sumitur.

Suppono. Superbiam tribus modis accipi posse. Primò pro inclinatione ad superbiam, proueniente aut ex flexibilitate naturæ, aut ex fomitis corruptione, iuxta illud Ecclesiast. 10. *Initium omnis peccati est superbia*. Et hoc modo accepta superbia, non est peccatum, sed origo peccatorum. *Secundò*, accipitur superbia pro transgressione præcepti superioris, seu pro negatione subiectionis ad preceptum superioris. Et sic sumpta, est generalis conditio consequens omne peccatum, ex parte auersionis. *Tertiò* accipitur pro inordinato appetitu propriæ excellentiæ: & hoc modo sumpta superbia est speciale peccatum, vnum ex septem vitijs capitalibus. Et in hac tertia acceptione de superbia præsens quæstio procedit.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Primũ peccatum malorum Angelorum fuit superbia propriè dicta.

CONclusio. Primum peccatũ malorum Angelorum fuit sola superbia propriè dicta. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, Isaiæ 14. *Detracta est ad inferos superbia tua: quomodò cecidisti de cælo Lucifer, qui dicebas in corde tuo: in cælum cõscendam &c. similis ero Altissimo.* Quem locum Sanctus Augustinus lib. de doctrina Christi 3. cap. 37. S. Gregorius homil 34. in Euangel. & S. Bernardus serm. 38. in Cantica, exponunt de peccato diaboli. Deinde Ezechiel 28. dicitur: *Eleuatum est cor tuum in decore tuo.* Eleuatio autem nihil aliud est, nisi cordis superbia, vt docet Sanctus Ambrosius, exponens citata verba de Paradiso cap. 2. Et Sanctus Hieronymus. Ergo iuxta Scripturam Sacram, primum peccatum Angelorum fuit superbia.

Probatur II. authoritate Sanctorum Patrum. *In primis*, Sanctus Augustinus lib. 12. de Ciuit. cap. 6. dicit: *Ab illo qui summus est, auersi, ad se conuersi sunt, & hoc vitium nihil aliud, quàm superbia est* Et lib. 14. de ciuit. cap. 15. citans illud Ecclesiastici 10. *Initium omnis peccati superbia*. docet primum peccatum Protoparentum etiam fuisse superbiam. Sanctus Ambrosi⁹ epist 84. dicit: *In ipsa diaboli, & hominis præuaricatione initium peccati fuisse superbiam* Sanctus Bernardus lib. 1. de anima: *Superbia* inquit, *de superis ad ima præcipitat, humilitas ab imis ad alta leuat. Angelus è cælo in tartara corruit: homo de mundo in cælũ ascendit.* Et in tract. de modo benè viuendi, serm 37. dicit: *Superbia radix omnium malorum: Angelos deposuit, potentes strauit, superbos deiecit.* Idem docent Sanctus Basilius in homil. quòd *Deus non est author malorum.* Sanctus Athanasius lib. de quæst. Sacræ Scripturæ q. 10. ad Antiochum. S. Gregorius lib. 34. Moral. cap 14 Anselmus Hieronymus, & alij propter quod superbia communiter appellatur *peccatum dæmonum*. Ergo ex mente Sanctorum Patrum, primum peccatum malorum Angelorum, fuit superbia propriè dicta.

Probatur III. *ratione*. Nolle subijci Deo, vt excellentiori, est peccatum superbiæ propriè dictæ. Sed Angelus amando suum bonum, suamq; propriam excellentiam, cum exclusione subordinationis ipsius ad Deum, vt ad vltimum finem supernaturalem, noluit subijci Deo tanquàm excellentiori: ergo peccauit peccato superbiæ propriè dictæ. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Peccatum Angelorũ non potuit esse aliud, nisi peccatum superbiæ propriè dictæ.

Corollarium I. Peccatum Angelorum non potuit esse aliud, nisi peccatum superbiæ propriè dictæ. *Ratio*: quia omnia peccata aut sunt commissionis, aut omissionis: peccata autem commissionis aut sunt actus prosecutionis, aut fugæ, seu recessûs: & vlteriùs peccata, quæ sunt actus prosecutionis, aut sunt circa bona corporalia, aut circa spiritualia. Sed primum Angelorum peccatũ non potuit esse omissionis, neq; actus per modum fugæ, neq; prosecutio bonorum corporalium: ergo solùm potuit esse prosecutio bonorum spiritualium; hoc autem supposito, non potuit esse aliud, nisi peccatum superbiæ propriè dictæ. *Minor* quantum ad singulas partes, declaratur. *& in primis*, quòd primum Angelorum peccatum, non potuerit esse puræ omissionis, sic ostenditur. Vt omissio sit peccaminosa, debet esse voluntaria, seu volita directè, siue interpretatiuè: & quidem aut per modum finis vltimi, aut tanquàm medium ad finem vltimũ ordinatum. Sed omissio neutro modo fuit volita ab Angelo, quando primò peccauit: ergo primum Angelorum peccatum non potuit esse pura omissio. *Maior patet, minor deducitur.* In primis omissio non fuit volita ab Angelo, per modum finis vltimi, eò quòd omissio de se sit negatio, aut priuatio; ideoq; vt sit appetibilis, omninò debet vestiri aliquo bono apparente, & aliquo fine: ergo omissio non potuit esse primũ peccatum Angeli. *Deinde*, omissio in Angelis, non potuit esse per modum fugæ, & recessus: quia omnis actus nolitionis, & fugæ, supponit actum volitionis: cùm enim nolitio, & fuga respiciant obiectum repugnans, & disconueniens, quod dicitur tale per ordinem ad conueniens, eò quòd sit læsiuum, aut impeditiuum conuenientis; inde fit, quod nunquàm disconueniens fugiatur, nisi quia amatur conueniens: & sic fugam inordinatam disconuenientis, semper præcedit amor inordinatus conuenientis. Ergo primum peccatum Angelorum non potuit esse actus per modum fugæ, alicuius disconuenientis. Insuper primum peccatũ Angelorum, non potuit esse prosecutio bonorum corporalium, cùm nihil afficiatur nisi ad id, quod est consonum, & proportionatũ suæ naturæ; bona autem corporalia nõ sunt proportionata naturæ Angelicæ. Ergo primum peccatum Angelorum non potuit esse prosecutio inordinata bonorum corporalium, sed solùm inordinatus affectus circa spiritualia illis proportionata; talis autem inordinatus affectus est actus superbiæ propriè dictæ.

Primũ peccatum Angelorũ non potuit esse actus inobedientiæ.

Corollarium II. Primum peccatum Angelorum non potuit esse actus inobedientiæ. *Ratio*: quia vt iam ostensum est, primum Angelorum peccatum non potuit esse actus inordinatus per modum fugæ, & recessus, sed omninò debuit esse inordinata prosecutio: nam omnis fuga mali, fit ex amore alicuius boni, & sic nolitio, ac fuga inordinata, debet supponere volitionem deordinatam. Cùm ergo inobedientia respiciat diuinam legem per modum fugæ, & recessus ab

ab ipsa; ideo non potuit esse primum peccatum Angeli.

Corollarium III. Primum peccatum Angelorum, non potuit esse odium, aut desperatio. *Ratio:* quia odium, & desperatio, pertinent ad quandam fugam voluntatis, attingentis obiectum vt disconueniens, & nociuum. Similiter iniustitia non versatur circa obiectum quantum est de se moraliter bonum, sed circa malum; & ideo supponit errorem in intellectu, per quem reguletur, vt constabit ex quæstione sequenti: ergo primum peccatum Angelorum, non potuit esse odium, aut desperatio, aut iniustitia.

Primū peccatum Angelorū non fuit inuidia

Corollarium IV. Primum peccatum Angelorum non fuit inuidia. *Ratio:* quia vt docet Sanctus Thomas in 2. dist. 5. q. 1. art. 3. ad 2. Inuidia est dolor alienæ prosperitatis, in quantum est impeditiua alicuius boni proprij: Diuina autem felicitas non est impeditiua alicuius boni proprij, nisi quod inordinatè desideratur: quia ab eo omne bonū descendit: & sic odium, ac inuidia præsupponunt aliquod peccatum, per quod voluntas deordinaretur. Atq; ita non fuit peccatum eius, id est Angeli. Nihilominùs statim post peccatū superbiæ in Angelo peccante subsecutum fuit peccatum inuidiæ. Ita S. Augustinus lib. de Sancta virginitate cap. 31. *Superbia* inquit, *continuò inuidiam parit, nec vnquam est sine tali prole, atq; comite, quibus duobus malis, hoc est superbiâ, & inuidiâ diabolus præest.* Et Scriptura Sacra sapien. 2. *Inuidiâ diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Et ratio est:* quia supposito, quòd Angelus peccauerit peccato superbiæ, statim consequitur quasi propria passio inuidia, id est, dolor de bono alterius, per quod impeditur propria & singularis excellentia, cæterùm in illo instanti, in quo Angelus primò peccauit actu superbiæ, non fuit in illo expressus actus inuidiæ, sed tantùm appetitus propriæ excellentiæ sine regula superioris, vbi quidem radicaliter continebatur inuidia, & odiū Dei. At verò in alio instanti fuit expressa inuidia, & expressum odium, ac tristitia maxima ex damnatione propriæ conscientiæ. *Cuius ratio hæc est:* quia in actu superbiæ Angelus delectatus est; si autem simul in illo fuisset inuidia, & odium, ac tristitia ex damnatione propria, Angelus superbiā elatus, non fuisset tunc magis delectatus, quàm modò. Ergo nō fuit idem instans, in quo superbiuit, & quo Deum odio habuit. *Præterea,* quia inuidia ac odium, est de malo sibi contrario; in illo autem instanti, in quo Angelus superbiuit, nondum iudicabat Deum sibi contrarium, neque experiebatur diuinam punitionem: ergo in illo instanti expressum actum inuidiæ, ac odij nō habuit, donec sentiret propriam damnationem, & pœnam æternam.

Corollarium V. Primum peccatum Angelorum, non potuit esse luxuria, vt vult Scotus. *Ratio:* quia delectatio operationis, pertinet ad aliam operationem; quàm ipsa operatio, iuxta illud Aristotelis: *Delectatio bona, cuius operatio bona: delectatio mala, cuius operatio mala.* Ergo si delectatio Angeli fuit mala, prius operatio fuit mala, siquidem delectatio est quid consequens operationem. *Præterea,* quia si obiectum sit bonum, intensio delectationis nunquàm est mala: non enim quis peccat, quòd multum intensè delectetur in operatione virtutis: ergo si conuersio Angeli ad seipsum per amorem nō erat mala, etiam intensio dilectionis non potuit esse mala. Sic etiam Angeli boni non minùs intensè dilexerunt se amore naturali; & tamen per hoc non peccàrunt: ergo ex

go ex hac parte non potuit esse peccatum Angelorum.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Peccatum superbiæ propriè dictæ, solùm consistit in appetitu inordinato propriæ excellentiæ relatæ ad alios, quando nimirùm aliquis vult alijs præesse, illosq; regulare. Sed supremus Angelus cū suis adhærentibus non peccauit ex eo, quòd voluerit alijs præesse, eosq; regulare: ergo primum peccatum Angelorum non fuit superbia propriè dicta. *Respondetur negando maiorem:* nam Sanctus Augustinus, lib. 14. de ciuit. definit superbiam per *celsitudinem*, quæ est quid absolutum, licet alibi eandem definiat per excellentiam, quæ potest sumi relatiuè. Vnde obiectum superbiæ in tota sua latitudine acceptæ, non est excellentia relatiua, sed excellentia communiter se habens ad absolutam, & relatiuam.

Solutio eiusdem.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. Peccatum superbiæ propriè dictæ consistit in hoc, quòd aliquis appetat id, quod non est sibi debitum, & quod non potest proprijs viribus adipisci. Sed Angeli in primo suo peccato non appetierunt aliquid, quod non esset illis debitum, & quòd non possent proprijs viribus assequi: ergo primum illorum peccatum non fuit peccatum superbiæ propriè dictæ. *Maior patet:* quia cùm superbire idem sonet, quod supra se ire. superbus ille solùm dicitur propriè, qui appetit extolli supra se, quod non contingit, nisi appetat aliquid, quod non sit sibi debitum, neq; ex proprijs viribus acquisibile. *Minor etiam manifesta:* quia Angelus primò appetijt suam beatitudinem naturalem, quæ connaturaliter est ei debita, & quam proinde potest proprijs viribus adipisci; imò eam actu possidebat, antequàm peccaret; & tamen peccauit inordinatè eam appetendo. *Respondetur negando maiorem:* nam peccatum superbiæ non solùm consistit in hoc, quòd aliquis appetat id, quod non est sibi debitum; verùm etiam in hoc, quòd inordinatè propriam excellentiam, & perfectionem sibi debitam intendat, seu quòd erga illam afficiatur præter, aut contra mensuram sibi à superiore præfixam: id enim est nolle subijci superiori, illumq; spernere illicitè, & interpretatiuè, ac consequenter supra se ire.

Solutio eiusdem.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium II.* Velle non subijci regulæ superioris, est propriè peccatum inobedientiæ. Sed Angelus in primo suo peccato, voluit non subijci præcepto superioris, scilicet Dei: ergo primum peccatum Angeli, fuit peccatum inobedientiæ. *Ante solutionem obiectionis sciendum est.* velle per se non subijci Diuinæ legi, ad duo vitia pertinere, nimirùm ad superbiam, & ad inobedientiam; cùm hoc tamen discrimine, quòd ad inobedientiam pertineat per modū fugæ, & recessus, ac quatenùs formaliter lex Diuina, habet rationem legis à Deo, vt supremo legislatore dimanātis. Iam verò ad superbiā pertinet per modum prosecutionis, & quatenùs lex Diuina non habet formaliter rationem legis, sed regulæ, dignitatis, & excellentiæ creaturæ, à Deo vt excellentissimo, & singulis suas excellentias cum mensura distribuente dimanantis. *Hoc supposito, Respondetur distinguendo maiorem.* Velle non subijci regulæ superioris, loquendo de subiectione ad legem, vt formaliter habet rationem legis præcipientis, aut prohibentis aliquem actum, est propriè peccatum inobedientiæ, *conceditur maior:* velle non subijci regulæ superioris, intelligendo id de non

Solutio eiusdem.

non subiectione ad legem Diuinam, vt est regula, & mensura dignitatis, ac excellentiæ omnium creaturarum, est peccatum inobedientiæ, *negatur maior:* sic enim est actus superbiæ propriè dictæ. Et taliter Angelus noluit subijci legi Diuinæ, ideoq; peccauit superbiâ propriè dictâ. Nam sicut proprium est humilitatis, moderari appetitum tendentem in excelsa, apponendo illi modum subiectionis ad Diuinam legem, vt formaliter est regula illius; ita proprium est superbiæ, apponere immoderantiam huiusmodi appetitui, & non subiectionem ad Diuinam legem, vt formaliter habet ratione͞ mensuræ, & regulæ propriæ dignitatis, ac excellentiæ.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV *Contra Corollarium* IV. Sanctus Basilius homil. de inuidia dicit: *Quid enim principem malorum dæmonum ad bellum impulit? nonne inuidia, per quam Dei aduersarius deprehensus fuit.* Ergo primum peccatũ Angeli fuit inuidia.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam, nam in citato loco Sanctus Basilius solum intendit malos Angelos, cùm essent in via, peccasse quoq; peccato inuidiæ. Vnde Sanctus Thomas 1. p qu. 63. art. 2. dicit: *Post peccatum superbiæ consecutum est in Angelo peccante malum inuidiæ:* eò quòd inuidiam continuò pariat superbia: & sic inuidia non fuit primum peccatũ Angeli, sed consecutum ad superbiam.

QVÆSTIO III.

Quænam fuerit materia peccati superbiæ Angelicæ.

Angelꝰ dupliciter potuit appetere esse vt Deus.

CVm iam constet primum Angeli peccatum fuisse superbiam propriè dictam; hæc autem nihil aliud est; quàm inordinatus appetitus excellentiæ, quæ quia in varijs rebus consistit; ideò obiectum superbiæ Angelicæ multiplex cogitari potest. *Primò*, Diuinitas per essentiam. *Secundò*, æqualitas imitatiua in aliquo. *Tertiò*, vnio hypostatica. *Quartò*, beatitudo supernaturalis viribus proprijs acquisibilis. *Quintò*, gubernatiua præeminentia supra creaturas. Vnde, cùm Scriptura Sacra apertè fateatur, malum Angelũ de facto peccasse superbiâ, eò quòd appetierit esse vt Deus, iuxta illud Isaiæ 14. *Ascendam in cælum, similis ero Altissimo.* Et Ezechiel. 28. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris;* ideo suppono.

Dupliciter malum Angelum potuisse appetere, esse vt Deum, videlicet per æquiparantiam, & per similitudinem. Per *æquiparantiam* adhuc dupliciter. *Primò*, appetendo æqualitatem cum Deo absolutè. *Secundò*, cum Deo homine, seu Incarnato, volendo scilicet vnionem hypostaticam ad aliquam personam Diuinam, cum sciret per reuelationem, vniendam fore naturam humanam Verbo. Per similitudine͞ quoq; dupliciter potuit appetere esse vt Deus. *Primò*, appetendo assimilari Deo quoad id, in quo creatura intellectualis nata est assimilari ei, puta secundùm dona gratiæ, & gloriæ. Et sic Angelus non potuit, nisi similitudinem illam appetijsset, vt non habendam à Deo, sed ex propria virtute, & secundùm iustitiam. *Secundò*, volendo assimilari Deo in hoc, in quo creatura non est nata illi assimilari.

Opiniones quatuor.

Prima itaq; sententia censet, materiam, seu obiectum superbiæ Angelicæ, esse æqualitatem cum Deo absolutè, seu secundùm naturam. Hanc tenent Hugo de S. Victore in summa tract. 2. cap. 4. Scotus in 1. dist. 6. q. 1. & multi ex Neotericis.

Altera sententia vult, Angelum peccasse, eò quòd appetierit suam beatitudinem naturalem, tanquàm vltimam simpliciter, non curando quidquam de beatitudine supernaturali: aut certè quòd appetierit beatitudinem supernaturalem ex suis naturalibus, nihil solicitus de auxilio Diuino. Hanc tenet Caietanus, & Ferrariensis.

Tertia sententia docet, Angelum peccasse appetendo vnionem hypostaticam: aut nolendo subijci Christo, illumq; vt Dominum recognoscere. Hanc sequuntur aliqui recentiores.

Quarta sententia existimat, Angelum peccasse superbiâ, eò quòd appetierit tyrannicum principatum, seu potestatem aliquam in alios Angelos, aliasq; creaturas sibi non debitam, volendo v. g. omnia dona, quæ à Deo in alias creaturas deriuantur, mediante ipso in eas deriuari: aut certè appetendo, omnes alias creaturas intellectuales teneri ipsi ad nutum obedire, tanquàm Domino, & Principi.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Materia circa quã Angelus primò superbijt, fuit beatitudo eius naturalis inordinatè appetita.

COnclusio. Materia, seu obiectum excellens, circa quod Angelus primò superbijt, fuit beatitudo eius naturalis inordinatè appetita, quam non ordinauit vt tenebatur in finem supernaturalem ipsi reuelatum. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra. Ezechiel. 28. *In multitudine sapientiæ tuæ, & in negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem, & eleuatum est cor tuum in robore tuo.* In quo loco loquitur Propheta de primo peccato Luciferi, ostendens Angelum peccasse, eò quòd superbierit de cumulo perfectionum naturalium, quas habebat, puta de sapientia, robore, decore &c. qui cumulus perfectionũ naturalium constituit naturalem Angeli beatitudinem. Ergo iuxta Scripturam Sacram, materia seu obiectum excellens, circa quod Angelus primò peccauit, fuit naturalis eius beatitudo inordinatè appetita, & non ordinata in finem supernaturalem ipsi reuelatum.

Probatur II. *authoritate Sanctorum Patrum*, præsertim D. Augustini lib. 12. de ciuit. cap. 1. vbi dicit: *Mali Angeli suâ potestate potiùs delectari, vel vt bonum suum sibi ipsi essent, à superiore bono ad propria defluxerunt.* Quibus verbis euidenter ostendit Sanctus Augustinus, obiectum superbiæ Angelicæ non aliud fuisse, quam propriam ipsius potestatem, & excellentiam, cum auersione à superiore bono. Et iterùm cap 6. dicit: *Ab illo, qui summè est, auersi, ad se conuersi sunt, & hoc vitium quid aliud, quàm superbia est.* Idem docet Sanctus Thomas 1. p. q. 63. ar. 3. his verbis: *In hoc appetijt indebitè esse similis Deo, quia appetijt vt finem vltimum beatitudinis id, ad quod virtute suæ naturæ poterat peruenire, auertens suum appetitum à beatitune supernaturali, quæ est gratia Dei. Vel si appetijt vt vltimum finem illam Dei similitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc hebere per virtutem suæ naturæ, non ex diuino auxilio secundùm Dei dispositionem, &c. & hæc duo quoddammodò in idem redeunt, quia secundùm vtrumq; appetijt finalem beatitudinem per suam virtutem habere.* Ergo ex mente Sanctorum Patrum, materia seu obiectum excellens, circa quod Angelus peccauit, fuit beatitudo eius naturalis inordinatè appetita, & non ordinata ad finem supernaturalem ipsi reuelatum vt optimè docet Leo Papa epist. 93 his verbis: *quia naturali excellentiâ malè vsus est.*

Probatur III. *ratione.* Quoniam superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, obiectum illud, circa quod Angelus primò pecauit, debet esse valde excellens, ipsi Angelo maximè proprium, ac inordinatè ab ipso appetitum. Sed omnia hæc magis conueniut

uениunt beatitudini naturali Angeli, quàm cuicunq; alteri bono: ergo naturalis beatitudo inordinatè appetita, fuit materia, ſeu obiectum excellens ſuperbiæ Angelicæ. *Maior manifeſta. Minor etiam quoad* ſingulas partes, ſic oſtenditur. *In primis*, quòd beatitudo naturalis Angeli, ſit bonum valdè excellens, patet: quia eſt aggregatio omnium bonorum naturalium, ſeu perfectionum, quæ poſſunt Angelo conuenire, includitq; eius ſapientiam, ſcientiam, potentiam, robur, decorem, ſuiq; ac Dei naturalem contemplationem. Quod etiam dicta beatitudo ſit bonum Angelo magis proprium, patet: quia eſt Angelo naturaliter debita, in quo differt à beatitudine ſupernaturali, quæ illi non debetur connaturaliter, ſed tantùm ex meritis, & auxilio gratiæ. *Demum*, quòd Angelus illam beatitudinem inordinatè appetierit, conſtat ex eo: quia creatura intellectualis tenetur in primo inſtanti perfecti vſus rationis, ſe ad Deum, tanquàm vltimum finem ſupernaturalem conuertere, ſi illi per fidem, vel alio modo talis finis innoteſcat, & cuilibet Angelo in primo inſtanti plenæ deliberationis, conſtabat præceptum eiuſmodi conuerſionis ad Deum, vt Authorem ſupernaturalem. Vnde hoc ipſo, quòd Angelus adhæſerit propriæ beatitudini naturali, non ſeruatâ regula propriæ conuerſionis in finem ſupernaturalem ſibi à Deo præfixâ, omninò inordinatè eam appetijt: ergo tres enumeratæ conditiones maximè conueniunt beatitudini naturali Angeli. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Materia peccati Angelici non fuit omnimoda æqualitas cũ Deo in natura.

Corollarium I. Materia, ſeu obiectum excellens, circa quod Angelus primò ſuperbijt, non fuit omnimoda æqualitas cum Deo in natura. Eſt contra Scotum in 2. diſt. 6. qu. 3. dub. 2. *Ratio*: quia peccatum Angeli fuit electio, quæ non poteſt eſſe rei impoſſibilis, niſi præſuppoſito errore: ergo cùm error in Angelo non præceſſerit, nõ potuit eligere omnimodam æqualitatem cum Deo in natura, vt potè impoſſibilem. Quòd verò electio non poſſit eſſe rei impoſſibilis, docet Ariſtoteles 3. Ethic cap. 2. aſſerens, voluntatem quidem eſſe impoſſibilium; intentionem verò, & electionem non eſſe impoſſibilium. Quod intelligi debet, quantum ad æſtimationem operantis, qui nunquàm intelligit, aut eligit quidquam, niſi æſtimet eſſe poſſibile; Angelus autem intendebat beatitudinem, eligebatq; media ad eam, proinde intendebat id, quod ſibi poſſibile æſtimabat. *Præterea*: quia nulla creatura poteſt appetere ſe non eſſe, cùm ergo euidenter iudicaret, quòd ſi eſſet Deus, non eſſet ipſe; ideò non potuit appetere eſſe Deus per naturam, iuxta illud Ariſtotelis: *Amabile quidem bonum; vnicuiq; autem proprium.*

Materia peccati Angelici non fuit vnio hypoſtatica.

Corollarium II. Obiectum excellens, circa quod Angelus primò ſuperbijt, non fuit vnio hypoſtatica. *Ratio*: quia primum Angeli peccatum omninò debuit eſſe circa vltimum finem ab illo adipiſcendum. Nam vt docet Sanctus Thomas 2. 2. qu. 16. art. 1. priùs mouetur appetitus in finem, quàm in id, quod quæritur propter finẽ. Sed vnio hypoſtatica non eſt finis vltimus Angeli ab illo acquirendus, aut poſſidendus, cùm non ſit finis eius naturalis, nec ſupernaturalis, ad quem eleuatus fuerit, vt per ſe patet: ergo obiectum, circa quod Angelus primò ſuperbiendo peccauit, non fuit vnio hypoſtatica. *Præterea*, quia Angelus non peccauit *in primis*, appetendo vnionem hypoſtaticam, tanquàm ſuæ naturæ debitam, & proprijs viribus acquirendam, eò quòd non potuerit peccare, appetendo hoc modo vnionem hypoſtaticam, niſi ex aliquo

quo errore circa eam præcedente, qui in illo non potuit præcedere primum eius peccatum, vt conſtabit ex q. ſequenti. Non enim peccauit inuidendo homini vnionem hypoſtaticam, quia iuxta ſuperiùs dicta, primum Angeli peccatum non potuit eſſe inuidia, eò quòd peccatum inuidiæ ex ſuperbia naſcatur, iuxta illud D. Auguſtini. lib. 2. de Geneſi ad literam, cap. 14. *Inuidia ſequitur ſuperbiam non præcedit.* Non etiam primò peccauit Angelus ex eo, quòd Chriſto vt proprio Domino, & capiti noluerit ſe ſubijcere: quia cum omnis nolitio ſit fuga mali, ſupponit volitionem, & proſecutionem alicuius boni: nam quia quæritur bonum, ideò oppoſitum malum refertur. Proinde nolle ſubijci Chriſto, nec fuit, nec potuit eſſe primum peccatum Angeli: ſed omninò debuit præſupponere in Angelo peruerſam volitionem alicuius obiecti excellentis, ad quam ſecuta eſt nolitio, ſeu fuga talis ſubiectionis.

Materia ſuperbiæ Angelicæ non fuit appetitus principatus ſupra creaturas intellectuales.

Corollarium III. Materia circa quam Angelus primò ſuperbijt, non fuit appetitus Principatus, ſeu poteſtatis tyrannicæ ſupra alias creaturas intellectuales. *Ratio*: quia inordinatè appetere principatus, & honores, pertinet ad ambitionem, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. qu. 131. art. 1. & 2. Sed primum peccatum Angeli non potuit eſſe ambitio: ergo neq; appetitus principatûs ſeu poteſtatis tyrannicæ ſupra alias creaturas intellectuales. *Minor patet*: quia ambitio ſupponit ſuperbiam, propter quod filia eius appellatur: & ſic materia ſuperbiæ Angelicæ non potuit eſſe ambitio, conſequenter neq; appetitus principatûs, ſeu poteſtatis tyrannicæ. *Præterea*, quia Principatus, ſeu poteſtas in alio, nõ eſt obiectum appetibile propter ſe, ſed propter aliud: nam bonum abſolutum, & per ordinem ad proprium ſuppoſitum appetentis, eſt appetibile propter ſe; bonum autem relatiuum, & in ordine ad aliud, eſt appetibile propter aliud, cùm prius ſit rem eſſe bonam in ſe, & perfectam; quàm in ordine ad alios. hinc principatus in alios non appetitur, niſi tanquàm ſignum propriæ virtutis, & excellentiæ. Ergo materia ſuperbiæ Angelicæ non potuit eſſe principatûs appetitus, & poteſtatis in alias creaturas intellectuales; ſed tantùm appetitus inordinatus propriæ perfectionis, & excellentiæ.

Corollarium IV. Mareria ſuperbiæ Angelicæ non fuit appetitus expreſſus, & formalis beatitudinis ſupernaturalis. *Ratio*: quia talis volitio ſupponit errorem ex parte intellectus, cum ſupponat iudicium erroneum hoc: *poteſt acquiri beatitudo ſupernaturalis per vires naturæ, & ſine meritis, atq; auxilijs gratiæ*, vt volebant Pelagiani. Sed error non potuit eſſe in Angelo ante peccatum: ergo neq; talis volitio. *Præterea*, quia talis appetitus in Angelo neq; fuiſſet efficax: quoniam volitio efficax beatitudinis ſupernaturalis, inuoluit ſaltem virtualiter volitionem mediorum ad eam conſequendam neceſſariorum, quæ ſunt vires ſupernaturales, & auxilia Diuinæ gratiæ. Neq; fuiſſet inefficax, eò quòd Angelus in primo peccato nõ potuerit peccare ſolùm ex inefficaci appetitu, ſed ex aliquo fine efficaciter intento, & cuius gratiâ cætera appeterentur; de factoq; peccauit appetendo aliquid, quod aſſequi tentauit; non verò circa quod inefficaci ſolùm complacentiâ elanguit.

Materia ſuperbiæ Angelicæ potuit eſſe appetitus virtualis beatitudinis.

Corollarium V. Materia ſuperbiæ Angelicæ potuit eſſe appetitus virtualis, interpretatiuus beatitudinis ſupernaturalis, vt acquirendæ viribus naturæ, & ſine auxilio gratiæ.

gratiæ. Ita Sanctus Thomas 1. p. q, 63. ar. 3. vbi docet, Angelum recuſaſſe habere beatitudinem ſupernaturalem ex gratia, & beneficio Dei, his verbis: *In hoc appetijt indebitè eſſe ſimilis Deo, quia appetijt vt finem vltimum beatitudinis id, ad quod virtute ſuæ naturæ non poterat peruenire, auertens ſuũ appetitũ à beatitudine ſupernaturali, quæ eſt ex gratia Dei:* id eſt, recuſans beatitudinem ſupernaturalem, quia eſt ex gratia. Sed recuſare beatitudinem ſupernaturalem, quia eſt ex gratia, eſt virtualiter & interpretatiuè velle eam, ſi non eſſet conſequenda ex gratia; nam qui ex tumore ſuperbiæ deſpicit aliquod magnum bonum, ex eo, quòd videat illud non poſſe haberi, niſi beneficio alieno, tacitè inſinuat, quòd ſi poſſet haberi independenter ab alteri⁹ gratiâ, illud appeteret. Ergo materia ſuperbiæ Angelicæ potuit eſſe appetitus virtualis, & interpretatiuus beatitudinis ſupernaturalis, vt acquirendæ viribus naturæ, & ſine auxilio gratiæ.

tudinis ſupernaturalis.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Concluſionem.* Si materia ſuperbiæ Angelicæ, eſſet beatitudo eius naturalis inordinatè appetita, & non ordinata ad finem ſupernaturalem ipſi reuelatum; ſequeretur primum Angeli peccatum fuiſſe puræ omiſſionis; non autem cõmiſſionis. Sed hoc eſt cõtra ſuperius dicta: ergo concluſio falſa. *Reſpondetur negando ſequelam maioris:* licet enim non ordinare ſuam beatitudinem naturalem in ſupernaturalem, tunc ſit pura omiſſio: quando omittitur actus dilectionis ipſius; nõ tamen tunc, quando non omittitur talis actus, ſed verè quis diligit ſuam beatitudinẽ naturalem, ſicut eam dilexit Angelus in primo ſuo peccato. Vnde licet Angelus omiſerit modum, & debitam circumſtantiam talis actus, in hoc conſiſtentem, quòd deberet ordinari ad beatitudinem ſupernaturalem; defectus tamen eiuſmodi ordinationis, non fuit peccatum puræ omiſſionis, ſed commiſſionis. Quoniam adhoc, vt aliquod peccatum ſit puræ omiſſionis, non ſufficit, quod omittatur modus, ſeu circumſtantia debita alicui actui, ſed neceſſe eſt, quòd ipſe actus omittitur.

Solutio eiuſdem.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. Beatitudo naturalis iam poſſidebatur ab Angelo, quando peccauit: ergo non potuit eſſe materia peccati ſuperbiæ Angelicæ. *Conſequentia patet:* quia materia peccati ſuperbiæ Angelicæ fuit aliquid nondũ ab illo poſſeſſum, iuxta illud Scripturæ Sacræ, Iſaiæ 14. *In cælum conſcendam, ſimilis ero Altiſſimo.* Et palam id docet Sanctus Anſelmus lib. de caſu diaboli cap. 4. vbi docet, *diabolum appetijſſe id, ad quod perueniſſet, ſi ſtetiſſet.* Sed non perueniſſet ad beatitudinem naturalem, cùm eam haberet, ante peccatum: ergo eam inordinatè non appetijt. *Reſpondetur diſtinguendo antecedens.* Beatitudo naturalis iam ab Angelo, quando peccauit, poſſidebatur materialiter, & quoad entitatem, *conceditur antecedens:* formaliter, ſeu quoad rationem formalem, ſecundùm quam appetebatur, *negatur antecedens:* quia non erat actu habita quoad rationem finis vltimi, & perfectè ſatiatiui; ſecundùm quam tamen rationem, ex modo appetendi Angel⁹ tendebat in beatitudinem naturalẽ, eo ipſo, quòd eam appeteret ſine ſubordinatione ad ſupernaturalem. Et *ſic negatur conſequentia. Probatio ipſius diſtinguitur.* Materia peccati ſuperbiæ Angelicæ, fuit aliquid nõdum poſſeſſum materialiter, & quoad entitatem, *negatur:* formaliter, ſeu quoad rationem formalem, ſecundum quam appetebatur, *conceditur.*

Solutio eiuſdem.

ditur. Similiter ratio ex S. Anſelmo adducta diſtinguitur, ſed Angelus ſi ſtetiſſet, non perueniſſet ad ſuam beatitudinem naturalem, præcisè ſecundùm ſe conſideratam, *conceditur:* ſic enim habebat eam ante peccatum: non perueniſſet ad ſuam beatitudinem naturalem, vt inamiſſibiliter poſſidendam, & vt ſubordinatam beatitudini ſupernaturali, *negatur:* nam ſub hac ratione nõ poſſidebat eam ante ſuum primum peccatum, cùm potuerit illam amittere, ordinationemq; ipſius in finem ſupernaturalem omittere, prout de facto omiſit; & ideò quando primò peccauit, potuit eam ſic conſideratam pro obiecto ſui peccati habere.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* I. Scriptura Sacra, & Sancti Patres docent, Primum Angelum appetijſſe eſſe vt Deus: ergo appetijt omnimodam æqualitatẽ cum Deo in natura. *Antecedens conſtat ex illo Iſaiæ 14. In cælum conſcendam, & ero ſimilis Altiſſimo.* quod exponitur nõ de cælo empyreo, in quo cum alijs Angelis conditus fuit, ſed de cælo Sanctiſſimæ Trinitatis. *Reſpondetur,* appetijſſe quidem Angelum eſſe vt Deus, ſed non per æquiparantiam, appetendo nimirùm perfectam æqualitatem cum Deo in natura; ſed per ſimilitudinẽ quandam proportionalem, quatenùs videlicet voluit habere ſuam beatitudinem, ſicut Deus habet, puta aut ſupernaturalem ex proprijs viribus; aut naturalem ſine ſubiectione ad alium ſuperiorem, & excellentiorem finem. Nam ſicut Deus in ſeipſo habet propriam beatitudinem naturaliter; ita Angelus ex modo appetendi ſuam beatitudinem naturalem, voluit in ſe ipſo naturaliter habere vltimum finem, ſibiq; ipſi ſufficere ad ſuam felicitatem, ac ſeipſo contentus eſſe, vt docet S. Bernardus ſerm. 3. de verbis Iſaiæ.

Solutio eiuſdem.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium* II. Maxima ſuperbia debet eſſe circa maximam excellentiam. Sed ſuperbia Angelorum fuit maxima, & vnio hypoſtatica eſt etiam excellẽtia maxima: ergo vnio hypoſtatica fuit materia ſuperbiæ Angelicæ. *Reſpondetur negando maiorem:* nam vt docet Sanctus Thomas q. 16. de malo ar. 3. ad 6. non eſt neceſſe, quòd maxima ſuperbia verſetur circa maximam excellentiam. Hinc videmus interdum aliquos magis ſuperbire de modica excellentia; quam alios de maxima, eò quòd proprium ſit ſuperborum magis affici ad bona ſibi propria, & cõnaturalia; quàm ad alia, & ideò ſuperbi 2. Petri 1. vocantur *ſibi placentes;* vnio verò hypoſtatica, nec eſt bonum Angelo connaturale, nec fuit ipſi euidenter nota, dum eſſet in via, ſed ſolùm obſcuro fidei lumine reuelata.

Solutio eiuſdem.

Obiectio quinta.

Obijcitur V. *Contra Corollarium* III. Principatus, ſeu poteſtas in alios, eſt propter ſe appetibilis: ergo potuit eſſe materia ſuperbiæ Angelicæ. *Reſpondetur negando antecedens:* nam tyrannica illa poteſtas in alios, eſt obiectum de ſe malum, & inhoneſtum, cùm non ſit naturaliter debita Angelis, ſed contra ius vſurpata. Primum autem diaboli peccatum non potuit conſiſtere in volitione alicuius obiecti de ſe mali, & inhoneſti; eò quod ad volitionem alicuius obiecti de ſe mali & inhoneſti; debeat præcedere aliquis error in intellectu, quo obiectum illud iudicetur bonum, & conueniens; error autem primum Angeli peccatũ præcedere non potuit.

Solutio eiuſdem.

Obiectio ſexta.

Obijcitur VI. *Contra Corollarium* V. Primum ſuperbiæ Angelicæ peccatum, debuit eſſe actus habens ſe per modum volitionis, & proſecutionis; non autem per modum receſſus, & fugæ. Sed recu-

sare beatitudinē supernaturalem, vt habendam ex gratia, & beneficio Dei, est actus habens se per modum fugæ, & recessus: ergo in illo peccatum superbiæ Angelicæ consistere non potuit, & consequenter nec in virtuali volitione assequendi beatitudinem sine gratia.

Solutio eiusdem.

Respondetur distinguendo minorem. Recusare beatitudinem supernaturalem, vt habendam ex gratia, & beneficio Dei, est actus solùm habens se per modum fugæ, & recessus, *negatur*: simul cum voluntate manendi, & quiescendi in sua naturali perfectione, felicitate, seu excellentia, *conceditur*: Nam sicut homo peccans appetitu rerum sensibiliū, simul recusat spiritualia & superiora bona, etiam si vellet ea habere sine labore, & non carendo fruitione rerum sensibilium; ita pariter Angelus simul, & eodem actu superbiæ recusauit beatitudinem supernaturalem, vt acquirendam ex gratia, & meritis, adhæsitq; suæ naturali felicitati, tanquam suo vltimo fini, non ordinando eam in supernaturalem.

QVÆSTIO IV.

An primum peccatum Angeli præcesserit aliquis defectus in eius intellectu.

QVoniam peccatum est aliquis defectus voluntatis, proueniens ex aliquo defectu intellectus proportionato ipsi defectui voluntatis, eò quòd voluntas semper sequatur intellectum propter summam dependentiā ab eodem: proinde errare non possit, nisi intellectus errauerit, vt potè nihil operans nisi circa obiectum ab intellectu sibi propositum, & ab eodem cognitum, vt non immeritò vel ob hoc ipsum dicatur cæca potentia.

Triplex error potest esse in intellectu.

Suppono itaq; triplicem defectum posse esse in intellectu, videlicet *errorem*, iuxta illud Prouerb. 14. *Errant qui operantur malum: ignorantiam*, iuxta illud commune axioma, *omnis peccans ignorans.* Hinc in Scriptura Sacra frequenter peccatum vocatur stultitia, aut ignorantia: intelligendo id non de ignorātia speculatiua, eò quòd hæc non sit directiua voluntatis; sed de ignorantia practica, & opposita dictamini prudentiæ, quæ est iudicatiua siue simpliciter, siue illatiue, de faciendo, aut non faciendo hîc, & nunc, antecedente, aut consequente voluntatem, defectuosè, aut per errorem positiuum, aut per ignorantiam priuationis, aut per inconsiderationem actualem. Controuersia igitur est, ān aliquis ex his tribus defectibus, primum peccatum Angeli in eius intellectu præcesserit.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Primū peccatum Angeli præcessit inaduertentia.

COnclusio. Primum peccatū Angeli præcessit inaduertentia, seu inconsideratio. Antequam probetur conclusio, *sciendum est.* Defectum considerationis, seu inconsiderationem duplicem esse, *vnam negatiuam*, quæ dicit carentiam actualis considerationis, quando quis non tenetur actualiter attendere: *alteram priuatiuam*, quæ eandem carentiam inuoluit, sed pro illa differentia temporis, in qua tenebatur intellectus actualiter considerare, & de hac præsens conclusio intelligitur. *Probatur* itaq; primò authoritate S. Thomæ q. 16. de malo, art. 2. ad 5. vbi dicit: *Semper in peccato defectus intellectus, vel rationis, & voluntatis proportionabiliter se comitantur: vnde nō oportet ponere in primo peccato dæmonis talem defectum intellectus, vt aliquid falsum æstimauerit, puta aliquod malum esse bonum, sed in hoc, quod defecit ab apprehensione suæ regulæ, & ordinis eius.* Ergo iuxta S. Thomam, primum peccatum Angeli præcessit

sit defectus considerationis in eius intellectu.

Probatur II. *ratione.* Electio voluntatis Angelicæ, quā elegit propriam excellentiam, fuit peccatum ex eo, quòd non sit apposita regula superioris. Sed ista regula apponi non poterat nisi per intellectū: ergo in intellectu Angeli primum eius peccatum præcessit inconsideratio, seu non considerātio illius circūstantiæ, quam hîc & nunc tenebatur Angelus habere. Et certè quoniā sicut omnis libertas in actu voluntatis, est radicaliter in intellectu; ita omnis ratio meriti, aut demeriti, præsupponat iudicium intellect⁹ rectum, aut deficiens, si in intellectu Angeli non fuisset aliquis defectus, tunc voluntas sequens iudiciū rectum, fuisset simpliciter bona, & sic non peccasset. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Inconsideratio primum Angeli peccatum præcessit prioritate naturæ.

Corollarium I. Inconsideratio primum peccatum Angeli præcessit prioritate naturæ. *Ratio*: quia ille defectus intellectus practici, est præuius, proinde prior saltem prioritate naturæ peccato voluntatis, qui contraponitur aduertentiæ: sicut enim nos excusamus à peccato, tanquām per primam, & originalem causam, dicendo, *non aduerti*; ita tunc accusari debemus peccati, si contigerit, quòd aduerterimus ad agenda vitæ tunc. Sed inconsideratio est id, ratione cuius, si potuimus, & debuimus considerare, accusamur peccati: ergo necesse est inconsiderationem, esse illum defectum voluntatis, quo posito voluntas peccet, non peccatura alioqui, si vi considerationis debitæ, perpensa fuissent omnia, quæ inter operandum interueniebant. Vnde inconsideratio ista idem est, quòd imprudentia, inaduertentia vincibilis, non respicientia ad omnia, & ad quæ respicere agens debuit, & potuit, est mendacium iniquitatis, est non serius vsus rationis rectæ, est perfunctoria rationis animaduersio.

Corollarium II. Ista inconsideratio, quæ priùs naturā fuit in intellectu Angeli, quam primum peccatum, fuit voluntaria interpretatiuè. *Ratio*: quia si non fuisset voluntaria aliquomodò, non habuisset rationem inconsiderationis, sed tantùm non considerationis purè negatiuæ: ergo omninò debuit esse voluntaria interpretatiuè.

Corollarium III. Angelus non peccauit ex eo præcisè, quòd non considerauerit legem Diuinam, prohibentem amare beatitudinem naturalem sine ordine, & relatione in Deum, vt authorem, & finem supernaturalem: sed ex eo, quia sine consideratione huius regulæ, & præcepti beatitudinem illam adamauit, in eaq; nimiùm sibi complacuit. Ita Sanctus Thomas q. 1. de malo, ar. 3. vbi sic habet: *Hoc ipsum, quod non est attendere actu ad talem regulā (puta rationis) in se consideratam, non est malum, nec culpa, nec pœna, quia anima non tenetur, nec potest attendere ad huiusmodi regulam semper in actu; sed ex hoc accipit primò rationem culpæ, quòd sine actuali consideratione regulæ, procedit ad huiusmodi electionem sicut artifex non peccat in eo, quòd non semper tenet mensuram, sed ex hoc, quòd non tenens mensuram procedit ad incidendum.* Ergo iuxta S. Thomam Angelus non peccauit ex eo præcisè, quòd non cōsiderauerit legem Diuinam, prohibentem amare beatitudinem naturalem, sine ordine, & relatione ad Deum, vt authorem & finem supernaturalem; sed ex eo, quia sine consideratione huius regulæ, & præcepti, beatitudinem illam adamauit, in eaq; nimiùm sibi complacuit. Vnde tota malitia peccati Angelorum refundi debet in inco-

in inconsiderationem, seu in iudicium inconsideratum, quod prius est in genere causæ formalis ipsâ electione mala, & quodammodò posterius in genere causæ efficientis.

Primū Angeli peccatum non præcessit ignorantia in eius intellectu.

Corollarium IV. Primum Angeli peccatum non præcessit ignorantia in eius intellectu. *Ratio:* quia Angelus à principio suæ creationis habuit scientiam omnium rerum tam naturalium, quàm moralium, simulq; habuit reuelationem, & fidem eorum omnium, quæ ad honestè operandum in ordine supernaturali necessaria erat: ergo nō potuit ex aliqua ignorantia primò peccare. *Consequentia patet:* quia ignorantia alicuius obiecti non potest compati in aliquo intellectu secum perfectam scientiam, aut fidem, & reuelationem illius. *Antecedens* etiam facilè colligitur ex differentia inter intellectum nostrum, & Angelicum: intellectus enim noster secundùm se, & in initio suæ productionis, est in pura potentia respectu omnium intelligibilium, etiam naturalium, caret; scientia habituali ipsorum. Iam verò intellect⁹ Angelicus habet congenitam scientiam habitualem illorū omninò perfectam, & habitualiter extensam ad illa, nec non reuelationem, & fidem omnium illorum, quæ ad honestè operandum in ordine supernaturali requiruntur. Propter quod Lucifer Ezechiel. 28. dicitur plenus sapientiâ, & perfectus decore à die conditionis suæ.

Primū peccatum Angeli nō præcessit error in eius intellectu.

Corollarium V. Primum peccatum Angeli, non præcessit error in eius intellectu. *Ratio:* quia duobus tantùm modis possumus concipere Angelum potuisse errare circa obiecta supernaturalia: nimirùm aut iudicando hæreticè falsa esse, quæ à Deo reuelata sunt: aut indicādo de illis aliquid, quòd non est illi reuelatum à Deo, neq; per euidentem consequentiam ex reuelatis deductum. Sed Angelus neutro modo potuit primò peccare ex errore: *non enim primo:* nam sicut actus credendi præsupponit piam affectionem voluntatis applicantis ad finem; ita iudiciū hæreticum, aut infidele præsupponit malam volūtatem applicantem ad illud, proinde præsupponit peccatum, (voluntas quippe applicans ad iudicium hæreticum, non potest non esse peccatum) hoc autem non potuit esse primū in Angelis, quoniam primum peccatum Angelorum necessariò debuit esse actus prosecutionis finis vltimi: & sic iudicium illud hæreticum, non potuit esse primum peccatum Angelorum. *Non etiam secundo modo:* quia etiam secundum iudicium de obiectis supernaturalibus, non potest fieri sine aliquo peccato temeritatis voluntatis, applicantis intellectum ad iudicium de obiecto superexcedenti sine sufficienti fundamento; quod in Angelo primò peccante locum habere non potuit.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio primo.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Angelus considerauit plenè, & perfectè omnia; & tamen peccauit: ergo non ex inconsideratione peccauit. *Antecedens* deducitur I. ex illo Ezechiel. 28 *In multitudine negotiationis tuæ* (id est, recogitationis, & considerationis) *repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti. Præterea,* quia si Angelus ex errore incōsiderationis peccauit, non debuit ita grauiter à Scriptura Sacra reprehendi. Non debuit peccatum eius à Sanctis Patribus vocari peccatum malitiæ, cùm fuerit ignorantiæ. Nec potest assignari id, cuiusnam considerandi Angeli habuerint negligentiam. *Insuper,* cum Angeli mali cum Angelis bonis pugnauerint rationi-

rationibus, vtiq; viderunt ex contradictione bonorum ea omnia, quæ debebant considerare, antequàm peccassent; quoniam Angeli boni multis rationibus abducebant malos à peccando duce Sancto Michaële.

Solutio eiusdem.

Respondetur distinguendo antecedens. Plenè considerauit speculatiuè, *conceditur:* practicè, *negatur.* Angelus enim nimium addictus considerandæ suæ excellentiæ, minùs attendebat ad consideranda retractiua à peccando, vt constat ex citatis Scripturæ Sacræ verbis: *In multitudine negotiationis tuæ, &c.* Nam negotiatio est nimia occupatio circa bona inferiora. *Ad II. antecedentis probationem dicitur,* iustè in Angelo dictam inconsiderationē reprehendi tanquam grauem, eò quòd facilè declinari potuerit: iustè quoq; peccatum malitiæ vocari, eò quòd fuerit voluntaria ex nulla rebellione interiori, aut vehementi inescatione obiecti externi. *Ad III probationem dicitur,* id quod Angelus considerare debuit, ne peccasset, fuisse illud motiuum, quod proposuerant boni Angeli. *Ad vltimam probationem dicitur,* quòd Angeli peccatores auditis motiuis iustorum Angelorum, leuiter considerauerint illa, Lucifer quippe ex contemptu Michaëlis; cæteri verò studio placenti ipsi, tanquàm excellentissimo omnium.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium II.* Si inconsideratio in intellectu Angeli fuit voluntaria interpretatiuè, sequeretur idem esse prius, & posteri⁹ respectu eiusdem. Sed hoc admitti non debet: ergo illa inconsideratio non fuit voluntaria interpretatiuè. *Sequela probatur.* Si enim inconsideratio fuit voluntaria interpretatiuè, tunc illa voluntas, in qua interpretatiuè dicitur esse volita inconsideratio, fuit priùs, quàm ipsa inconsideratio; & rursus quia illa voluntas fuit ex alia inconsideratione secuta, fuit posteriùs, quàm ipsa inconsideratio.

Solutio eiusdem.

Respondetur concessâ sequelâ, negatur minor: nullum enim est inconueniens, idem respectu eiusdem esse priùs, & posteriùs. Vnde licet in Angelo peccante vnica solum fuerit inconsideratio, & vnica mala electio; tamen inconsideratio in iudicio practico, seu potiùs iudicium practicum cum inconsideratione, priùs fuit mala electione in genere causæ formalis, id est, exemplaris, & mensuræ, cui conformabatur voluntas. Cæterùm ipse actus voluntatis, quatenùs erat intentio finis propriæ excellentiæ fuit causa motiua inconsiderationis, seu potiùs iudicij inconsiderati, cuius dictamen fuit, vt hic & nunc voluntas exerceretur in dilectione propriæ excellentiæ Angeli, cessando à subiectione regulæ superioris. Et licet huiusmodi cessatio non dictaretur expresè; tamen in eo, quia non proponebatur subiectio ad regulam, & proponebatur operandum esse circa propriam excellentiam, cùm nihilominùs iam præcesserit Diuinæ legis promulgatio, imò & acceptatio in primo instanti creationis, fuit voluntaria eiusmodi inconsideratio, & quasi interpretatiuè dictabat, iudicium Angeli peccantis non oportere subijci regulæ Diuinæ, sed in seipso permanere, sine illa subiectione. Hæc autem fuit maxima superbia in Angelo, eò quòd fuerit cum summa libertate coniuncta, & cum maxima cognitione excellētiæ Diuinæ, ac regulæ superioris.

Obiectio tertia.

Obijcitur III *Contra Corollarium vltimum.* Sanctus Thomas in 2. ad Annibaldum, dist. 2. q. 1. ar. 1. ad 1. dicit: *circa iudicium eligibilium in Angelo error esse potuit, quamuis non circa absolutam cognitionem eorum, ad quæ naturalis cognitio se extendit:* ergo primum peccatū Angeli

geli potuit præcedere error in eius intellectu. *Reſpondetur negando conſequentiam:* quia enim Angelꝰ ſufficienter fuit inſtructus tàm circa naturalia, quàm circa ſupernaturalia, ideò primum eius peccatum non potuit procedere ex errore aliquo; ſecùs cenſendum poſt peccatum, per quod quia Angelus amiſit Diuinam lucem, ideò non eſt mirum, quòd erret circa ſupernaturalia. Vnde Sanctus Thomas in citato loco non loquitur de errore formali, ſed tantùm de virtuali, & interpretatiuo, qui conſiſtit in incōſideratione priuatiuâ. Sic enim ſeipſum explicat ibidem his verbis: *Intellectus Angeli licet in eligendis nō poſſit ligari paſſione, ſicut in nobis accidit; poteſt tamen impediri à recto iudicio eligibilis per omiſſionem aliquorum, quæ conſideranda ſunt.*

Solutio eiuſdem.

DISPVTATIO VIII.

De Pœna Dæmonum.

Explicatâ Angelorum culpâ, ſeu peccato, de pœna tanquàm eius effectu tractant Theologi cum S. Thoma 1. p. q. 64. per quatuor articulos.

QVÆSTIO I.

An Dæmones puniti ſint in intellectu cæcitate, & in voluntate obſtinatione.

CVm certum ſit dæmones non tantùm punitos eſſe in ſubſtantia dolore, & loco infernali; ſed etiam in potentijs, nimirùm in intellectu cæcitate, ſeu obtenebratione, quæ nihil aliud eſt, niſi priuatio ſcientiæ ſupernaturalis: & in voluntate obſtinatione, quæ in duobus conſiſtit, ſcilicet in impotentia dolendi de peccato, & conſequenter in impotentia benè operandi: *deinde* in voluntate perſeuerandi in peccato commiſſo. Vnde ſenſus præſentis quæſtionis eſt, an intellectus Dæmonum ita ſit obcæcatus, vt nullam ampliùs habeat veritatis cognitionem. Similiter, an voluntas eorundem ſit omninò obſtinata in malo, ita vt nihil velint, nec poſſint quidquam boni operari. Quantum verò attinet ad cognitionem veritatis, hæc duplex eſt, vna ſpeculatiua, altera practica, quæ ab alijs effectiua dici ſolet.

Porrò duplex eſt cognitio ſupernaturalis affectiua. *vna*, quæ naſcitur ex affectu charitatis, & dilectionis Dei ſupra omnia ſeu ad quam efficaciter, & infallibiliter conſequitur huiuſmodi affectus dilectionis: & hæc eſt cognitio, quæ pertinet ad donum ſapientiæ, de qua 1. Ioan. 4. dicitur: *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum, qui non diligit, non nouit Deum.* De eadem locutus eſt D. Auguſtinus epiſt. 112. cap. 11. 12. 13. & 15. vbi exponens illud Matthæi 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, ſic dicit. *Hoc verificari non ſolùm de viſione Patriæ, ſed etiam de viſione viæ, quæ eſt per ſapientiam.* Altera cognitio affectiua ſupernaturalis eſt, quæ neque procedit ab affectu delectationis Dei ſuper omnia, neq; ad eam infallibiliter & efficaciter affectꝰ iſte conſequitur; ſed inclinat, & inducit volūtatem ad quendam imperfectum Dei amorem, & aliqualem peccati deteſtationem, qualis ſolet eſſe in hominibus exiſtentibus in peccato mortali.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

COncluſio. Angeli mali puniti ſunt in intellectu cæcitate, & in voluntate obſtinatione. Eſt ſententia communis Theologorum. *Probatur.* Dæmones in Scriptura Sacra vocantur ſpirituales nequitiæ, Principes, & poteſtates tenebrarum. Et Ezechiel. 28. de primo Angelo dicitur. *Perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo.* Inſuper Sanctus

Angeli mali puniti ſunt in intellectu cæcitate & in voluntate obſtinatione.

Sanctus Auguſtinus Enchirid. cap. 24. & 25. dicit, *ignorantiam rerum agendarum, & concupiſcentiam nociuarum, eſſe mala hominibus, & dæmonibus communia.* Ergo dæmones ſunt puniti in intellectu cæcitate, & in voluntate obſtinatione. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Cognitio ſpeculatiua naturalis integra remanſit in dæmonibus poſt peccatum, nulloq; modo diminuta eſt. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 64. ar. 1. *Ratio:* quia in dæmonibꝰ poſt lapſum, omnia dona naturalia integra remanſerunt, vt docet Sanctus Dionyſius cap. 4. de Diuinis nomin. & Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad literam, cap. 17.

Corollarium II. Cognitio ſpeculatiua ſupernaturalis, non eſt dæmonibus totaliter ablata; eſt tamen valdè diminuta. *Ratio:* quia de ſecretis Diuinis fiunt etiam damnatis Angelis aliquæ reuelationes, ſiue per Angelos bonos, ſiue per Eccleſiam, ſiue per effectus ſpecialiter à Diuina prouidentia procedentes, ſed in quantum expedit ſaluti complendæ prædeſtinatorum. Hæc tamen cognitio in illis, non niſi materialiter ſupernaturalis dici debet, in quantum ſcilicet eſt de aliquibus rebus ſupernaturalibus; non autem quaſi procedat ab aliquo habitu ſupernaturali fidei, quo propter peccatum ſpoliati ſunt· neq; ex aliquo motiuo ſupernaturali, cuius in ſtatu damnationis incapaces ſunt. Vnde illæ reuelationes in damnatis Angelis non niſi naturalem fidem generant, de qua Iacobi 2. dicitur: *Dæmones credunt, & contremiſcunt.* Hinc aliud eſt, Dæmonibus ablatam eſſe cognitionem ſupernaturalem; aliud verò cognitionem ſupernaturalium, quæ poteſt eſſe naturalis, non item prior.

Cognitio ſpeculatiua non eſt dæmonibꝰ totaliter ablata.

Corollarium III. Cognitio practica de rebꝰ agendis circa res morales, ſiue ſit ordinis naturalis, ſiue ſupernaturalis, eſt dæmonibus propter peccatum detracta. Vnde practicum intellectum in agendis moraliter, naturaliter dæmones deprauatum non habent, dum ſpeculatiuè agenda conſiderant, quod plerumque omnibus peccatoribus euenit; deprauatiſſimum autem, quando practicè hîc & nunc agenda contemplantur, ſicut etiam reſoluti fures, ebriones &c. Cognitio item, quæ habetur per gratiam affectiua, & productiua Diuini amoris, totaliter eſt ablata dæmonibus, ſicut & charitas: quia iſta cognitio eſt fundamentum Diuini amoris ſuper omnia; iſte autem amor eſt illis totaliter ablatus.

Cognitio practica eſt totaliter dæmonibꝰ detracta.

Corollarium IV. Cauſa intrinſeca obſtinationis in dæmonibus, eſt liberi eorum arbitrij inflexibilitas. Ita Sanctus Thomas in 2. diſt. 7. q. 1. ar. 2. & q. 16. de malo, ar. 5. & q. 24. de veritate, ar. 10. vbi docet, Angelum immobiliter adhærere obiecto, quod ſemel omninò deliberatè, & perfectè apprehendit, & amplexus eſt. Et *ratio eſt:* quia connaturale eſt Angelo, omninò fixè, & immobiliter apprehendere obiecta, quæ deliberatè, & perfectè apprehēdit: ergo quoque illi connaturale eſt, fixè, & immutabiliter ea eligere, illiſque immobiliter adhærere: ergo obſtinatio, ſeu immobilitas voluntatis Angelicæ in malo, prouenit ex ipſamet natura intellectûs, & voluntatis Angeli, tanquàm ex prima, & intrinſeca radice. *Conſequentia patet: Tum*, quia ſicut voluntas noſtra, ideò eſt mobilis de vno obiecto in aliud, quia iudicium noſtrum eſt mobile, & flexibile; ita è contra cùm iudicium Angeli ſit omninò fixum, & immutabile, eius voluntas immobiliter eligit, & adhæret obiectis, quæ ſemel deliberatè, & perfectè apprehendit.

Cauſa intrinſeca obſtinationis in dæmonibus eſt liberi eorum arbitrij inflexibilitas.

hendit. *Tum*, quia vis appetitiua in omnibus ſequitur apprehenſiuam, eique proportionatur, eò quòd appetitus ſenſitiuus ſit boni particularis; intellectus autem boni vniuerſalis; ſicut ſenſus eſt apprehenſiuus ſingularium, intellectus autem vniuerſalium. *Antecedens etiam manifeſtum:* quia intellectus perfectè apprehendens aliquod obiectum vnico intuitu, & ſine diſcurſu, apprehendit illud omninò fixè, & immobiliter: hinc etiam nos fixè & immobiliter apprehendimus prima principia; cætera autem mobiliter: quia illa per ſimplicem intuitum, & ſine diſcurſu; hæc verò aut non perfectè, aut cum diſcurſu cognoſcimus. Sed Angelus omnia obiecta tàm naturalia, quàm ſupernaturalia cognoſcit ſine diſcurſu, & ſimplici intuitu penetrando omnia, quæ in illis continentur: ergo illa omninò fixè, & immobiliter apprehendit. Quia itaq; Angelus in primo inſtanti plenæ deliberationis apprehendit in principijs naturalibus perfectiſſimè comprehenſis; & in ſupernaturalibus certo fidei lumine cognitis, omnes rationes, & omnia motiua, quæ poterant ipſum vel ad obiectum peccati inducere, vel ab eo retrahere, ideò hoc ipſo, quòd in alteram partem ſe conuertit, irreuocabiliter, ad eam declinauit.

Cauſa extrinſ. obſtinationis dæmonum, eſt ſubtractio diuinæ gratiæ.

Corollarium V. Cauſa extrinſeca obſtinationis dæmonum, eſt ſubtractio Diuinæ gratiæ. Ita Sanctus Thomas q. 16. de malo, ar. 5. ad 3. Et *ratio eſt*: quia cùm ſubtracta gratiâ, ad deteſtandum peccatum, & bonum faciendum, infallibilis ſit voluntatis affectio ad malum, neceſſe eſt, quòd ex ſubtractione omnis gratiæ, ſequatur in dæmonibus immobilis adhæſio ad finem prauum, quem ſibi præfixerunt, non quidem conſecutione phyſicâ, & veræ cauſalitatis, ſed conſideratione tantùm Logicâ, & rationis, ſeu per modum remotionis cauſæ prohibentis: ad eum modum, quo ex remotione ſalis, ſequitur corruptio carnium, ex ſubtruſione fundamenti, ruina domus. Ergo cauſa extrinſeca obſtinationis dæmonum, eſt ſubtractio Diuinæ gratiæ.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Corollarium IV.* Angeli in Scriptura Sacra referuntur aliquando mutaſſe ſuam electionem: ergo non adhærent immobiliter obiecto ſemel apprehenſo. *Antecedens* conſtat, *in primis*: ex Danielis 1. vbi dicitur, Angelum Perſarum cuſtodem repugnaſſe multo tempore Angelo cuſtodi Iſraëlitarum captiuorum, volenti eos eliberare. Poſtea verò auditâ Dei voluntate per Michaëlem Archangelum, mutauit voluntatem, & permiſit liberari captiuos Iſraëlitas. *Deinde*, diabolus qui antea diligenter procurabat mortem Chriſti, mittens in cor Iudæ, vt traderet eum Iudæis, Ioan. 13. poſtea per Vxorem Pilati ſuadere conatus eſt Pilato, vt Chriſtum non crucifigeret. Matth. 27. *Inſuper* Angeli peccatores, quando peccârunt, de facto mutauerunt priorem voluntatem, in qua creati ſunt, & quam in primo inſtanti habuerunt: ergo Angeli poſſunt mutare ſuam electionem. *Reſpondetur diſtinguendo antecedens.* Angeli in Scriptura Sacra referuntur mutaſſe ſuam electionem, perfectam, & cõpletam, *negatur antecedens*: imperfectam, & incompletam, *conceditur antecedens, & negatur conſequentia.* *Ad primam antecedentis probationem dicitur*, Angelum Perſarum reſtitiſſe Angelo Iudæorum, eò quòd voluntatem Dei ignorauerit, neq; omnium circumſtantiarum, & euentuum notitiam habuerit, proinde non perfectum, & completum; ſed ſolùm dubium, & conjecturale habuit iudicium

Solutio eiuſdem.

cium de voluntate Dei circa eliberationem Iudæorum, quouſque illi per reuelationẽ innoteſceret. Idem cenſendum de diabolo circa mortem Chriſti: & is enim certò non ſciuit Chriſtum eſſe Deum, Dei Filium, ſed tantùm ex quibuſdam cõjecturis ſuſpicabatur: proinde iudicium illud, quod priùs habuit de morte Chriſti procuranda, non fuit totale, & completum; ſed dubium, & conjecturale; ideoq; potuit illud mutare, & conſequenter volitionem ex illo ſecutam. *Ad vltimam probationem dicitur*, etiam primam voluntatem, in qua Angeli creati ſunt, & quam in primo inſtanti habuerunt, fuiſſe incompletam, & imperfectam, non quidem ex eo, quod ex principijs dubijs, & coniecturalibus proceſſerit illa volitio, & illud iudicium, ſed ex eo præciſè, quòd non iudicauerint, & voluerint ex propria deliberatione, & applicatione, ſed vt moti, & applicati à Deo. Vnde iudicium illud, & electio, non fuerunt plenè libera quoad ſpecificationem, ideoque peccatum eſſe non potuit. At verò praua illa electio, quâ mali Angeli inordinatè ſuam excellentiam primò appetierunt, fuit omninò deliberata, perfecta, & completa: proinde fixa, immutabilis, & irreuocabilis, ſicut & iudicium practicum, per quod regulata fuit. Quod vt meliùs intelligatur.

Angelus duobus modis iudicat, & eligit aliquid.

Sciendum eſt, Angelum duobus modis iudicare, & eligere aliquid, ſcilicet perfectè, & imperfectè, ſeu incompletè. *Perfectè* tunc iudicat, & eligit, quando procedit ex principijs ſibi euidentibus, ac certis: quia tunc procedit modo comprehenſiuo, attingendo in illis principijs omnes rationes, quæ poſſunt ad hoc iudicium, & volitionem inducere, vel ab ea reuocare. At verò *imperfectè* tunc iudicat, & eligit, quando procedit ex principijs dubijs, & coniecturalibus ſolùm: nam eo ipſo, quòd principia non ſint firma, & conuincentia, etiam iudicium non poteſt eſſe firmum, & conſequenter & electio regulata per illud. *Deinde*, tunc Angelus dicitur imperfectè iudicare, & eligere, quando non iudicat, & eligit ex propria deliberatione, & applicatione; ſed vt motus & applicatus à Deo, eò quòd iudicium perfectum & completum in Angelo viatore, in quo eſt poſitum poſſe facere vias ſuas bonas, aut malas, ſit iudicium plenè liberum quoad ſpecificationem, & exercitium, ac ex propria eius voluntatis applicatione procedens.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur II. Angelus poſt electionem manet plenè liber: ergo poteſt eam reuocare, aut non continuare. *Antecedens eſt manifeſtũ ex eo*: quòd nulla potentia actina agẽdo, ſeipſam deſtruat. *Conſequentia etiam patet*: quia vt aliquis ſit liber circa actum, quem elicit, debet poſſe illum ſuſpendere, aut elicere oppoſitum. *Reſpondetur concesso antecedente, negatur conſequentia. Ad eius probationem dicitur*, ad hoc, vt aliquis ſit liber circa actum, quem elicit, & continuat, non requiri, quòd pro omni tempore & ſtatu poſſit eum ſuſpendere, & elicere oppoſitum, verùm ſufficit, quòd illa indifferentia habeatur in principio, quando primò elicitur. Hinc vt Angelus remaneat liber poſt electionem, non eſt neceſſe, quòd eam poſſit reuocare, ſed ſufficit, quòd illam potuerit non habere, dum ad eam ſe determinaret. Tres ergo ſunt libertatis gradus, iuxta triplicem naturæ intellectualis diuiſionẽ. *Primus*, qui conuenit homini ob imperfectionem cognitionis, & hic dicit indifferentiam ad eliciendũ, & non eliciendũ actum: ſimiliter ad reuocandum, vel non reuocandum actum iam elicitum. *Secundus* conuenit Angelis ob perfectiorem modum cognoſcendi &

Solutio eiuſdem.

 ſine

ſine diſcurſu, & ſimplici intuitu, qui dicit indifferentiam ad eliciendum, vel non eliciendum actum; non tamen ad reuocandum illum iam ſemel elicitum. *Tertius* Soli Deo competit, ob ſummam eius actualitatem, & immutabilitatem: & hic dicit indiffentiam non ad eliciendum, aut non eliciendum actum abſoltè, & quoad ſuam entitatem, ſed tantum quoad terminationem actus ad quodlibet obiectum, vel per modum volitionis, vel per modum nolitionis.

QVÆSTIO II.

An & quomodò Dæmones igne infernali torqueantur.

SUppono I. Angelos præuaricatores ſtatim poſt ſuum, peccatum deturbatos eſſe de cælo, vt conſtat ex Apocal. 12. vbi dicitur: *Neq; locus inuentus eſt eorum ampliùs in cælo*: & in infernum detruſos, iuxta illud 2. Petri 2. *Deus peccantibus Angelis non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos.* Non ſemper tamen dæmones in inferno detinentur, ſed interdùm Dei permiſſu inter homines ſuper terram vagantur, vt conſtat ex Scriptura Sacra Lucæ 8. vbi plurimi dæmones à Chriſto ex corpore vnius hominis eiecti, rogauerunt eum, ne illos in infernum relegaret, ſed potiùs permitteret in porcos ingredi. Hinc S. Thomas 1. p. q. 64 ar. 4 docet, duplicem locum pœnalem dæmonibus à Deo aſſignatum eſſe. *vnum*, ratione culpæ illorum, & hic eſt infernus: *alterum*, ratione exercitationis humanæ, & hic eſt äer caliginoſus terræ vicinus, in quo permiſſum eſt illis vagari, vt tentare, & ſic exercere homines poſſint vſque ad diem iudicij.

Locus pœnalis Dæmonum duplex.

Suppono II. Dæmones eſſe doloris capaces, & ſuſceptibiles, nō quidem illius doloris, qui eſt paſſio appetitus ſenſitiui, percipiturq; organo corporeo; ſed doloris purè ſpiritualis, qui eſt quidem ſimplex actus voluntatis, quo refugit, & auerſatur aliquid tanquàm ſibi cōtrarium, & nociuum. Vnde controuertitur, an dæmones ab igne infernali torqueantur, & quomodò, Circa quod variæ ſunt Authorum ſententiæ. *In primis* enim Sanctus Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. Dei, cap. 10. dicit, omninò incertum id eſſe. *Alij* putant, dæmones cruciari violentâ detētione in ſubterraneo carcere, eò quòd mala voluntate ſuâ ſint inquieti, & diſcoli. *Alij* volunt, dæmones cruciari reali læſione phyſicâ. *Alij* moraliter tantùm eos affligi putant, per apprehenſionem ignis, vt inſtrumenti, & ſigni iræ diuinæ æternæ. *Alij* per effectionem phyſicam caloris. *Alij* inſuper docent dæmones torqueri ab igne infernali, per alligationem illorum ad ipſum. Et hæc eſt communis Theologorum. Porrò iſta alligatio duplex eſt, *vna*, præcisè quoad potentias dæmonum, præſcindendo à loco, quâ ipſæ impediuntur ab exercitio connaturali ſuarum operationum; *altera* per ordinem ad locum, ratione cuius dæmones nequeunt operari, ſubindeq; nec exire ſaltem omninò, & ad libitum extra illum locum, in quo ſunt, ſed ad ſummum aliquantulum, quando Deus, & ignis, à quo detinentur, id permittunt, vt patet in dæmonibus, qui ſunt in noſtro äere, ipſumque habent pro carcere.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur quæſtio.

COnclusio. Dæmones verè torquentur igne infernali. *Probatur* ex Scriptura Sacra, Matth. 25. vbi Chriſtus Dominus dicit, *ignem inferni paratum eſſe diabolo, & Angelis eius.* Et 2. Petri 2. dicitur: *Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, tradidit cruciandos.* Et Apocal. 20. *Diabolus miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, vbi & beſtia, & pſeudopropheta cruciantur die ac nocte* Idem docent Sancti Patres, D. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap. 11. vbi dicit: *Spiritus*, id eſt, *dæmones veris modis cruciari ab igne inferni.* Et Sānctus Gregorius lib 4. Dialogorum cap. 29. dicit; *quod ignis inferni ſit creatus à principio mundi, conſtat ex eo, quòd ferè à principio mundi cruciat dæmones.* Hinc S. Auguſtinus in lib. de mirabilibus Scripturæ Sacræ, cap. 2. affirmat, ignem inferni creatum fuiſſe, ante ſeptimum diem, quo Deus requieuit ab omni opere, quod patrauerat. Ergo iuxta Scripturam Sacram, & Sanctos Patres, dæmones verè torquentur igne infernali. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Dæmones verè torquentur igne infernali.

Ignis quo dæmones torquentur in inferno, eſt materialis & corporeus,

Corollarium I. Ignis quo dæmones torquentur in inferno, eſt materialis, & corporeus; non autem aliquid ſpirituale, vt volebant aliqui Hæretici. *Ratio*: quia in primis Scriptura Sacra, non tantùm pro dæmonibus, & animabus damnatorum hominum à corporibus ſeparatis, verùm etiam pro earum corporibus poſt diem iudicij ignem illum in gehennam ſtatuit. Matt, 25 *Ibunt* inquit, *in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Anegelis eius*: iam vero corpora non poſſunt poniri niſi pœnâ corporali, vt docet S Thomas qu. 26 de verit. ar. 5. *Deinde* S. Auguſtinus lib. 21. de Ciuit. cap 10. de dæmonibus ita ſcribit: *Adhærebunt ſpiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi.*, S. Gregorius 4. Dialog. cap. 29. inquirens an ille ignis ſit corporeus, reſpondet ſibimet: *Corporeum eſſe non ambigo.* Demùm S Cyprianus de laudibus Martyrum cap. 12 Infernum ita deſcribit: *Sæuiens locus, cui gehenna nomen eſt magno plangentium murmure, & gemitu, & eructantibus flammis per horrendam ſæpiſſimè caliginis noctem, ſæua ſemper incendia camini fumantis expirat; globus ignium arctatus obſtruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tum, ſæuiendi plurima genera, tum in ſe ipſe conuoluit, quidquid ardoris emiſſi edax flamma cruciarit.* Quibus verbis materialem, & corporeum ignem exprimit. Ergo ignis, quo dæmones torquentur in inferno, eſt corporeus.

Dæmones torquentur igne infernali per alligationem illorum ad ipſum,

Corollarium II. Dæmones torquentur ab igne inferni per alligationem illorum ad ipſum. Ita Scriptura Sacra in epiſt. can. Iudæ Apoſtoli, vbi dicit: *Angelos, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* Et 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Et Apocal. 21. *Apprehendit draconem, & alligauit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit.* Et *ratio corollarij eſt*: quia poſſibilis eſt, & valdè afflictiua iſta dæmonū alligatio: poſſibilis inquam, eò quòd non fiat virtute naturali ipſius ignis, ſed ſupernaturali, quam Deus illi tanquàm inſtrumento ſuæ iuſtitiæ communicat; afflictiua autem, quia nobiliſſimam creaturam rei ignobili, vti eſt omnis res corporea reſpectu Angeli, ſubmittit, eiuſque captiuam reddit. Inſuper S. Thomas id expreſsè docet 4. cōtra Gent. cap. 40. vbi dicit: *Subſtantiæ incorporeæ patiuntur ab igne corporeo per modum alligationis cuiuſdam.* Moxque ſubdit: *multò igitur magis virtute Diuinâ ſpiritus damnandi igni corporeo alligari poſſunt: & hoc ipſum eſt eis in afflictionem, quòd ſciunt ſe rebus infimis alligatos in pœnam* Ergo dæmones torquentur ab igne inferni per alligationem illorum ad ipſum.

Corollarium III. Ignis inferni ligat dæmones cauſando in ipſis formam realem, ad prædicamentum qualitatis pertinentem. *Ratio.*

tio: quia ignis inferni ligat dæmones efficienter, ac intrinſecè. Efficienter, quia eſt inſtrumentum Diuinæ iuſtitiæ quoad illud effectum; inſtrumentum autem dicit eſſentialiter cauſalitatem efficientem. Iam verò extrinſecè, quia per ſolam formam extrinſecam non poſſunt ligari potentiæ dæmonis, ſeu impediri ab exercitio ſuarum operationum. Nam per hoc differunt potentiæ, quæ per actiones formaliter tranſeuntes operantur, ab iis, quarum operationes ſunt formaliter immanentes, vti ſunt omnes, quibus præditi ſunt Angeli, quòd illæ poſſint impediri ab exercitio ſuarum operationum, per aliquid purè externum; ſecùs iſtæ. Sed ignis inferni non poteſt ligare dæmones efficienter, & intrinſecè, niſi cauſando aliquam formam realem, ipſiſque intrinſecam: realem ex eo, quia omni cauſæ efficienti debet aſſignari terminus realis productus; intrinſecam verò dæmonibus, quia illorum alligatio eſt intrinſeca. Ergo ignis inferni ligat dæmones cauſando formam realem, & intrinſecam ipſis.

Forma ab igne inferni cauſata, pertinet ad prædicamentum qualitatis.

Quòd verò eiuſmodi forma ab igne inferni cauſata, pertineat ad prædicamentum qualitatis, patet: quia forma malè afficiens, & diſponens ſuum ſubiectum, pertinet ad prædicamentum qualitatis, in primaq; ei⁹ ſpecie collocatur: ſicut ægritudo, habitus vitioſi deformitas &c. Sed forma illa intrinſeca cauſata ab igne inferni in dæmonibus, malè illos afficit, & diſponit, cùm eos cruciet, & torqueat: ergo pertinet ad prædicamentum qualitatis. *Conſequentia patet*: in primis enim prædicta qualitas non poteſt pertinere ad prædicamentum *ſubſtantiæ*, eò quòd adueniat enti iam completo, & actualiter exiſtenti: nec ad prædicamentum *quantitatis*, cùm recipiatur in ſubiecto omninò ſpirituali: nec ad *ſitum*, aut *habitum*: quoniam prædicamenta hæc ſupponunt qualitatem: nec ad prædicamentum. *Quandò*, cùm habitudo ad tempus in qua conſiſtit, non ſit; quemadmodum neq; duratio, ex qua reſultat, ſuo ſubiecto nociua: nec ad prædicamentũ *actionis*, aut *paſſionis*, cùm effectus formales iſtorũ ſolùm ſint, quòd agens agat, aut quòd paſſum recipiat; effectus autem, formæ ab igne gehennali in dæmonibus productæ, ſit quòd ipſi ſint illi, vel alteri corpori alligati: nec ad prædicamentum *relationis*, cùm hæc non ratione ſui, ſed tantùm ratione fundamenti poſſit eſſe diſconueniens ſubiecto: nec demùm ad prædicamentum *vbi*, cùm ſola præſentia localis circumſcriptiua, ſeu in quantitate fundatâ; non verò ſpiritualis ponatur in hoc prædicamento. Ergo iſta qualitas in dæmonibus ab igne inferni cauſata, ſolùm ad prædicamentum *qualitatis*, pertinere poteſt.

Subiectum immediatũ qualitatis ab igne inferni in dæmonib⁹ cauſatæ, eſt ei⁹ potentia operatiua.

Corollarium IV. Subiectũ immediatum qualitatis, ab igne inferni cauſatæ in dæmonibus, non eſt ipſa ſubſtantia dæmonis, ſed tantùm eius potentia operatiua. *Ratio*: quia in dæmone illud eſt immediatum ſubiectum qualitatis ligatiuæ, in illo ab igne inferni productæ, quod immediatè alligatur loco à tali igne. Sed ſubſtantia dæmonis non eſt id, quod in ipſo immediatè alligatur loco ab igne inferni; verùm eius potentia operatiua. Ergo ſubiectum immediatum prædictæ qualitatis, non eſt ipſa ſubſtantia dæmonis, ſed eius potentia operatiua. *Maior patet*: quia cùm qualitas illa ſit veluti nexus, & catena, quâ mediante ignis inferni alligat dæmonem, certo alicui, & determinato loco; ideò illud ſolùm eſt immediatũ eius ſubiectum, quod immediatè ligatur, & detinetur. *Minor etiam facilè deducitur*: quia in dæmone illud tantùm alligatur loco ab igne inferni, quod immediatè impeditur à ſui extenſione; ſiquidem ligatio, ſeu compreſſio, & coarctatio, nihil aliud eſt; quàm impedimentum extenſionis. Sed ſubſtantia dæmonis non impeditur immediatè à ſui extenſione, vt potè cùm non ſit immediatè quanta quantitate virtutis, proinde nec immediatè extenſibilis, ſed tantùm mediantè potentiâ operatiuâ: ergo non ligatur immediatè ab igne inferni, ſed tantùm mediante potentiâ operatiuâ.

Qualitas dæmones alligantis pręſtiunt effectus.

Corollarium V. Effectus qualitatis dæmones alligantis, ſunt acerbiſſimi cruciatus: & nullum aliud in ſubſtantijs ſpiritualibus genus tormenti aſſignari poteſt. Antequàm probetur *Sciendum eſt*, tres potiſſimum effectus qualitatis dæmones alligantis eſſe. *Primus eſt*, ſubmittere dæmonem igni, tanquam inferiorem ſuperiori à quo alligandus eſt. *Secundus eſt*, alligatio potentiarum: primò in ordine ad ipſas, in eo conſiſtens, quòd intellectus dæmonis non poſſit intelligere plura, quæ vellet ipſe dæmon intelligere; & è contra neceſſitetur, determinetur, ac ligetur ad plurium meditationem, quæ nollet meditari. *Tertius effectus eſt*, ipſa incarceratio, ſeu detentio dæmonis in vno loco, idq; valde anguſto, tanquàm in carcere, ita vt non poſſit ſuam virtutem alibi applicare. *Ratio itaq; primæ partis corollarij eſt*: quia tantus eſt cruciatus in dæmonibus ex dictis effectibus reſultans, quanta eſt illorum diſconuenientia ad naturam Angelicam. Sed hæc eſt maxima: ergo & cruciatus maximus *Maior patet*: quia cùm obiectum doloris ſit malum cognitum, diſconueniens ei, cuius eſt; ideò quantitas doloris ex qualitate diſconuenientiæ penſari debet. *Minor etiam facile conſtat ex eo*: quia conſiderando primum effectum qualitatis alligantis, tanta ex illo oritur diſconuenientia, vt maior cogitari non poſſit. Nam ea eſt dignitas, & præſtantia naturæ dæmonum, vt illi omnia corporalia iure naturæ ſubdantur, & obſequantur: ea quoque ſuperbia, vt neq; ipſi Deo ſubijci voluerint, eumq; tantùm ſuperiorem venerari: ergo non poteſt eſſe maior diſconuenientia ad naturã Angelicam; quàm habere omnia corpora ſibi naturaliter ſubdita; & tamen infimis corporibus ſubijci: nolle humiliari Deo, & tamen viliſſimæ creaturæ dominium ſupra ſe, principatum recognoſcere, & ſubire, ſimiliter ſecundo effectu, ſcilicet ex alligatione potentiarum tàm in ordine ad ſe, quàm ad locum, maxima oritur diſconuenientia; cùm enim Angeli ſint formæ actiuiſſimæ, nõ poteſt cogitari aliquid magis illis diſconueniens; ac repugnans; quàm impedimentum, ne operentur, ſicut & quando volunt, vt docet S. Thomas q. 1. de anima, ar. 21. & Caietanus tom: 3. opuſc:. in oratione de hac materia.

Ignis inferni non imprimit non dæmonibus ſuum calorem.

Secunda verò pars corollarij facilè probatur reiectione ſententiarum oppoſitarũ. *In primis* enim, ignis inferni non poteſt torquere dæmones imprimendo illis ſuum calorem, vt vult Henricus *Ratio*: tum quia accidens corporeum non poteſt recipi in ſubſtantia ſpirituali: *tum* quia etiamſi in ſubſtantia, aut potentiâ dæmonis poſſet recipi calor ignis, nihil in ipſa læderet, aut corrumperet, & conſequenter nullum in ea cauſaret dolorem.

Non poteſt etiam ignis inferni torquere dæmones, *per immiſſionem ſpeciei repræſentatiuæ ipſius ignis*, tanquàm eorum tortoris, vt ſentiunt Ægydius, Richardus, & Gabriel. *Ratio*: quia cùm dæmones ab initio ſuæ creationis habeant ſpecies cõcreatas, & ſibi impreſſas ab Auctore naturæ, omnium rerum pertinentium ad hoc vniuerſum; ideò illa

illa nouæ speciei ignis inferni repræsentatiuæ impressio, superflua omninò esset. imò admissa etiam tali specie, illa non posset dæmoni esse disconueniens, nisi vel quia ligaret, & necessitaret intellectum eius, vt volens, nolens intelligat per eam: vel certè quia illi repræsentaret ipsum ignem, vt obiectũ horribile, & dissonum, proponendo ipsum ei tanquàm impedimentum, & vinculum, à quo detinetur, & captiuatur. At verò isti effectus non sunt distincti à pœna alligationis, verùm sub ipsa continentur, & comprehenduntur. Ergo immissio dictæ speciei est fictitia.

Ignis inferni non producit in dæmonibus qualitatẽ deturpantem.

Non potest deniq; ignis inferni torquere dæmones, *producendo qualitatem deturpantem, & maculantem substantiam illorum*, vt vult quidam Neotericus. *Ratio*: quia deturpari, & maculari, est amittere aliquam pulchritudinẽ; hanc autem dæmones amittere non possunt, cùm pulchritudo, & perfectio naturalis, integra remanserit in dæmonibus post peccatum, vt consistens in integritate substantiæ, perspicacitate intellectus, & excellentiâ voluntatis, quæ omnia in dæmonibus manent. Ergo nullum aliud in substantijs spiritualibus tormenti genus assignari potest, præter dictos effectus qualitatis dæmones alligantis, qui acerbissimos cruciatus componunt.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra conclusionem.* Pœna dæmonũ sumi debet per oppositum ad felicitatem, & delectationem beatorum. Sed Angeli beati nullam delectationem sumunt de re corporea, verùm tota illorũ iucunditas prouenit ex consecutione vltimi finis, quæ consistit in visione: ergo pariter Angeli damnati nullam tristitiam, & nullum dolorem patiuntur ab igne infernali, verùm ex sola carentia Diuinæ visionis.

Solutio eiusdem.

Respondetur I. Negando simpliciter maiorem: non enim in omnibus pœna damnatorum proportionari debet felicitati beatorum; Nam essentialis beatitudo à solo Deo prouenit, cùm ipse sit tota beatorum merces; at verò damnatorum pœna etiam à creaturis prouenit, tanquàm ab instrumentis Diuinæ iustitiæ, iuxta illud Sapientiæ: *Armauit creaturam in vltionem inimicorum.* Præterea, eiusmodi pœna est proportionata dæmonum culpæ, quoniam dignum est, vt Angelus, qui voluit æquari Deo, creaturæ vilissimæ subijciatur. iuxta illud Isaiæ 14. *Detracta est ad inferos superbia tua.* *Respondetur II.* hanc esse differentiam inter pœnam damnatorum, & felicitatem beatorum: quia meritum essentiale beatorum, quantum est ex parte voluntatis, consistit in actu charitatis, per quem voluntas toto corde adhæret Deo, neq; consistit in aliqua conuersione ad creaturam; & ideò delectatio, ac fruitio, pertinens ad præmium essentiale, non est desumenda ex creaturis, sed ex solo Deo. Iam vero in peccato reperiuntur & auersio à Deo, & conuersio ad bonum creatum, propter quod essentiale supplicium damnatorum, non tantùm includit tristitiam prouenientem ex carentia Dei, visionisque ipsius; verùm etiam importat tristitiam pertinentem ad pœnam sensûs, & correspondentem peccato ex parte conuersionis, quæ tristitia prouenit principaliter ex memoria peccatorum. *Respondetur III. concessa maiore, negatur minor*: beati enim Angeli non tantùm delectantur in visione Dei, sed etiam in cognitione creaturarum, quas in Diuina Essentia vident: & sic quodammodò reperitur proportio inter gaudium beatorum, & damnatorum dolorem.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium I.*

Vermis quem Scriptura Sacra simul cum igne, pro pœna damnatorum assignat, Isaiæ 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, solùm intelligitur de verme per metaphoram, scilicet de remorsu conscientiæ, eò quòd post diem iudicij, nulla remansura sint animalia: ergo pariter ignis, quem pro tortura damnatorum scriptura designat, non est verus ignis corporeus, sed intelligi debet metaphoricè pro igne spirituali.

Solutio eiusdem.

Respondetur concesso antecedente, negatur cõsequentia. Disparitas est: quia licet omnia pertinentia ad res mixtas, aliaque viuentia præter hominem, non sint remansura post diem iudicij, quoniam tunc cessabit omnis generatio, alteratio, & corruptio; manebit tamen semper elementum ignis.

Instabis, S. Ambrosius lib. 7. in Lucam, tit. de parata cœna expressè dicit: *ignem inferni non esse flammarum corporalium.* Ergo censet ignem illum, non esse verum, & corporeum. *Respondetur negando consequentiam.* S. enim Ambrosius solùm per hoc indicare voluit, quòd ignis ille non sæuiat in dæmones virtute flammarum corporalium, sed virtute spirituali, quâ in ratione instrumenti eleuatur, mouetur que à Deo ad illum effectum.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium III.* Dæmones superiores ligant aliquando, virtute propria, & connaturali inferiores certis quibusdam corporibus, & locis, nihil reale & intrinsecum in eis producendo, eò quòd Angelus virtute propria non possit physicè operari intra alium Angelum, vt ex supra dictis constat: ergo à fortiori ignis inferni virtute Diuina ligat Dæmones, non producendo in eis formam aliquam realem ipsis intrinsecam.

Solutio eiusdem.

Respondetur distinguendo antecedens. Dæmones superiores virtute propriâ, & connaturali, ligant inferiores physicè, *negatur*: ligant solùm moraliter, imperando videlicet eis, tanquàm sibi voluntariè subditis, vt mediante aliqua operatione sese constituant in aliquo loco, ibiq; remaneant, *conceditur antecedens, & negatur consequentia*: quoniam ignis inferni ligat dæmones nõ solùm moraliter, sed etiam physicè, producendo in illis qualitatem spiritualem, quæ absolutè, in se est perfectio quædam; non tamen per ordinem ad dæmonem, quem captiuat, & alligat. Non est tamen dicta qualitas supernaturalis quoad substantiam; alias pertineret ad ordinem gratiæ: sed solùm quoad modum, in quantùm scilicet efficitur ab igne modo ipsi supernaturali.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium IV.* Non repugnat substantiam dæmonum immediatè affici qualitate eos alligante: ergo subiectum immediatum qualitatis ab igne infernali in dæmonibus productæ, est substantia illorum. *Antecedens patet*; tum quia in hoc nulla implicantia ostendi potest: *tum* quia, si Deus produceret substãtiam Angeli sine vllis potentijs, posset eiusmodi substantiam alicubi passiuè detinere, subindeq; qualitate alligante immediatè afficere. *Tum* denique, quia hoc multum conducit ad maiorem dæmonum cruciatum; cùm enim non solùm potentia dæmonis, sed etiam eius substantia, sit ex natura sua absolutissima, omninoq; independens à loco & corpore: ideò maior illi infertur violentia, si ex vtroq; capite corpori, & loco alligetur, per receptionem qualitatis detinentis tàm in substantia, quàm potentia illius.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando antecedens: substantia enim Angeli non potest immediatè detineri ab illa qualitate, sed tantùm mediante potentia. *Prima eius probatio negatur*, vt constat

stat ex probatione corollarij quarti. *Similiter II. probatio antecedentis negatur*: nam sicut substantia corporea sine quantitate à Deo producta, nullibi posset collocari tanquàm in loco; ita pariter substantia Angeli sine potentijs à Deo producta, nullibi posset tanquàm in loco passiuè detineri. *Insuper tertia probatio antecedentis negatur*: nam etiam mediata solùm ligatio substantiæ, Angeli ad determinatum locum, æquè est illius humiliatiua, ac depressiua, proinde æq; cruciatiua, sicut ligatio immediata, dato quod ista esset possibilis.

Obiectio quinta. Obijcitur V. Independenter ab operationibus Dæmonum, debet in illis constitui alligatio, per quam alicubi ab igne detineantur. Sed talis alligatio independens ab operatione, potest immediatè afficere dæmonum substantiam: ergo de facto ita eam afficit, in eaq; immediatè recipitur. Solutio eiusdem. *Respondetur distinguendo maiorem.* Independenter ab operationibus dæmonum elicitis, debet in illis constitui alligatio, *conceditur maior*: independenter ab operationibus dæmonum impeditis propter alligationem potentiarum, quæ sunt earum principia, *negatur maior.* Nam cum ex vna parte detentio in loco, nihil aliud sit, nisi impedimentum extensionis, seu exitus extra illum; ex altera verò dæmon non possit se extendere extensione cuius est capax (puta virtuali tantùm) extra locum aliquem, seu exire ab illo, nisi mediante sua quantitate virtuali, quæ est potētia operatiua, & eius actus; ideò in dæmonibus non potest cōstitui aliqua alligatio independenter à potentijs operatiuis, aut earum actionibus impeditis.

Obiectio IV. Obijcitur VI. *Contra Corollarium V.* Alligatio dæmonum non pertinet ad pœnam sensus: ergo præter illam debet assignari aliud genus tormenti in dæmonibus. *Antecedens patet*: quia animæ puerorum cum solo originali decedentium, manent in limbo semper alligatæ; & tamen nulla in eis est pœna sensus. Solutio eiusdem. *Respondetur negando antecedens. Ad eius probationem dicitur*, existentiam puerorum cum solo originali decedentium in lymbo, non esse propriè alligationem, sed tantùm præsentiam illorum in tali loco. Nam vt anima alicui loco dicatur alligata, non sufficit, quod ei semper sit præsens, sed requiritur insuper, quòd eius præsentia ad illum locum sit cum subiectione, depressione, & violentiâ; id autem non habet præsentia illa quâ pueri dicuntur manere in limbo, cùm nullam omninò ab illo loco patiantur subiectionem, aut violentiam, neq; aliqua ex operationibus connaturaliter sibi debitis, aut volitis impediatur, vel ad aliquid nolitum applicetur. Secùs accidit in detentione dæmonum in inferno.

DISPVTATIO IX.

De illuminatione & locutione Angelorum.

Illuminatio quid sit. POst explicatam pœnam malorum Angelorum, agunt Theologi de illuminatione, & locutione Angelorum 1. p. q. 106. & q 107. eò quòd à quæst. 65. ad 106, Sanctus Thomas multa interposuerit de alijs creaturis tum purè corporeis, tum de homine.

QVÆSTIO I.

An vnus Angelus illuminet alterum.

Opiniones variæ. SUppono. Illuminare nihil aliud esse, quàm manifestare alteri ignotam veritatem, seu tradere agnitæ veritatis manifestationem, iuxta illud ad Ephes. 5. *Omne quod manifestatur lumen est.* Certum autem est, Angelum ab Angelo illuminari, tum in secretis cordium actu cognoscentis: tum in supernaturalibus nouiter beneficio Dei cognitis ab vno Angelo, & non ab alio. Et in hoc conueniunt omnes Scholastici Doctores, excepto solo Durando; discrepant tamen circa modum, quo ista illuminatio fiat.

Alij enim censent, istam illuminationem fieri per hoc, quòd Angelus illuminans aliquid reale, & physicum imprimat, seu efficiat in intellectu Angeli illuminati. Quidnam autem sit hoc reale, & physicum. Henricus quodlib. 5. q. 13. ar. 7. vult esse lumen spirituale. Herueus in 2 dist. 9. q. I. ar. 2. intensionem luminis naturalis inferioris Angeli, factam ab Angelo superiori. Capreolus ibid. dist. II. q. 2. vult esse qualitatem in intellectu Angeli illuminati productam, ad modum virtutis instrumentalis, aut luminis quo intellectus agens illuminat phantasmata. Insuper Scotus in 2. dist. 9. q. 2. vult esse ipsum conceptum formalem, seu actum secundum, quo Angelus illuminatus cognoscit rem, de qua illuminatur, ita vt intellectus non efficiat, sed recipiat illam cognitionem.

Secundò alij censent, Angelum superiorem efficienter physicè illuminare inferiorem, non quidem imprimendo ipsi aliquid reale, & Physicum, sed vniendo intelligibiliter suam virtutem intellectiuam, seu lumen suum, cum virtute intellectiua, seu lumine intellectuali Angeli inferioris, & efficiendo vnum quodammodò principium cum illo, ad cognitionem reuelatæ veritatis. Hanc sententiam sequuntur Bannes, Zumel, & Nazarius.

Tertiò alij docent, illuminationem Angelorum solùm fieri per modum cuiusdam artificiosi magisterij, quatenus Angelus superior proponit inferiori obiectum antea ipsi incognitum, modo quodam illi proportionato, ostenditq; medium, seu conceptum proportionatum ad illud concipiendum. Et hæc sententia est communis Theologorum.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Vnus Angelus illuminat alterum. COnclusio. Vnus Angelus illuminat alterum. *Probatur I.* Authoritate S. Dionysij cap. 8. de cælesti Hierarchia, vbi docet, Angelos secundæ Hierarchiæ purgari, illuminari, & perfici per Angelos primæ Hierarchiæ his verbis: *Specula perlucida*, & ab omni *labe pura, quæ primum diuinæ lucis radium percipiunt, & sine inuidia in eos, qui sequuntur, infundunt.* Idem docet S. Bernardus, serm: 5. de consider. cap. 4. *Cherubim* inquit, *ex ipso Sapientiæ fonte, ore Altissimi haurientes, & refundentes fluenta scientiæ, vniuersis cœli ciuibus infundunt.* Ergo vnus Angelus illuminat alterum.

Probatur II, *ratione.* Illuminare nihil aliud est, nisi manifestare ignotam veritatem, vt constat ex supposito quæstionis. Sed vnus Angelus manifestat alteri veritatem ignotam: ergo eum illuminat. *Minor patet*: Angelus superior accipit à Deo veritatem in vniuersali quadam cōceptione, quam inferior non potest percipere, vt potè cui connaturale est, attingere veritatem magis in particulari, cùm non habeat species ita vniuersales, sicut Angelus superior, & sic necesse est, quòd Angelus superior vtendo suis speciebus inadæquatè, & multiplicando actus, reddat eam proportionatam intellectui Angeli inferioris. Præsertim cùm Deus nolit per seipsum immediatè omnes creaturas intellectuales illuminare, sed aliquas alijs mediantibus, quibus hanc perfectionem vult cōmunicare, iuxta illud Psal. 75. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* S. Nazianz. orat.

40. exponit: *mediantibus Angelis supremis*, qui metaphoricè montes appellantur, eò quòd instar montium, qui primos solis radios excipiunt, corporibusque inferioribus communicant, Diuinas illustrationes immediatè à DEO recipiant; postea verò illas ad inferiores effundunt, propter quod Magistri eorum à Sancto Dionysio nuncupantur. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Angelⁱ inferiores illuminãtur à superioribus non è contra.

Corollarium I. Angeli inferiores illuminantur à superioribus, non è contra; at verò dæmones licet superiores, non illuminant sibi inferiores. Ita S. Dionysius cap. 7. de cœlesti Hierarch. vbi dicit: *Hoc Theologi planè tradunt, inferiores cœlestium naturarum ordines à superioribus ritè Diuina opera explicantibus, scientias discere: summos autem à Deo ipsò pro suo captu doceri mysteria*, Et *ratio est*: quia licet Angeli inferiores possint loqui superioribus, illisque suos conceptus manifestare, tamen id non faciunt, proportionando illis species, & cõfortando lumen, ac distinctiùs rem proponendo, eò quòd sint inferiores, & luminis imperfectioris: ergo Angeli superiores non illuminantur ab inferioribus. Quantum verò ad dæmones attinet, *ratio est*: quia illuminatio est actus hierarchicus, sed inter dæmones nulla est propriè dicta hierarchia, nullique actus hierarchici inter illos exercentur: ergo in illis non datur vera illuminatio. *Præterea*, quia illuminatio semper est cum purgatione, & perfectione, quæ dæmoni vt potè impurissimo conuenire non possunt.

Illuminatio Angelorũ fit de rebus naturæ gratiæ, & gloriæ.

Corollarium II. Hæc illuminatio fit de rebus naturæ, gratiæ, & gloriæ. Ita S. Thomas 1. p. q. 106 ar. 1. ad 2 *Ratio*: quia cùm Deus sit summum bonum; hoc autem sit sui diffusiuum: expedit vt Deus in triplici illo ordine creaturis intellectualibus se per illuminationem communicet, aut immediatè si sint Angeli speriores; aut mediatè, si sint inferiores; nullus tamen Angelus illuminat alium de rebus pertinentibus ad visionem Diuinæ essentiæ. *tum*, quia visio beatifica non potest crescere, atq; sic per eam non potest aliquid de nouo cognosci: *tum* quia quantum ad visionem beatam, omnes immediatè à Deo illuminantur. Vnde ista illuminatio solùm potest fieri per reuelationes extra Verbũ, per quas vnus Angelus Alteri manifestat rationes Diuinæ prouidentiæ, quas videt in Verbo.

Corollarium III. Ista illuminatio Angelorum non fit physicè, per impressionem alicuius realis in intellectu Angeli illuminati. *Ratio*: quia si taliter fieret, tunc Angelus illuminans deberet esse intimè intra intellectum Angeli illuminati, cùm actio non possit dari in distans; illud verò quod imprimeretur, deberet esse spirituale, cui repugnaret diffundi per medium: ergo si Angelus illuminans imprimeret aliquid reale intellectui Angeli illuminati, deberet non tantùm per suam virtutem, sed etiam per suam substantiam intra intellectum ipsius esse. Sed hoc in primis non requiritur ad dictam illuminationem, sicut & ad locutionem Angelorum, non requiritur intima coniunctio eorum, & omnimoda indistantia: nam anima diuitis existens in inferno, loquebatur Abrahæ existenti in limbo Patrum. Lucæ 16. *Præterea*, est etiam id penitùs impossibile, siquidem illa intima coniunctio deberet esse verus illapsus vnius Angeli intra intellectum alterius; iam verò nulla creatura potest illabi intra mentẽ alterius, cùm hoc soli Deo competat. Ergo illuminatio Angelorum non fit physicè per impressionem alicuius realis in intellectu Angeli illuminati.

Insuper, quia illud impressum reale, *vel esset lumen aliquod intelle-*

ctuale.

ctuale, aut aliqua eius intensio, quod dici non potest: nam illud lumen nec esset naturale, videlicet potentia intellectiua Angeli illuminati, siquidem productio talis luminis ad creatorem tantùm naturæ Angelicæ pertinet, eò quòd vna cùm ipsa tanquàm eius proprietas creetur. Nec esset supernaturale, quia vt docet S. Thomas 1. p. qu 106. ar. 1. ad 2 Vnus Angelus non illuminat alium, tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ vel gloriæ. *Præterea*, quia dicta illuminatio, interdùm fit de rebus naturalibus, ad quas cognoscendas lumen supernaturale non requiritur. *Deinde*, quia lumen supernaturale non potest produci, nec inrendi nisi à Deo, vt authore i supernaturali. *Vel esset aliqua noua species intelligibilis in intellectu Angeli illuminati producta*: & hoc dici non potest, cùm Angelus non accipiat species à rebus etiam spiritualibus, sed tantum à Deo in primo instanti suæ creationis. *Vel esset qualitas aliqua intentionalis, ad modum virtutis instrumentalis*, seu luminis, quo intellectus agens illuminat phantasmata. Et hoc dici non potest; est enim contra perfecti onem naturæ Angelicæ, quòd Angelus etiam inferioris ordinis, intelligat vt instrumentum Angeli sibi superioris; taliter autem intelligeret res, de quibus ab Angelo superiori illuminatur, si illuminaretur ab illo per qualitatem intentionalem, ad modum virtutis instrumentalis in suo intellectu productam. Sic phantasma, quia recipit ad modum virtutis instrumentalis lumen, quo intellectus agẽs ipsum illuminat, concurrit per modum causæ instrumentalis ad intellectionem, vt constat ex libris de anima. *Vel deniq; esset conceptus formalis*, seu ipsemet actus secundᵘˢ, quo Angelus illuminatus cognosceret obiectum, de quo illuminaretur. Et hoc etiam dici non potest: quia cùm intellectio sit actus essentialiter vitalis, & immanens, non potest esse ab alio principio extrinseco, nisi à Deo, debetq; elici ab eodem principio, in quo recipitur: quoniam viuentia in quantum talia, illa sunt, quæ se mouent.

Illuminatio Angelorum non fit per vnionem luminis superioris Angeli cum lumine inferioris.

Corollarium IV. Illuminatio Angelorum non fit per coniunctionem, & vnionem luminis superioris Angeli, cum lumine inferioris, ita vt Angelus inferior ex tali coniunctione plures veritates attingeret, quàm præcisè ex vi proprij luminisᵗ. *Ratio*: quia alias sequeretur hinc, quòd ex simili coniunctione luminis gloriæ, quod est in Angelo inferiori, cùm lumine gloriæ Angeli superioris, ipse Angelus inferior plures veritates attingeret in essentia Diuina; quam posset attingere præcisè ex vi proprij luminis: quoniam lumen gloriæ non est minoris virtutis, & efficaciæ; quàm sit lumen naturale Angeli. Hoc autem nemo admittit. *Præterea*, quia per talem vnionem physicũ, Angelᵘˢ inferior nõ redderetur magis Physicè potens ad eam intellectionẽ; præcisè cum proprio lumine. Nam quod est physicè impotens ad aliquid, non redditur physicè potens ad illud, nisi ei physicè aliud imprimatur, per quod immutetur, & fiat potens. Hinc quia natura Angelica secundùm se est impotens ad actus supernaturales, non redditur potens ad illos per hoc, quòd Deus vt Auctor supernaturalis per solam essentiam ei vniatur, sed necesse est, vt illi aliquid supernaturale imprimatur, præuium ad prædictos actus, ratione cuius reddatur proximè potens ad illos eliciendos. Sed per vnionem luminis Angeli superioris cũ lumine inferioris, nihil physicè imprimitur lumini, nec intellectui Angeli inferioris, sed tantùm Angelus superior cum suo lumine intellectui inferioris Angeli assistit.

Ergò si Angelus inferior ex se non esset, physicè sufficienter potens ad percipiendam veritatem, de qua illuminatur à superiori, non redderetur magis physicè potens per vnionem sui luminis intellectualis cum lumine superioris Angeli illuminantis.

Illuminatio Angelorũ fit per modum cuiusdam artificiosi magisterij.

Corollarium V. Illuminatio Angelorum solùm fit per modum cuiusdã artificiosi magisterij, quatenùs Angelus superior proponit inferiori obiectum antea ipsi incognitum, modo illi proportionato, ostenditque medium proportionatum ad illud concipiendum. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 106. ar. 1. & q. 9. de verit. ar. 1 & 5. Et *ratio corollarij est*: quia ad illuminationem duo solùm requiruntur, nimirùm ostensio, seu manifestatio obiecti priùs incogniti, & confortatio potentiæ. Sed artificiosum magisterium id vtrumq; præstat: consistit enim in hoc, quòd superior Angelus veritatem aliquam in vniuersali acceptam, & per species vniuersales cognitam, diuidat, & quasi masticet, eamq; ita diuisam, & masticatam proponat per locutionem Angelo inferiori; tunc autem interuenit manifestatio talis obiecti, & simul confortatio potentiæ, siquidem Angelus superior ita diuidendo, & masticando, obiectũ, ipsum illuminat, & quodam modò lumen intellectus Angeli superioris in eo splendet, proprium autem est luminis, vt vbicunq; fuerit, ostendat obiectum, ac confortet potentiam, vt docet S Thomas citatus; ergo illuminatio Angelorum solùm fit per artificiosum magisterium.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Apocal. 21. dicitur: *Ciuitas Hierusalem non eget sole, neq; lunâ,* id est, lumine creato, eò quòd claritas Dei illuminet eam: ergo cum Angeli Sancti sint ciues ciuitatis Hierusalem cœlestis, non egent illuminatione Angelorum superiorum, sed à solo Deo illuminantur. *Præterea*, beatificare pertinet ad solum Deum. Sed illuminare est beatificare: ergo Angelos beatos solus Deus illuminat. *Insuper*, quia intellectus Angeli inferioris, est perfectior nostro intellectu agente; intellectus autem noster agens ex sua perfectione habet hoc, quòd non possit illuminari.

Solutio eiusdem.

Respondetur cum S. Thoma, q. 9. de verit. ar. 1. locum ex Apocalysi citatum intelligendum esse de pertinentibus ad visionem beatam. Vnde *ad 1. eius probationem dicitur*, quòd beatificare essentialiter, tàm effectiuè largiendo lumen; quàm obiectiuè terminando visionem, pertineat ad solum Deum; at verò beatificare accidentaliter, sicut potest pertinere ad aliquid creatum, per modum obiecti, ita & quodãmodò per modum efficientis, licet Deus semper dicatur absolutè primus præmiator: nam si aliquid creatũ concurrit, id totum est ex ordinatione, & dispositione infinitæ Dei sapientiæ, ac prouidentiæ. *Ad vltimam probationem negatur paritas*: intellectus enim hominis agens nõ est cognoscitiuus; secùs verò intellectus Angeli inferioris; iam autem quod illuminatur, debet priùs esse cognoscitiuum.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium II.* Quilibet Angelus comprehendit omnes res naturales ab initio suæ creationis: ergo illuminatio Angelorum non fit de rebus naturæ.

Solutio eiusdem.

Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia: verùm enim est, quòd quilibet Angelus comprehendat omnes res naturales, secundùm quod dependent à causis naturalibus, maximè si sint inferiores Angelo; iam verò ea, quæ pendent à causis purè contingentibus, etiam in statu naturali; aut quæ, ex aliquo speciali Dei beneficio

neficio fiunt, vel ab Angelis superioribus administrantur, licet purè naturalia sint, non plenè comprehenduntur ab Angelis; & ideò de his Angeli inferiores à superioribus possunt illuminari.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium vltimum.* Angelus superior per solum artificiosum magisteriũ, nihil producit in intellectu Angeli inferioris: ergo sicut ante magisterium artificiosum, Angelus inferior non cognoscebat rem, quæ per illud proponitur; ita etiam proposito dicto magisterio, non cognoscit eam.

Solutio eiusdem.

Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia: licet enim Angelus superior nihil physicè producat in intellectu inferioris; quia tamen species intelligibiles, quæ sunt in inferiori Angelo, non possunt actu repræsentare obiectum, de quo fit illuminatio, nisi dependenter tanquàm à conditione, aut connotato, à diuisione illa, seu masticatione, quæ fit per magisterium artificiosum; ideò ante illud Angelus inferior, non cognoscit veritatem de qua illuminatur; illo autem posito cognoscit eam. Quemadmodùm etiam nullus Angelus per species inditas potest cognoscere res contingentes, nisi quando sunt; neque liberas cogitationes cordis, nisi quando ad ipsum diriguntur: eò quòd cognitio, quam Angeli habent tum de rebus contingentibus, tum de cogitationibus cordis, pendeat tanquàm à conditione, ab existentia rei contingentis, & libera directione voluntatis. *Ad probationem verò consequentiæ, distinguitur citatũ axioma,* Idem manens idem, semper facit idem, in ordine ad idem obiectum, *conceditur*: in ordine ad diuersum, *negatur*: iam verò per magisterium artificiosum variatur quodammodò obiectum, cùm de improportionato, proportionatũ fiat.

QVÆSTIO II.

An vnus Angelus loquatur alteri.

SUppono, locutionem Angeli nihil aliud esse, quàm prolationem verbi mentalis, vt directi ad alterum Angelum cum intentione manifestandi ipsi hoc, quod est conceptum à loquente per verbum mentale, vt docet Sanctus Thomas 1 p. q. 107. ar. 1. in corp. *Nihil* inquit, *aliud loqui est ad alterum, quàm conceptum mentis alteri manifestare: ex hoc autem; quòd conceptus mentis Angelicæ ordinatur ad manifestandum alteri per voluntatem ipsius Angeli, conceptus mentis vnius Angeli innotescit alteri, & sic loquitur vnus Angelus alteri.* Ex quibus verbis constat, quis sit modus locutionis Angelicæ, nimirùm prolati verbi mentalis directio eiusdem ad alterum, eò fine, vt alter quoque concipiat idem. Hoc autem ex eo dicit accidere S. Thomas, quòd voluntas Angeli eiusdem intellectum moueat ad suam operationem circa intelligibile. tunc autem Angelus intelligit, cùm vult; intelligere autem cùm vult, est per voluntatem intellectionem habere ordinatam siue ad se, & tunc est loqui sibi; siue ad alterum animo aut agendi, aut manifestandi aliquid, & tunc est loqui alteri.

Angeli tàm nobiscum, quàm inter se possunt colloqui.

Suppono II. Angelos tam nobiscum, quàm inter se posse loqui vocibus corporeis, quæ sint similes nostris, quemadmodùm eos sæpè cum hominibus locutos esse Scriptura Sacra refert. Verùm etiam possunt alio modo inter se colloqui, puta spirituali, & sine vllo adminiculo corporeæ vocis, iuxta illud 1. ad Corint. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum &c.* quibus verbis cùm Angelorum linguæ ab humanis distinguantur, significatur Angelos aliquos inter se modo colloqui posse, quo non possunt homines, qui proinde alius non est, quàm spiritualis. Vnde

citatum locum Apoſtoli in hoc ſenſu exponit Theophylactus; *Angelus* inquit, *lingua eſt intellectiua, vis nimirùm illa, quâ ſibi mutuo diuinarum rerum intellectum, ac diuinas cognitiones impertiunt.* Et S. Damaſcenus lib. 2. de Fide, cap. 3. de Angelis dicit: *Non linguâ, neq; auribus opus habent, verùm citra ſermonis adminiculum, cogitationes ſuas, atquè conſilia inter ſe communicant.*

Suppono III. Locutionē Angelicā differre ab illuminatione. *Tum propterea,* quòd Angel⁹ poſſit loqui Deo; non tamen eum illuminare. *Tum,* quòd illuminatio ſit veritatis apertio; locutio autem æqualiter ſe habet tàm ad veritatem; quàm ad falſitatem: *tum,* quòd locutio poſſit eſſe de re tàm notâ, quàm ignotâ alteri; illuminatio autem ſolum de ignotâ, eò quòd illuminatio ſit quædam locutio per modum magiſterij, ſeu doctrinæ. Vnde duplex ſolet aſſignari locutio Angelica à Doctoribus, videlicet illuminatiua, & ſignificatiua tantùm, vt proinde omnis illuminatio ſit locutio, non è contra. Difficultas igitur præſentis quæſtionis ſolùm eſt in explicando modo, quo Angeli inter ſe colloquuntur. De qua re cùm in Scriptura Sacra nihil reperiatur, variæ ſunt Theologorum ſententiæ.

opinio. Prima

In primis, Scotus in 2. ſent. diſt. 9. qu. 2. aſſerit Angelum loquentem efficere actualem cognitionē propriæ cogitationis in mente illius, cui loquitur, ita vt intellectus audientis Angeli merè paſſiuè ſe habeat, recipiens talem cognitionem, nullo modo ipſam eliciendo, ſed ſolùm recipiendo. Diſtinguit tamen Scotus in Angelo audiente intellectionem ab auditione, quia dicit intellectionem effectiuè produci ab intellectu audientis; at verò auditionem vult effici à loquente, ita vt audiens merè paſſiuè ſe habeat. Neotericus autem quidam, vult Angelum loquentem producere ſpeciem ſui conceptus in intellectu audientis.

Opinio ſecunda.

Alij dicunt, locutionem Angelicam conſiſtere in formatione quorundam ſignorum, quibus conceptus loquentis manifeſtātur illi, cui ſic loquitur, ad eum modum, quo voces noſtræ referunt animi noſtri conceptus. Quænam autem, & qualia ſint eiuſmodi ſigna. *Alij* dicunt eſſe figuras quaſdam, ſeu characteres in cœlo exaratos, quemadmodùm nos in charta voces, aut literas formamus, ad manifeſtandos internos animi conceptus. *Alij* putant ſigna iſta, quibus Angeli ad inuicem loquuntur, eſſe aut ſonos ſenſibiles in àere ab ipſis formatos inſtar vocum, aut nutus; aut ſigna aliqua in corporibus aſſumptis facta. *Alij* inſuper volunt, ſigna illa, quibus Angeli inter ſe loquuntur, non eſſe corporalia, ſed ſpiritualia, nimirùm qualitates aliquas ſpirituales, ſignificantes conceptus. Authores huius ſententiæ refert Durandus diſt. 11. q. 2.

Opinio tertia.

Tertia tandem ſententia docet, locutionem Angelorum conſiſtere in ſola ordinatione conceptus loquentis ad eum cui loquitur. Et hæc eſt communis Theologorum cum S. Thoma 1. p. q. 107. ar. 1. & qu. 9. de veritate, ar. 4. ad 9. & 11.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

CONcluſio. Vnus Angelus loquitur alteri. *Probatur I.* ex Scriptura Sacra, Iſaiæ 6. vbi de duobus Seraphim dicitur: *Seraphim clamabant alter ad alterum dicens: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Et cap. 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra.* vbi ſecundùm communem explicationem, inducuntur Angeli minores loquentes ad maiores. Et Zachariæ 2. *Ecce Angelus qui loquebatur in me egrediebatur, & alius Angelus egrediebatur in occurſum*

ſum eius, & dixit ad eum, curre, loquere ad puerum iſtum. Et 1. ad Corint. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* Et Apocal. 7. *Ecce ego Ioannes vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, & clamauit voce magna quatuor Angelis.* Ergo ex mente Scripturæ Sacræ, vnus Angelus loquitur alteri.

Probatur II. Authoritate Sanctorum Patrum, qui id vnanimiter docent, præſertim Theodoretus in locum ad Corint. proximè citatū, vbi ſic habet: *Angelorum lingua dici debet intelligendi vis, per quam non quæ ſenſu, ſed intelligentiâ percipiuntur, manifeſtant; per quam Deum laudant, & inter ſe diſſerunt.* Similiter Theophylactus ſupra eundem locum dicit: *Potentia quædam intelligendi, quâ inuicem diuina communicant ſenſa, Angelorum eſt lingua.* Ergo Angeli inter ſe loquuntur.

Probatur III. *ratione.* Angeli habent in ſe perfectam ſocietatem: ergo ſecum ad inuicem loquūtur. *Antecedens patet*: quia ſunt præcipui cœleſtis illius Hieruſalem ciues, eam in vnam Reipub. formam componentes. *Conſequentia etiam manifeſta*: quia ad perfectæ ciuitatis, & Reipublicæ felicitatem requiritur, quòd perſonæ ſeu ciues pertinentes ad eius integritatem, tanquam partes, ſecreta, & affectus in voluntate latentes ſibi inuicem patefaciant; hoc autem ſine locutione fieri non poteſt. *Præterea*, quia vnus Angelus illuminat alterum; ergo illi loquitur. *Conſequentia patet*: quia omnis illuminatio eſt locutio, quamuis non è contra. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Locutio Angelorũ non fit per influxum phyſicum.

Corollarium I. Locutio Angelorum non fit per influxum phyſicum Angeli loquentis in eo, cui loquitur cauſando in illo notitiam actualem, aut ſpeciem ſui conceptus repræſentatiuam. Ita S. Thomas, q. 6. de verit. ar. 5. ad 2. Et ratio eſt: quia ſi locutio Angelorum fieret per influxum phyſicum Angeli loquentis cum audiente, producendo in ipſo notitiā actualem, aut ſpeciem ſui conceptus repræſentatiuam, ſequeretur vnum Angelum non poſſe alteri loqui ad quamcunque diſtantiam. nam cùm ſit limitatæ virtutis, non poteſt phyſicè agere, niſi intra limitatam diſtantiam: hoc autem falſum eſſe conſtat exemplo diuitis, cuius anima in inferno exiſtens loquebatur Abrahæ in limbo exiſtenti, vt habetur Lucæ 16. *Præterea*, quia ſi vnus Angelus loqueretur alteri per phyſicum influxum ſpeciei ſui conceptus repræſentatiuæ, tunc non poſſet ſaluari ratio ſecreti in eiuſmodi locutione, eò quòd illa ſpecies non eſſet futurum contingens, neq; actus liber; neq; aliquid ſupernaturale, præſertim quando locutio fieret de rebus naturalibus.

Locutio Angelorũ non fit per aliqua ſigna.

Corollarium II. Locutio Angelorum non fit per aliqua ſigna. *Ratio*: quia illa ſigna neque eſſent corporea, neq; ſpiritualia. *Non corporea*: quia Angeli connaturaliter exigunt habere inter ſe mutuam ſocietatem, proinde ſibi loqui manendo intra terminos gradus intellectualis, qui eſt independens à corpore: ergo vt ſe Angeli explicent, non indigent ſignis corporeis, & ſenſibilibus. Nam etiamſi nulla eſſent corpora, adhuc Angeli haberent inter ſe amicitiam, & vitæ ſocietatem, conſequenter inter illos eſſet manifeſtatio conceptuum, ſeu locutio, ſine qua amicitia, & vitæ ſocietas ſubſiſtere non poteſt. *Præterea*, illa ſigna ſenſibilia, non poſſent eſſe characteres cælo impreſſi, vt aliqui volebant: quia ſic Angeli potiùs dicerentur ſcribentes quàm loquentes. *Neq; poſſent eſſe ſoni*, aut nutus aliqui ſenſibiles in corporibus aſſumptis ab ipſis efformati, vt nonnulli opinabantur.

bantur. *Tum* quia Angeli non poſſent loqui niſi aſſumendo corpora: *tum*, quia ſi nullum eſſet corpus, loqui nullo modo poſſent. *Non etiam illa ſigna eſſent ſpiritualia*: quia neque eſſent naturalia : alioqui omnibus manifeſta eſſent. Neque eſſent ſigna ad placitum, quia ſignificarent ex impoſitione orta ex communi conſenſu Angelorum, atq; ſic omnibus etiam nota eſſent.

Locutio Angelorū non fit per immiſſionem alicuius qualitatis ſpiritualis.

Corollarium III. Locutio Angelorum non fit per immiſſionem alicuius qualitatis ſpiritualis, ſignificantis conceptus illorum. Ita S. Thomas citatus in primo corollario, vbi docet, quod Angelus ad quem fit locutio, non recipiat aliquid à loquente. Et *ratio eſt*: quia non poteſt explicari, quid ſit illa qualitas ſpiritualis in intellectu Angeli audientis producta à loquente, cùm præter ſpecies, & actus, nihil aliud detur in intellectu Angelico: non enim habitus naturalis, cùm Angeli ratione ſpecierum habeant perfectam, & completam potentiam ad attingendum omne verum naturale. *Præterea*, quia vnus Angelus non poteſt illabi intra mentem alterius : ergo non poteſt qualitatem aliquam ſpiritualem producere in eo, cui loquitur, cùm non poſſit ad ipſum transfundere eam per aliquod mediū, quia hoc repugnat eius immaterialitati.

Corollarium IV. Locutio Angelorum conſiſtit in ſola ordinatione, ſeu directione conceptuum per voluntatem loquentis ad eum, cui loquitur. *Ratio*: quia vt oſtendi ad initium quæſtionis, loqui aliteri, nihil aliud eſt, niſi manifeſtare ipſi ſuæ mentis conceptū. Sed vnus Angelus per hoc tantùm manifeſtat ſuum conceptum alteri, quia ipſum dirigit, & ordinat ad eum per ſuam voluntatem : ergo per hoc præcisè illum alloquitur. *Minor patet* : quia vt conceptus vnius Angeli manifeſtetur alteri, ſufficit quòd ab illo poſſit cognoſci. Sed ex eo præcisè quòd vnus Angelus ordinet ſuum conceptum voluntariè ad alterum, vt ei innoteſcat, poteſt ille alter Angelus ipſum cognoſcere : ergo per talem ordinationem, ſeu directionem illi manifeſtatur.

Locutio Angelorū plurimum differt à locutione humana.

Corollarium V. Locutio Angelorū plurimum differ à locutione humana. *Ratio*: quia in hominibus conceptus humanus non eſt locutio, ſed aliquid ſenſibili locutione manifeſtatum : iam verò in Angelo, qui non indiget vocibus ad loquendum, conceptus ipſe internus habet eminenti modo rationem manifeſtati, æquiualetq; conceptui noſtro, & voci ſignificanti conceptum, ex quibus humana locutio coäleſcit. Siquidem conceptus internus Angeli, vt eſt actus liber, & internus, eſt res manifeſtata; vt autem eſt directus, habet rationem manifeſtatiui, eò quòd illa, quæ ob imperfectionem, & limitationem diſperſa in ſunt inferioribus, in ſuperioribus vnum ſint.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Corollarium I.* Quando vnus Angelus loquitur alteri, ille cui fit locutio, debet moueri, & excitari ad hoc, vt attendat Angelo loquenti, quoniam non ſemper eſt in actuali conſideratione omnium, quæ cognoſcere poteſt. Sed non poteſt moueri, & excitari niſi per impreſſionem alicuius phyſici : ergo locutio Angelorum fit per influxum phyſicum Angeli loquentis in eo, cui loquitur. *Minor patet* : quia obiectum motiuum non poteſt intelligi ſine influxu phyſico in potentiam. *Deinde*, quia S. Thomas I. p. q. 107. ar. I. ad 3. dicit: *Sicut per ſignum ſenſibile excitatur ſenſus; ita per aliquam intelligibilem virtutem poteſt excitari mens Angeli ad attendendum*. Sed ſenſus excitatur per influxum phyſi-

phyſicum ſpeciei in ipſum : ergo quoq; intellectus Angeli audientis debet excitari per influxum phyſicum loquenti in ipſum. *Reſpondetur diſtinguendo maiorem.* Quando vnus Angelus loquitur alteri, audienti vt attendat, debet moueri, & excitari phyſicè, *negatur*: moraliter, *cōceditur maior*: & ſic *negatur Minor*. Nam eo modo excitatur Angelus ad attendendum locutioni, quæ ſibi fit ab alio, ſubindeque ad cognoſcendū eius affectum, ſeu conceptum, quo excitatur ad attendendum, & cognoſcendum indiuidua, quæ ſub ſpecie humana v. g. de nouo fiunt. Proinde ſicut ad iſtam excitationem non eſt opus, vt noua productio indiuiduorū naturæ humanæ, cauſet aliquid phyſicè, & ponat in intellectu Angelico, ſed ſufficit, quòd ſpecies, quam innatam habet Angelus de natura & quidditate talium indiuiduorū, poſita illorum productione, tanquam conditione, ſine qua non, poteſt ea repræſentare, determinetur de nouo ad illa repræſentanda. Ita quoq; vt intellectus vnius Angeli excitetur, ac moueatur efficaciter ad attendēdum locutioni alterius, percipiendumq; id, quod ipſi loquitur, non eſt neceſſe, vt per locutionem illam recipiat de nouo aliquid phyſicum, verùm ſatis eſt, quòd de nouo adueniat ordinatio, & directio voluntatis ex parte Angeli loquentis : quoniam per talem ordinationem aufertur velamen, quod illius conceptum occultabat. Quippè ideò ille actus Angeli loquentis non cognoſcebatur ab audiente, quia non erat de pertinentibus ad vniuerſum, neque ad ipſum Angelum, qui debet audire; iam verò per talem ordinationem fit de pertinentibus ad ipſum, & ſic ei manifeſtatur. *Vnde ad primam probationem minoris dicitur*, obiectum motiuum non poſſe intelligi ſine influxu phyſico in potentiam, quando obiectum eſt motiuum phyſicè; ſecùs cenſendum de obiecto mouente, & excitante moraliter ſolùm, vt fit in præſenti. *Ad alteram probationem dicitur*, S. Thomam loco citato nomine virtutis intelligibilis, per quam dicit mentem Angeli excitari ad attendendū loquenti, intelligere ordinationem conceptus vnius Angeli ad alterū, quæ habet virtutem moraliter excitatiuam, ea ratione, qua facit ſuum conceptum eſſe de pertinentibus ad illum, cui loquitur.

Obiectio prima.

Obijcitur II. *Contra Corollarium II.* Gloſſa ſuper illa verba I. ad Corint, 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum*, dicit, Angelos loqui nutibus, & ſignis : ergo locutio Angelorum fit per aliqua ſigna. *Reſpondetur diſtinguendo antecedens.* Dicit Angelos loqui nutibus, & ſignis propriè dictis, *negatur* : metaphoricè ſumptis, in quātum videlicet ſpeciebus vtuntur ad loquendum, quæ per ſe primò ſunt ſigna, *conceditur antecedens: & negatur conſequentia.* Et hoc expreſsè docet S. Thomas q. 9. de verit. ar. 4. ad 12. vbi dicit: *Nutus, & ſigna hoc modo poſſunt in Angelis diſtingui*, vt ſignum dicatur ipſa ſpecies; nutus autem ordinatio ad alium : ſed poſſibilitas hoc faciendi dicitur lingua.

Solutio eiuſdem.

Obiectio ſecunda.

Obijcitur III. *Contra Corollarium IV.* Si locutio Angelica fieret per directionem conceptuum, ſeu ordinationem cōceptus vnius Angeli ad alterum, locutio Angelorum eſſet actus voluntatis; non autem intellectûus. Sed hoc dici non poteſt : ergo corollarium falſum. *Maior* eſt S. Thomæ I. p. q. 107. ar. I. in corp. ad I. vbi dicit: *Voluntas ordinat conceptum mentis Angelicæ ad manifeſtandum alteri*: ergo ſi locutio Angeli fieret per ordinationem conceptus vnius Angeli ad alterum, illa eſſet actus voluntatis, & non intellectûs. *Minor etiam* manife-

manifeſta: quia loqui eſt manifeſtare conceptum; manifeſtare autem ſpectat ad intellectum, non ad voluntatem, cùm hæc ſit potentia cæca. *Reſpondetur negando ſequelam maioris. Ad eius probationem dicitur:* quando Sanctus Thomas dicit, quòd voluntas ordinet conceptum vnius Angeli ad alterum, per hoc non intendit, quòd iſta ordinatio ſit à voluntate, tanquàm ab eliciente illam, ſed tantùm tanquàm à mouente, ſeu applicante intellectũ ad eliciendam eam. Ordinatio itaq; conceptus mentis ad manifeſtandum alteri, quæ eſt locutio vnius Angeli cum alio, eſt actus intellectûs, præſupponens tamen actum voluntatis.

Solutio eiuſdem.

DISPVTATIO X.

De Hierarchijs, ordinibus, ac miniſterio Angelorum.

Pro complemento doctrinæ de Angelis traditæ, inueſtigat Sanctus Thomas numerum ordinum, diſtinctionem hierarchiarum, ac officia Angelorum 1. p. à q. 108. ad 115. & communiter Theologi.

QVÆSTIO I.

An tres ſint Angelorum hierarchiæ.

SVppono, quòd hierarchia ipſum nominis etymon ſpectando, nihil aliud ſit, quàm ſacer principatus: vnde hierarchia eſt collectio perſonarũ aliquomodò ſacrarum ſub aliquo Principe, & ideò ad diſtinguendas hierarchias Angelorum, oportet attendere ad ſuperioritatem, & ſubordinationem, quæ inter ipſos Angelos reperitur ſub vno principio, quod eſt Deus. Hinc tres hierarchiæ Angelorum diſtingui ſolent, nimirùm ſuprema, media, & infima. Nam ſicut in diſpoſitione vniuerſi duo extrema conſiderantur. *vnum* eſt ipſe Deus, cui omnes Angeli ſubijciuntur: *alterum* eſt corporalis creatura, quæ ſubijcitur ipſis Angelis; ita in ipſa Angelorum Republica, duo extrema conſiderari debent. Illi enim qui immediatè ſubijciuntur Deo, & ab ipſo immediatè participant Diuinas reuelationes, numerantur in prima hierarchia; illi autem qui immediatè præſunt corporalibus creaturis, illuminantq; rationalem creaturam de myſterijs Diuinis, quaſi in altero extremo poſiti, conſtituunt tertiam & infimam hierarchiam. Illi deniq; qui accipiũt Diuinas reuelationes mediante prima hierarchia, ipſaſque communicant Angelis omnibus tertiæ hierarchiæ, conſtituunt hierarchiam mediam, quatenùs ſubordinantur Angelis primæ hierarchiæ, præſuntq; Angelis tertiæ, atq; ex his integratur totus ſacer principatus Angelorum.

ARTICVLVS I.

Reſoluitur Quæſtio.

COncluſio. Tres ſunt Angelorum Hierarchiæ. Eſt communis Theologorum ſententia cum S. Dionyſio de cæleſti hierarch: cap. 6. *Probatur I.* Hierarchia eſt ſacer principatus, ſeu collectio perſonarum aliquomodò ſacrarũ ſub vno Principe contentarum. Sed huiuſmodi collectio in Angelis triplex eſt: ergo & hierarchia Angelorum triplex. *Minor probatur.* Multitudo ordinata ſub vno Principe, multiplicatur ſecundùm diuerſos modos, quibus ab illo recipit gubernationem. Sed Angeli triplici diuerſo modo recipiũt diuinam gubernationem, ſeu illuſtrationes, quibus à Deo gubernantur: ergo collectio in Angelis triplex eſt. *Minor facilè deducitur:* quia cùm Angeli ſuperiores habeant vniuerſaliorem cognitionẽ veritatis, quàm inferiores; ideò rationes rerum de quibus Angeli illuminantur, tripliciter conſiderari poſſunt. *Primò*, ſecundùm quod ſunt à primo princi-

Hierarchiæ Angelorum ſunt tres.

principio, quæ eſt vniuerſaliſſima conſideratio: *Secundò*, prout dependent à cauſis vniuerſalib⁹, quæ aliqua ratione multiplicantur. *Tertiò*, prout applicantur ſingulis rebus, ſecundùm quod à ſuis proprijs cauſis dependent. Vnde neceſſe eſt, quòd Angeli primæ hierarchiæ cognoſcant rationes Diuinæ prouidentiæ, v. g. ſalutem D. Petri, in cauſa vniuerſaliſſima, quæ eſt voluntas Dei: & Angeli ſecundæ Hierarchiæ in principijs vniuerſalibus, ſcilicet in paſſione Chriſti: inſuper Angeli tertiæ Hierarchiæ in cauſa particulari, v. g. in martyrio ipſius. Ergo Angeli triplici modo diuerſo recipiunt Diuinam gubernationem.

Probatur II. Munus hierarchiæ Angelicæ iuxta Sanctum Dionyſium, cap. 3. de cæleſti hierarch eſt triplex: ergo & ipſa hierarchia Angelorum triplex eſt. *Antecedens patet:* quia ordo hierarchiæ Angelicæ in hoc conſiſtit, vt Angeli alij purgent, alij purgentur: alij illuminent, alij illuminentur: alij perficiant, alij perficiantur: & ſic triplex eſt munus illius, omneſq; Angeli rectè in tres hierarchias ordinantur. Prima itaq; hierarchia à ſolo Deo purgatur, illuminatur, & perficitur; hæc autem mediam eodem modo purificat, illuminat, & perficit: media tandem à ſuperiori purgata, illuminata, ac perfecta, eoſdem effectus in infima cauſat: hæc verò nullam aliam niſi humanam purificat, illuminat, & perficit.

Porrò Angeli inferiores purgantur à ſuperioribus, non à peccato, nec ab errore, aut ignorantiâ propriè dictâ, (hæc enim in illis locum non habent) ſed à neſcientia, quæ in illis reperitur, eò quòd non omnes veritates ſupernaturales cognoſcant. Similiter licet beati Angeli Deum immediatè videant in ſeipſo, quantũ ad obiectum beatitudinis, ab illoq; lumen immediatè accipiant: nihilominùs quantum ad reuelationem occultorum quæ pertinent ad diſpoſitionem vniuerſi, & regimen Eccleſiæ, aut myſteria gratiæ, poſſunt inferiores Angeli à ſuperioribus illuminari. Vnde ſecundùm huiuſmodi reuelationes, ad præmium accidentale pertinentes, poſſunt continuò perfici, licet in præmio eſſentiali perfecti ſint. Ex hac concluſione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Tres Angelorum hierarchiæ ſingulæ conſtituuntur eorundem ordinibus: *Primam*, conſtituunt Seraphim, Cherubim, Throni, iuxta triplicem modũm, quo dicti Angeli Deum reſpiciunt. *In primis* enim habitudinem habent ad Deum, ratione excellentiſſimæ vnionis, quæ fit per ardentiſſimum amorem, & hic modus conuenit ordini Seraphinorum, qui ideò vrentes, ſiue ardentes interpretantur: nam *Seraph* hebræum, Latinis *accendere* ſignificat. *Deinde*, reſpiciunt Deum, vt ſua ſecreta ſpecialiter ipſis reuelantem, & hoc pertinet ad ordinem Cherubinorum, qui ſupereminenter diuina ſecreta cognoſcunt, ſuntq; repleti diuinâ ſcientiâ: vnde *Cherub* idem eſt, quòd *plenitudo ſcientiæ*. *Tertiò* demùm, ita Deum reſpiciunt, vt in illis peculiariter ſedeat, in ſuiſq; illuminationibus vltimatè conquieſcat: & hoc pertinet ad Thronos, in quibus immediatè terminantur Diuinæ illuminationes, propter quod S. Dionyſius cap. 7. Cæleſtis hierarchiæ, *Thronos* appellat *Deiferos*; quemadmodùm & *Cherubinos* vocat *theopticos*, id eſt, Diuinæ pulchritudinis contemplatiuos.

Primã Hierarchiam conſtituũt Seraphim, Cherubim, Trhoni.

Secundam etiam, ſeu *mediam Hierarchiam*, componunt Dominationes, Virtutes, Poteſtates, eò quòd iſta hierarchia rebus creatis præſit, ad eamq; pertinet generalis

Secundam Hierarchiam componunt Dominationes Virtutes, Poteſtates.

lis dispositio rerum agendarum. Hinc *primus ordo* istius hierarchiæ sunt *Dominationes*, ad quas pertinet distribuere alijs ea quæ sunt agenda, cùm ad Dominationes spectet agenda præscribere. *Secundus ordo* est *Virtutum*, quæ incipiunt generalia opera exequi, v. g. mouere cælos, & facere operarabilia, quæ ad gubernationem vniuersi, atque regimen Ecclesiæ pertinent. Vnde dicuntur *Virtutes*, quia Diuinâ virtute, quâ pollent, signa, & prodigia patrant. *Tertius ordo* est *Potestatum*, quibus incumbit inconcussum Diuinæ prouidentiæ ordinem seruare, remouendo impedimenta, coërcendoq; Dæmones, ne illum peruertant.

Tertiam denique *Hierarchiam* constituunt Principatus, Archangeli Angeli: quia ad istam hierarchiam pertinet executioni mandare, & applicare causis particularibus ordinem Diuinæ prouidentiæ. Vnde *primus ordo* istius hierarchiæ est *Principatuum*, quibus committitur cura communitatum, v. g. imperij, regni, aut nationis integræ: hinc Angelus custos regni Persarum, Princeps appellatur, Daniel. 10. *Secundus ordo* est *Archangelorum*, quibus demandatur cura personarum publicarum, v. g. Pontificum, Imperatorum, Regum, Rectorum, &c. *Tertius ordo* est *Angelorum*, quibus cura priuatorum hominum commissa est. Vnde tota beatorum Angelorum multitudo constat nouem ordinibus, seu choris, videlicet Seraphim, Cherubim, Thronis, Dominationibus, Virtutibus, Potestatibus, Principatibus, Archangelis, Angelis.

Hierarchia Angelorū non desumitur formaliter ex cognitione purè naturali, sed solùm dispositiuè.

Corollarium II. Hierarchia Angelorum, seu ordo Hierarchicus, non desumitur formaliter ex cognitione purè naturali, sed solùm dispositiuè. *Ratio primi*: quia in cognitione naturali, Angeli non habent naturalem subordinationem inter se, sed omnes immediatè subijciuntur authori naturæ Angelicæ, à quo susceperunt omnia principia requisita ad cognitionem naturalem: ergo in Angelis ordo hierarchicus non desumitur formaliter ex cognitione purè naturali illorum. *Ratio verò secundi*, quòd scilicet sumatur inchoatiuè, & quasi dispositiuè, hæc est: quia supernaturales perfectiones secundùm quandam proportionalitatem naturalium, illis collatæ sunt, vt docet Sanctus Thomas 1. p. q. 62. ergo maior, aut minor perfectio, in cognitione naturali Angelicâ, est quædam inchoatio, & quasi remota dispositio ad diuersas hierarchias Angelorum, quarum diuersitas formaliter consistit in diuersitate cognitionis supernaturalis. Vnde sequitur, quòd distinctio Angelorum secundùm dictas tres hierarchias, formaliter loquendo, pertineat ad ordinem supernaturalem; dispositiuè verò, & inchoatiuè, ad ordinem naturalem ipsorum Angelorum.

Corollarium III. Ordo hierarchicus in Angelis per se primò, & formaliter desumitur ex cognitione supernaturali, quæ fit extra Verbum per reuelationes particulares. Ita Sanctus Dionysius cap. 7. cælestis hierarchiæ, & Sanctus Thomas 1. p. q. 108. art. 4. *Ratio est*: quia in eiusmodi cognitione inferiores Angeli pendent à superioribus, ita quòd quidam immediatè illuminentur à Deo, & hi pertinent ad superiorem hierarchiam; quidam autem participent illuminationes, & reuelationes Diuinas, medijs alijs Angelis superioribus. Et inter istos hæc est differentia; *quidam* enim ita illuminantur à superioribus quòd etiam ipsi illuminent alios inferiores Angelos, & hi pertinent ad mediam hierarchiam. *Alij* verò ita illuminantur à superioribus Angelis, scilicet secundæ hierarchiæ, quòd ipsi non illuminent iam alios Angelos sibi inferio-

inferiores, sed solùm rationalem creaturam, cui immediatè præsunt, puta humanam, & isti pertinent ad tertiam, & infimam hierarchiam. Ergo ordo Hierarchicus in Angelis per se, primò & formaliter desumitur ex cognitione supernaturali, quæ fit extra Verbum per reuelationes particulales.

Distinctio Hierarchiarum inter Angelos, manebit post diem iudicij.

Corollarium IV. Distinctio ista Hierarchiarum, & ordinum inter Angelos, remanebit post diem iudicij tam quoad differentiam graduum; quàm quoad executionem officiorum, non quidem omnium, sed illorum tantùm, quæ statui gloriæ conueniunt. *Ratio*: quia post diem iudicij homines, qui iam erūt salutem consecuti, habebunt aliquam illustrationē per officia Angelorum, vt docet Sanctus Thomas 1. p. q. 108. art. 7. in responsione ad 3.

Corollarium V. Licet etiam in Diuinis Personis sit ordo naturæ, scilicet originis; non est tamen in illis vera, & propriè dicta hierarchia. *Ratio*: quia iuxta Sanctum Dionysium cap. 3. cælest. Hierarch. ordo hierarchiæ est, alios purgari, & illuminari, ac perfici; alios verò purgare illuminare, & perficere, quod in Diuinis Personis locū non habet. *Præterea* quia hierarchia vera, & propriè dicta, dicit subiectionem sub vno Principe; & hæc etiam in Diuinis locū non habet. Vnde duplex tantum est hierarchia, *vna cælestis, seu Angelica*: altera humana, seu Ecclesiastica, ab illa deriuata, seu exemplata: proinde sicut illa triplex est, suprema, media, & infima; ita & hæc triplex est, videlicet naturalis Mosaica, & Euangelica.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem*. Triplex Munus Hierarchiæ Angelicæ, seu tres illi actus Hierarchici II. probatione conclusionis expressi, scilicet purgandi, illuminandi, & perficiendi, non sunt inter se distincti realiter, tanquàm tres operationes, sed sunt vnus actus sub triplici habitudine: ergo etiam tres hierarchiæ Angelorum, non sunt tres veræ, & distinctæ inter se, sed vna. *Respondetur concessō antecedente, negatur consequentia.*

Solutio eiusdem.

Disparitas est: quia tres illi actus Hierarchici pertinent ad intellectum; ideoq; sunt vnus actus sub triplici habitudine, ita vt quatenùs excludit ignorantiam nescientiæ, dicatur purgatio: quatenùs per illum confertur lumen, dicatur illuminatio: quatenùs verò perducit ad cognitionem veritatis, quæ est maxima perfectio naturæ intellectualis, vocetur perfectio. Sic visus corporalis dicitur purgari, in quantum remouentur tenebræ: illuminari, in quantum perfunditur lumine, ac perfici, in quantum perducitur ad cognitionē colorati. Hierarchiæ autem Angelicæ vltra triplex istud munus, dicunt collectionem Angelorum, quæ in Angelis est triplex realiter distincta.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium* I. Nomen istud *Seraphim*, imponitur ab ardore, qui pertinet ad charitatem, & nomen *Cherubim* à scientia. Sed charitas, & scientia, sunt dona communia omnibus Angelis: ergo ista nomina nō sunt specialium ordinum, sed omnibus Angelis cōmunia: & sic tota multitudo Angelorum non constabit nouem ordinibus. *Respondetur negando absolutè maiorem.*

Solutio eiusdem.

Nomen enim *Seraphim*, non imponitur solùm à charitate, sed ab excessu illius, quem importat nomen ardoris: similiter nomen *Cherubim*, imponitur ab excessu quodam scientiæ; & ideò interpretatur *plenitudo scientiæ*. Vnde licet charitas, & scientia,

tia, sint dona communia omnibus Angelis; quia tamen abundantiùs existunt in superioribus; idcircò ab hoc excessu nobiliorem in hierarchia cælesti locum habere, specialibusq; nominibus insigniri meruerunt.

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium* IV. 1. ad Corint. 15. dicit Apostolus, *Cùm tradiderit* (id est Christus) *regnum Deo, & Patri, euacuabit omnem principatum, & potestatem, & virtutem*: ergo saltem tres isti ordines post diem iudicij non remanebunt.

Solutio eiusdem.

Respondetur negando consequentiam: Sensus enim verborum Apostoli est, quòd cùm Christus perduxerit omnes electos ad fruendum ipso Deo, tunc euacuabuntur Principatus, Potestates, & Virtutes, quantum ad hoc, quod est homines in finem perducere: quoniam consecuto fine, non est necesse tendere in finem. Vel certè vt alijs placet, tunc euacuabit potestates ignitas, id est, dæmones, qui etiam Principatus, & Potestates appellantur ad Ephes. 6. nam post diem iudicij non poterunt ampliùs tentare, & seducere homines, vetum omnes clausi in inferno, ignibus tartareis in perpetuum alligabuntur.

QVÆSTIO II.

An omnes Angeli mitantur in ministerium.

QVæstio præsens procedit de missione, quâ Angeli mittuntur ad salutem hominum, & de ministerijs, quæ ad bonum electorum ordinantur, an scilicet omnes Angeli nouem ordinum, & trium hierarchiarum mittantur immediatè ad eiusmodi ministeria, missione visibili. Circa quod.

Suppono I. certum esse, Angelos interdùm diuinitùs ad homines mitti, tanquàm Diuinæ voluntatis internuntios, diuinorumque consiliorum executores, & ministros, vt constat ex illo Exodi 23. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te.* Et Lucæ 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ ad Virginem.* Et Actor. 12. *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis.*

Angeli alij sunt assistentes, alij ministrantes.

Suppono *præterea*, Angelos dici alios assistentes, alios verò ministrantes, iuxta illud Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Assistentes dicuntur illi, qui immediatè recipiunt illuminationes à Deo, seu qui secreta diuinorum mysteriorum in ipsa claritate Diuinæ Essentiæ percipere possunt. Et tales sunt tres soli ordines primæ hierarchiæ, nimirùm Seraphini, Cherubini, & Throni. Ministrantes autem illi dicuntur, qui ad mundi regimen, & gubernationem, aut per modum exequentis, aut per modum disponentis ministrant. Et tales sunt duæ hierarchiæ inferiores, scilicet media, & infima, cum hoc discrimine, quòd primus ordo mediæ, seu secundæ hierarchiæ, per modum tantùm disponentis; alij autem quinq; ordines per modum exequentis ministrent.

Missio Angelorũ duplex est.

Suppono III. Quemadmodùm duplex est missio Diuinarum Personarum, *vna visibilis*, vti est Verbi Diuini ad naturam humanam: *altera inuisibilis*, vti est missio Spiritus Sancti per gratiam ad animam iusti; ita duplex missio Angelorum assignatur, *vna visibilis, seu exterior*, quâ Angeli mittuntur ad aliquod exterius ministerium, in his inferioribus exercẽdum: *altera inuisibilis seu interior*, quæ fit per hoc, quòd Angeli superiores illuminent inferiores sibi. *Insuper*, ad ministerium exterius *Angeli alij* mittuntur immediatè, nimirùm illi, qui per seipsos immediatè ipsum ministerium exercent: *alij* mediatè, videlicet illi, qui alios mouent per imperium; ex speciali tamen Di-

uina ordinatione ad ipsum ministerium immediatè exercendum. Duæ itaque sunt sententiæ in præsenti quæstione.

Opiniones duæ.

Prima affirmat, omnes Angelos immediatè mitti in ministerium missione visibili; ita tamen vt inferiores regulariter mittantur; superiores ex speciali tantùm Dei dispensatione, & ad aliquem effectum extraordinarium. Hanc tenent Scotus, Durandus, & aliqui Neoterici.

Altera sententia docet, non omnes Angelos mitti ad exteriora ministeria, sed tantùm Angelos quinque ordinum inferiorum, & hæc est communis Theologorum cum Sancto Dionysio, & Gregorio infra citandis, ac S. Thom. 1. p. q. 117. ar. 2. & 4.

ARTICVLVS I.

Resoluitur Quæstio.

Nõ omnes Angeli mittuntur ad externa ministeria.

COnclusio. Non omnes Angeli, sed tantùm quinq; ordinum inferiorum, scilicet Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli, & Angeli, mittuntur ad externa ministeria. *Probatur I.* authoritate Sanctorum Patrum, S. Dionysij cap. 7. cælest. hierarch. vbi hoc expresse docet, asserens se ita tradere, sicut à D. Paulo accepit. Et S. Gregorij, homil. 34. in Euangel. vbi ita scribit: *Docet autem Dionysius, quòd ex minorum Angelorum agminibus foras ad explendum ministerium vel visibiliter, vel inuisibiliter mittatur, scilicet quia ad humana solatia vel Angeli, vel Archangeli veniunt. Nam superiora illa agmina ab intimis nunquam recedunt: quoniam ea quæ præeminent, vsum exterioris ministerij nequaquam habent.* Ergo ex mente Sanctorum Patrum, non omnes Angeli mittuntur ad externa ministeria.

Probatur II. *ratione*. Illi tantùm Angeli mittuntur ad exteriora ministeria, quorum nomina, aut proprietates designant aliquod exercitium exterius. Sed sola nomina Angelorum, quinque ordinum inferiorum, significant executionem, seu exercitium, aut ministeriũ exterius: ergo solùm Angeli quinq; ordinum inferiorum, mittuntur in exterius ministerium. *Minor patet*: quia nomina, & proprietates quatuor ordinum superiorum, non significant executionem, seu exterius ministerium: neq; enim imperium, quod importatur nomine *Dominationum*: neq; quies seu tranquillitas mentis, aut plenitudo scientiæ, aut ardor charitatis, quæ significantur nomine Thronorum, Cherubinorum, & Seraphinorum, designant ministerium exterius; benè tamen nomina, & proprietates Potestatum, Virtutum, & Principatuum, Archangelorum, & Angelorum. Siquidem ad Virtutes pertinet dare alijs potestatem exercendi ordinatam; ad Potestes, arcere dæmones; ad Principatus, regere regna, & Prouincias: Ad Archangelos, nuntiare magna: Ad Angelos, nuntiare parua. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Corollarium I. Omnes Angeli possunt dici mitti missione visibili, aut inuisibili; mediatâ, aut immediatâ. *Ratio*: quia nimirùm vel exercent exterius ministerium, vel alios mouent ad illud exercendum, vel deniq; omnes superiores illuminant, & sic dicuntur mitti mediatè, aut immediatè.

Corollarium II. Angeli quatuor primorum ordinum, puta Seraphini, Cherubini, Throni, & Dominationes, de lege ordinaria nunquàm mittuntur ad externa ministeria. Ita Sanctus Gregorius supra citatus, qui de tribus primæ hierarchiæ ordinibus ita dicit: *Qui assistunt, sic contemplatione intimâ perfruuntur, vt ad explenda foris opera* minimè

minimè mittantur. Et *ratio corollarij est*: quia si Angeli superiores de lege ordinaria mitterentur ad exteriora ministeria, tunc non esset bona illa Angelorum assistentium, & ministrantium partitio Daniel. 7. tradita; quam tamen communis Theologorum sententia recipit.

Angeli quatuor primorum ordinum etiam de lege extraordinaria nō mittuntur ad exteriora ministeria.

Corollarium III. Angeli quatuor primorum ordinum, etiam de lege extraordinariâ seu ex dispensatione Diuinâ, non mittunt ad exteriora ministeria. *Ratio*: quia hoc habet ordo Diuinæ prouidentiæ, vt inferiora per superiora ordinatim administrentur, nisi obstet aliqua ratio in contrarium; nulla autem est ratio, cur ab hoc ordine in ministerijs Angelorum recedatur. Nam ideò aliquando ordo naturæ prætermittitur, quia ita expedit ad manifestationem gratiæ, aut ad fidei confirmationem: ob has enim solùm causas, Deus interdùm agit contra ordinem naturæ. At verò istæ rationes cessant in ministerijs Angelorum, eò quòd illa pertineant ad ordinem gratiæ; aliunde verò prætermissio ordinis statuti, non valet ad fidei cōfirmationem, cùm non possit hominibus viatoribus innotescere. *Præterea*, quia si aliquis Angelus ex superioribus quatuor ordinum mitti deberet ad aliquod exterius ministerium, maximè ad annuntiandum mysterium Incarnationis, tanquàm summum, & præstantissimū ex omnibus Diuinis mysterijs; & tamen ad hoc nuntiandum non fuit missus, nisi vnus ex Archangelis, puta Gabriel. Ergo Angeli superiores primorum ordinum etiam de lege extraordinariâ non mittuntur ad ministeria externa.

Corollarium IV. Nihilominùs Angeli etiam supremæ hierarchiæ, missi fuerunt ad ministrandum Christo, tanquàm proprio capiti, & Domino. *Ratio*: quia cùm in Christo sit ordo vnionis hypostaticæ, qui est superior ordini gratiæ; ideò propter illum potuit prætermitti ordo, qui seruatur in ministerijs Angelorum, qui attenditur secundùm dona gratiarum; quemadmodùm etiam propter ordinem gratiæ, interdùm prætermitti solet ordo naturæ. Vnde negari non debet, supremos Angelos in honorem Christi descendisse in terras, *in primis*, in die natiuitatis ipsius: ita Sanctus Chrysosthomus Psal. 8. ad initium, vbi ponderans illud Lucæ 2. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis canentium, & dicentium, gloria in excelsis Deo.* asserit illam Angelorum multitudinem, ex omnibus Angelorū choris conflatam fuisse. *Supernorum ait chororum, in Cherubim, & Seraphim hoc est munus, Deum assiduè laudare, & hymnis celebrare. Ex his choris etiam in terra apparuerūt, cum vigilantibus pastoribus cantantes.* Deinde, post tentationem, & ieiunium, ad ministrandum Christo in honorem victoriæ de Lucifero reportatæ. Ac etiam Christo resurgenti, & in cælum ascendenti eosdem occurrisse, vt illi exhiberent famulatum eiusq; triumphum adornarent.

In die iudicij Angeli ex omnibus choris descendent de cælo ad ostendendā Christi maiestatem.

Corollarium V. Credibile quoque & valde probabile est, in die iudicij non solùm inferiores Angelos, verùm etiam superiores descensuros de cælo, ad ostendendam Christi maiestatem, terroremque malorum, & honorem bonorum. Ita colligitur ex Scriptura Sacra Matth. 25. *Cùm venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo.* Nam verba hæc non possunt intelligi de omnibus Angelis vniuersaliter, ac secundùm distributionem completam, alias null⁹ tunc Angelus in empyreo cælo remaneret; sed cùm restrictione & secundùm distributionem incompletam, quatenùs ex omnibus hierarchijs, ac ordinibus Angelorum, plures tunc cum Christo de cælo descendent; quemadmodùm etiam in arca Noé, omne animal

animal fuisse dicitur, eò quòd ex omni genere, & specie animalium aliquid fuerit.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Ad Hebr. I dicitur: *Omnes Angeli sunt administratorij spiritus* missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis: ergo omnes Angeli etiam quatuor superiorum ordinum mittuntur in exterius ministerium ad nos. *Consequentia patet*, ex illo Isaiæ 6. *Seraphim volauit ad illum, vt eius labia mundaret.* Et Genes. 3. *Deus collocauit Cherubim cum flammeo gladio ante portam paradisi ad custodiendam viam ligni vitæ.*

Solutio eiusdem.

Respondetur, concedendo omnes Angelos esse administratorios spiritus, quia omnes ministrant, & mittuntur missione visibili, aut inuisibili; mediatâ, aut immediatâ: & sic *negatur consequentia*. *Ad primam probationem dicitur*, illum Angelum, qui labia Isaiæ carbone ignito purgauit, non fuisse ex ordine Seraphinorum, sed vnum ex inferioribus Angelis; dictum tamen *Seraphim*, id est, incendentem, quia venerat ad incendendum labia Prophetæ, & id præstabat virtute, & authoritate alicuius Seraphini, cuius efficientiam participabat, & cuius quasi Vicarius, ac Minister erat. Quemadmodùm etiam in lege veteri, Angeli sæpè nomen Dei assumebant, eò quòd eius personam sustinuerint, iuxta illud Genes. 13. *Et dixit Angelus Dei ad me: Ego sum Deus Bethel.* Ita expressè docent S. Dionysius cap. 13. cælest. hierarch. S. Thom. I. p. q. 112. ar. 2. ad 2. & S. Gregor. homil. 34. in Euangel. Similiter Cherubim ille ante portam paradisi terrestris collocatus, non fuit de secundo ordine suæ hierarch. sed aliquis ex infima hierarchia; Cherubim tamen dictus ex eo, quòd in illa custodia Cherubinis subordinaretur, prohiberetque ingressum paradisi, in quo erat lignum, quæ Cherubinis attribuitur. Ita docet Caietanus in caput 3. Genesis.

Obiectio secunda.

Obijcitur II. *Contra Corollarium* II. Omnes Angeli aut assistunt, aut ministrant, vt docet Scriptura Sacra Daniel. 7. Sed Dominationes, qui sunt primi Angeli secundæ Hierarchiæ, non assistunt, quia nō recipiunt immediatè illuminationes à Deo, verùm per Angelos primæ hierarchiæ illuminantur: ergo ministrant.

Solutio eiusdem.

Respondetur, concedendo Dominationes non computari inter Angelos assistentes, sed inter ministrantes; non tamen sicut exequentes ministerium, verùm sicut disponentes, & mandantes, quid per alios fieri debeat; & ideò non possunt dici mitti ad nos in exterius ministerium.

QVÆSTIO III.

De custodia bonorum Angelorum.

SUppono I. Deum per bonorum Angelorum ministeria gubernare hunc visibilem mundū, eò quòd omnis particularis potestas gubernetur per superiorem, & magis vniuersalem; virtus autem corporea est magis particularis, quàm virtus spiritualis Angelorum. Vnde Sanctus Augustinus lib. 83. quæstionum, q. 79. dicit: *Vnaquæq; res visibilis in hoc mundo, habet potestatem Angelicam sibi præpositam.* Et Sanctus Gregorius 4. Dialog. cap. 15. dicit: *In hoc mundo visibili, nihil nisi per creaturam inuisibilem disponi potest.*

Suppono *præterea*, etiam homines per Angelos regi, & gubernari: nam si per Angelos totius mūdi huius visibilis regimen exercetur, dubio procul & homo, qui est præcipua illius pars, debet ab illis regi, ac gubernari. Quippè ordo diui-

do diuinæ prouidentiæ exigit, vt mobilia, ac mutabilia regantur per immutabilia, vt patet in corporibus inferioribus, & corruptibilibus, quæ mouentur per cælestia, & incorruptibilia: homines autem quantum ad animam, & corpus, quantum ad cogitationes & affectus mutabiles sunt, iuxta illud sapient. 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ.

Angeli tria opera circa homines exercere possunt.

Suppono III. Angelos tria circa homines opera exercere posse: *in primis* enim possunt illuminare eorum intellectû, & tenebris ignorantiæ purgare, eò quòd sint clara, & illustria lumina, quæ habent manantes, & se foras effundentes illustrationes, auctore Dionysio Areopagita. Illuminant autem hominem, non infundendo ei species, aut aliquem habitum, cùm non possint illabi intra mentem illius; sed proponendo veritatem modo ipsi proportionato, id est sub similitudinibus sensibilium adumbratam. *Secundò*, possunt Angeli regere homines, mouendo illorum voluntatem, non ab intrinseco, & ex parte potentiæ, cùm id soli Deo competat, qui virtutem volendi creaturæ rationali contulit; sed ab extrinseco, idque dupliciter, scilicet repræsentando obiectum, & concitando appetitum inferiorem, qui in eadem anima vna cum voluntate radicatur: proinde per modum suadentis tantùm. *Tertiò*, possunt Angeli mouere sensus hominis tàm internos; quàm externos: illos quidem per commotionem spirituum, & humorum, quibus turbatis necesse est eos moueri, & perturbari; hos verò obijciendo illis aliquod corpus sensibile à natura formatum; aut de nouo aliquod formando, vt contingit, quando apparent in corporibus assumptis.

ARTICVLVS I.

Resoluitur quæstio.

Angeli beati deputati sunt ad custodiam hominum.

CONclusio. Angeli beati deputati sunt à Deo ad custodiam hominum, non tantùm in genere, sed etiam in particulari. Est de fide, contra Caluinum, qui super illa verba Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis*, dicit, custodiam illam Angelorum esse falsum commentum. Qui error refellitur, & refutatur à Sancto Bernardo in citatum locum his verbis: *Si fidem consulas, ea tibi Angelicam probat nõ deesse præsentiam. Adsunt igitur, & adsunt tibi, non modò tecum, sed etiam pro te: adsunt vt protegant, adsunt vt prosint.* Probaturq; conclusio primò ex Scriptura Sacra, Genes. 48. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, & deduxit me.* Iudith. 13. *Custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.* Matth. 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Ergo iuxta Scripturam Sacram Angeli beati deputati sunt à Deo ad custodiam hominum.

Probatur II. ex Sanctis Patribus. *In primis* Sanctus Basilius lib. 3. contra Eunomium ad initium scribit: *Quòd adsit singulis credentibus Angelus tanquàm Pædagogus, & pastor vitam dirigens, nemo contradicet, qui memor fuerit verborum Domini, vbi dicit, ne contemnatis vnum de pusillis istis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Sanctus Hieronymus in cap. 18. Matthæi, *Magna est dignitas animarum, vt vnaquæq; ab ortu natiuitatis habeat in custodiam sui Angelum delegatum.* Idem docet Sanctus Chrysosthomus homil. 6. supra Matthæum. Sanctus Damascenus lib. 3 de fide Catholica. Isidorus lib. 1. de summo bono, cap. 20. Clemens Alexandr. lib. 6. stromatum &c. Ergo ex mente Sanctorum Patrum, Angeli boni destinati sunt ad custodiam hominum.

Probatur III. ex communi consensu

sensu totius Ecclesiæ, quæ ita semper tenuit, vt constat ex Actor. 12. vbi cùm Sanctus Petrus è carcere diuina virtute liberatus, pulsaret ianuam domus, in qua fideles congregati erant, cùm miraculum factû ignorarent, vnanimiter omnes dixerunt: *Angelus eius est.* Idem colligitur ex festo Sancti Angeli Custodis, authoritate Pontificia instituto, & approbato, summoq; omnium consensu vbiq; recepto. *Ratio*: quoq; idipsum suadet, *tum* quia rectus ordo Diuinæ prouidentiæ postulat, vt inferiora per superiora, & mobilia ac variabilia, per immutabilia, & inuariabilia moueantur, ac gubernentur. *Tum*, quia cum Deus hominibus dæmones ad exercitium dederit, decebat Diuinam eius bonitatem, vt etiam bonos Angelos ad illorum defensionem, & custodiam destinaret. Ergo Angeli beati deputati sunt ad custodiam hominum. Ex hac conclusione deducuntur corollaria.

Singuli homines habent Angelos custodes ex infimo ordine Angelorum.

Corollarium I. Singuli homines habent Angelos Custodes, eosque ex infimo ordine Angelorum. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 11 art. 2. vbi docet, Angelorum custodiam esse quandam executionem Diuinæ prouidentiæ, quæ per se primo versatur circa res incorruptibiles; homines autem non tantùm sunt incorruptibiles quoad speciem, sed etiam quoad proprias formas singulorum, videlicet animas rationales: ergo singuli homines habent deputatum Angelum ad sui custodiam in particulari, maximè ob eximiam animarum nostrarum dignitatem, iuxta Sanctum Hieronymum supra citatum, & illud Epicteti lib. 1. cap. 14. *O homines scitote diligenti, & præstanti cuidam custodi vnumquemq; nostrum esse commissum.* Quòd vero pro ista custodiâ hominum deputati sint Angeli ex infimo ordine, *patet*: *tum* ex Sancto Dionysio, qui cap. 9. cælestis hierarchiæ docet, *ex minorû Angelorû agminibus foras ad explendum ministerium mitti, & ad humana venire solatia. Tum* quia custodia singulorum hominum, est infimum omnium ministeriorum exteriorum, ad quæ Angeli mittuntur: proinde infimo Angelorum ordini competit. *Tum denique*, quia ordo infimus Angelorum immediatè est supra homines: ergo cùm habeat immediatû ordinem ad illos secundùm conuenientem Diuinæ prouidẽtiæ dispositionem, debuit ad custodiam hominum deputari.

Corollarium II. Angelus custos datur vnicuiq; homini ab eius ex vtero matris natiuitate, & non ante; qui vsque ad mortem illum custodit, & non post. Ita Sanctus Thomas 1. p. q. 113. ar. 5. *Ratio primi*: qui infans ante natiuitatem, censetur esse quasi pars quædam matris, & velut fructus adhuc in arbore pendens, ideoq; tunc per Angelum custodem ipsius matris censetur custodiri. *Ratio verò secundi est*: quia homo post mortem non amplius eget Angelicâ custodiâ, cùm sit in termino viæ, neq; vllus supersit meritò, aut demerito locus, Vnde licet animæ in purgatorio detentæ, nondùm sint actu beatæ, sunt tamen in termino huius viæ, neque à fine deficere amplius possunt, ideoq; Angelo custode non egent; habent nihilominus Angelos ad custodiam deputatos, qui eas in tormentis recreant, suisq; intercessionib⁹ apud Deum iuuant, & tandem in cælum euehunt.

Solus Christus Angelo custode non egebat.

Corollarium III. Quilibet homo etiam in statu innocentiæ, si durasset, & in statu puræ naturæ, si in illo conditus fuisset, habuisset Angelum custodem, eumq; habuit etiam Beata Virgo: quinimò & Antichristus eundem habiturus est, vt docet Sanctus Thomas proximè

ximè citatus ar. 4. ad 3. excepto duntaxat Christo. *Ratio primi:* quia licet homo in statu innocentiæ nõ pateretur quidem aliquod periculum, eò quòd interiùs essent omnia ordinata; habuisset tamen periculum ab exteriori, propter insidias dæmonum, vt constat ex euentu; ideoq; Angelo custode indiguisset. *Ratio secundi:* quia in statu puræ naturæ, licet Angelorum custodia homini ad percipiendam vitæ æternæ hereditatem (ad quam non esset ordinatus) non fuisset vtilis, aut necessaria; benè tamen vt homo moueretur in finem sibi connaturalem, incitareturq; ad officia virtutum. *Ratio tertij:* quia licet Beatissima Virgo fuerit in gratia confirmata, dæmonumq; insidijs non pateret, quæ serpentis caput pede contriuerat: neq; ab Angelis edoceri deberet, vt potè ipsum Deum habens magistrum; tamen Angelorum præsentiâ poterat recreari, eorumq; ministerio iuuari. *Ratio deniq; vltimi est:* tum quia Christus fuit caput, & Dominus Angelorum: *tum*, quia in quantum homo regulabatur à Verbo Dei: *tum insuper:* quia secundùm animã fuit comprehensor, vnde neq; eius bonum poterat impediri, neq; ipse in bonum promoueri.

Personæ dignitate publica constitutæ, præter Angelũ custodem, habent alium superioris ordinis.

Corollarium IV. Personæ in dignitate publicâ constitutæ, præter Angelum custodem sibi ab ortu natiuitatis datum, habent alium superioris ordinis, ipsis datum ab illo tempore, quo incipiunt habere curam communitatis. *Ratio:* quia sicut illæ personæ egent duplici prudentiâ, ita & duplici gubernatore, atq; custode. Ita Sanctus Thomas in 2. dist. 11. q. 1. ar. 2. ad 4. vbi sic habet. *Homo in prælatione constitutus, illuminatur ab Angelo inferioris ordinis de his quæ ad statum personæ suæ pertinẽt, sed ab Angelo principe de his, quæ spectant ad regimen multitudinis.* Item nationes singulæ, regna, prouinciæ, ciuitates, &c. habent Angelos ad suam custodiam deputatos, vt constat ex Danielis 10. vbi fit mentio de Principibus Regni Persarum, Græcorum, & Iudæorum, per quos Principes intelliguntur Angeli regnorum illorum tutelares, vt exponit Sanct[us] Hieronymus ibidem, & Sanctus Gregorius 17. Moral. cap. 8. Hinc Nazianzenus orat: 32. & Origenes lib. 1. Periarch. cap. 8. asserunt, dari Angelos singularum Ecclesiarum, seu Episcopatuum, id est, deputatos ad custodiendas illas cõmunitates. Et Clemens Alexandrin[us] lib. 6. strom. circa finem dicit: *Per gentes, & ciuitates diuisæ sunt Angelorum præfecturæ.*

Genera & species rerum materialium habent Angelum custodem.

Corollarium V. Etiam cuilibet rerum materialium generi, imo & cuilibet ipsarum speciei, proprius & determinatus Angelus in custodiam deputatus est. Ita Sanctus Augustinus lib. 83. quæst. cap. 79. *Ratio:* quia custodia Angelorum est quædam executio Diuinæ prouidentiæ; Dei autem prouidentia principaliter est circa illa, quæ perpetuò manent, vti sunt genera, & species rerum corruptibilium: ergo pro earum propagatione, & conseruatione aliquis Angelus deputatus est. Hinc Apoc. 14. vnus Angelus dicitur habere potestatem supra ignem: & cap. 16. alius vocarur Angelus aquarum. Neq; id alicui mirum videri debet: nam si Deus ipse omnium rerum curam habere dignatur, diciturq; in scripturis escam dare pullis coruorũ, & fænum iumentis, vestireq; lilia agri, quidni istarum etiam rerum Angelis custodiam commiserit.

ARTICVLVS II.

Soluuntur Obiectiones.

Obiectio prima.

OBijcitur I. *Contra Conclusionem.* Ad actiones sublunarium corporum naturales, sufficit sola impressio, & motus, aut influentia cælestium orbium: ergo ad illas non requiritur vlla operatio Angelorum, & consequenter neq; custodia illorum. *Respondetur, transeat antecedens, negatur consequentia:* licet enim impressio, & motus, aut influentia cælestium orbium, videatur sufficere ad actiones inferiorum corporum naturales; non tamen ad alias actiones, quæ præter naturam fiunt, aut accidunt naturæ, eò quòd ex seipsis ad naturales solùm effect[us] determinatæ sint eiusmodi impressiones, ac virtutes: & sic ad illas alias actiones requiritur ministerium Angelorum, vt patet in liberatione populi Israël de Ægypto, eiusq; ductu per desertum: in illuminatione Prophetarum ad edenda miracula, in publicatis Christi misterijs, ad quorum publicationem gloriam, & executionem ministeria Angelorum plurimum contulerunt, vt faciIè legenti sacra Euangelia constabit.

Solutio eiusdem.

Obiectio eiusdem.

Obijcitur II. Dicta custodia felicitati Angelorum opponitur: ergo Angeli beati non deputantur à Deo ad custodiam hominum. *Antecedens patet:* ex illis Scripturæ Sacræ verbis: *Angeli eorum semper vidẽt faciem Patris mei:* ergo si semper Deum vident, illiq; assistunt, non possunt hominum custodire incumbere: si cœlum semper incolunt, non possunt cum hominibus in terra versari. *Respondetur negando antecedens & eius probationem:* perpetua enim Angelorum assistentia coram Deo, seu perpetua contemplatio Dei, minimè impedit præsidentiam, & custodiam circa homines, neque tale ministerium ab eiusmodi contemplatione Angelos quidquam retrahit, vt docet Sanctus Gregorius homil. 34. in Euangelia ita scribens: *Hoc quoq; de ipsis agminibus quæ mittuntur, certum tenemus: quia & cùm ad nos veniunt, sic exteriùs implent ministerium; vt tamen nunquàm desint interiùs per contemplationem, nam quocunq; mittantur, intra Deum currunt.*

Obiectio tertia.

Obijcitur III. *Contra Corollarium II.* Angeli custodes non semper in terra versantur, sed aliquando in cœlum euolãt, vt docet Sanctus Thomas 1. p. q. 113. art. 6 ad 3. Deinde Hieremiæ 51. in persona Sanctorum Angelorum dicitur: *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam:* ergo Angelus custos non semper toto vitæ tempore vsq; ad mortem custodit hominem, sed interdùm dimittit eum. *Respondetur concesso antecedente, negatur consequentia:* solùm enim Angelus custos dicitur dimittere hominem, quatenùs non impedit, quin subdatur alicui tribulationi, aut etiam quin cadat in peccatum secundùm ordinem diuinorum iudiciorum. Et in hoc sensu Babylon, & domus Israël dicuntur derelictæ ab Angelis, quia Angeli earum custodes non impediuerunt, quin tribulationi subderentur. Similiter licet Angelus interdùm derelinquat hominem loco; non tamen derelinquit eum quoad effectum custodiæ, quia etiam dum est in cælo, cognoscit quid circa hominem agatur, nec indiget mora temporis ad motum localem, sed statim potest adesse, vt ingeniosè obseruat Sanctus Thomas citatus, articulo 6. ad 3.

Solutio eiusdem.

Obiectio quarta.

Obijcitur IV. *Contra Corollarium III.* Legimus in Sacris literis, Christum ab Angelo in passione fuisse confortatum: ergo etiam Christus habuit Angelum custodem. *Respondetur concesso antecedente, negando consequentiam:* illa enim confortatio ita intelligi debet, vt Angelus eam præstiterit, nõ quasi custodiendo, vel alquid imprimẽdo in Christum, sed reuerendo eum, & congratulando fortitudini ipsius, ac per modum alicuius ministe-

Solutio eiusdem.

ministerij, quod ei exhibebat, Vnde D. Augustinus in Psal. 56. dicit: *Angeli ministrabant ei, non tanquam misericordes indigenti, sed tanquam subiecti omnipotenti.*

QVÆSTIO I.

De Angelis.

VTrum Angeli omninò immateriales, & specie inter se differentes; verè quidem in loco, non tamen propriè, sed tantùm metaphoricè existentes, moueriq; localiter de vno loco in alium, etiam non pertransito medio, apti, ac secundum suum esse æuo mensurati; cognoscentes seipsos per suas substantias, res verò alias à se per species impressas, & quidem quò superiores, eò per species magis vniuersales, ideoq; comprehensiuè Angelos sibi inferiores, & singularia etiam materialia; non tamen futura contingentia libera, neque secreta cordium; non habentes intellectum quandoque in potentia, quandoq; in actu, præditi in voluntate amore, seu dilectione naturali, & in sua creatione beati; viam tribus instantibus completam habentes: ab intrinseco sicut & quæuis creatura peccatum fuit superbia, materia circa quam, beatitudo naturalis inordinatè appetita, præcedente inaduertentia, seu inconsideratione; ob quod mali puniti in intellectu cæcitate; in voluntate obstinatione, & vltra hoc igne infernali; boni verò & illuminant se, & loquuntur sibi, tres hierarchias constituentes, ex quinq; tantùm inferioribus ordinibus ad regimen mundi, & custodiam hominum, non tantùm in genere, sed etiam in particulari deputati, dentur verè in rerum natura, necne?

CONCLVSIO I.

Dantur in rei veritate in rerum natura Angeli.

COROLLARIA.

I. *Angelus est spiritus substantialis completus, creatus, non vnibilis corpori, per modum formæ suæ materiæ.*

II. *Angelus est spiritus purè substantialis.*

III. *Angeli creati sunt à Deo, idq; simul cum hoc mundo corporeo, & sensibili.*

IV. *Angeli creati sunt in cœlo empyreo.*

V. *Angeli creati sunt propter quatuor fines, scilicet ad laudandum Deum, regendum mundum, opitulandum hominibus, consequendam æternam beatitudinem.*

CONCLVSIO II.

Angeli sunt omninò incorporei, & immateriales.

COROLLARIA.

I. *Non est hæresis, aut error in fide, asserere Angelos esse corporeos; id tamen post concilium Lateran sine temeritate doceri non potest.*

II. *S. Damascenus lib. 2. fidei, cap. 2. asserens Angelum esse incorporeum ratione nostri; corporeum verò respectu Dei, per hoc non intendit Angelos esse corporeos.*

III. *Ex eo, quòd olim Angeli Patribus, & Prophetis apparuerint in figura humana, non sequitur eos esse corporeos.*

IV. *Angeli sunt natura sua incorruptibiles, & immortales.*

V. *Angeli non componuntur etiam ex materia spirituali, quæ non sit subiecta quantitati.*

CONCLVSIO III.

Omnes, & singuli Angeli specie inter se distinguuntur.

COROLLARIA.

I. *Datur de facto in natura Angelica specifica diuersitas, & consequenter omnes Angeli non solo numero distinguuntur.*

II. *Omnes Angeli ita inter se specie distinguuntur, vt etiam de absoluta Dei potentia non possint intra eandem speciem multiplicari.*

III. *Numerus Angelorum specie inter se distinctorum, est stupendus ac ingens, soliq; Deo notus.*

IV. *Multitudo Angelorum specie inter se distinctorum, excedit numerum omnium specierum materialium.*

V. *Probabile videtur Angelos esse multò plures, quàm homines.*

CONCLVSIO IV.

Angelus est verè in loco, non tamen propriè sed solùm metaphoricè.

COROLLARIA.

I. *Angelus non necessitatur, neq; coarctatur ad existendum in toto loco, seu spatio suæ virtutis operatiuæ adæquato, sed potest se collocare in minori.*

II. *Angelus non potest esse in essentia alterius Angeli, aut in essentia animæ rationalis, tanquam in loco.*

III. *Angelus non est in loco immediatè per suam substantiam.*

IV. *Angelus non est in loco per modum aliquem vnionis ad corpus.*

V. *Angelus est in loco per operationem virtualiter transeuntem.*

CONCLVSIO V.

Angelus naturaliter non potest simul esse in pluribus locis adæquatis.

COROLLARIA.

I. *Angelus potest esse naturaliter in duobus locis inadæquatis, seu partialibus, non existendo in medio, dummodò illa loca non excedant quantitatem loci adæquati, & dummodò non distent ab inuicem maiori distantia, quàm possit comprehendi sub quantitate loci adæquati.*

II. *Angelus non potest naturaliter in duobus locis etiam partialibus licet minimis existere, si ab inuicem distant extra sphæram suæ actiuitatis.*

III. *Angelus potest existere in pluribus locis adæquatis sua virtuti de potentia absolutâ.*

IV. *Plures tamen Angeli non possunt simul in eodem loco materiali existere.*

V. *Cæterùm plures Angeli non possunt simul esse in eodem loco formali adæquato, & connaturali per modum causarum principalium; partialiter verò & inadæquatè non repugnat.*

CONCLVSIO VI.

Angelus potest moueri localiter motu per se, & motu per accidens; idque tam motu continuo quàm discreto.

COROLLARIA.

I. *Motus Angeli per comparationem ad corporalia, non est propriè motus localis, sed æquiuocè.*

II. *Motus localis Angeli, quo per se mouetur, consistit in diuersis contactibus quantitatis virtutis; quibus sine intermedia quiete, tangit successiuè diuersa corpora, siue indiuersis operationibus circa diuersa loca, sine prædicta quiete.*

III. *Motus localis Angeli, quo mouetur per accidens ad motum corporis in quo localiter existit, nihil aliud est, quàm motus inhærens ipsi corpori, quod per se mouetur, & in quo Angelus operatur; à quo etiam secundariò & per accidens denominationem moti recipit.*

IV. *Angelus non mouetur motu per accidens ad motum corporis in quo localiter existit, eo modo quo homo qui vehitur naui, mouetur per accidens ad motum ipsius nauis.*

V. *Motus localis, quo Angelus per se mouetur, si consideretur secundùm id, quod dicit in recto, est inhæsiuè in ipso Angelo; si autem consideretur secundùm id, quod connotat in obliquo, recipitur in loco corporeo, cui applicatur.*

CONCLVSIO VII.

Angelus motu discreto potest transire de vno loco in alium, non pertransëundo medium.

COROLLARIA.

I. *Quando medium inter extrema alicuius spatij interceptum, non est communicans cum partibus intermedijs, potest Angelus transire de vno extremo ad alterum, non pertranseundo tale medium.*

II. Eti-

II. Etiam quando medium inter extrema interceptum est communicans cum partibus intermedijs, potest Angelus de vno extremo, transire ad alterum, non pertranseundo tale medium.

III. Licet Angelus sit subditus legibus temporis, quantum ad hoc, quòd non possit trāsire de præterito ad futurū, sine eo, quod transeat per præsens; non est tamen subditus legibus loci quoad hoc, quòd non possit transire de vno extremo alicuius spatij ad aliud, nisi per medium.

IV. Potest Angelus transire de extremo ad quodcunq; extremum, quantumcunq; distet, non transeundo per medium.

V. Motus Angeli, quo de vno loco transit ad alium, siue sit continuus, non potest fieri in vnico instanti,

CONCLUSIO VIII.

Esse Angeli mensuratur æuo.

COROLLARIA.

I, Æuum in ratione mensuræ residet in supremo Angelo, qui remansit in gratia: hic enim Lucifero peccante accepit rationem mensuræ respectu durationum aliorum Angelorum.

II. Cognitio naturalis quâ se Angeli cognoscunt, & amor, quo naturaliter se amant, mensuratur æuo.

III. Operationes Angelorum, quibus cognoscunt, & amant alias res extra se, mensurantur tempore continuo, si sint continuæ; decreto si discretæ.

IV. Operationes Angelorum virtualiter transeuntes, si considerentur actiuè, & ex parte Angelorum, mensuratur tempore discreto, si sint discretæ; aut continuo, si continuæ. Quod si considerentur passiuè, & quantum ad earum effectus, mensurantur nostro tempore.

V. Actiones liberæ Angelorum mensurantur vno numero tempore, in supremo Angelo magis ordinatè, & regulariter operante.

CONCLVSIO IX.

Angelus cognoscit seipsum per suammet ipsius substātiam habentem rationem speciei intelligibilis.

COROLLARIA.

I. Angelus ad sui cognitionem non indiget aliqua specie accidentali.

II. Licet Angelus cognoscat seipsum per suam essentiam; eius tamen cognitio non est sua essentia.

III. Substantia Angeli non gerit vices speciei expressæ in cognitione sui, verùm Angelus intelligendo se, format aliquod verbum, ab ipsa intellectione, & substantia Angeli realiter distinctum.

IV. Angelus non solum cognoscit seipsum per suam substantivm, sed etiam omnes suas proprietates per eandem.

V. Vnus Angelus non potest cognoscere alium per suam substantiam tanquàm per speciem; imò neq; per substantiam ipsius Angeli cogniti.

CONCLVSIO X.

Angelus ad res alias à se naturaliter cognoscendas indiget speciebus impressis.

COROLLARIA.

I. Species illæ per quas Angeli cognoscunt alia à se, non sunt ab obiectis acceptæ, sed ipsis à primo instanti suæ creationis à Deo infusæ, & inditæ.

II. Angeli non possunt etiam supernaturaliter intelligere per species à rebus naturalibus acceptas.

III. Angelus non potest recipere species etiam à rebus spiritualibus, v. g. ab alijs Angelis.

IV. Intellectus Angelicus non potest de nouo formare species ex obiectis quæ cognoscit.

V. Species intelligibiles per quas Angelus intelligit, non fluunt ab eius essentia instar proprietatum ipsius.

CONCLVSIO XI.

Angelus quò superior est in essentia, eò per species magis vniuersales, seu plura distinctè repræsentantes intelligit.

COROLLARIA.

I. Licet nulla species à rebus abstracta possit esse ita vniuersalis, vt simul repræsentet plures quidditates rerum; rerum possibilis est tamen species vniuersales à Deo immediatè causata, quæ plures quidditates, seu naturales specificus repræsentet.

II. Dantur de facto in Angelis species vniuersales,

III. Ex eo, quòd Angeli superiores cognoscant per species vniuersaliores, non sequitur eos rem minùs perfectè cognoscere.

IV. Quando S. Thomas 1. p. q. 55. ar. 3. dicit: Quantò Angelus fuerit superior tantò per pauciores species vniuersalitatem intelligibilium apprehendere poterit, hoc intelligit nō de superioritate in Hierarchia, aut ordine; sed de superioritate in gradu specifico, & in natura.

V. Vniuersalitas specierum Angelicarum consistit in hoc, quòd plures naturas seu quidditates repræsentent.

CONCLVSIO XII.

Angelus superior comprehensiuè cognoscit inferiorem.

COROLLARIA.

I. Ad hoc vt Angelus superior comprehendat inferiorem, non requiritur cognitio actuum eius liberorum.

II. Angelus inferior ex vi solius virtutis naturalis non comprehendit superionem.

III. Superueniente tamen illuminatione Angeli inferioris facta à superiori, potest Angelus inferior superiorem cōprehendere, licet imperfectè.

IV. Quando S. Thomas 2. contra Gent. cap. 98. dicit: Ex hoc, quod substantia aliqua est intellectualis; comprehensiua est totius entis, per hoc non intendit vnumquemq; Angelum quemlibet alium comprehendere.

V. Ad hoc vt Angelus inferior habeat cognitionem comprehensiuam superioris, non sufficit, quòd per eam attingantur omnia, quæ in Angelo superiori formaliter, & eminenter continentur.

CONCLVSIO XIII.

Angeli cognoscunt singularia etiam materialia.

COROLLARIA.

I. Angeli cognoscunt singularia per species sibi à Deo inditas.

II. Falsum est, quòd Angeli ad cognoscenda singularia etiam materialia intuitiuâ cognitione, non egeant speciebus acquisitis, neq; infusis.

III. Angeli cognoscunt directè singularia, omniaq; illorum accidentia per eandem speciem, per quam naturam specificam illis cōmunem intelligunt.

IV. Ex eo, quòd species Angelicæ possint infinita indiuidua repræsentare, non sequitur eas esse infinitas simpliciter, sed tantùm secundùm quid.

V. Licet species Angelorum repræsentent semper rerum naturas, singularitatem, existentiam, duratione͂, &c. non repræsentant, tamen illa in actu exercito, sed in actu signato, & per modum quidditatis possibilis abstrahendo ab actuali exercitio actu exercito.

CONCLVSIO XIV.

Futura contingentia quæ pendent â libero arbitrio, Angeli naturaliter cognoscere non possunt certò.

COROLLASIA.

I. Cognitio futurorum liberorum contingentium soli Deo competit.

II. Etiam de absoluta Dei potentia non dari species intelligibiles, quæ repræsentet futurum contingens, vt futurum est, & vt contingens est.

III. Potest tamen de absoluta Dei potentia dari species intelligibilis, quæ repræsentet actu solam quidditatem ipsius futuri contingentis specificam, aut singularem.

IV. Angeli etiam futura casualia, & fortuita naturaliter cognoscere non possunt.

V. Ex eo, quod Chrictus per species infusas cognoscat futura contingentia,

tia, & libera, non sequitur quod etiam Angelus eadem cognoscat.

CONCLVSIO XV.

Secreta cordis Angelici, & humani, de facto non possunt ab Angelis naturaliter cognosci, seclusa Dei reuelatione.

COROLLARIA.

I. *Cognitiones cordium, affectusq; voluntatum, à solo homine eiusmodi actus eliciente, & à Deo cognoscuntur.*

II. *Quod Angeli non cognoscant actus internos liberos; eò quòd illa, quæ sunt à voluntate creata, soli Deo subiaceant discursus iste non resoluitur in illud principium: Quæ sunt à solo Deo, sunt soli Deo cognita.*

III. *Actus liberi nostræ voluntatis, & actus interni liberè ab intellectu nostro procedentes, sunt naturaliter cuilibet alteri intellectui creato occulti, non solum quoad modum libertatis, verùm etiam quoad substantiam.*

IV. *Angeli non ex sola subtractione concursus diuini, sed ex vera impotentia intrinsecâ, secreta cordium ignorant.*

V. *Angelus sicut non potest cognoscere naturaliter cogitationes cordium creatorum; ita multò minùs potest cognoscere ea, quæ ex sola Dei voluntate dependent, vti sunt mysteria gratiæ.*

CONCLVSIO XVI.

Intellus Angeli respectu scibilium naturaliter, & connaturaliter viâ addiscentiæ per propriam inquisitionem, ac inuentionem, non est quandoque in potentia, quandoq; in actu.

COROLLARIA.

I. *Intellectus Angeli nunquàm est in potentia respectu ipsiusmet Angeli, sed semper est in actuali cognitione ipsius.*

II. *Angelus nunquàm est in potenria respectu actualis cognitionis Dei, vt auctoris ipsius Angelicæ naturæ.*

III. *Angelus semper cognoscit ordinem vniuersi, in quo maximè relucet diuina sapientia.*

IV. *Intellectus Angeli respectu visibilium in Verbo ab initio suæ beatitudinis, non est partim tn potentia, partim in actu.*

V. *Intellectus tamen Angeli respectu scibilium naturaliter, & connaturaliter, viâ vsûs intellectûs, est quādoq; in actu, quandoq; in potentia.*

CONCLVSIO XVII.

In Angelis datur de facto voluntas, seu facultas quâ Angelus vult.

COROLLARIA.

I. *Voluntas Angeli est potentia distincta ab eius natura.*

II. *Voluntas Angeli non est intellectus eius.*

III. *Voluntas in Angelo est prædita libero arbitrio, seu est libera.*

IV. *Liberum arbitrium Angeli est naturaliter inflexibile in electione semel factâ.*

V. *Voluntas in Angelis est vnica potentia.*

CONCLUSIO XVIII.

In Angelis est amor, seu dilectio naturalis.

COROLLARIA.

I. *Angelus amat seipsum necessariò necessitate specificationis.*

II. *Amor quo Angelus seipsum amat, est necessarius etiam quoad exercitium.*

III. *Amor Angeli quo diligit Deum vt auctorem naturæ, est necessarius non solùm quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium.*

IV. *Angelus naturali dilectione magis diligit Deum, quàm seipsum.*

V. *Amor quo vnus Angelus diligit alterum, est necessarius & naturalis quoad specificationem; non verò quoad exercitium.*

CONCLUSIO XIX.

Angeli in sua creatione fuerunt beati beatitudine solùm naturali.

COROL-

COROLLARIA.

I. *Angeli in sua creatione non fuerunt beati beatitudine supernaturali.*

II. *Angeli vt in Deum tanquàm obiectum beatitudinis se conuerterent, indigebant gratiâ.*

III. *Omnes Angeli statim in primo instanti suæ creationis, acceperūt gratiam sanctificantem.*

IV. *Omnibus Angelis statim in principio suæ creationis gratia sanctificans collata fuit, mediante propria illorum dispositione.*

V. *Angeli in primo instanti creationis elicuerunt actum charitatis.*

CONCLUSIO XX.

Via omnium Angelorum, tàm bonorū, quàm malorum fuit completa tribus instantibus.

COROLLARIA.

I. *Instans in quo Angeli boni plenè, & perfectè meruerunt: eliciendo actum charitatis liberum quoad specificationem, & exercitium, distinguitur ab instanti creationis, in quo imperfectè simul cum Angelis malis meruerunt eliciendo actum charitatis liberùm, solùm quoad exercitium.*

II. *Instans in quo Angeli plenè meruerunt, est distinctum ab instanti glorificationis illorum.*

III. *Nullus Angelus de facto peccauit in primo instanti suæ creationis.*

IV. *Angeli in primo instanti suæ creationis non solùm non peccârunt, sed etiam non potuerunt peccare.*

V. *Primum instās Angeli in quo omnes imperfectè meruerūt, solùm durauit per vnicum instans nostri temporis.*

CONCLUSIO XXI.

Neque Angelus, neq; vlla alia creatura intellectualis, possibilis est naturali sua conditone, & ab intrinseco, ac simpliciter impeccabilis.

COROLLARIA.

I. *Licet impossibilis sit creatura intelltellectualis ab intrinseco simpliciter impeccabilis; possibilis tamē est, quæ sit impeccabilis secundùm quid.*

II. *Nec Angelus, nec vlla creatura intellectualis de facto datur, quæ ex se sit impeccabilis.*

III. *Angelus ex natura sua de facto est impeccabilis contra finem naturalem directè, & immediatè.*

IV. *Angelus potest peccare contra legem naturalem mediatè, indirectè, & cōcomitanter, de factoq; peccauit.*

V. *Angeli damnati suadentes varia peccata hominibus, quæ sunt contra legem naturalem, per hoc non peccant directè contra legem naturalem, sed contra supernaturalem.*

CONCLUSIO XXII.

Primum peccatum malorū Angelorum fuit sola sqperbia propriè dicta.

COROLLARIA.

I. *Peccatum Angelorum non potuit esse aliud, nisi peccatum superbiæ propriè dictæ.*

II. *Primum peccatum Angelorum non potuit esse actus inobedientiæ,*

III. *Primum peccatum Angelorum non potuit esse odium, aut desperatio, aut iniustitia.*

IV. *Primum peccatum Angelorum non fuit inuidia.*

V. *Primum peccatum Angelorum non potuit esse luxuria.*

CONCLVSIO XXII.

Obiectum excellens circa quod Angelus I. Superbijt, fuit beatitudo eius naturalis inordinatè appetita, quam non ordinauit, vt tenebatur in finem supernaturalem ipsi reuelatum.

COROLLARIA.

I. *Obiectum excellens, circa quod Angelus primò superbijt, non fuit omnimoda æqualitas cum Deo in natura.*

II. *Obiectum excellens, circa quod Angelus primò superbijt, non fuit vnia hypostatica.*

III. *Materia circa quam Angelus primò superbijt, nō fuit appetitus Principatus, seu potestatis tyrannicæ su-*

 pra

pra alias creaturas intellectuales.

IV. *Materia superbiæ Angelicæ non fuit appetitus expressus, & formalis beatitudinis supernaturalis.*

V. *Materia superbiæ Angelicæ potuit esse appetitus virtualis, & interpretatiuus beatitudinis supernaturalis, vt acquirendæ viribus naturæ, & sine auxilio gratiæ.*

CONCLVSIO XXIV.

Primum peccatum Angeli præcessit inaduertentia, seu inconsideratio.

COROLLARIA.

I. *Inconsideratio primum peccatũ Angeli præcessit prioritate naturæ.*

II. *Ista inconsideratio, quæ prius naturâ fuit in intellectu Angeli, quàm primum peccatum, fuit voluntaria interpretatiuè.*

III. *Angelus non peccauit ex eo præcisè, quòd non considerauerit legem diuinam, prohibentem amare beatitudinem naturalem sine ordine, & relatione in Deum vt auctorem supernaturalem; sed ex eo; quia sine consideratione huius regulæ, beatitudinem illam adamauit nimiùm.*

IV. *Primum tamen peccatum Angeli non præcessit ignorantia in eius intellectu.*

V. *Primum peccatum Angeli etiam nõ præcessit error in eius intellectu.*

CONCLVSIO XXV.

Angeli mali puniti sunt in intellectu cæcitate, & in voluntate obstinatione.

COROLLARIA.

I. *Cognitio speculatiua naturalis integra remansit in dæmonibus post peccatum, nulloq; modo diminuta est.*

II. *Cognitio speculatiua supernaturalis non est totaliter dæmonibus ablata; est tamen valdè diminuta.*

III. *Cognitio practica de rebus agendis, circa res morales. siue sint ordinis naturalis, siue supernaturalis. est dæmonibus propter peccatum detracta.*

IV. *Causa intrinseca obstinationis in dæmonibus est liberi eorum arbitrij inflexibilitas.*

V. *Causa verò extrinseca obstinationis dæmonum, est substractio Diuinæ gratiæ.*

CONCLVSIO XXVI.

Dæmones verè torquentur igne infernali.

COROLLARIA.

I. *Ignis quo dæmones torquentur in inferno, est materialis & corporeus; non autem aliquid spirituale.*

II. *Dæmones torquentur ab igne infernali per alligationem illorum ad ipsum.*

III. *Ignis inferni ligat dæmones, causando in ipsis formam realem ad prædicamentum qualitatis pertinentem.*

IV. *Subiectum immediatum qualitatis ab igne inferni causatæ in dæmonibus, non est ipsa substantia dæmonis, sed eius potentia operatiua.*

V. *Effectus qualitatis dæmones alligantis, sunt acerbissimi cruciatus: & nullum aliud in substantijs spiritualibus genus tormenti assignari potest.*

CONCLVSIO XXVII.

Vnus Angelus illuminat alterum, loquitur illi.

COROLLARIA.

I. *Angeli inferiores illuminantur à superioribus, non è contra: at verò dæmones licent sint superiores, non illuminant sibi inferiores.*

II. *Hæc illuminatio fit de rebus naturæ, gratiæ, & gloriæ.*

III. *Ista illuminatio Angelorum non fit physicè per impressionẽ alicuius realis in intellectu Angeli illuminati.*

IV. *Ista illuminatio non fit per coniunctionem, & vnionem luminis superioris Angeli, cum lumine inferioris.*

V. *Illuminatio Angelorum solùm fit per modum cuiusdam artificiosi magisterij.*

CONCLVSIO XXVIII.

Tres

Tres sunt Hierarchiæ Angelorum, ex nouem ordinibus illorum constitutæ.

COROLLARIA.

I. *Tres Angelorum Hierarchiæ constituuntur tribus eorundem ordinibus. I. Seraphinis, Cherubinis, Thronis.* Secunda, *Dominationibus, Virtutibus, Potestatibus.* Tertia, *Principatibus, Archangelis, Angelis.*

II. *Hierarchia Angelorum, seu ordo hierarchicus non desumitur formaliter ex cognitione purè naturali, sed tantùm dispositiuè.*

III. *Ordo hierarchicus in Angelis, per se primò, & formaliter desumitur ex cognitione supernaturali, quæ fit extra Verbum per reuelationes particulares.*

IV. *Distinctio ista Hierarchiarum, & ordinum inter Angelos remanebit post diem iudicij tàm quoad differentiam graduum; quàm quoad executionem officiorum, non quidem omnium, sed illorum tantùm, quæ statui gloriæ conueniunt.*

V. *Licet etiam in Diuinis personis sit ordo naturæ, scilicet originis; non est tamen in illis vera, & propriè dicta Hierarchia.*

CONCLUSIO XXIX.

Non omnes Angeli, sed tantùm quinq; ordinum inferiorum. scilicet Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli, Angeli, mittuntur ad externa ministeria.

COROLLARIA.

I. *Omnes tamen Angeli possunt dici mitti missione visibili, aut inuisibili, mediatâ, aut immediatâ.*

II. *Angeli quatuor primorum ordinum, puta Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, de lege ordinaria nunquàm mittuntur ad externa ministeria.*

III. *Angeli primorum quatuor ordinum etiam de lege extraordinaria, seu ex dispositione diuinâ non mittuntur ad externa ministeria.*

IV. *Nihilominùs etiam Angeli supremæ hierarchiæ, missi fuerunt ad ministrandum Christo Domino, tanquàm proprio capiti.*

V. *Credibile quoq; & valde probabile est, in die iudicij non solùm inferiores Angelos, verùm etiam superiores descensuros de cœlo, ad ostendendam Christi maiestatem, terroremq; malorum, & honorem bonorum.*

CONCLUSIO XXX.

Angeli beati depetati sunt à Deo ad custodiam hominum non tantûm in genere, sed etiam in particularia.

COROLLARIA.

I. *Singuli hominum habent Angelos custodes, eosq; ex infimo ordine Angelorum.*

II. *Angelus custos datur vnicuiq; homini à natiuitate ipsius, & non ante: qui vsq; ad mortem illum custodit, & non post.*

III. *Quilibet homo etiam in statu innocentiæ, & in statu puræ naturæ, habuisset Angelum custodem, & de facto habet, excepto solo Christo.*

IV. *Persona in dignitate publicâ constituta, præter Angelum custodem, sibi ab ortu natiuitatis datum, habent alium superioris ordinis, ipsis datum ab illo tempore, quo incipiunt habere curam communitatis.*

V. *Etiam cuilibet rerum materialium generi, imò & cuilibet ipsarum speciei, proprius, & determinatus Angelus in custodiam deputatus est.*

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM & VERBORUM.

A

Actiones Angelorum mensurantur vno tempore in supremo Angelo, 529. 2.
Actus Dei liber non importat perfectionē distinctam ab actu necessario. 255. 2.
Actus Dei liber non consistit in formalitate necessaria. 256. 2.
Ad actum DEI liberum duo requiruntur. 254. 2.
Ad videndum clarè Deum, requiritur lumen gloriæ. 114. 1.
Ad productionem Verbi requiritur, vt Pater seipsum cognoscat. 428. 2.
Ad productionem Verbi requiritur etiam notitia aliarum Personarum. 429. 1.
Ad æqualitatem tria requiruntur. 468. 1.
Æqualitas, & similitudo dantur in Diuinis, 468. 2.
Æternitas strictè & propriè sumpta soli Deo competit. 83. 1.
Æternitas Dei est essētialiter duratio 84. 1.
Æternitas Dei est ipsamet eius substantia. 83. 2.
Æternitas Dei est indiuisibilis & tota simul, 83. 2.
Æternitatis definitio. 81. 2.
Æternitas Dei non est attributum purè negatiuum. 84. 2.
Æuum dupliciter sumi potest. 527. 1.
Æuum in ratione mensuræ residet in supremo Angelo. 528. 1.
Angeli dantur in rei veritate, 489. 1.
Angeli sunt omninò incorporei, & immateriales, 492. 2.
Angeli definitio. 489. 2.
Angeli sunt incorruptibiles, & immortales. 494. 2.
Angeli creati sunt simul cum mundo corporeo. 939. 2.
Angeli creati sūt in cælo empyreo. 490. 1.
Angeli propter quatuor fines creati sunt. 490. 2.
Angeli non componuntur ex materia spirituali, 494. 2.
Angeli omnes specie distinguūtur, 497. 1.
Angeli non possunt intra eandem speciem multiplicari. 498. 1.
Angelorum multitudo excedit omnia materialia, 499. 1.
Angeli non habent corpora sibi naturaliter vnita. 502. 1.
Angeli propria virtute possunt efformare corpora. 503. 1.
Angeli aliquādo corpora assumūt. 502. 2.
Angeli intellectuali cognitione præditi sunt, 531. 2.
Angeli species omnium rerum sibi infusas habent, 536. 2.
Angeli per species à rebus naturalibus acceptas intelligere non possunt, 537. 1.
Angeli cognoscunt singularia etiam materialia. 548. 2.
Angeli mali puniti sunt cæcitate, & obstinatione. 598. 2.
Angeli inferiores à superioribus illuminantur. 610. 1.
Angeli alij sunt assistentes, alij ministrantes. 622. 2.
Angeli quatuor maiorum ordinum nunquam mittuntur, 624. 1.
Angeli supremi ter in terram descenderunt. 625. 1.
Angeli tria opera circa homines exercere possunt, 626. 1.
Angeli beati deputati sunt ad custodiam hominum, 626. 2.
Angeli nobiscū possunt colloqui, 613. 2.
Angelicæ species non sunt simpliciter infinitæ, 550. 1.
Angelorum illuminatio fit de rebus naturæ, gratiæ, & gloriæ. 610. 1.
Angel' est spiritus purè substātialis, 489. 2.
Angelus non potest esse in essentia alterius Angeli, 507. 2.
Angelus verè est in loco, 506. 2.
Angelus non est in loco per suam substantiam, 508. 1.
Angelus non est in loco per modum alicuius vnionis ad corpus. 508. 2.
Angelus est in loco per operationem virtualiter transeuntem. 509. 1.
Angelus malus in loco violento est per passionem, 509. 2.
Angelus nunquàm est in potētia respectu actualis cognitionis Dei, 562. 1.
Angelus naturaliter non potest esse simul in pluribus locis adæquatis, 513. 1.
Angelus potest moueri localiter, 518. 1.
Angelus non mouetur motu per accidens, ad motū corporis, in quo existit, 520. 1.
Angelus motu discreto potest transire de vno loco in alium, non pertranseundo medium, 523. 1.
Angelus non est subditus legibus loci. 524. 1.
Angelus cognoscit seipsum per suam substantiam, 532. 1.
Angelus ad sui cognitionem non indiget specie accidentali, 532. 2.
Angelus ad res alias à se cognoscendas indiget speciebus, 536. 1.
Angelus non potest recipere species etiam à rebus spiritualibus, 537. 2.
Angelus quo superior, eò per species magis vniuersales intelligit, 542. 2.
Angelus per species vniuersaliores, non minus perfectè res cognoscit, 542. 1.
Angelus superior comprehensiuè cognoscit inferiorem, 544. 2.
Angelus tamen inferior non comprehendit superiorem. 545. 2.
Angelus potest peccare indirectè contra legem naturalem, 582. 1.
Angelus dupliciter potuit appetere esse Deus. 588. 2.
Appetitus elicitus videndi Deum, solū per accidens fertur in Dei visionem, 93. 2.
Asserere Angelos esse corporeos non est error in fide, 593. 2.
Atheismus solùm crassam ignorantiam habuit de vero Deo. 35. 1.
Attributa Diuinitatis, quæ soli Deo conueniunt, quinq; sunt, 35. 2.
Attributa Diuina inter se & ab essentia distinguuntur, 45. 1.
Attributa Diuina non distinguuntur inter se entitatiuè, 56. 2.
Attributa & personæ, sine essentia Diuina videri non possunt, 135. 2.
Attributa, & Personæ Diuinæ pertinent ad primarium Diuinæ visionis obiectum, 136. 2.
Attributum quid sit, 53. 1.

B

Beati non vident Deum per speciem intelligibilem. 104. 1.
Beati vident omnia, quæ Deo formaliter insunt, 131. 2.
Beati Deum non comprehendūnt. 132. 2.
Beati per lumen gloriæ penetrant libera Dei decreta, 140. 2.
Beati vidēt omnia attributa in Deo, 132. 1.
Beati ex vi visionis Diuinæ essentiæ possunt videre immediatè in seipsis libera Dei decreta, 139. 2.
Beati vident de facto aliquas creaturas possibiles. 144. 1.
Beati non possunt cognoscere actus Dei liberos, nisi Deus illos dirigat ad eius intellectum, 141. 1.
Bona indoles, & bonum ingenium in electis, sunt effectus prædestinationis ipsorum. 345. 1.
Bonum dupliciter considerari potest, 263.
Bonum tripliciter sumi potest. 67. 1.

C

Causa obstinationis dæmonū, est eorū arbitrium liberū inflexibile. 599. 2.
Causa verò extrinseca, est subtractio Diuinæ gratiæ. 19.
Causalitas Diuinæ scientiæ dupliciter consideratur. 173. 1.
Clara Dei cognitio est possibilis intellectui creato, 92. 2.
Christus non est obiectum adæquatum Theologiæ. 20. 2.
Certitudo duplex est. 12. 1.
Cognitio ex qua procedit Verbum Diuinum, respectu Diuinarum personarum, est intuitiua. 429. 1.
Cognitio Angeli, qua seipsum cognoscit, non est eius essentia. 532. 2.
Cognitio speculatiua non est totaliter dæmonibus ablata. 599. 1.
Cognitio practica est totaliter dæmonibus detracta. 599. 2.
Compositio triplex est. 59. 1.
Comprehensio duplex est. 101. 2.
Concursus Diuinæ essentiæ cum intellectu Beatorum ad claram sui visionem, est liber. 110. 1.
Continētia eminētialis duplex est. 170. 2.
Corpus naturale infinitum dari non potest, 70. 2.

Creatura secundùm essentiam infinita dari non potest. 70. 2.
Creaturæ solùm sunt obiectum materiale Diuinæ voluntatis. 240. I.
Creaturæ possibiles non amantur à Deo. 248. I.

D.

DÆmones verè torquentur igne infernali. 602. 2.
Dæmones torquentur igne per alligationem. 603. 2.
Datur in Diuinis SS. Trinitas. 398. I.
Datur in Deo libertas contradictionis. 259. I.
Datur verè in Deo potentia executiua. 118 2.
Datur in Deo scientia. 151. I.
Datur in homine naturale desiderium videndi Deum. 93. I.
Dantur in Deo relationes reales. 457. 2.
Dantur in Deo decreta efficacia circa act⁹ nostros liberos. 274. I.
Dantur in mente Diuina ideæ existentes. 228. 2.
De ratione originis tria sunt. 405. 2.
De mysterio Sanctissimæ Trinitatis cautè loquendum. 450, 2
Decreta conditionata efficacia in Deo admitti debent. 204. 2.
Decreta conditionata in Deo nullam imperfectionem admittunt. 205. 2.
Decreta indifferentia in Deo non sunt admittenda. 278 2.
Decretum conditionatum dupliciter potest dici. 203. 2.
Decretum diuinum dupliciter potest dici indifferens. 273. 2.
Decretum Dei efficax non tollit libertatem causarum secundarum. 276. I.
Decretum executiuum circa gloriam, supponit præuisa merita. 318. 2.
Deitas sine attributis, & personis videri non potest. 134. 2.
Determinatio causarum, & futuritio duplex est. 183. I.
Deum esse est per se notum secundum se. 28. I.
Deum esse non est per se notum quoad nos. 28. 2.
Deum esse solum à posteriori, demonstrari potest. 30. I.
In Deo sunt omnium rerum perfectiones. 63. 2.
Deum esse infinitum simpliciter, potest naturaliter ostendi. 70. I.
Deo conueniens fuit homines prædestinare. 301. I.
Deus sub ratione Deitatis est obiectum formale Theologiæ. 19. 2.
Deus dupliciter considerari potest. 27. 2.
Deus est omnino simplicissimus. 60. I.
Deus non est physicè compositus. 60. 2.
Deus non componitur ex genere & differentia. 61 I.
Deus non potest venire in compositionem aliarum rerum. 61. I.
Deus cum creaturis non est aliquid maius, & perfectius intensiuè. 65. 2.
Deus est summè bonus. 67. 2.
Deus est summè bonus bonitate absoluta. 67. 2.
Deus est summè bonus bonitate etiam morali. 68. I.
Deus est summè bon⁹ per essentiam. 68. 2.
Deus in omni genere entis, & perfectionis, est infinitus. 69. 2.
Deus tribus modis est vbique. 72. 2.
Deus speciali modo est in cælo empyreo. 72. 2.
Deus per suam immensitatem est vbique præsens. 73. 2.
Deus non habet determinatũ locũ. 73. 2.
Deus non est actu, & positiuè in spatijs imaginarijs. 75. 2.
Deus est omnino immutabilis. 79. I.
Deus est æternus. 82. 2.
Deus suorum attributorum habet scientiam strictè sumptam. 160. 2.
Deus habet veram scientiam omnium rerum creatarum. 161. I.
Deus se per essentiam comprehensiuè intelligit. 162. I.
Deus cognoscit creaturas possibiles in sua essentia, vt in causa. 165. 2.
Deus non entia physica cognoscit. 171. I.
Deus mala naturæ cognoscit per bonitatem naturæ. 172. I.
Deus certò, & infallibiliter cognoscit futura contingentia absoluta. 184. I.
Deus non cognoscit futura conditionata in decreto vt futuro. 180. I.
Deus cognoscit certò futura certò, in eorum veritate obiectiua. 187. I.
Deus ab æterno præuidit, quid Angeli aut homines liberè facturi essent. 197. 2.
Deus certò cognoscit futura contingentia conditionata. 198. 8.
Deus ante omne decretum non cognoscit certo futura. 200.
Deus suam bonitatem necessariò diligit. 247 I.
Deus non ex necessitate diligit creaturas, sed liberè. 248. I.
Deus voluntate antecedente, vult omnes homines saluos fieri. 267. 2.
Deus per voluntatem antecedentem præparat hominibus auxilia sufficientia ad salutem. 270 2.
Deus omnes actus causarũ secundarũ prædefinit decreto suo absoluto. 276. I.
Deus decreto suo absoluto prædefinit etiam materiale peccati. 278 I.
Deus ab æterno prædefiniuit numerum etiam vilissimorum animalium. 287. 2.
Deus habet prouidentiam de omnibus rebus creatis. 386. 2.
Deus omnibus hominibus dat auxilia sufficientia. 370. I.
Deus satisfacienti quod in se est, non tenetur dare gratiam. 318. 2.
Deus etiam gentilibus dat sufficientia media ad salutem. 437. I.
Deus vnica simplicissima cognitione, & se, & creaturas cognoscit. 427. 2.
Deus genitus non generat. 455. I.
Deus genuit se Deum, falsum est. 455. 2.
Differentia libertatis creatæ, & Diuinæ. 260. I.
Discrimen inter dicere, & intelligere. 421. I.
Diuina essentia non est idea Filij & Spiritus Sancti. 236 2.
Diuina attributa non sunt obiectum formale motiuũ Diuini intellectus. 49. 2.
Diuina attributa sunt virtualiter plura. 54 I.
Diuina attributa alia sunt positiua, alia negatiua. 54. I.
Diuina attributa secundum rationem implicitam entis increati sunt omnino æqualia. 56. I.
Diuinæ relationes non possunt habere rationem speciei. 49. I.
Diuinæ æternitatis duplex radix est. 83. I.
Diuisio voluntatis Dei in antecedentem, & consequentem, est ex parte voliti. 265 I.
Dupliciter aliquid potest esse sui definitiuum. 67. I.
Dupliciter aliquid dicitur tale per essentiam. 67 2.
Dupliciter aliquid dicitur infinitiuũ. 68 2.
Dupliciter aliquid dicitur supernaturale. 95. I.
Dupliciter aliquid potest cognosci ex vi visionis beatificæ. 139. I.
Dupliciter aliquid potest esse in loco. 505. 2.
Duratio interminata tribus modis intelligitur. 81. 2.

E.

EFfectus prædestinationis tres conditiones habere debet. 327. 2.
Effectus prædestinationis dupliciter considerari possunt. 346. I. 470. I.
Efficacia Diuinæ voluntatis extendit se ad omnia possibilia. 282 I.
Efficacia Diuinæ voluntatis extendit se ad Angelos adhuc in via. 282. I.
Efficacia Diuinorum decretorum æq; necessaria erat in statu innocentiæ, sicut nunc. 283. I.
Efficacia Diuinæ voluntatis extendit se ad statum innocentiæ primorum parentum. 282. 2.
Electio efficax ad gloriam, extenditur etiam ad determinatum gradum beatitudinis. 318 I.
Ens vt sic non est obiectum primarium intellectus Diuini. 48. 2.
Ens Diuinum vt sic, non est obiectum formale primariũ intellectus Diuini. 50. I.
Ens & nõ ens dupliciter sumũtur. 170 2.
Essentia Diuina vnita intellectui Beatorum, habet aliquomodò rationem speciei expressæ. 109 2.
Essentia Diuina non potest vniri intellectui creato per modum luminis gloriæ. 119. I.
Essentia Diuina non habet rationem ideæ. 230. I.
Esse Angeli mensuratur æuo. 527. 2.
Etiam rudes homines non habent ignorantiam inuincibilem de Deo. 34 2.
Ex parte prædestinati nulla datur causa ipsius prædestinationis. 322. I.

 Execu-

Executio prædeſtinationis actiuæ ſumpta ſolum eſt in Deo. 312 1.

F.

Filius in Diuinis eſt naturalis imago Patris. 425. 1.
Filius cum Patre non eſt aliqua indigentia producunt Spiritum Sanctum. 437. 1.
Filius non eſt magis ſimilis Patri, quam Spiritus Sanctus. 472. 1.
Forma ab igne infernali cauſata pertinet ad prædicamentum qualitatis. 604. 1.
Formale conſtitutiuum eſſentiæ Diuinæ eſt intelligere Diuinum. 38 1.
Futuritio viſionis Dei non poteſt naturaliter demonſtrari. 100. 1.
Futura duplicia ſunt. 552. 2.
Futura contingentia abſoluta ſunt Deo præſentia, Deo ab æterno. 195. 1.
Futura re poſſibili, & exiſtenti per quod differat. 183. 1.
Futurum conditionatum dupliciter accipitur. 425. 1.

G.

Gentiles ſunt inexcuſabiles à cognitione veri Dei. 36 1.
Glorificatio eſt effectus prædeſtinationis. 318 2.
Gloria & merita diuerſis virtualiter actibus volita ſunt. 318. 2.
Genera, & ſpecies rerum materialium, habent cuſtodem Angelum.

H.

Hierarchiæ Angelorum ſunt tres. 618.2
Hierarchia Angelorum vnde deſumitur. 620. 1.
Homines aliqui ſunt à Deo prædeſtinati. 298. 2.
Homines per ſolam prouidentiam geralem ſaluari non poſſunt. 302. 1.

I.

In Deo non datur potentia intellectiua. 45. 1.
In Deo ſaluatur formaliter ratio ſpeciei intelligibilis. 46. 1.
In viſione beatifica non datur ſpecies expreſſa. 105. 2.
In creatura non datur potentia obedientialis productiua actuum ſupernaturalium. 120. 1.
In libero Dei decreto tria ſpectari debent. 138. 2.
In Deo eſt ſcientia formaliter, & propriè dicta. 160. 1.
In Deo non datur cognitio creaturarum poſſibilium in ſeipſis immediatò. 167. 1.
In mente Diuina defacto ſunt plures ideæ. 230. 1.
In Deo ſunt ideæ omnium creaturarum. 236. 1.
In Deo non ſunt ideæ formarum corruptibilium. 236. 2.
In Deo datur perfectiſſima libertas. 250. 2.
In diuino intellectu duo ſunt actus. 291.
In reprobatione duæ voluntates includuntur. 361. 1.
In Diuinis non datur ratio perſonæ tribus perſonis communis. 383.
In Deo non datur ſubſiſtentia abſoluta. 386. 1.
In Deo non dantur tres exiſtentiæ relatiuæ. 386 2.
In Diuinis perſonis datur aliqua conſtitutio. 392.
In Diuinis conſtitutio non eſt realis, ſed virtualis. 392. 2.
In Deo datur pluralitas perſonarũ. 394 1.
In Deo tres tantùm ſunt perſonæ. 394. 1.
In Deo alia ſunt nomina eſſentialia, alia notionalia, alia perſonalia. 406. 1.
In Verbo duplex reſpect⁹ cernitur. 419 1.
In Diuinis inter oppoſita relatiuè tantum datur diſtinctio realis. 442. 1.
In Diuinis eſſentia & perſona ſunt idem ſecundum rem. 449. 2.
In Diuinis vna eſt eſſentia in tribus perſonis. 449. 2.
In Diuinis eſt potentia reſpectu actuum notionalium. 465. 1.
In Diuinis perſonis eſt ordo originis. 474.
In ratione miſſionis duo importantur. 476. 2.
In Diuinis non quælibet perſona mittitur. 479. 1.
In die iudicij Angeli ex omnibus choris deſcendent de cælo. 624. 1.
Inæqualitas in viſionib⁹ beatificis prouenit ab inæqualitate luminis gloriæ. 128. 2.
Inæqualitas in viſionibus beatificis non eſt eſſentialis. 128. 1.

Ideæ Diuinæ nõ ſunt ipſæ creaturæ. 230. 1.
Ignis quo dæmones torquentur eſt naturalis. 603. 1.
Ignis inferni non imprimit dæmonibus ſuum calorem. 605. 2.
Ignis inferni non producit in dæmonibus qualitatem deturpatiuam. 606. 1.
Imago in Diuinis eſt nomen perſonale. 424. 1.
Implicat vnam perſonam Diuinam ſine altera videri. 136. 1.
Intellectus creatus poteſt naturaliter eleuari ad videndum Deum. 95. 1.
Intellectus creatus ad videndum Deum, indiget lumine gloriæ. 113. 2.
Intellectus creatus non poteſt Deum videre ſine lumine gloriæ. 118.
Intellectus creatus per ſolum concurſum ſimultaneum non poteſt fieri potens ad videndum Deum. 120. 1.
Intellectus non ſe merè paſſiuè habet ad viſionem beatificam. 123. 1.
Intellectus lumine gloriæ perfuſus, vt cauſa ſecunda principalis concurrit ad viſionem. 125 2.
Intelligere Diuinum aliud eſt eſſentiale, aut attributale. 43. 1.
Inter formam naturalem, & intelligibilem, diſcrimen duplex. 111. 1.
Inter viſiones beatorum datur inæqualitas. 127. 2.
Inter creaturas poſſibiles, & exiſtentes, reſpectu viſionis beatificæ diſcrimen. 145. 1.
Inter rem eſſe futuram, & non eſſe futuram non datur medium. 260 1.
Inter patrem, & filium, non eſt vlla prioritas. 475. 1.
Iſta propoſitio, hic Deus, eſt hic Deus vera eſt. 455. 1.
Inſtans quo Angeli benè meruerunt, diſtinguitur ab inſtanti creationis. 575 2.
Iuſtificatio electorum dupliciter conſideratur. 330. 2.

L.

Libera Dei voluntas non eſt reſpectus rationis. 252. 2.
Libertas triplex eſt. 251. 2.
Libertas naturæ in quo conſiſtit. 251. 2.
Loci Theologici ſunt decem. 22. 2.
Locus pœnalis dæmonũ duplex. 602. 1.
Locutio Angeli non fit per influxum phyſicum. 615. 2
Locutio Angelorum non fit per aliqua ſigna. 615. 2
Locutio Angelorum non fit per immiſſionem qualitatis. 616. 1.
Locutio Angelorum plurimum differt à locutione humana. 615. 2.
Lumen gloriæ non concurrit ad viſionem Dei, per modum ſpeciei impreſſæ. 115. 1.
Lumen gloriæ vt eſt in beatis, eſt habitus. 124. 1.
Lumen gloriæ eſt potentia. 124. 1.
Lumen gloriæ eſt perfectius charitate. 125 1.
Lumen gloriæ eſt minus perfectum gratia ſanctificante. 124. 2.

M.

Materia prima non habet in Deo ideam ſibi propriam. 236. 2.
Materia peccati Angelorum fuit beatitudo inordinatè appetita. 588 1. 524 2.
Materia peccati Angelici non fuit omnimoda æqualitas cum Deo. 590. 1.
Materia peccati Angelici non fuit vnio hypoſtatica. 590 2.
Materia peccati Angelici non fuit appetitus principatus ſupra creaturas intellectuales. 591. 1.
Materiale peccati in electis eſt effectus prædeſtinationis. 348. 2.
Media ſcientia, tollit à Deo rationem primæ cauſæ. 224 1.
Media ſcientia aufert à Deo rationem primi liberi. 224. 2.
Media ſcientia deſtruit ſupremũ Dei dominium. 224 2.
Media ſcientia tribuit Deo modum concurrendi cæcum. 225 2.
Media ſcientia tollit libertatem voluntatis creatæ. 225. 2.
Medium ducens in cognitionem alterius duplex eſt. 165 1.
Medium duplex eſt. 522. 1.
Miſſio Diuinæ perſonæ alia viſibilis, alia inuiſibilis. 478. 1.
Miſſio Diuinis perſonis conuenit. 478 1.
Miſſio Diuina abſolutè dici debet temporalis. 478. 2.
Miſſio inuiſibilis Diuinæ perſonæ ſolum fit per gratiam. 480. 1.

Modus operandi intellectus & voluntatis in quo differunt. 426 1.
Motus Angeli per cōparationem ad corporalia, est æquiuocè motus. 519. 1.
Motus Angeli quo in se mouetur consistit in diuersis contactibus quantitatis virtutis. 519. 2.
Motus Angeli de vno loco in alium non potest fieri in instanti. 524. 2.
Mysterium Trinitatis naturaliter cognosci non potest. 401 2.
Mysterium Trinitatis est supra rationem naturalem. 402. 1.
Mysterium Trinitatis non repugnat veritati naturali. 402. 2.
Mysterium Trinitatis ad quid nobis reuelatum est. 403. 1.

N.

NAtura in Deo dupliciter vsurpatur. 37. 1.
Natura Diuina non constituitur formaliter per infinitatem. 39. 1.
Natura Diuina strictè sumpta non constituitur per esse a se. 39. 1.
Natura Diuina non constituitur per naturalem intellectualitatem. 40. 1.
Natura, & essentia in Deo non distinguuntur virtualiter. 40, 2.
Nemo certò scire potest se esse prædestinatum. 355 2.
Non est de ratione prædestinationis, vt effectus eius sit per Christum. 328. 2.
Nomen personæ quid significat. 387 1.
Nomen principij dupliciter considerari potest 411 2.
Nomen ingenitum tribus modis sumitur. 412. 1.
Nomen principij notionaliter sumptum est proprium primæ personæ. 412 2.
Nomen pater personaliter sumptum, proprium est primæ personæ. 415. 1.
Nomen ingeniti conuenit primæ personæ in Diuinis. 416. 1.
Nomen spiritꝰ dupliciter deducitur. 431 2.
Nomen Spiritus Sanctus dupliciter considerari potest. 432. 1.
Nomina secundæ personæ non sunt synonyma. 425 2.
Nomina solitudinem significanti in Deo vitanda sunt. 399. 1.
Nomina essentialia quomodò prædicentur de Deo. 451. 1.
Nomina personalia abstracta non supponunt pro personis. 456. 1.
Non est possibilis creatura simpliciter impeccabilis. 579. 1.
Non omnes Angeli mittuntur ad externa ministeria. 623. 1.
Non potest dari ignorantia inuincibilis de existentia Dei. 34. 1.
Non potest dari substantia spiritualis completa, cui visio beatifica sit connaturalis. 96. 1.
Notio significari debet in abstracto. 407.
Notiones in Diuinis omnino admitti debent. 406 2.
Notiones in Diuinis sunt tantùm quinque. 408. 2.
Notiones Patris sunt tres. Filij duæ, Spiritus Sanctus vna. 409. 2.
Notionales actus sunt necessarij, ac naturales. 408. 1.
Nulla cognita creatura possibili, non implicat Deum, quidditatiuè cognosci. 145. 1.
Nullus creatus videre potest omnia libera decreta Dei. 140 1.
Nullus Angelus in primo instanti suæ creationis peccauit. 575. 2.
Numerus prædestinatorū tripliciter considerari potest. 353. 2.
Numerus prædestinatorum soli Deo certus est. 354. 2.
Numerus prædestinatorum minor est numero reproborum. 356. 2.
Numerus reproborum non est ita certus, sicut prædestinatorum. 355. 2.

O.

OBiectum materiale Theologiæ est omne reuelatum à Deo, 20. 1.
Obiectum primarium intellectus Diuini est ens increatum. 48 1.
Obiectum formale motiuum Diuini intellectus est sola essentia diuina. 49 1.
Obiectum primarium Diuinæ intellectionis est ipsemet Deus. 161. 2.
Obiectum scientificum intellectionis essentialis est sola Diuina essentia. 162. 2.
Obiectum formale aliud est motiuum aliud terminatiuum. 246. 1.
Obiectum formale Diuinæ voluntatis est sola bonitas diuina. 246. 2.
Obduratio, & excæcatio reprobi non est effectus reprobationis. 367 1.
Oculus corporeus non potest eleuari ad videndum Deum. 97. 1.
Omnis iustificatio electorum est effectus prædestinationis. 331. 2.
Opera naturalia etiam de cōgruo nō sunt meritoria primi auxilij gratiæ. 322. 2.
Opera moralia bona etiam dispositiua non concurrunt ad primam vocationem. 331. 2.
Opus meritorium, & salus hominum, non est obiectum Theologiæ, 20. 2.
Ordine intentionis nulla datur causa ex parte reproborum. 362. 1.
Ordo originis rectè vocatur ordo naturæ. 475. 1.

P.

PAter non est causa Filij, & Spiritus Sancti. 413 1.
Pater verè dicitur Author Filij, & Spiritus Sancti. 413 2.
Pater propriè dici non potest principium totius Deitatis. 414 1.
Pater, & Filius, sunt vnum principium Spiritus Sancti. 446. 2.
Pater, & Filius, sunt duo spirantes, sed vnus spirator. 448 1.
Pater non est prior Filio etiam nostro modo intelligendi. 475 2.
Perfectio simpliciter simplex quid sit. 63. 1.
Perfectio tripliciter potest contineri in aliquo 63 1.
Perfectiones simpliciter simplices sunt in Deo formaliter. 64. 2.
Perfectiones creaturarum secundum quid sunt in Deo eminenter. 65 1.
Permissio peccati in electis est effectus prædestinationis 347. 1.
Permissio peccati originalis non est effectus reprobationis 372 1.
Persona verè in Deo reperitur. 382. 1.
Persona Diuina non est secunda intentio. 382 2.
Persona idem est, quod hypostasis. 385 1.
Persona Diuina non significat directè essentiam. 387. 1.
Persona Diuina directè significat relationem in concreto. 387. 2.
Persona in ratione personæ duo importat. 390 2.
Personæ definitio. 381 2.
Personæ Diuinæ constituuntur per proproprietates relatiuas. 391. 1.
Personæ Diuinæ sunt realiter inter se distinctæ. 396. 1.
Personæ Diuinæ tres sunt vnꝰ Deꝰ. 395 2.
Personæ Diuinæ possunt dici & vna res. & tres res. 396. 1.
Personæ Diuinæ non possunt dici tria indiuidua. 396 1.
Personæ Filij & Spiritus Sancti possunt dici principiatæ. 414 1.
Personæ Diuinæ distinguuntur per relationes. 460 1.
Personæ Diuinæ sunt æquales in duratione. 469. 1.
Personæ Diuinæ sunt æquales in potentia agendi. 469 1.
Personæ Diuinæ tribus modis in se inuicem sunt. 469. 2.
Personæ in dignitate publica constitutæ, habent alterum Angelum custodem superioris ordinis. 6 8 1.
Per vocationem congruam quid intelligatur. 321. 1.
Possibile duplex est. 165. 1.
Possibilitas visionis Dei non potest naturaliter demonstrari. 99. 2.
Potētia executiua in Deo est infinita. 182.
Potentia immediatè executiua in Deo non est eius voluntas. 181.
Prædestinatio in Deo verè datur. 300 2.
Prædestinatio connotat actum voluntatis. 306. 1.
Prædestinatio non importat ex æquo actū intellectus, & voluntatis. 306. 2.
Prædestinatio non consistit in iudicio regulante electionem. 306. 2.
Prædestinatio est pars obiectiua Diuinæ prouidentiæ. 310. 2.
Prædestinatio non est pars subiectiua Diuinæ prouidentiæ. 310 2.
Prædestinatio non ponit aliquid in prædestinato. 311 1.
Prædestinatio tria munera inadæquata exercet. 313 2.
Prædestinatio est omnino gratuita, & ante præuisa merita. 316. 1.
Prædestinatio est immediatè præparatio gratiæ. 329. 1.

Prædeſtinatio electorum ad gloriam eſt Deo certiſſima. 350. 2.
Prædeſtinatio infallibiliter conſequitur ſuum effectum. 351. 1.
Prædeſtinationis triplex definitio. 299. 2.
Prædeſtinationis infallibilitas non lædit libertatem arbitrij. 352. 1.
Præſcientia alia eſt obiectiua, alia phyſica. 190. 2.
Per ſcientiam mediam quid intelligatur. 208. 2.
Primum peccatum malorum Angelorum fuit ſuperbia. 584. 2.
Primum peccatum Angelorum non potuit eſſe actus inobedientiæ. 585. 2.
Primum peccatum Angelorum non fuit inuidia. 586. 1.
Primum peccatum Angeli præceſſit inaduertentia. 594. 2.
Primum peccatum Angeli non præceſſit ignorantia. 596. 1.
Proceſſio Verbi quomodò æterna & temporalis. 477. 2.
Propoſitio per ſe nota duplex eſt. 27. 2.
Proprietates perſonales in Deo dantur. 390. 1.
Proprietates perſonales poſſunt eſſe & abſolutæ, & relatiuæ. 390. 2.
Proprietates perſonales tres tantum ſunt. 409.
Pluralitas idearum non repugnat Deo. 230. 2.
Pluralitas idearum ab intellectu diuino quaſi efficienter prouenit. 233.
Prouidentia in Deo duplex eſt. 290. 1.
Prouidentia quinq; actus requirit. 290. 2.
Prouidentia Diuina conſiſtit in actu intellectus practici. 291. 1.
Prouidentia Diuina non ex æquo importat actum intellectus & voluntatis. 292. 2.
Prouidentia Diuina diſtinguitur ab eius ſcientia. 292. 1.
Prouidentia Diuina non eſt idem, quod lex æterna. 292. 2.
Prouidentia Diuina diſtinguitur virtualiter a potenti Dei. 293. 1.

Q.

QValitatis Dæmones alligantis tres ſunt effectus. 605. 1.
Quilibet beatus eſt contentus gradu ſuæ beatitudinis. 129. 2.
Quælibet Creatura per viſionē beatificam videt aliqua libera Dei decreta ad ſuum ſtatum pertinentia. 140. 2.
Quilibet homo quamdiu viuit ſecundum legem ordinariã poteſt ſaluari. 371. 1.

R.

RAdix ingeniti, ſeu innaſcibilitatis eſt paternitas. 567. 2.
Ratio formalis ſub qua obiecti Theologiæ, eſt reuelatio virtualis. 20. 1.
Ratio ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ, non diſtinguitur virtualiter in Deo ab eius eſſentia. 46. 2.
Ratio ſpiratoris non eſt conſtitutiua perſonæ. 442. 2.
Relatio æqualitatis in Diuinis non eſt ſuperflua. 472. 2.
Relatio in Diuinis eſt idem quod perſona ſecundum rem. 458. 2.
Relatio æqualitatis in Diuinis non eſt realis. 471.
Relationes, quibus Deus refertur ad creaturas triplices ſunt. 458. 1.
Relationes Diuinæ realiter ab inuicem diſtinquuntur. 459. 1.
Relationes Diuinæ non habent exiſtentias relatiuas. 460. 1.
Relationes in Deo ad intra, non omnes ſunt reales. 458. 1.
Relationes Diuinæ non addunt perfectionem relatiuam ad eſſentiam. 459. 1.
Relationes Diuinæ diſtinguuntur etiam per origenes ſecundario. 461. 1.
Rem per cauſam cognoſci dupliciter contingit. 150.
Reprobatio conſiſtit in actu Diuini intellectus. 358. 1.
Reprobatio verè in Deo datur. 268. 2.
Reprobatio poſitiua ſupponit præuiſa merita. 363. 1.
Reprobatio in Deo dicit actum poſitiuum. 159.
Reprobationis definitio. 358. 2.
Reprobationis hominũ prima cauſa fuit peccatum originale. 303. 2.
Reprobationis duo ſunt effectus. 366. 1.
Requiſita ad prædeſtinationem ex parte voluntatis, & intellect⁹ Diuini. 358. 1.
Res dupliciter conſtituuntur. 37. 2.
Reſpectus Verbi Diuini ad creaturas, non eſt realis. 421. 2.

S.

SAncti Patres decreta conditionata in Deo agnoſcunt. 205. 1.
Sapientia duplex eſt. 16. 1.
Sapientia eſt ſupra omnes ſcientias humanas. 16. 2.
Sapientiæ conditiones. 17. 1.
Scientia Dei libera & neceſſaria quid ſit. 156. 2.
Scientia Dei eſt vna & ſimpliciſſima. 167.
Scientia Dei diuiditur in ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ. 157. 1.
Scientia Dei ſemper eſt in actu. 158. 1.
Scientia Dei libera duplicem habet reſpectum. 173. 2.
Scientia Dei eſt vera cauſa creaturarum. 174. 1.
Scientia Dei, qua Deus cauſat res in actu ſecundo, eſt ſcientia viſionis. 175. 2.
Scientia viſionis, quâ talis, non eſt cauſa rerum. 176. 2.
Scia media non eſt eadem cum ſcientia futurorum conditionatorum. 209. 1.
Scientia media cur etiam vocetur conditionata. 209. 1.
Scientia media nullo modo in Deo admittenda eſt. 210. 1.
Scientia media in Concilio Trident. non fuit admiſſa. 212. 2.
Scientia media ab antiquis ſcholaſticis fuit reprobata. 213. 1.
Scientia media à Pelagianis inuenta eſt. 213. 2.
Scientiæ mediæ definitio. 216. 1.
Scientia media non eſt neceſſaria ad dirigendum Deum in ſuis decretis abſolutis. 217. 1.
Scienti media non eſt neceſſaria ad certitudinẽ Diuinæ prædeſtinationis. 218.
Scientia media non eſt neceſſaria ad conciliandam libertatem humanam cum gratia efficaci. 219. 1.
Scientia media ſternit viam erroribus Semipelagianorum. 222.
Scientia media fauet errori Arianorum. 223. 1.
Scientia media eſt impoſſibilis. 223. 1.
Scienda in Trinitate perſona dupliciter nominatur. 418. 1.
Si Deus inciperet aliquid in tẽpore velle, ſequeretur in illo mutatio phyſica. 26. 2.
Signa prædeſtinationis cõiecturalia. 356. 1.
Singuli hominum habent cuſtodem Angelorum. 627. 1.
Sine prædeſtinatione impoſſibile eſt aliquem ſaluari. 301. 1.
Solus Chriſtus Angelo cuſtodi non egebat.
Solus Chriſtus in hac vita clarè vidit Diuinam eſſentiam. 96. 1.
Species intelligibiles in Angelo non fluunt ab eius eſſentia. 538. 1.
Species impreſſa creata Dei eſt impoſſibilis. 102. 2.
Spiritus Sanctus in quo ſenſu dicitur Verbum. 470. 2.
Spiritus Sanctus eſt verus Deus. 434. 1.
Superbia duobus modis ſumitur. 584.
Supernaturalitas quid ſit. 94. 2.
Subſtantia Angeli non gerit vices ſpeciei impreſſæ in cognitione ſui. 533. 1.
Subſtantia reprobi, eſt effectus reprobationis. 367. 2.
Subſiſtentiæ in Deo ſunt tres. 385. 2.

T.

TAm ſcientia viſionis; quàm ſimplicis intelligentiæ poteſt dici approbationis. 177. 1.
Termini in myſterio Trinitatis qui quomodò vitandi. 397. 2.
Terminis formalis actuum notionaliũ, eſt eſſentia Diuina communicata. 466. 2.
Tertia Trinitatis perſona cur dicuntur Spiritus. 433. 2.
Tertia Trinitatis perſona cur dicitur Spiritus Sanctus. 433. 1.
Theologia eſt vera ſcienria. 2. 2.
Theologia eſt ſubalternata ſciẽtiæ Dei. 3.
Theologia eſt ſpeculatiua ſimul & practica. 8. 2.
Theologia magis eſt ſpeculatiua, quàm practica. 9. 1.
Theologia noſtra eſt eminenter practica. 9. 1.
Theologia noſtra in cognoſcendo certa eſt. 12. 2.
Theologia eſt certior omnibus ſcientijs naturalibus. 13. 1.
Theologia quoad nos minus eſt certa. 14.
Theologia eſt verè, & propriè ſapientia. 17. 1.
Theologia eſt ſapientia ſupra omnes humanas ſapientias. 17. 2.

Theologia iudicat de principijs & conclusionibus omnium scientiarum. 18. 1.
Theologia est vna scientia specie atoma. 21. 1.
Theologia, non argumentatur ad sua principia probanda. 24. 1.
Theologia authoritatibus Doctorum Ecclesiæ solum vtitur probabiliter. 25. 1.
Theologiæ proprium est argumentari ex authoritate Sacræ Scripturæ. 24. 2.
Theologiæ diuisio. 2. 1.
Theologiæ definitio. 2. 1.

V.

Varia nomina primæ personæ in Diuinis. 411. 2.
Varij errores circa prouidentiã Dei 286. 1.
Verbum duplex est. 418. 1.
Verbum in Diuinis est nomen proprium Filij. 419. 2.
Verbum in Diuinis dicitur interdum essentialiter. 470. 1.
Verbum esse conuenit secundæ personæ ab æterno. 420. 1.
Verbum Diuinum includit respectum ad creaturas. 421. 2.
Verbum Diuinum est expressiuum, & operatium creaturarum. 422. 1.
Verbum Diuinum procedit ex cognitione omnis intelligibilis. 428. 1.
Verbum non procedit ex cognitione intuitiua creaturarum. 429. 2.
Via cognoscendi Deum naturaliter triplex est. 33. 2.
Via omnium Angelorum completa fuit tribus instantibus. 573.
Visio Dei attingitur ab intellectu beato quoad suam rationem. 115. 2.
Visio beata vnde habet, quòd sit vitalis. 121. 1.
Visis per impossibile omnibus creaturis possibilibus, Deus non comprehenderetur. 132. 2.
Vna persona Diuina non potest seipsam mittere. 478. 2.
Vna persona Diuina potest mitti sine alia missione visibili. 479. 2.
Vnus Angelus illuminat alterum.
Vocatio ordinis supernaturalis duplex est. 336. 1.
Vocatio electorum est effectus prædestinationis. 335. 2.
Volitio concomitans non est prior generatione. 408. 2.
Voluntas Dei dupliciter consideratur. 242. 1.
Voluntas verè in Deo reperitur. 242. 2.
Voluntas in Deo solùm secundum modum nostrum concipiendi habet rationem appetitus. 242. 2.
Voluntas Diuina non est de constitutione metaphysica Diuinæ naturæ. 244. 1.
Voluntas Diuina dupliciter considerari potest. 250. 2.
Voluntas Dei vt natura, & vt libertas non distinguitur virtualiter. 251.
Voluntas Dei antecedens, & consequens, quid sit. 263. 2.
Voluntas Dei antecedens vnde sit dicitur. 264. 2.
Voluntas antecedens solùm est voluntas secundùm quid. 265. 2.
Voluntas consequens in Deo, duplex est. 266. 2.
Voluntas antecedens saluandi omnes homines est de se efficax. 269. 1.
Voluntas saluandi omnes homines, & excludendi aliquos à gloria non repugnant. 363.
Voluntas Diuina vt voluntas nullius actus notionalis principium est. 464.
Voluntatis definitio. 243. 1.

L A V S D E O.



Hunc Ego possideo librum Charissime Lector
Quem si perdidero reddere quero velis
Si possessorem queras libelliq; Dominum
Non Opus ut queras inspice nomen habes
Simon natus
Makowski vocatus. mps

Gis Gucs Gaurisous

Allaun

